MAGNUM OECUMENICUM CONSTANTIENSE CONCILIUM DE UNIVERSALI...

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
14 — M
23

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

TOMUS III.

RERUM CONCILII OECUMENICI CONSTANTIENSIS.

TOMUS III

RERUM
CONCILII CONSTANTIENSIS,
De
RELIGIONIS
ET
FIDEI MOMENTIS.

Quæ res antiquæ in laudato Concilio

CÆSARE SIGISMUNDO

per quadriennium ferme olim ventilatæ,

Nunc,

tribus pene ſeculis elapſis,

CÆSARE LEOPOLDO,

FELICISSIMIS AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DN. RUDOLPHI AUGUSTI
BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.
DUCIS &c.

ad priſtinorum Eccleſiæ fatorum lucem,

Ex antiquiſſimis Codicibus MSCtis

CÆSAREIS, DUCALIBUS & ACADEMICIS

erutæ ac recenſitæ

ab

HERMANNO von der Hardt.

FRANCOFURTI ET LIPSIÆ

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.

Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1698.

Digitized by Google



Æquo & benigno lectori Chriſtiano
S. P.

TErtius hic rerum antiquarum *Tomus tertium Conſtantienſis Concilii momentum* religioſum, *fidei controverſias in eo ventilatas*, concernit. Cujus novæ farraginis literariæ ut conſtet ratio, *collectionis ac diſtributionis anſam, regulam ac fortunam*, exemplo priorum Tomorum, breviter attingemus. *MSCtorum* verò *Codicum*, ex quibus hæc hauſta, cara antiquitas & pretium nobile, ex ſuperioribus abunde conſtant.

CAP. I.
Argumentum Tomi hujus Tertii,
De ponderoſis fidei rebus, illa ætate in controverſiam vocatis, in Conſtantienſi Concilio excuſſis.

TErgeminum fuiſſe ſcopum ac finem magno Conſtantienſi Concilio præfixum, *diſciplinæ Eccleſiaſticæ decorem, publicæ in Eccleſia pacis vincula, & doctrinæ fidei integritatem*, non ſolum ex centenis Concilii diplomatibus liquet, ſed & ex *Cæſaris Sigismundi primo conſtat edicto* publico, quo Concilium orbi Chriſtiano indixit, quod *Tomo V.* comparebit. Idemq; ut Viri quique boni publicis ſcriptis ac votis *ante Concilium* expetiverant, *in Concilio* vel millies repetiverunt. Quorum luculenta veſtigia ex ſuperioribus Tomis animo lectoris obverſabuntur.

Quandoquidem igitur in inveſtigandis ac digerendis antiquis monumentis, quæ ad *priora* Concilii negotia ſpectant, juſſu atque autoritate SAPIENTIS PRINCIPIS, RUDOLPHI AUGUSTI, ad hanc regulam univerſa exigere oportuit: Ut priſtina illa genuina rerum facies abſque fuco pateat, ſua hiſtoriæ plena conſtet fides, divi-

næ providentiæ & inſcrutabilis regiminis veneranda ubique majeſtas pelluceat, fata denique Eccleſiæ & orbis Chriſtiani antiqua exemplo ſint poſteris: Idem in *hoc Tertio Tomo* inſtruendo religioſe ſpectare neceſſe fuit, quo *tertium Concilii argumentum* exponendum.

Eam proinde in explorandis ac eruendis his etiam antiquis monumentis induſtriam, eum in digerendis ordinem, eamq; in recenſendis fidem adhibuimus, ut & rei olim geſtæ veritas, & divinæ gubernationis conſilium, & mirus fatorum in rebus illis antiquis eventus poſtulabant. En ergo fontes.

Quadraginta fere ante Conſtantienſe Concilium annis, cum diſſidere cœpiſſent Pontifices ſummi, de jure, ſede atque autoritate magno animorum motu dimicantes, ut fit inter homines, ex variis decertantium artibus exemplum & reliqui Eccleſiaſtici ſumſerunt pari licentia exorbitandi, & omnem diſciplinam Eccleſiaſticam eliminandi. Quæ publica Eccleſiæ afflictio, morum immenſa depravatio in toto Eccleſiaſtico corpore notata, bonorum quorundam virorum ſuſpiria & querelas ubertim & paſſim expreſſit. Quod igitur remedium nullum appareret, emendationi deſideratæ aptum, ſepoſito aut abjecto metu, præ deſiderio ſalutis publicæ, liberius carpere ſumma Eccleſiæ capita non formidarunt. Ex quo animi dolore, corruptionis Eccleſiaſticæ intuitu, in examen conſtitutionum Papalium decretorumve ac rituum in ſacris uſitatorum deſcenderunt.

Hinc natum mox *Wiclefi in Anglia* Theologi Oxonienſis os apertum liberrimusq; calamus, perſtringendi in Eccleſiaſtico regimine maculas, & rituum quorundam formam reprehendendi. Cui mox magnus eruditorum & magnatum numerus conſenſit. Quod non futurum fuiſſe, agnovere & credidere publiceque profeſſi ſunt in ipſo Conſtantienſi Concilio viri magni, ni anſa illis data fuiſſet noviſſimis Præſidum Eccleſiæ tenaciſſimis diſſidiis & corrupto regendi tenore. Cujus teſtis præter alios fuerit *Jacobus Epiſcopus Laudenſis*, in Conſtantienſi Concilio autoritate & dicendi virtute excellens, in oratione in ſuppliciũ Huſſi dicta.

Ea occaſione circa illud tempus A. 1389. Pragæ prodiiſſe fertur *Pragenſis Eccleſiæ Paſtor*, *M. Matthias*, qui ritum Eccleſiæ tunc uſitatum, communicandi plebem ſub una ſpecie panis, publice carpere, ac alium *ſub utraque populum communicandi introducere cœpit*. Qui tamen mox repreſſus novum illum ritum miſſum facere juſſus eſt, ut infra plenius exponetur.

Eodem tempore vel ſurrexerunt vel aucti ſunt viresque ſumſerunt *Crucifratres* aut *Flagellarii*, qui præ indignatione animi, ac corruptionis tædio atq; impatientia, in devotionem cruentam prolapſi, reprehenſis pleriſque Pontificum decretis ritibusq; Eccleſiaſticis repudiatis.

Quanquam verò igne non minus ac ferro atque decretorum fulminibus hi ſimilesque affligerentur, cæderentur vel pellerentur: Extingvi tamen non potuerunt, dum regiminis Eccleſiaſtici forma haud emendata, anſâ querelarum nondum ſublatâ.

Sic orti ſubinde alii atque alii in diverſis regionibus, qui pari uſi libertate ſimiles effunderent querelas, capitaque doctrinæ ſacræ recepta

quaſ-

Digitized by Google

quaſſarent aut convellerent, quæ judicarent ab antiquis moribus eſſe aliena.

In illis extitit & *Huſſus* Pragæ, cum *Hieronymo Pragenſi*, aliisque, qui, exemplo certe Wiclefi ejusque libris mox animati aut confirmati, in ſimiles Eccleſiæ conſvetudines ac hypotheſes inveherentur, indignabundo animo intuiti Præſidum Eccleſiæ lites, jurgia, artes & machinas. Quam occaſionem & Huſſo datam Patres Conſtantienſis Concilii haud diſſimularunt, ut videre eſt *Tomo I. Parte VII. cap.* XXIIX. XXIX. *f.* 306. *ſeqq.*

Huſſo tandem in Concilium vocato, & in carcerem conjecto, ejus in Bohemia reliqui ſectatores tantum abeſt animum vel calamum cum Huſſo vinctum aut fractum putarent, ut tanto liberius quod cœperant proſequerentur. Inter quos caput mox præ ceteris exſeruit *Paſtor Eccleſiæ Pragenſis*, *Jacobus de Miſa*, qui quod ante multos annos, ut ſupra dictum, in eadem urbe infelicius tentaverat anteceſſor, majori nunc ardore reſuſcitaret, communionem calicis plebi commendans, uſu illo ſolenni ratione introducto. Cui mox Academia, ſenatus Pragenſis populusq; oppidanus ſeſe junxit.

Iſtæ igitur controverſiæ Wiclefiticæ, Flagellariorum, Huſſiticæ, Jacobiticæ atq; Bohemorum, in Conſtantienſi Concilio diu multumq; expenſæ atque diſcuſſæ ſunt.

Quibus acceſſerunt & aliæ contentiones religioſæ. E. g. An ſub prætextu religionis terræ infidelium armis ſint invadendæ?

Similiter paucis ante Concilium annis, Pariſiis, ex cæde Ducis Aurelianenſis per Ducis Burgundiæ miniſtros hæc mota quæſtio: *Quodnam jus haberent ſubditi aut vaſalli in Regem aut Principem, tyrannidis charactere ſubditis gravem.* Quæ lis per *Doctorem Johannem Parvum*, Ducis Burgundiæ Conſiliarium, in eam ſententiam detorta, quod jus necis ſit penes ſubditos aut vaſallos in Principem talem. Etſi verò hæc magna Parvi cauſa *Pariſiis in Nationali Concilio condemnaretur*, Burgundiones tamen ſua inquietudine effecerunt, ut *in Conſtantienſi Concilio* repetita controverſia, licet *iniqua* judicata ac damnata, à Pontifice tamen Martino V. diſſimularetur.

Par erat ratio *Brigitticarum Viſionum ac Revelationum.* Etſi enim hæ impugnarentur in Concilio, canoniſationem tamen Brigittæ Johannes 23. nec differre nec denegare voluit, quin promovit.

Nec Concilii quæſtionem ac cenſuram diffugere ſuſtinuerunt *Monachi & Moniales*, qui vel de ſtatus ſui quam vocabant perfectione, vel de bonis, quæ poſſiderent ſinguli privatim, in Concilio diſquirerent, quanti iſta religionis forma pretii, & quod in bona privata jus haberent, exploraturi.

Summa ergo præcipuarum quæſtionum in Concilio ventilatarum, quas *fidei charactere* inſigniverunt, huc fere redit.

De occaſione variarum litium Eccleſiaſticarum de rebus fidei, quas illa ætate moveri contigit.

De Eccleſiæ Præſidumque dignitate, autoritate ac jure.

De immunitate Principum adverſus injurias ſubditorum ac vaſallorum.
De bellis religioſis, An ſub ratione aut colore propagandæ fidei Chriſtianæ invadere infidelium terras liceat.
De viſionibus ac revelationibus divinis.
De proteſtatione ac revocatione in rebus fidei.
De Eccleſiaſtici Calendarii erroribus emendandis.
De Flagellariorum religioſitate, præ devotione flagellis ad ſangvinem usque proprium cædendi corpus.
De Monachatu, an peculiaris religionis nomen ac indolem referat. An Chriſtianismus per ſe ſolus veræ religionis nomen ac naturam poſſideat.
De Monachorum ordinibus, eorumque religioſitate.
De Monachorum ac Monialium bonis, an privatim illa poſſidere ac illis frui poſſint.
De annuis penſionibus Monachorum ac Monialium.
De clericorum bonis, an illis poſſint privari.
De ſtatu primitivæ Eccleſiæ, an clerus ad illum poſſit reduci.
De decimis, an ſint eleemoſynæ, & an clero debeantur.
De transſubſtantiatione in ſacramento.
De excommunicatione.
De orationibus cleri pro vivis & defunctis.
De Decretalibus.
De Indulgentiis.
De communione plebis ſacramentali ſub utraque ſpecie.
De libertate prædicandi verbum Dei.
De libertate confitendi, abſolvendi & communicandi.
De ritu Eccleſiaſtico cantandi in templis.
De vera exiſtentia corporis Chriſti in ſacra Cœna.

Non fuit noſtri hic muneris neq; ſcopi, de his rebus judicium ferre. Quippe quod totius operis hæc menſura à *Sereniſſimo* DUCE data, ut nudæ rerum, fatorum, ac monumentorum recenſioni acquieſceremus, ſemota omni cenſura. Eo quippe ſincerior recenſio quanto minus aculeata, & ab affectuum æſtu prorſus aliena. Judicium in omnibus merito relictum eſto prudentibus, peritis, antiquæ fortunæ conſciis, affectu temperantibus, & communium mundi fatorum haud inexpertis.

CAP. II.

De conditione ordine & nexu Monumentorum, quæ Tomo hoc III. ſunt comprehenſa, vel quæ in aliud tempus locumve aptiorem differre conſultum fuit viſum.

ORdinem pro annis & fatis Concilii obſervare, ut in ſuperioribus Tomis, ita & hic omni modo ſtuduimus, ut diffuſa interdum per plures Concilii annos harum quæſtionum tractatio & longus ambitus admiſit. De

De HUSSI, Bohemi,
rebus Conſtantienſibus.

OMnibus ceteris cauſis religioſis in Concilii tractatione præivit *Huſſi negotium.* Siquidem à primo Concilii exordio *Huſſi res* à Papa Johanne 23. & aliis doctoribus tractari cœperunt, quæ poſtmodum per longum Concilii ambitum ſunt diffuſæ. Merito itaque in capite hujus Tomi *res Huſſi* locum ſibi vendicabant.

Ceterum, non imus inficias, ingentem rerum Huſſiticarum ad Concilium ſpectantium cumulum nos miſſum feciſſe, nec huic Tomo inſeruiſſe, etſi earum ſuppeterent MSCta. Cujus *conſulti neglectus*, à temeritate omnino prorſus liberi, ratio facile nos excuſabit, quod ſcil. alibi haberi ac legi commode poſſint, ut & tempori & operis moli optimo parceremus jure.

Miſimus proinde ſcripta Huſſi, proxime ante Conſtantienſe Concilium *contra Indulgentias Papæ Johannis* 23. Pragæ edita, quæ cum aliis anſam dederant, ut ad Concilium vocaretur: Nec non quæ *pro Wicleffo* ſcripſerat, quæ materiam accuſationi in Concilio amplam ſuppeditarunt.

Liquimus pari jure *tractatum* ejus *De Eccleſia*, A. 1413. in limitibus Concilii ſcriptum, in Concilio diu multumque examinatum & condemnatum.

Præteriimus opuſcula ejusdem, quæ ante iter ad Concilium concinnaverat, hoc animo, ut in Conſtantienſi Concilio publice proponeret ac recitaret, ſi indulgeretur. Quæ ſunt, *De ſufficientia Legis Chriſti ad regendam Eccleſiam: De fidei ſuæ elucidatione: De pace.*

Sepoſuimus porro libellos ejus compluſculos, in ipſo Conſtantienſi Concilio vel ante vincula vel in carcere exaratos. Qui ſunt: *Narratio ipſius Huſſi de ſuo negotio, Conſtantiæ ſcripta: De Sangvine Chriſti ſub ſpecie vini à laicis ſumendo*, cum à Bohemis ea de re conſultus eſſet, poſtquam Jacobellus Pragæ hoc aggreſſus erat: *De decem præceptis: De oratione Dominica: De peccato mortali: De Matrimonio: De cognitione & dilectione Dei: De tribus hoſtibus hominis & ſeptem peccatis mortalibus: De pœnitentia: De ſacramento corporis & ſangvinis dominici.*

Nec attigimus cumulum haud parvum *epiſtolarum Huſſi, nec Bohemorum, & Conſtantienſis Concilii,* quæ privatim ac publice de Huſſo tunc ſcriptæ. Ut & *Narrationem hiſtoricam autoris Bohemi,* in Concilio præſentis, *de ſupplicio Huſſi.*

Majori jure diſſimulavimus omnes antiquos *vitæ Huſſiticæ ſcriptores,* aptiusq; recentiores, *Criſpinum, Pantaleonem, Theobaldum, Horzovitium,* aliosque.

Unum duntaxat idque perexiguum dedimus *Parte I.* de Conſtantienſibus Huſſi rebus monumentum, *In ſupplicium Huſſi orationem Jacobi, Laudenſis Epiſcopi*, viri alias cordati, & ad emendatiorem Eccleſiæ formam impenſe adſpirantis, ut vel ex oratione, ante Pontificis Martini V. electionem publice in Concilio habita, Tomo I. recenſita, eſt manifeſtum. Longe vero luculentiorem ex MSCtis antiquis & genuinis dedimus illum Sermonem, quam recenſuerunt alii.

Ceterum, quod omnes propemodum res Husſiticæ ab hoc Tomo conſulto excluderentur, cauſa fuit, cur & *alia monumenta*, vel proxime *ante Concilium* vel *in eodem* à Theologis Huſſo oppoſita, quæ ex *MSCtis Codicibus antiquiſſimis* hauſimus, retineremus, in aliud reſervanda tempus. In his ſunt: *Mauritii de Praga*, Theologi Pragenſis, opuſculum *contra impedientes Wenceslaum Tiem, quoad prædicationem cruciatæ Johannis* 23. Ut & *Stephani de Palez*, Pragenſis Theologi, acerrimi adverſarii Huſſi, *Anti-Huſſus*, opus admodum prolixum.

Husſitis verò quæ *proxime à fine Concilii* magnis voluminibus multo apparatu oppoſuerunt idem *Stephanus de Palez*, *Johannes Hoffman*, Theologus Lipſienſis, *Oswaldus Reinlein*, Theologus Viennenſis, aliique plures, abſque omni collectionis præſentis injuria in alios recondidimus uſus.

Nummos denique varios, *in Husſi ſupplicium* illa tempeſtate à Bohemis cuſos aut fuſos, quos ex pluribus Principum cimeliis pulchre delineatos nacti ſumus, pari cum ſuperioribus fortuna, eadem de cauſa, hoc Tomo non expreſſimus.

De JOHANNIS PARVI, Galli, Theologi & Conſiliarii Burgundi, *rebus Conſtantienſibus.*

TEnaciſſima ſuccedit, & ob potentiam illorum ad quos pertinebat, armata & aculeata *fidei cauſa*, in Conſtantienſi Concilio magno ſtudio, nec pari ſemper, ob artes & inſidias, ſucceſſu tractata, *De jure ſubditorum in Principes aut Reges tyrannos, deque immunitate Principum ab injuriis ſubditorum aut Vaſallorum.* In Gallia primum, haud longe ante Conſtantienſe Concilium, circa A. 1407. hæc quæſtio fuit nata. Poſtquam enim *Ludovicus Dux Aurelianenſis*, Regis Galliæ Caroli VI. frater, per ſubornatos miniſtros à *Johanne Duce Burgundiæ* Pariſiis erat *confosſus*, vindictaque cædis à Rege & peteretur & formaretur: Ad ſui facinoris defenſionem admiſſus tandem Dux Burgundiæ Oratorem invenit, argutum ſuæ cauſæ futurum advocatum, Theologiæ Doctorem ac Conſiliarium ſuum, *Jean Petit, Johannem Parvum.*

Hic igitur, cauſæ Burgundi patrocinaturus, *Juſtificationem Ducis Burgundiæ*, heri ſui, conſcripſit ac publicavit, qua facinus Burgundi, juſtum, imò laude dignum, ac præmiis à Rege afficiendum eſſe, fuſe probare annisus eſt.

Quod *Johannis Parvi* opus anſam mox multis & graviſſimis dedit in Gallia litibus, variisque in ſanctas Principum perſonas injurioſis opinionibus, quaſi ſubditorum hoc jus eſſet in Principes ſubditis moleſtos, illos quovis modo è vita tollendi. Quod ergo in his motibus periculoſis autor operis fatis fungeretur, conſtitutum tandem à Rege, *Nationali Gallico Concilio* quæſtio iſthæc Johannis Parvi examinaretur atque condemnaretur. Quod & factum.

Proximo itaque anno ante Conſtantienſis Concilii univerſalis initium, *ſub finem anni* 1413. Pariſiis *Synodus Nationalis* hujus rei cauſa coacta

Digitized by Google

acta. In qua, poſt multas conſultationes ac frequentes ſeſſiones, damnata tandem *autoritati Principum inimica Johannis Parvi doctrina*, in Juſtificatione iſtac Burgundi prodita aut ſuggeſta.

Cum autem interea *Conſtantiæ* confluerent magnates univerſi orbis Chriſtiani, ad omnes dubias res ſacras componendas, conſultum Regi Galliæ viſum, hanc in Nationali Synodo damnatam cauſam *Conſtantiam* quoque per Legatos *ad Concilium ablegandi*, ubi denuo & curatius examinata ſolennius tanquam fidei Chriſtianæ adverſa damnaretur. Quemadmodum etiam poſt multa colloquia & congreſſus, *publica ejus condemnatio*, Cæſare Sigiſmundo glorioſiſſimo affectu urgente, prodiit. Quanquam per varias inſidias Burgundionum eo res dein redacta, ut loco roborandæ ac proſequendæ condemnationis, novæ ſuſcitarentur de iſthac re inter Patres Concilii diſputationes, prolixæ, intricatæ ac tædioſæ, quæ ne cum novo quidem Pontifice Martino V. electo finem invenire poterant, qui condemnationem vel repetere vel confirmare dubitans, rem decidere detrectavit, rupto Concilio, moleſtiſſimoque eodem negotio ſuſpenſo. Quod bonorum querelas à fine Concilii extorſit ac cumulavit.

Arduæ illæ *res Conſtantienſes, pro autoritate Principum facientes*, per aliquot Actorum volumina diffuſæ, Huſſiticam cauſam *hoc Tomo III.* excipere debuiſſent. Aſt nimia rerum iſtarum moles, ſeparatum conſtitutura Tomum, brevibus hujus Tomi cancellis includi noluit. Præterea lubrica hominum vita, facili impulſu ruitura, aliorum exempla objecit, qui vaſtis nimis operibus edendis occupati inter chartas expirarunt, imperfectis rebus omnibus cum dolore aliorum relictis. Ne igitur & in hac, non adeo licet vaſta, tædioſa tamen, difficili ac ſatis longa collectione & recenſione vetuſtiſſimarum ac reconditarum rerum idem nobis contingeret, ut reliquis rebus Concilii non confectis filum fato interrumperetur, præſtare creditum, peculiarem hanc rerum molem ab hoc Tomo ſejungere aliiſque fatis concedere.

Ut tamen non plane ignoret lector, *autoritatem Principum ſalvam* ſemper cupiens, quæ ſint præcipua argumenta, paucis ea prælibare juvabit.

PARS I.

Præmiſsâ hiſtorica Narratione cædis, à Duce Burgundiæ in Duce Aurelianenſi perpetratæ unà cum brevi argumento Juſtificationis Burgundi ex ſcriptoribus coætaneis: In fronte operis comparet ipſum monumentum adeo decantatum: Nempe

Johannis Parvi, Theologi Pariſienſis & Conſiliarii Burgundi, liber controverſus, in Nationali Synodo Gallica & Univerſali Concilio Conſtantienſi diu multumque lectus & examinatus, nempe *Juſtificatio* Ducis *Burgundiæ. Gallice & Latine.*

PARS II.

Acta in Concilio Nationali Gallicano de libro & doctrina Johan. Parvi. Quæ omnia mox in Conſtantienſi Concilio Patribus publicè oblata & ſententiæ Judiciali ſunt expoſita.

Concilii Nationalis Gallici, Pariſiis congregati, Prima Seſſio A. 1413. d. 30. Nov. In qua *Regis mandatum* Gallico idiomate prælectum. U-

nà cum *tribus publicis inſtrumentis*, illam cauſam jam ante coram Rege & Univerſitate *Pariſienſi* tractatam attingentibus. Quibus & contenti pauci *articuli ex Johannis Parvi libro deprompti*, in controverſiam vocati, jam ante examinati ac refutati. Præterea *codicillus* prælectus, comprehendens varios & permultos alios Petitianos articulos, cum refutatione eorum. Quibus junctæ xxx. *Doctorum* & eruditorum virorum in Synodo præſentium *conſilia*, *vota ac ſententiæ*. Unde nata *Concluſio*: Recte jam ante, ut ſupra in prælectis libellis ac inſtrumentis erat commemoratum, à Pariſienſi Academia reprobatas eſſe aſſertiones Johannis Parvi, & ulterius ad judicialem condemnationem poſſe procedi.

Secunda Seſſio A. 1413. d. 4. Dec. Conſulti aſſeſſores Synodi per Epiſcopum Pariſienſem, *de modo* ad condemnationem dictarum Aſſertionum progrediendi. Recenſitaque longa ſerie vota ac *ſuffragia Aſſeſſorum*. Unde nata Judicum *concluſio*, libellos aut codicillos ſuperiores, quibus aſſertiones cum refutationibus Pariſienſium additæ, ablegandos eſſe ad ſingulos Theologos, ad privatum examen. Quod & dein factum.

Seſſio III. A. 1413. d. 19. Dec. Rogati inter alia Aſſeſſores qui conſcripta ſua privatim judicia & cenſuras de perlectis illis chartis communicarent ac exhiberent. Expreſſa *Schedula*, omnibus antea ex decreto ſuperiori ad examinandas res illas miſſa. Exhibitæ quorundam Epiſcoporum & Abbatum *ſcriptæ deliberationes aut cenſuræ*, ſatis prolixæ. Alii diebus ſequentibus hoc menſe dederunt. Aliorum *judicia* ad Judices ſunt ablegata, magno numero, eaque in conſeſſu ſemper prælecta & publicata.

Seſſio IV. ſolennis 1414. d. 5. Jan. In qua votorum ſuperiorum ſummâ repetitâ, & conſenſu *de reprobandis aſſertionibus* illis publicato; Ulterius disquiſitum eſt *de modo porro procedendi*. Inprimis an deputandi aliqui, qui *inquirerent in ſcripta Io. Parvi, num revera in illis habeantur iſta dubia*? Et an Duci Burgundiæ per legatum Synodi ſuffragia & concluſiones aperire oporteret, ad contumelias declinandas? Collectisque ſuffragiis *inquiſitionis Deputati* definiti.

Seſſio V. A. 1414. d. 8. Jan. Deputatis inquirendi negotium commiſſum, conſtitutusque legatus ad Burgundiæ Ducem. Tenor Inſtructionis datæ legato iſti.

Seſsio VI. A. 1414. d. 12. Jan. Inquiſitionis Commiſſarii ad referendum vocati. Aſt dilatione publice petita alius illis dies dictus.

Seſsio VII. A. 1414. d. 15. Jan. Die ad referendum ſtatuto, nullo autem Commiſſariorum illorum adhuc comparente, decretum, illos per ſchedulas eſſe citandos ad certum diem. Tenor decreti illis miſſi.

Seſsio VIII. A. 1414. die 19. Jan. Relatio Commiſſariorum audita, & de charta ab aliquibus prælecta ſua cujusque ſententia.

Seſſio IX. A. 1414. die 20. Jan. Auditi ordine alii Commiſſarii, productis in charta ſententiis.

Seſsio X. A. 1414. d. 22. Jan. Iterum alii Commiſſarii auditi.

Seſsio XI. A. 1414. d. 23. Jan. Continuatus inquiſitionis illius labor, horis ante & pomeridianis.

Seſsio XII. A. 1414. d. 24. Jan. Porro in iſto negotio ſunt progreſſi.

Seſsio XIII. A. 1414. d. 26. Jan. Inquiſitionis negotium continuatum, recenſentibus aliis de charta & ſua judicia. Seſsio

Digitized by Google

Seſſio XIV. A.1414. d.27. Jan. Alii deputati quid ſentirent edixerunt.

Seſſio XV. A.1414. d.29. Jan. Alii ſuam mentem expoſuerunt.

Seſſio XVI. A.1414. d.30. ultima Ianuar. Iterum alii.

Seſſio XVII. A. 1414. d. 1. Febr. Deliberatum de rebus in publica Seſſione proxime proponendis.

Seſſio XVIII. A. 1414. d. 3. Febr. Propoſita nova ex relatione Deputatorum ſchedula de rebus Parvi.

Seſſio XIX. A.1414. d.6. Feb. De illa ſchedula diſputatum.

Seſſio XX. A.1414. d.7. Febr. Publicata iſthæc ſæpius emendata Deputatorum ſchedula. Decretumque, omnibus Theologis per ſchedulas iſtam Deputatorum ſententiam eſſe denunciandam, audiendumque, quid porro agendum. Tenor ſchedularum ablegatarum. Nomina illorum, qui ſchedulas acceperunt.

Seſſio XXI. A. 1414. d. 12. Febr. Publicata epiſtola Regis Caroli VI. ad Epiſcopum Pariſienſem, de rebus præſentibus. Secuta ſuffragia illorum, qui ſchedulas acceperunt.

Seſſio XXII. eodem die poſt meridiem. Alii plures, ſchedulas nacti, ſuam expoſuerunt mentem.

Seſſio XXIII. A. 1414. die 15. Febr. Alii & ſuam.

Seſſio XXIV. A. 1414. d. 17. Febr. Iterum alii.

Seſſio XXV. A.. 1414. d. 18. Febr. Et alii.

Seſſio XXVI. eodem die poſt meridiem. Denuo alii.

Seſſio XXVII. A. 1414. d. 19. Febr. Porro alii.

Poſt hæc miſſæ ſchedulæ ad clerum Pariſiis exiſtentem, quibus ſententia aperienda denunciata.

Seſſio XXVIII. A. 1414. d. 23. Febr. Oratione ſolenni præmiſſa, totus proceſſus ſuperior recenſitus. De hinc à Judicibus ſententia publicata. Formula condemnationis dictarum aſſertionum.

Executio condemnationis Propoſitionis Johannis Parvi, quando A. 1414. d. 25. Febr. die Dominica, præmiſſo ſermone ſacro, palam eſt combuſta, præſente ingenti hominum, Prælatorum aliorumque numero.

Epiſtola Judicum ad Epiſcopum Meldenſem, qua acta ſuperiora denunciarunt, A.1414. d.12. Martii.

Epiſtola aut Diploma Regis publicum, editum A. 1414. d.17. Martii, ad omnes regni ſui Prælatos, de cremandis Johannis Parvi Propoſitionibus.

Epiſtola ſ. Edictum Academiæ Pariſienſis publicum, de cremandis ubicunque Propoſitionibus iſtis damnatis, A. 1414. die 18. Martii.

Mandatum Regis, quod publicetur condemnatio Propoſitionis Johannis Parvi, de Juſtificatione Ducis Burgundiæ ſuper morte Ducis Aurelianenſis, A.1414. d.4. Junii.

Oratio Pariſiis A. 1414. d.4. Decemb. coram Rege & Magnatibus in regia curia habita ab univerſitate Pariſienſi pro condemnatione ſententiæ Jo. Parvi.

Edictum Regis, quo condemnata Propoſitio Jo. Parvi. A.1414. d.27. Dec.

PARS III.

Acta in Concilio Conſtantienſi de libro & ſententia Johannis Parvi.

Digitized by Google

Epiſtola Regis Gallorum, Caroli VI. ad Concilium Conſtantienſe, qua Rex illud rogat, velit condemnare Propoſitionem illam Johannis Parvi. A. 1414. d. 27. Dec.

Acta A. 1415. d. 9. Jan. Pariſiis coram Rege in Senatu, nomine Academiæ Pariſienſis, pro maturanda legatione Regis ad Concilium Conſtantienſe, ad res fidei controverſas ibidem tractandas, cauſam nempe Johannis Parvi componendam.

Longa Propoſitio Gallici Legati Gerſonis in Concilio Conſt. de doctrina Joh. Parvi Conſtantiæ damnanda, contenta in prima Gerſonis Oratione ad Concilium, nomine legationis ſuæ habita A. 1415. Vigil. Domin. Ramis Palmarum, quæ incipit: *Ambulate.*

Novem Aſſertiones Johannis Parvi, in Conſt. Concilio ad judicialiter condemnandum propoſitæ.

Quatuor Propoſitiones, de jure Epiſcoporum errores in rebus ſacris notandi & damnandi.

Declaratio primæ aſſertionis Joh. Parvi, quis tyrannus dici poſſit &c.

Veritas, quod impediens in Concilio condemnationem aſſertionum Joh. Parvi, ſit hæreticus.

Oratio *Gerſonis* ad Concilium, quod Aſſertiones Joh. Parvi *judicio fidei* ſint condemnandæ, cujus initium, *Æſtimo me beatum.*

Anonymi prolixa Oratio ad Concilium, ejusdem argumenti.

Schedula circa declarationem falſitatis primæ aſſertionis Ioh. Parvi.

Alia Oratio *Gerſonis* coram Concilio, pro maturanda illa condemnatione judicio fidei. Cujus initium, *Oportet hæreſes eſſe.*

Tres Concluſiones, quod Aſſertiones Joh. Parvi judicio fidei ſint reprobandæ.

Propoſitio, pro declaranda rationabilitate condemnationis primæ Aſſertionis Joh. Parvi aliarumque.

Forma condemnationis, factæ in Concilio Generali Conſt. Sabbati 6. Iulii A. 1415. De prima propoſitione Ioh. Parvi.

Reſponſio ad objecta, ſumpta ex quibusdam legibus & gloſſis, quæ videantur aſſertioni primæ Ioh. Parvi favere.

Epiſcopi Atrebatenſis longa Declaratio, in publico ſeſſionis loco facta, quod novem Aſſertiones Ioh. Parvi non ſint judicio fidei reprobandæ.

Sententiæ & opiniones aliorum *quinquaginta Theologorum*, quas ſub juramento in Conſtantienſi Concilio de novem aſſertionibus Ioh. Parvi coram Iudicibus, nec exiguis plerique opusculis, ediderunt, pro ſententia negativa, quod judicio fidei non ſint reprobandæ.

Petri de Alliaco Cardinalis Cameracenſis judicium publicum, pro ſententia affirmativa, quod judicio fidei ſint reprobandæ.

Demonſtrationes aliorum *ſedecim Theologorum* ſatis prolixæ, pro ſententia affirmativa, quod judicio fidei ſint condemnandæ.

Iohannis de Falkenberg Theologi opuſculum, ſententiæ ac judicio Petri de Alliaco Cardinalis Cam. in Conſt. Concilio oppoſitum, pro vindicanda aſſertione Ioh. Parvi.

Ejusdem Ioh. de Falkenberga aliud opuſculum, Gerſonis demonſtrationi & rationibus in Conſt. Concilio oppoſitum, pro tuenda aſſertione Ioh. Parvi.

Ejus-

Ejusdem Ioh. de Falkenberg, tertius libellus, in Conſt. Concilio oppoſitus certis propoſitionibus publice exhibitis in cauſa Joh. Parvi.

Gerſonis publica Oratio, in Conſt. Concilio habita, qua contumelias & injurias illorum declinat, qui cauſam Joh. Parvi defenſuri, injurii ſint in Regem Galliæ. Ut ſit *Apologia pro Rege Carolo VI.* qui cauſam Joh. Parvi condemnaverat.

Quærelæ *Gerſonis* frequenter repetitæ in Conſt. Concilio publicis coram Concilio Orationibus, de artibus pro impediendâ judiciali condemnatione aſſertionum Joh. Parvi, adhibitis.

Proteſtatio *Gerſonis* querula ſub finem Concilii edita, quod Joh. Falkenbergii libellus, quo in cauſa Polonorum ſententiam Joh. Parvi adſtruxerat, in Conſtantienſi Concilio per Martinum V. pro Polonorum deſiderio non eſſet damnatus.

Ejusdem Dialogus Apologeticus, De fatis controverſiæ Joh. Parvi in Conſtantienſi Concilio.

Præcipua hæc ſunt argumenta rerum arduarum, quæ in Conſtantienſi Concilio in negotio Joh. Parvi ultra triennium magna contentione, frequentiſſimisque nec parvis libris ea de re proditis, eruditorum manibus ſunt verſatæ. Ceterum ex præclaris *Codicibus MSCtis* pleraq; hauſta, aliis, ut ſupra monitum, ſervamus uſibus: Ne nimia rerum moles, uno hoc opere cumulata, vel legentes terreret, vel & recenſentem labore frangeret aut opprimeret. Dentur etiam ſua cuique rei tempora, ſua intervalla, ſuæ reſpirationes.

De Pauli Voladimiri, Poloni, *rebus Conſtantienſibus.*

Tertium fidei argumentum, mox in Concilii exordio tractari cœptum, de fide Chriſtiana armis propaganda, negotium dedit *regio Polonorum Legato, Paulo Voladimiri*, viro erudito & cordato, qui, Polonos adverſus Prutenorum Cruciferorumque injurias defenſurus, *diverſis opuſculis* demonſtrare ſategit, *Chriſtianam fidem armis propagare nefas, religionisque prætextu terras infidelium invadere, irreligioſum* nec Chriſtianæ indolis eſſe.

Edidit autem hic in Conſtantienſi Concilio inter alia *Tractatum de Poteſtate Papæ & Imperatoris reſpectu infidelium.* Quem & in Concilio A. 1415. d 5. Julii *Germanicæ nationi* obtulit. Ceterum hoc opus noſtros hactenus fugit oculos, etſi non deſperemus, ejus nos aliquando compotes futuros.

Scripſit Conſtantiæ de eodem argumento *alium libellum*, quem nacti dedimus, uti par erat, *Parte II. Demonſtrationem, infideles armis ad Chriſtianam fidem non eſſe convertendos: nec eorum bona invadenda aut illo nomine occupanda.*

Neque verò nudum ſiſtere peregrinum decuit librum. Quapropter ex hiſtoria repeti debuit *quæſtionis religioſæ occaſio*, ea qua licuit brevitate. Quo fine ex *MSCtis diplomata* quædam *Regis Poloniæ Ladislai, & Witoldi magni Ducis Lituaniæ*, qui tunc primum ad Chriſtianam fidem erant converſi, opuſculo præmiſimus. De

Digitized by Google

De Brigittæ, Svecanæ,
Hieronymi Pragenſis, Grabonis Germani, Ciſtercienſium aliorumque Monachorum
rebus Conſtantienſibus.

Poſthæc ordo rerum in Concilio geſtarum ſuperioribus ſubjungere juſſit *Parte III.* controverſiam in Concilio ventilatam De *revelationibus ac viſionibus*, *Brigitticis* pariter ac aliis, illa ætate frequenter jactatis.

Cum enim *Brigitta* eſſet regio Svecico ſangvine creta, quod *Johannes Meſſenius*, *Sueo*, *in Theatro nobilitatis Suecanæ*, *Holmæ Suecorum A.* 1616. *in fol. edito*, *Tabulis XLI. & XLII.* demonſtravit, matrimonio juncta magno Conſiliario regio *Ulphoni Gudmaro*, qui obiit A. 1344. illius devotio, pietas, & divinarum revelationum, inſpirationum ac viſionum ſtudium, ingentem meruit admirationē. Tantoq; delicatior viſa hæc religioſitas, quanto in celſiori feminei ſexus faſtigio, regii ſangvinis gloria, conſpiciebatur. Poſtquam autem ab obitu à Papa Romæ *inter ſanctas* eſſet *relata*, indignantibus licet bonis ac eruditis viris, inter quos *Henricus de Haſſia in ſuo Conſilio Pacis*, c. 18. ut videre eſt ſupra *Tomo II. Parte I. f. 65.* In Conſtantienſi poſtea Concilio à Johanne 23. adhuc florente, etſi nutante, quæſita à Suecis ſolennis *ejus & nova canoniſatio*. Quam *Acta Concilii Tomo IV.* delineabunt. Ceterum etſi Johannes 23. facilis eſſet & indulgentiſſimus in hac re, non defuere tamen iterum viri eruditi in Concilio, qui hanc indulgentiam, tam prompte divas creandi, taxarent, *deque revelationibus ac viſionibus* diſputarent, eas in ſexu præcipue ſequiori non facile approbandas eſſe, rati. Qua occaſione *Gerſon*, magnæ in Concilio ex eruditione & legatione regia autoritatis vir, eruditum & concinnum edidit in Concilio opuſculum De *probatione ſpirituum.* Quo non ſolum prudenter de venditatis viſionibus judicavit, ſed & ſagax & cautum quarumlibet novarum viſionum examen delineavit. Tametſi verò *Sereniſſimus hujus Operis Conditor*, DUX RUDOLPHUS AUGUSTUS, ante aliquot annos publici boni cauſa hoc Gerſonianum opuſculum reſuſcitari, imo & *in Germanicam dialectum* ob inſignem ſuum uſum transfundi curaverit: Opuſculi tamen pretium, judicii in illo vis ac conſiliorum gravitas, non admiſit ab hac excludere digeſtione. Maxime quod ex *Auguſtiſſima Cæſarea Bibliotheca Vindobonenſi* nitidum & curatum nacti eſſemus *Codicem MSCtum.*

Succeſſit Parte *IV. Gerſonis judicium*, Conſtantiæ latum, *de Proteſtatione & revocatione in rebus fidei*, pro eluenda hæreſeos nota. Quod enim in cauſis religioſis in Concilio tractandis, hoc ageretur, ut ſuſpecti ad palinodiam ducerentur, in multis cauſis contigit, ut in litem vocati vel *proteſtarentur*, ſe nihil dicere velle quod à fide vera eſſet alienum, vel & priſtinam ſuam doctrinam *abjurarent.* Proteſtati Huſſus, & Johannis Parvi ſectatores, ipſeque Pontifex Benedictus XIII. aliique. Sententiam abjurarunt aut revocarunt Hieronymus Pragenſis, Grabon, cæteriq; plures. Hac itaque occaſione diſputatum in Concilio *de virtute, valore modisque proteſtandi aut revocandi in cauſis fidei.* *Deque ſuſpicione hæreſeos*

ſer-

ſervanda , *vel & abjicienda.* Quamvis autem non omnino ignotum eſſet Gerſonianum hoc judicium, integritas tamen hiſtoriæ, & nexus factorum in Concilio, perexiguum libellum diſſimulare vetuit.

Excepit hanc litem *Parte V.* cauſa *Hieronymi Pragenſis.* Hujus in Concilio ante rogum acta, vel ex hiſtoria vel ex *Tomo IV. obviis concilii decretis* conſtabunt. Dedimus hic duntaxat *ideam* ultimi de eo judicii ac *ſupplicii Conſtantienſis*, gemino Oratore, *Iacobo Epiſcopo Laudenſi, & Poggio Florentino*, lineas ducente. Miſimus autem *Geminam Narrationem* aliam prolixam *de fatis Hieronymi Conſtantienſibus*, à ſpectatoribus quibusdam in Concilio præſentibus, tunc temporis conſignatas, alibi obvias. Nec huc accivimus notum *ſermonem*, in Bethlehem Pragæ illo tempore habitum *de Huſſi & Hieronymi buſto.*

Dein accerſere contigit *Parte VI. ex* MSC. *Cæſareo Vindobonenſi, Petri de Alliaco, Cardinalis Cameracenſis*, luculentum monumentum, *De erroribus Calendarii Eccleſiaſtici per Concilium emendandis.* Quamvis verò in Concilio Romano A. 1412. à laudato Cardinale hoc negotium eſſet tractatum apud Papam Johannem 23. Dilata tamen ejus deciſio usque ad finem diſſidiorum inter tres Pontifices tunc graſſantium. Poſtquam ergo in Conſtantienſi Concilio tres illi Pontifices ſede erant moti, cauſam hanc Eccleſiaſticam in lucem revocavit idem Cardinalis, rebus, in Romano Concilio geſtis repetitis ac publice recenſitis. Aſt finem aut fructum nec in hoc Concilio vidit Cardinalis. Ut adeo in Concilio Baſileenſi idem negotium reſuſcitandum eſſet per Cardinalem Cuſanum, pari fortuna. Juvat interim obſervaſſe conatus & ſtudia magnatum in noſtro etiam Concilio, licet interdum ſuo fruſtrarentur eventu. Nil derogat virtuti anceps eventus.

Parte VII. congeſſimus judicia Doctorum Conſtantienſium de *cruenta illius temporis devotione Flagellariorum vel Crucifratrum.* Cui ſanguinolentæ religioni mitigandæ moderata conſilia aut mitia remedia quæſiverunt Viri in Concilio prudentes.

Alia lis fuit *Parte VIII.* commemorata, quam in Concilio movit Monachus Dominicanus, *Matthæus Grabon*, *De religione præter Monachatum ſalutari nulla.* Quod autem intelligerent viri Chriſtiani & ſapientes, nimium extolli Monachatum, & deprimi vitam Chriſtianorum civilem, obviam huic jactantiæ eundum rati, *religionem veram ipſum eſſe Chriſtianismum* demonſtrarunt, qui extra omnem Monachatum optime poſſit vel aptius longe conſiſtere. Quare ad palinodiam hic deductus, tacere porrò juſſus, ſalva relicta Chriſtianiſmi integritate.

Suſcepta ſemel materia Monachatus, in Conſtantienſi Concilio tractata, pergendum in eadem judicavimus *Parte IX. X. XI.* Quibus cognata Monachalis quæſtio, inter Ciſtercienſes aliosque Monachos agitata, *de jure Monachorum ac Monialium in bona privata, reditus ac poſſeſſiones*, compluſculis libellis expedita.

De Wiclefi, Angli, *rebus Conſtantienſibus.*

Superioribus rebus confectis, reſtabat, *negotium* in Concilio *Wicleſiticum* enarrare. Satis autem fore credidimus, decretis de Wiclefo Conciliaribus, *Tomo IV.* comparentibus, hic præmittere proxima condemnationis Conſtantienſis *fundamenta*, in ipſo Concilio poſita. Quo fine ex præclaris anti-

antiquis MSCtis hauſtos *duos* dedimus haud exiguos *tractatus* Conſtantiæ paratos, quibus decantati jam ante Concilium *XLV. articuli Wiclefo tributi* per Theologos Conſtantienſes fuſe examinati ac reprobati. Stitimus *geminam* illam *cenſuram*, *à Conſtantienſibus Theologis profectam*, *Parte XII. & XIII.*

Nullum nobis fuit relictum jus, vel ex diſerto DUCIS SERENISSIMI mandato, vel ex hiſtoricæ relationis innocentia, juſtâque affectuum fuga, inquirere in ſingula: Sive num Wiclefi ea mens fuiſſet, ſive num curate refutata. Alius hæc merito fori eſſe judicatum, cum hiſtorica hæc collectio ab intempeſtivæ cenſuræ labe omnino debeat eſſe immunis.

De Jacobi de Miſa, ſ. Jacobelli, Bohemi, *rebus Conſtantienſibus.*

IN unum poſtremo cumulum *Parte XIV -- XXIII*, congeſſimus *res Jacobelli*, in Concilio non minori ſtudio & motu agitatas, quàm aliæ omnes. Sparſas illas per omnes Concilii annos quod conſtaret, operæ pretium fore creditum, in unum illas eumque poſtremum convehere locum. Quo rectius tota negotii & controverſiæ poſſet obſervari ſeries. Concernit autem *Controverſia* hæc *Conſtantienſis* doctrinam à *Jacobello ſ. Jacobo de Miſa* ſub Conſtantienſi Concilio Pragæ ſuſcitatam, *De communione plebis ſub utraque ut appellant ſpecie*, ſive, *de uſu calicis*.

Bohemum fuiſſe hunc Jacobellum vel Jacobum, natum ex oppido *Miſa*, in flumine *Miſa*, in diſtrictu aut circulo Pilſenenſi ſito, *Æneæ* etiam *Sylvio in Hiſt. Bob. c.*1. memorato, non ſolùm apertum *nomen*, ſed & ex *antiquiſſimo Codice MSCtò Cæſareo Vindobonenſi* alterum *cognomen* nunciat, *ab eodem oppido* deſumtum, quod non ſolum à flumine alluente *Miſa*, ſed & proprio nomine *Strziebro* appellatum. Hinc dictus *Jacobus de Miſa, aliàs de Strziebro*. Ut non ſit opus Bohemiæ eum multis vindicare, in re manifeſta. Cum verò alii *Miſam*, oppidum & flumen, *Miſnam* etiam vocitaſſe legantur, lubrica ſuſpicio inde nata de oppido *Miſena vel Miſna* Germaniæ, cui natales debuerit.

Bohemus hicce *Jacobus*, circa Annum 1414. in Conſtantienſis Concilii exordio, *in Urbe Pragenſi*, ab eruditione & eloquentia clarus *Paſtor*, *in æde S. Michaelis* Eccleſiaſtico functus officio, Huſſi partes cum aliis ſectatus eſt. Senſitque non ſolùm motus Huſſi & Hieronymi Pragenſis in Bohemia, ſed & abeuntes ad Conſtantienſe Concilium vidit. Abſentibus illis, non ſolum ſtrenue proſecutus eſt, quod Huſſus agere orſus erat, ſed & nova plane molitus. Huſſo namque Conſtantiæ hærente, ſubito quæſtionem *De Communione populi Chriſtiani ſub utraque ſpecie* in cathedra Academica & in ſuggeſtu ſuo movit.

Videri quidem poſſent Huſſi hæc fuiſſe ſemina, quæ illo abſente ſucreviſſent, inque illam ſegetem mature adoleviſſent. Verùm, *ab Huſſo non profectam hanc eſſe rem*, univerſa illius ſeculi docet hiſtoria. Nec enim miratus ſolùm Hus, dum, Conſtantiæ degens, hoc Jacobelli facinus inaudivit, ſed & juxta quoſdam primùm haud obſcure indignatus. Donec tandem à Bohemis per literas quæſitus, calculum adjecit, argumentis roboravit, ac Jacobellum non impedire juſſit.

Æneas

Digitized by Google

Æneas Sylvius in Hiſtoria Bohemica c.35. Jacobum de Miſa anſam nactum eſſe refert à *Petro Draſenſi*, qui Jacobello Paſtori Pragenſi, familiari ſuo, ſuggeſſerit novum hunc ritum, argumentis ex ſcriptura & ſcriptis Patrum petitis. Æneam audiviſſe juvabit, qui poſtquam de Huſſi doctrina diſſeruerat, addit, ut in antiquiſſimo codice legimus: *Nondum error de ſacramento altaris irrepſerat. Sed attulit novam peſtem Petrus Draſenſis, id oppidum Miſnæ ſuperſitum. Qui cum aliis theutonibus paulo ante Bohemiam reliquerat. Cognitus inter ſuos, quia Valdenſi lepra infectus eſſet, patria pulſus, velut hæreticorum aſylum Pragam repetiit, puerorumque docendorum curam accepit. Apud Eccleſiam S. Michaelis per id temporis populum prædicando inſtruebat Jacobellus Miſnenſis, literarum doctrina & morum præſtantia juxta clarus. Petrus hunc aggreſſus, mirari ſe ait, doctum & ſanctum virum, qui divina eloquia plebibus exponeret, errorem illum non animadvertiſſe communionis Eucbariſtiæ, qui jam pridem Eccleſiam peſſundaſſet. In qua ſub una tantùm ſpecie dominicum corpus populo miniſtretur. Cum apud Johannem Evangeliſtam & Apoſtolum Chriſto dilectiſſimum, ſub duplici ſpecie panis vinique ſumi jubeatur, dicente apud eum Salvatore: Niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſangvinem, non habetis vitam in vobis. Commotus his Jacobellus, cum perquiſitis vetuſtis ſanctorum doctorum codicibus, Dionyſii præſertim & Cypriani, communionem calicis laudatam inveniſſet, prohibitus apud ſacellum Archangeli Michaelis prædicare, in templo majore S. Martini cathedram ſortitus, publice commovere populum cœpit, ne deinceps communionem calicis, ſine qua ſalvari nemo poſſet, quoquo pacto negligerent. Huic omnes hæretici conſenſerunt, haud modica geſtientes lætitia, quod articulum inveniſſent, in Evangelica lege fundatum, per quem Romanæ ſedis vel ignorantia vel nequitia argui poſſet.* Hæc Æneas, cujus verbis dein uſus & Nauclerus.

Æneæ veſtigia legere viſus *Jacobus Piccolomineus, Cardinalis Papienſis, Commentariorum libro VI. Nondum,* inquit, *de Sacramento altaris error irrepſerat. Sed attulit novam peſtem Petrus ab Dreſenſi oppido Miſnæ, ex his unus, qui paulo ante cum Theutonibus Praga exceſſerant. Is enim pro Wicleſitano inter ſuos cognitos, proindeque à civibus pulſus, Pragam repetiit, commune ac tutum hæreticorum aſylum. Mox etiam ad tollendam inopiam literarium puerorum ludum inſtituit. Habebat eodem tempore prædicandi opus in æde Mcihaelis Archangeli Iacobellus quidam, doctrina & religione inter fideles celebris, eoque in opere aſſiduus. Hunc aliquando Petrus ſolus adortus, mirari ſe ajebat, doctum & ſanctum virum, cui ſacri codices quotidie eſſent in manu, quique plebem inſtruendam cœpiſſet, non advertiſſe inveteratum in communicando errorem quo tamdiu laboraſſet Eccleſia. In ea enim ſub panis tantum ſpecie miniſtrari populis ſacramentum, cum apud Iohannem Evangeliſtam, myſteriorum Dei revelatorem, ſub vini quoque ſpecie aſſumendum monſtretur, dicente illo: Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ſangvinem ejus, non habebitis vitam in vobis! His atque aliis perſuaſus Iacobellus, perquiſitis ſanctorum codicibus, Dionyſii præſertim ac Cypriani, cum laudatam apud eos communionem calicis inveniſſet, non modo ipſe monitori Petro aſſenſit, ſed ut idem ſentirent ceteri, publice ſvadebat. Quam ob cauſam ab recto-*

rectoribus probibitus eſt illic prædicare. Sed ille ad majorem Eccleſiam convolans, ibique peſtilenti liberam orationi cathedram nactus, populum monebat, ne deinceps communionem calicis, ſine qua ſalus eſſe non poſſet, negligerent: Accipere illam ipſum inducerent animum, & miniſtrari a ſacerdotibus poſtularent. Huic hæretici illico omnes aſſenſere lætitia affecti, quod autoritas tandem una ſuorum dogmatum eſſet inventa, & fundamentum Evangelicæ legis babens, & inſcitiam Romanæ ſedis convincens.

Ab Æneâ Sylvio oſtenſum fontem, Petrum nempe quendam, unde hauſerit doctrinam ſuam de calice Domini Jacobellus, monſtrat & *Dubravius, Hiſt. Bob. f.* 23. *Huſſo & Hieronymo abſentibus* (Conſtantiæ in Concilio exiſtentibus) *nibilominus diſcipuli eorum diſciplinam quam receperant arcte tenebant, accurateque illam apud Pragenſes defendebant, quotidie novi aliquid de ſuo adjicientes. Tandem Petrus quidam Misnenſis, quaſi magnum quiddam & abſtruſum, ac non lippis notum & tonſoribus, inveniſſet, geſtiens, ad Jacobellum popularem ſuum, qui Pragæ ad S. Michaelem Evangelium annunciabat, acceſſit, eique verba Johannis Evangeliſtæ ex* Cap. 6. *deſcripta prælegit, quæ ſic ſe habent: Niſi ederitis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non babebitis vitam in vobis. Videsne, inquiens, quanto in errore verſetur nunc Eccleſia, quæ alteram eucbariſtiæ partem, ſine qua vita non eſt, plebi adimat. Cum nugator ille potius tota erraret via, qui verba illa Domini de ſacramento altaris, quod in ultima demum cœna inſtitutum fuit, interpretatus ſit, veritate aliter ſe babente. De ſe namque ipſe Dominus apud Iohannem loquitur, deque verbo ſuo quod caro factum eſt, datque vitam omnibus in ſe credentibus. Sed in tanta errorum caligine, qui late diffundebantur, facile erat, ut ſtellæ erraticæ iter ſuis oſtenderent devium. Nam ſi rectam inſtitiſſent viam, nunquam illis Hus è carcere reſcripſiſſet, illos tandem reperiſſe poculum, quod ſibi mortem accelerarct. Iam enim de capite in Concilio decernebatur, & inter alia, quæ ei objiciebantur, quo celerius damnaretur, bic etiam articulus de calice eum prægravabat, quaſi illo autore propinatus. Sed & ille Theologus Germanus vaticinari viſus, qui Iacobello hujus poculi (potum) primo exprobravit: Non tu, inquiens, calicem ſalutis, ſed cyathum furoris & poculum ruinæ Bobemis ſuppeditaſti, ut illo hauſto furiant, vomant, inſaniant, & mutuis ad extremum prælus inter ſe dimicent. Quod paulo poſt ita contigit. Vetante enim Concilio Bobemis uſum calicis, deinde etiam execrante eos, qui adverſus vetita ire auderent, tantum abſuit, ut incepto abſtinerent, ut pro irritamento potius concilii decreta babuerint, non ſolum ad inſtitutum ſuum continuandum, ſed etiam ad illud undecunque augendum.*

Ex quorum aliorumque teſtimoniis haud obſcurum, non ab Huſſo Jacobellum edoctum, nec anſam nactum, niſi à *Petro* quodam. Noſtrum verò non eſt fuſius inquirere, quis hic *Petrus*, ſive *Draſenſis* ſive *Trecenſis*, ſive *Dreſenſis* antiquus appellatus, viam Jacobo monſtrans: Utrum & hic *Bohemus* fuerit, Jacobi conterraneus, ex oppido quodam, *Miſæ* oppido & flumini vicino, *Tauſchkow ob der Miſs*, oriundus, unde & *Miſenus vel Miſnenſis*, pari ratione, uti *Jacobellus verè Bohemus Miſnenſis* dictus, ad *Miſam quippe Bohemiæ* uterque natus: Unde corrupte pro

pro *Teuſenſis* dictus dein ſit vel lingvæ vel manus lapſu, *Traſenſis* vel *Treſenſis*, quod mihi ſit veriſimile: An vero *Petrus*, ex Bohemiæ vicino *Marchionatu Misniæ*, oppidoq; *Dreſda*, natales duxerit, gente Germanus, quod *Jacobus Thomaſius*, celebris olim *Academiæ Lipſienſis Profeſſor*, *in Diſſertatione hiſtorica de Petro Dreſdenſi*, adſtruere anniſus, Germaniæ eum vindicaturus. Mirari interim ſubit, qui factum, quod *Dubravius* aliiq;, rerum Bohemicarum periti, *Jacobellum* appellent *popularem Petri Misnenſis*. Vel ergo immemores hi fuerint, Jacobellum *è Miſa Bohemiæ* natum: Ut crederent, & hunc Jacobellum Germanum, Misnenſem, fuiſſe, qui tamen extra dubium *Bohemiæ ortum debet*: Vel perſvaſi hi fuiſſe videbuntur, *utrumque* non Germanum ſed *Bohemum* extitiſſe.

Admiſſis autem his familiaribus colloquiis inter Petrum & Jacobellum, anſa quidem privatim data fuerit per Petrum Jacobo: Nihilominus *Jacobus* hic *primus* illo tempore extitit, *qui in publicam ſcenam* hanc *proferret* De communione calicis quæſtionem.

Neque verò inficias eundum, quod *Rockizana* in Concilio Baſileenſi monuit, ante hunc *Jacobum*, Paſtorem Pragenſem, *in eadem urbe Pragenſi*, ante viginti & quinque circiter annos, idem plane negotium, ejusdem ordinis virum alium, *Eccleſiæ pariter Pragenſis Paſtorem, Magiſtrum Matthiam, Bohemum, Magiſtrum Pariſienſem*, tentaſſe, plebemque iſta docuiſſe, & ad uſum calicis invitaſſe, imo ritum jam exercuiſſe. Qui tamen per magiſtratum Eccleſiaſticum abſtractus & abſterritus manum remiſit, ut omnes conatus ſubito expirarent. Memoria interim poſt tam breve tempus viginti ferme annorum apud aliquos iſtius facti Pragæ potuit ſupereſſe, modò non ipſe Matthias adhuc fuerit in vivis. Unde forte Petrus iſte anſam ſumſerit, Jacobello, autoritate pollenti, privatim idem ſuggerendi negotium. Quid ſi & Matthias ille ſcripta de iſta quæſtione reliquerit, Petro viſa aut lecta? Siquidem A. 1410. ab ArchiEpiſcopo Pragenſi cum libellis quibusdam Wiclefi, Huſſi, Miliccii, Hieronymi Pragenſis, M. Matthiæ quoque Pariſienſis ſcripta ſunt damnata, teſte Theobaldo.

Johannes de Polemar, cum Rockizana in Baſileenſi Concilio de Communione calicis contendens, in reſponſione ſua agnoſcit quidem, *Pragæ apud S. Nicolaum Magiſtrum Matthiam* pro concione populo nova de Sacramento quoque cœnæ prædicaſſe, aſt palinodiam in Synodo Pragenſi A. 1389. ceciniſſe, ait. In quibus tamen articulis, ut *Polemarus* eos refert, communionis calicis clara mentio haud facta. Unde in dubio relinquit Polemarus, an Matthias calicem populo dederit, an ſecus. Hoc interim certum eſſe ait, eum prohibitum fuiſſe. *Sive*, inquit, *ipſe inceperit hanc novitatem prædicare, ſive ſub utraque ſpecie communicare, tamen ſua doctrina ſive practica non habuit progreſſum.* Adeoq; poſt longius temporis intervallum ſub Conſt. Concilio, *primus hanc rem publice in cathedram & ſuggeſtum Pragæ produxit Iacobellus.* Qui vel eapropter à plebe pro Chriſti Apoſtolo habitus, ut ait Æneas Sylvius, *in Præfatione Bohemicæ hiſtoriæ*. A quo & *Jacobitæ* conſortes Bohemi appellati, ut notavit A. 1421 in prolixo contra Huſſitas libro D. Hofman. *Patet*, inquit, *errare modernos in Bohemia hæreticos, videlicet Jacobitas, à quodam Jacobello dicto de Miſa, ut æſtimo, exortos.*

Et *primum* hunc *Iacobum de Miſa* hujus ritus reſuſcitati receptæq; conſvetudinis mutatæ *autorem* extitiſſe, ab utraque contendentium parte, ab obitu etiam illius, in Concilio Baſileenſi, publice frequenter eſt pronunciatum *Rockizana*, calicis acerrimus in Baſileenſi Concilio defenſor, Jacobelli cum viveret diſcipulus, in ſuis Orationibus, coram Concilio habitis, ſæpe hanc laudem inventionis aut renovationis Jacobello magiſtro ſuo tribuit, longam pro illo texere apologiam ſolitus.

Joh. Polemar, in Oratione contra Rockizanam cum Johan. de Raguſio contendentem, in Concilio Baſ. dicta: *Conſvetudinem*, inquit, *Eccleſiæ per Magiſtrum Jacobellum, in artibus Magiſtrum, dicit Joh. de Rakizana, cœpiſſe corrigi. Sed ſicut diligenter inquiſita veritas docet, ad plenarii Concilii (Conſt.) confirmationem perducta, verius creditur per Jacobellum corrumpi cœpiſſe non corrigi. Idem* in altera ſupra notata oratione in Rockizanam: *Comparationem proſequitur* (*Rockizana*) *inter Doctores noſtros & quendam Jacobellum, qui primus fuit hujus novitatis in regno Bohemiæ inventor.*

Pius quoque *ſecundus*, *Pontifex*, qui in hiſtoria ſua Bohemica cum Petro Jacobelli meminerat, in Reſponſione, Legatis Bohemiæ, liberum communionis ſub utraque uſum juxta pacta Baſileenſia confirmari cupientibus, data, cum de Conſtantienſis ac Baſilienſis Concilii decretis nonnulla commemorasſet, *Jacobellum* novum uſus illius autorem his pinxit coloribus: *Illum damnabilem & prorſus hæreticum judico, ſi quis aſſerit, talem communionem* (ſub utraque ſpecie) *ad ſalutem eſſe neceſſariam, ſicut* Jacobellus *putavit*, & qui eum ſecuti ſunt. *Magna* hominis illius *præſumtio, vel potius temeritas, qui ſolis imbutus grammaticæ diſciplinis, quibus pueros inſtruebat, auſus eſt ſacros Evangelii ſenſus attingere, & ad ſuum ingenium arcana filii Dei verba interpretari. Non eſt Gramaticorum aut Dialecticorum ſecreta divini codicis reſerare. Theologorum eſt & ſacræ paginæ Profeſſorum iſta cognitio, & eorum, quibus data eſt ſcientiæ clavis, quæ aperit & nemo claudit, claudit, & nemo aperit. Eunuchus ille in Actibus Apoſtolorum, qui ex Æthiopia venerat in Jeruſalem, cum legeret Eſaiam, interrogatus ab Apoſtolo Philippo an intelligeret quæ legeret: Et quomodo, inquit, poſſum intelligere, niſi exponatur. At Jacobellus absq; expoſitione, absq; Doctore, auſus eſt docere, quæ non didicit, & absq; calicis bibitione ſalvari neminem, aſſeverare, propter verba Salvatoris apud Johannem dicentis: Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, verborum tantum & literarum annotans ſonum, mentem præteriens* &c.

Idem in Bulla contra Georgium Poggiobratium Anni 1463. 4. Cal. April. *Dudum*, inquit, *inclytum Bohemiæ regnum, quod Chriſtianum & fidelem populum habere conſuevit, quoad hanc pernitioſam Jacobelli & ſuorum ſequacium in aliquibus partibus Huſitarum nuncupatam hæreticam pravitatem, pro magna ejus parte prolapſum, ut communionem euchariſtiæ ſacramenti ſub utraq; ſpecie, vini videlicet & panis, quoad laicos & non conficientes, de neceſſitate fore æternæ ſalutis profiteatur.*

Primus itaque cum exiſteret *Iacobus de Miſa*, qui *publice* profiteretur calicis communionem, rem hanc ita aggreſſus eſſe memoratur. Ante omnia *theſes* hac de re conſcripſit, quas more ſeculi in Academia Pragenſi ad diſputandum in cathedra proponeret, memorante *Hagecio*, aliisque. Quam primam hujus argumenti diſputationem ſuam Academicam *poſitionem* ipſe poſtea appellare & allegare ſolitus eſt.

Qua diſputatione inter contentiones more uſitato finitâ, cujus præcipua argumenta ab *Hagecio*, *Theobaldo*, aliisq; notata: Proxime in templo S Michaelis *plebem* publice idem *docere* non dubitavit. Quem ſecutus alius Paſtor, *Sigiſmundus Rzepanski*, proximo die paria populo pro concione inculcare aggreſſus, ipſum quoque *uſum calicis* in plebem *introducere* non diſtulit.

Exclu-

Excluſus mox à ſua iſthac *Michaelitana Eccleſia* Jacobellus, à Martinianis receptus, magnum plebis applauſum, mox Magiſtratus, urbis, & Academiæ conſenſum eſt conſecutus. Interea nec intermiſſum à ſuperioribus Eccleſiaſticis, illum vel monere vel terrere. Ad *Vicarium in ſpiritualibus* accitus, etſi comparuit, flecti tamen nequivit, quin tanto cum aliis animoſius perrexit. Eccleſias viſitare alias, remque inſtruere contendit. *Excommunicationis* fulmine petitus, animum non abjecit, intrepide ſemper idem agens. Dum hæc agerentur, *Theologi* hunc gregatim aggreſſi, ſi qua acie *calami* præſtarent, quod interdicti fulmine effici non poterat. Quod igitur eruditionis laudem ac eloquentiæ famam dudum obtinuiſſet, pro dignitate illa molliuſcule ab his, ab aliis ſeverius exceptus. Dein abſque longiori mora ad *Conſtantienſe Concilium* Bohemicum hoc novum negotium delatum, à quo majori autoritate abſolveretur, quod Theologi hinc inde erant orſi. Hinc diu multumq; in ipſo Concilio hac de re conſultatum, quæſitum, ac diſputatum. Ut *pars Actorum Concilii*, nec minima, nec leviſſima fieret. Duravitque hoc *bellum literarium* ad finem usque Concilii. Quo finito calami plumæque verſæ in haſtas & enſes. Ut pro atro colore ſcriptorio, utrinque manus tingerentur chartæque non magis ac capita coccineo perfunderentur ſangvine.

A libellis ad *bella* poſtquam pro calice utrinque dimicantes eſſent progreſſi, ancipiti fortuna poſt varios conflictus, cum ad novum Concilium Baſileenſe cuncta inſtruerentur, Jacobellus tandem *A.* 1429. *Pragæ* diem obiit, hoc illi poſito monumento, teſte Theobaldo: *A. D.* 1429. *in Vigilia Laurentii mortuus eſt venerabilis Vir Jacobus de Miſa, Magiſter in artibus & S. Theologiæ Baccalaureus formatus, profundus interpres ſcripturarum & dignæ communionis præcipuus promotor.*

De cetero, SERENISSIMO DUCI, RUDOLPHO AUGUSTO, AUGUSTÆ SAPIENTIÆ ET PIETATIS VERE CHRISTIANÆ PRINCIPI, PACIS AC BLANDÆ TRANQVILLITATIS AMANTISSIMO, viſum iſtud Conſtantienſis Concilii negotium memoria valde dignum. Cum ſacer calix, qui Chriſti ſangvinem *pro ſalute animarum* fuſum continere debebat, verteretur illa ætate triſti exemplo in poculum cruoris humani, *in pernitiem tot innocentium Chriſtianorum* profuſi. Non ſine inſigni animi ægritudine priſtina hæc fata intuitus PRINCEPS OPTIMUS. Quod namque ſvave *vinculum amoris ac ſocietatis*, in calice quoque ſacro à Chriſtianis ſumpto, eſſe oportuerat, in funes, in catenas, in compedes, in carceres, in vulnera, in cædes, uno nomine in odia, & animorum inter Chriſtianos divortia tantum non immortalia mox evaſiſſe, impenſe dolet PRINCEPS CHRISTIANUS.

Proinde ſvavis *inter Chriſtianos* & juſti *Deoque grati conſortii amoriſve mutui* deſiderium, ardentiſſimaque in Deum, amoris fontem, devotio, DUCEM PIUM movit, ut clementiſſime juberet, rem illam, ſub Conſtantienſi Concilio de iſthoc divinæ gratiæ ſymbolo geſtam, curate inveſtigare, ita, ut non duntaxat *Iacobi Miſæi*, ſed & *Theologorum*, rem illam tunc diſcutientium ac reciprocis ſcriptis ventilantium, *antiquiſſima* ac

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Digitized by Google

ac *genuina monumenta*, ab utraque parte edita, ex *MSſtorum reliquiis* eruerentur, eóq; ut nata eſſent, *ordine* diſtributa ac digeſta, ſincere, pie, ac religioſe, ſine omni affectus acerbitate ſiſterentur.

Quæ pia DUCIS juſſa ſedulo & pertinaci labore exequi par fuit. Factumque felici fato, ut *præcipua* ab utraque parte monumenta, diu quæſita & deſiderata, in magnis *antiquisſimorum* MSCtorum cumulis tandem deprehenderentur, ac ſuis interdum notis privata dignoſcerentur. Et *inſignis* quidem horum præſto eſt *numerus*, cum *decem* ſint *libri*, nec parvi, nec indocti, quos hoc Volumine cum aliis rebus Conſtantienſibus ſiſtimus. Quanquam verò de *temporis* puncto & juſtis *loci* cancellis in aliquibus monumentis curata haberi notitia non potuerit hactenus, in rebus tam remotis & ignotis: Augurio tamen nón vano pleraque nos aſſecutos opinamur.

Atque ita hujus Tomi *Parte XIV.* ex *MSCto Academiæ noſtræ Juliæ* in fronte collocare datum eſt *Anonymi Theologi librum*, *quæ epiſtolæ* formam præ ſe fert, ad *Jacobum de Miſa. Quo Iacobi Miſæi* doctrina De communione plebis ſub utraque ſpecie, in primo ſtatim controverſiæ exordio A. 1415. examinata. *In Capita parteſque minores*, quo antiquum MSCtum pro more deſtitutum, *diſtingvere*, noſtri ſeculi decor & lectoris commodum imperavit. Quod & in ceteris omnibus omnî ſtudio præſtare ſumus annisi. Neque verò diu circumſpicere tempus permiſit, quis ille *Theologus*, libri autor, num *Dinkelſpuel*, *Viennenſis Academiæ Profeſſor*, aliusve, in Concilio vel extra illud iſto exiſtens tempore: An vel ipſe *Doctor Broda, Academiæ Pragenſis Theologus Profeſſor*, qui conſulto primùm nomen ſuum diſſimulans, peregrini Germanique Theologi habitu amictus, prodire maluerit, quàm directe Jacobum aggredi, quod deinde fecit. Id quod vel inde conjici poſſe videbatur, quod Broda poſtea iisdem quibus hic anonymus inſtructus argumentis, imo iisdem ſæpe uſus verbis. Etſi unum alterius legere veſtigia omni ſeculo fuerit uſitatum. Accedebat, quod iſtam diſſimulandi primam ſollicitudinem illuſtrabat, quod *Broda* antea Huſſitarum quoque partibus non plane inimicus, quin fautor extiterat, qui & regiminis Eccleſiaſtici maculas notaſſet. improbaſſet ac corripuiſſet, æque ac Collega *D. Palezius*, qui Huſſo antea addictus abuſus Eccleſiæ palam arguerat. Mutatâ itaque ſententiâ, exemplo Palezii, vel priſtinæ amicitiæ memoria, vel ingenuus pudor retinuiſſe videri poterant Brodam, qui ſuum celaret adhuc nomen, molliorique ſtilo Jacobellum moneret. Sed liberum de autore eſto lectori judicium.

Succeſſit ergo *Parte XV.* memoratus *D. Broda*, Jacobum Paſtorem Pragenſem de reſuſcitato novo communionis plebejæ ritu caliceque miniſtrato reprehendens. Etſi verò non plane conſtet an integrum hoc ſit opuſculum, dedimus tamen, ut in *MSCto Cæſareo Vindobonenſi* offendimus. *Brodæ* verò *autori* hoc opusculum acceptum eſſe ferendum, *majus* illius *opus alterum*, à Jacobello poſtea excuſſum, abunde demonſtrat.

His jungere oportuit *Parte XVI.* ex *MSC. antiquisſimo Cæſareo Vindob. Reſponſionem Iacobelli*, qui argumenta Brodæ in majori ejus contra Jacobellum

Digitized by Google

bellum ſcripto propoſita, ordine & fuſe examinavit, ſuam diſtinctius de uſu *calicis in plebe Chriſtiana* mentem declaraturus. Jacobello ritus reſuſcitati autori deberi hoc opus, non duntaxat diſerta docet *inſcriptio operis* in MSCto Vindobonenſi obvia, quam ſuo loco expreſſimus, ſed & *ipſa confeſſio autoris*, qui ſe *Jacobum* in libro memorat. Quod & *filum totius libri* confirmat, qui de cauſis *ab autore libri* reſtituti ritus perpetuo tractat.

Poſtquam igitur Broda aliique cum Jacobo, Pragenſi Paſtore, litem orſi erant, res ad *Conſtantienſis Concilii Theologos* delata horum *ſententiam* publicam eſt ſortita. *Theologorum* proinde *Conſtantienſium* definitionem, *Parte XVII. ex MSCto Academiæ noſtræ Juliæ* ſiſtere par & æquum fuit. Ex quibus Theologorum Concluſionibus formatum mox in concilio decretum condemnatorium. Illas *Conſtantienſium Theologorum Concluſiones* proxime à fine Concilii A. 1421. *in vaſo contra Huſſitas opere* laudavit & miſſis probationibus repetiit *D. Hoffman, Theologus Lipſienſis*, uti ex gemino liquet *Nordlingenſi* ac *Lipſienſi MSCto*. *Patet inſuper*, inquit, *per Concluſiones Doctorum Concilii Conſtantienſis, quæ ſunt ſex. Prima: Chriſtus poſt Cœnam inſtituit & miniſtravit ſub ſpecie panis & vini ſui ſanctiſſimi corporis & ſanguinis Sacramentum. Secunda: Non obſtante hujusmodi inſtitutione & miniſtratione, laudabilis & approbata conſuetudo Eccleſiæ ſervavit & ſervat, quod hujusmodi ſacramentum non debet confici poſt cœnam, nec recipi â Chriſti fidelibus, niſi in caſu infirmitatis aut alterius neceſſitatis mortem comminantis. Tertia concluſio: Licet in primitiva Eccleſia hujusmodi ſacramentum â Chriſti fidelibus reciperetur ſub utraque ſpecie, tamen ad evitandum aliqua pericula potuit ſimili aut majori ratione introduci & introductum eſt, ut à fidelibus conficientibus ſub utraque ſpecie, & à laicis ſub ſpeciebus panis tantum ſuſcipiatur. Quarta Concluſio: Cum hujusmodi conſuetudo ſit ab eccleſia introducta, & diutiſſime ex cauſis rationabilibus obſervata, habenda eſt pro lege, quam non licet reprobare, aut ſine autoritate Eccleſiæ pro libitu immutare. Quinta concluſio eſt: Dicere, quod hanc conſuetudinem aut legem ſervare ſit ſacrilegium aut illicitum, cenſeri debet erroneum. Sexta Concluſio: Pertinaciter aſſerentes oppoſitum præmiſſorum, cenſendi ſunt hæretici, & tanquam tales arcendi & puniendi. Has Concluſiones Doctorum Concilium approbavit, tanquam veras & licitas, ab omnibus Chriſti fidelibus ſub anathemate obſervandas.* Hæc olim *Hofmannus*.

Neque abjicere aut diſſimulare integrum fuit, ex demandati negotii ordine atque tenore, *Vindicias Jacobi Miſæi*, quibus ſuæ doctrinæ innocentiam ſinceritatemque *adverſus illas Theologorum Conſtantienſium concluſiones, Conciliique ſententiam decretoriam* muniret. Suppeditavit hoc opus, Parte XIIX. *Codex MSCtus Academiæ Lipſienſis.*

Neque excludi debuit alterius *Anonymi Theologi opus mixtum*, haud exiguæ molis, eodem illo tempore *A.* 1415. in controverſiæ exordio proditum, *Jacobo de Miſa oppoſitum*, quo disquiſitio *de calice in plebe uſu ſacro* fuſe ſuperiorum exemplo ulterius continuata. Dedit & hunc librum *Parte XVIII.* recenſitum antiqvus *Codex MSCtus Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis*, A. 1421. à Stephano VValtheri ſcriptus.

Poſt frequentes illas disquiſitiones, *Pragenſis Academia* in partes Jacobi cedens, editâ *confesſione publica*, additaque ad plebem *exhortatione*, quæ ad illum calicis religioſum uſum accederet, Conſtantienſis Concilii Patres denuo provocavit, & ad ulteriorem ejusdem ſacræ rei à Jacobo advectæ conſiderationem calcaria addidit. Concilium proinde Theologis injunxit curatioribus ſcriptis Jacobo Miſæo ſociisq; obviam ire. Qua occaſione *in Concilio*, ex decreto Antiſtitum, primùm *Gerſon* breve exhibuit *Conſilium* rebus his componendis conſecratum, quod videre eſt *Parte XX.*

Speciatim à Concilii Patribus negotium hoc datum *Mauritio de Praga*, Theologo ac Profeſſori Pragenſi, quem quidem difficillime antea in Collegium ſuum Theologi Pragenſes admiſſuri, juſſu Pontificis tandem Collegam nacti erant. Hic *in Conſtantienſi Concilio* præſens, juſſa Concilii executurus, geminum edidit Concilii autoritate librum *contra Iacobum*, ſibi ab eruditione & genio plane notum. Primum ejus *Conſtantienſe ſcriptum* polemicum, A. 1417. *poſt novam Pragenſium confesſionem* in Concilio exaratum, *Iacobo* ejusque doctrinæ de communione calicis *oppoſitum*, dedimus *Parte XXI.* ex MSCto *gemino*, *Cæſareo Vindobonenſi & Electorali Berolinenſi.*

Alterum ejusdem *Mauritii de Praga* opus, eodem anno pari Concilii juſſu atque autoritate conſignatum, quo *Iacobi libellum De Conſenſu primitivæ Eccleſiæ quoad communionem plebis ſub utraque ſpecie*, discuſſit, proximum obtinuit *cum Iacobi libello* locum, *Parte XXII.* Debetur & hoc, felici fato, MSCto *Codici* incomparabili *Cæſareo Vindob.*

Poſtremo, cum interſit, ſcire, in iſthoc Conſtantienſi negotio, ſacrum concernente calicem, à Jacobo Miſæo plebi vindicatum, quæ fuerit tunc *ſententia Iacobi de præſentia corporis & ſangvinis Chriſti in ſacra cœna ſub utraque illa ſpecie:* Operæ pretium fore viſum, *peculiarem* de iſthac quæſtione *Iacobelli librum*, quem cum aliis nacti ſumus, ſuperioribus jungere. Quod autem certus non plane conſtaret annus, quo Jacobellus edidiſſet, in ſuperiori cumulo juxta annorum ſeriem inſtructo locum non invenit. Neque verò ingratum lectori fore judicatum, ſi inſtar *appendicis* attexeretur. Ne igitur vel negligentiæ vel conſulti contemptus notam nobis inurat lector, antiquarum rerum plenam ſcire avens formam habitumq; genuinum, *P. XXIII.* recenſuimus laudatum *Iacobelli monumentum*, Conſtantienſis Concilii ætate editum, *De vera exiſtentia corporis & ſangvinis Chriſti in S. cœna. MSCtum*, ex quo hauſimus, *Auguſtisſimæ Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis*, ætate utriusque Concilii Conſt. ac Baſil. paulo eſt recentius, deſcriptum quippe A. M. CCCC. LII. ut ſub finem libri memoriæ traditum. Magna quoque hujus libri pars in antiquo *MSCto Academiæ noſtræ Juliæ* comparet. Aſt integrum non niſi in MSC. Cæſareo Vindobonenſi deprehendimus.

Sic habebis, *Chriſtiane lector*, *Conſtantienſes Jacobelli res*, cum illis, quæ lucem affundere poterant. Alia, ab eodem autore profecta, quæ vel invenire quæſita nondum licuit, vel ad præſentem quæſtionem non aperte colliment, jure meritoque in aliud rejecimus tempus: Ut ſunt, quæ poſſidemus, *De purgatorio animarum poſt mortem*, nec non *De juramen-*

Digitized by Google

ramento. Quantumcunque enim & in ipſo Conſtantienſi Concilio hæ quæſtiones moverentur, quod in Bohemia jam eſſent agitatæ: Noluimus tamen *his quoque advehendis* opus per ſe ſatis grave ac laborioſum longius diducere aut extendere, nobisque non recenſendi laborem, ſed ex Typographiæ miniſtrorum tarditate vel negligentia tædium augere.

His bene utere, *bone lector*, memor *humanæ fragilitatis*, quæ absque omni diſſenſione nec Eccleſiam linquere ſuſtinet immunem: Memor *pacis & gratæ tranquillitatis*, quæ optimum ægerrimæ vitæ condimentum: Memor denique *noſtræ in recenſendo ſinceritatis*, qui nudæ enarrationi acquieſcere juſſi omnes removimus aculeos, ne vel veteris vel noſtri ævi quenquam vel molliſſime pungeremus. Age, *divinæ providentiæ* & inſcrutabilis regiminis in antiquis mundi & Eccleſiæ fatis clara *veſtigia* cominus & religioſe intuere, & Deum pacis, qui humana pectore amore combinet, devote precare.

ELENCHUS
Autorum, Librorum ac Capitum Tomi Tertii rerumq; præcipuarum Index.

PARS I.

DE Rebus Conſtantienſibus Huſſi.
Jacobi Epiſcopi Laudenſis Oratio in ſupplicium Huſſi, coram Cæſare Sigismundo totoque Conſtantienſi Concilio in publica ſeſſione *A.* 1415. *die Sabbati*, 6. *Julii* dicta. Ex *antiquiſſimis Codicibus MSCtis*, *Cæſareo Vindobonenſi*, *& Ducali Brunſvicenſi*. *Fol. I. ſeqq.* Conferantur ſupra Prolegomena hujus Tomi, Cap. II.

PARS II.

De rebus Conſtantienſibus *Johannis Parvi, Galli*, breviter *f.* 6. Diſtinctius ſupra in *Prolegomenis hujus Tomi Cap. II.*
De rebus Conſtantienſibus *Cruciferorum de Pruſſia f.* 6. *ſeqq.*
Ladislai, Regis Poloniæ, & *Witoldi*, Magni Ducis Lithuaniæ, publica de Cruciferis querela *fol.* 6. *ſeqq.* Ex *MSC. Lipſienſi.*
Ladislai Regis, & *Witoldi* Ducis, Epiſtola ad Cæſarem Rupertum, ob Cruciferorum invaſiones querula, f. 8. Ex *MSC. Lipſienſi.*
Pauli Voladimiri de Cracovia, Poloni ad Conſtantienſe Concilium Legati, *Demonſtratio*, Cruciferis de Pruſſia ſeu ordini Teutonico oppoſita, *Infideles armis & bello non eſſe ad Chriſtianam fidem convertendos, nec eorum bona invadenda aut illo nomine occupanda:* In Conſtantienſi Concilio publice oblata. *f.* 9. *ſeqq.* Ex antiquiſſimo Codice *MSC. Cæſareo Vindobonenſi.*
CAP. I. De jure Chriſtianorum in terras infidelium, f. 10.
CAP. II. De ordinis Teutonici in Pruſſia machinis ac prætextu ſub nomine religionis quasvis regiones ſibi ſubjugandi.
CAP. III. Chriſtianos non habere jus ſub ſpecie religionis propagandæ fidelium regiones invadendi. Neque indulgentia vel literis aut privilegiis Cæſarum & Pontificum, ordini Teutonico datis, jus hoc acquiri. f. 14. ſeqq.
CAP. IV. Deſideratum Conſtantienſis Concilii in hac controverſia decretum. f. 24.
CAP. V. Concilior probatio, Chriſtianis nullum eſſe jus ſub religionis prætextu in regiones infidelium. f. 25.

Digitized by Google

PARS III.

De rebus Brigittæ, Conſtantiæ tractatis.

Gerſonis, *Diſſertatio* de Probatione ſpirituum, deque Viſionibus ac Revelationibus novis caute dijudicandis, occaſione Canoniſationis Brigittæ & aliorum, *in Conſtantienſi Concilio Anno* 1415. *die Auguſtini* edita. *Ex MSC. Cæſareo Vindobonenſi.* f. 28. ſeqq.

PARS IV.

De rebus Conſtantienſibus recantantium aut proteſtantium in rebus fidei.

Gerſonis Judicium de Proteſtatione & Revocatione in negotio fidei ad eluendam hæreſeos notam. *In Conſtantienſi Concilio Anno.* 1415. *d.* 29. *Octobr.* publicatum. f. 39. ſeqq.

PARS V.

De rebus Conſtantienſibus Hieronymi Pragenſis.

CAP. I. *Jacobi Epiſcopi Laudenſis* publica oratio in ſupplicium Hieronymi Pragenſis, abſente Cæſare, *in Conſt. Concilio Ao.* 1416. *d.* 30 *Maji.* habita. Ex antiquiſſimis Codicibus MSCtis *Cæſareo Vindobonenſi*, *Ducali Brunsvicenſi*, & *Academico Helmſtadienſi. f.* 54.

CAP. II. *Poggii Florentini*, *Oratoris in Conſtantienſi Concilio* inclyti, epiſtola ad *Leonardum Aretinum*, De admirabili animi præſentia in Hieronymo Pragenſi, coram judicio & in buſto. Ex *MSC. Lipſienſi.* f. 64.

PARS VI.

De rebus Conſtantienſibus Calendariographorum Eccleſiaſticorum.

Petri de Alliaco, *Cardinalis Cameracenſis*, Exhortatio ad Concilium generale Conſtantienſe, ſuper correctione Calendarii propter ingentes ejus errores. Delineata proxime ante Conſt. Concilium, ſed repetita *Conſtantiæ in Concilio A.* 1417. *Menſe Martio*, & publice in Eccleſia S. Pauli pronunciata. Ex MSC. Cæſareo Vindobonenſi.

CAP. I. Præfatio Cardinalis de hujus quoque rei Eccleſiaſticæ emendatione neceſſaria, f. 72.

CAP. II. De tribus principalibus Calendarii erroribus. f. 74.

CAP. III. De errore ex mutatione æquinoctiorum & ſolſtitiorum. f. 76.

CAP. IV. De Errore numeri aurei ex mutatione primationis Lunæ, f. 80.

CAP. V. De aliis erroribus, qui conſequuntur ex prædictis. f. 83.

CAP. VI. De Calendarii correctione, f. 86.

PARS VII.

De rebus Conſtantienſibus Flagellariorum ſeu Cruciſratrum, inprimis Vincentii Fererii. f. 92.

CAP. I. *Johannis Gerſonis*, magni in Conſtantienſi Concilio nominis Viri, humaniſſima *Epiſtola ad Vincentium Ferrerium*, Theologum & Oratorem toto tunc orbe inclytum, in Hiſpania degentem, ſectæ flagellantium haud obſcure patrocinantem, *A.* 1417. *d.* 9. *Julii Conſtantiæ ſcripta*, qua à ſecta eum molliſſime abſtrahere & ad Conſtantienſe Concilium pellicere allaboravit. f. 94.

CAP. II. Ejusdem molle Conſilium, de convincenda flagellantium ſecta, *A.* 1417. *d.* 18. *Julii in Conſt. Concilio* proditum. f. 98. ſeqq.

PARS VIII.

De rebus Conſtantienſibus Matthæi Grabon, ordinis Prædicatorum.

CAP. I. Concluſiones Matthæi Grabon, in ſacro Conſtantienſi concilio ad examinandum novo Pontifici Martino V. oblatæ. f. 106.

CAP. II. *Petri de Alliaco Cardinalis Cameracenſis* Judicium de cauſa fidei Matthæi Grabon, datum in concilio Commiſſario Cardinali, à Martino V. conſtituto. f. 113.

CAP. III. *Johannis Gerſonis* Judicium ſeu propoſitiones, de dogmatibus Matthæi Grabon, in Concilio Conſtantienſi propoſitis in cauſa fidei *de vera religione & perfectione*

fectione. Quibus propoſitionibus *tredecim Doctores Theologi ex diverſis Academiis in Concilio præſentes adhæſerunt. f.* 114. ſeqq.
CAP. IV. Matthæi Grabon revocatio & abjuratio prædictorum ſuorum Articulorum & Concluſionum. f. 119.

PARS IX.

De rebus Conſtantienſibus Ciſtercienſium.
Anonymi Monachi ordinis Ciſtertienſis, Propoſitio affirmativa, *In Conſtantienſi Concilio A.* 1417. oblata & examinata. Quod *Monachi Ciſtercienſes* poſſint propria poſſidere bona. Ex MSCto *Academiæ Helmſtadienſis.* f. 120.
CAP. I Quo caſu fas ſit, Monachum poſſidere bona quædam temporalia. f. 122.
CAP. II. Quod vera Monachorum paupertas in animo à cupiditate alieno ſit poſita, non ſpreto rerum uſu. f. 124.
CAP. III. Quid dicatur proprium in Monachis. f. 125. ſeqq.
CAP. IV. De diſpenſatione, ut Monachus poſſideat bona. f. 126.
CAP. V. De ſtatuto, à Monachis & Abbatibus facto, pro rerum poſſeſſione & uſu Monachis concedendo. f. 127.
CAP. VI. De recepta conſuetudine, Monachos Ciſtercienſes poſſidere bona f. 128.
CAP. VII. Solvitur dubium De Conſilio paupertatis Evangelico. f. 129.
CAP. VIII. Solvitur dubium, de ſpontaneæ paupertatis voto. f. 130.

PARS X.

Magni Monachorum Viſitatoris ſub Concilio Conſtantienſi exarata conſtitutio negativa, Quod Monachi propria non debeant poſſidere bona. Ex *MSC. Academiæ Helmſtadienſis.*
CAP. I. Quod Monachus non poſſit habere proprium aut peculium. f. 131. ſeqq.
CAP. II. Monacho per Prælatum de neceſſariis debere provideri, ut filio per Patrem. f. 138.
CAP. III. Solutum dubium, quaſi ſufficiat Monacho animus & intentio relinquendi bona, etiamſi poſſideat. f. 140.
CAP. IV. De diſpenſatione ad habendum proprium, f. 142.
CAP. V. An Monachi poſſint adhibere pronomen meus, mea, meum. f. 144.
CAP. VI. De diſpenſatione ad rerum uſum. 144.
CAP. VII. De jure Abbatis compellendi Monachos ad vitam communem, f. 145.
CAP. VIII. De pœna proprietariorum. f. 146.
CAP. IX. Characteres & tituli Proprietariorum f. 147.
CAP. X. Variæ exceptiones, de Monaſterii inprimis paupertate, ut & conſuetudine.
CAP. XI. De diverſa intentione illorum, qui in Monaſteria ſe conferunt. f. 149. 150.
CAP. XII. Monaſterium eſſe locum pœnitentiæ & purgatorium. f. 151.
CAP. XIII. Monaſterium eſſe ſcholam ſtudiorum & virtutum. f. 152.
CAP. XIV. Monaſteria requirere ſolitudinem. f. 153
CAP. XV. De pietate & concordia in monaſteriis deſiderata. f. 154.

PARS XI.

De Annuis Penſionibus Monachorum ac Monialium, aliiſque ſubſidiis, quibus privatim fruantur *Deciſio media.* Ex MSCto *Academiæ Helmſtadienſis.*
CAP. I. Argumenta pro conſuetudine inter Monachos, annuas penſiones, precarias, ſimiliaque ſubſidia obtinendi. f. 155.
CAP. II. Argumenta contra conſuetudinem talia habendi ſubſidia privata. f. 156.
CAP. III. Sententia media. f. 159.
CAP. IV. Argumenta, quod monachi de propriis viventes ſint in periculo damnationis. f. 160.
CAP. V. Argumenta, quod Monachi de propriis viventes non verſentur in diſcrimine ſalutis. f. 164.
CAP. VI. Sententia media f. 165.

Digitized by Google

CAP. VII. Conſilium cum voto pio Monachis & Monialibus datum pro pacanda illorum conſcientia. f. 166.

PARS XII.

De rebus Conſtantienſibus Wiclefi, Angli.

Theologorum Conſtantienſium Brevis Cenſura XLV Articulorum *Wiclefi*, Anno 1415. in Concilio prodita. Ex *MSC. Academiæ Lipſienſis*. f. 168. & ſequentibus, usque ad f. 211.

PARS XIII.

Theologorum Conſtantienſis Concilii diffuſa Condemnatio XLV Articulorum Wiclefi. Ex tribus antiquiſſimis Codicibus MCStis, Cæſareo Vindobonenſi ac gemino Lipſienſi. f. 212. & ſequentibus, usque ad fol. 332.

PARS XIV.

De rebus Conſtantienſibus *Jacobelli* ſive *Jacobi de Miſa*. f. 335. Conf. ſupra in *Proleg. Cap. II.*

Anonymi Theologi, in Concilio, ut apparet, tunc degentis, *Longa Epiſtola Elenchtica ad Jacobum De Miſa Bohemum, Theologum & Paſtorem Pragenſem*, præcipue *contra communionem Plebis ſub utraq. ſpecie, à Jacobo de Miſa illo anno reſuſcitatam.* A. 1415. tempore Conſtantienſis Concilii ſcripta. Ex MSC. *Academiæ Helmſtadienſis.*

CAP. I. De obedientia in rituum Sacrorum obſervatione per Jacobum de Miſa Prælatis haud præſtita. pag. 339.

CAP. II. De Excommunicatione, à Jacobello & ſociis Bohemis contemta. pag. 345.

CAP. III. An Jacobus de Miſa divinitus ſit vocatus & miſſus? pag. 347.

CAP. IV. An decimæ Clericis ſint ſolvendæ? 347

CAP. V. De Eccleſiarum viſitatione, per Jacobellum inter Bohemos inſtituta. 351.

CAP. VI. De ſtatu primitivæ Eccleſiæ, an ad eum clerus poſſit reduci, quoad vitam & quoad poſſeſſionem bonorum, quod urgebat Jacobus de Miſa. 353.

CAP. VII. Communionem Plebis ſub utraque ſpecie, à Jacobo de Miſa Pragæ introductam, pugnare cum intentione Chriſti. 357.

CAP. VIII. De figuris V. Teſtamenti pro communione laicorum ſub una. 359.

CAP. IX. De dictis Novi Teſtamenti quo ſenſu agant de communione ſacra. 359.

CAP. X. Quod communio ſub utraque pugnet cum Romanæ Eccleſiæ conſtitutione & conſuetudine. 375.

CAP. XI. De Concionibus Jacobi de Miſa & libertate plebi data, confitendi quando & cui velint, & communicandi quoties velint. 379.

CAP. XII. De libera quorumcunque confitentium abſolutione à Jacobo de Miſa exercita. pag. 379.

CAP. XIII. De Papæ & Epiſcoporum auctoritate, quam Jacobus de Miſa autoritati ſacerdotum æquaverit. 381.

CAP. XIV. De officio Sacerdotum Deo ſerviendi. 383.

CAP XV. De novo ritu publice in Eccleſia cantandi, plebi per Jacobum de Miſa indulto. 385.

CAP. XVI. De Canonibus & ſtatutis Eccleſiæ obſervandis. 387.

CAP. XVII. Exhortatio ad Jacobum de Miſa. 388.

PARS. XV.

Andreæ Brodæ, Doctoris & Profeſſoris Theologi in Academia Pragenſi, *Diſputatio Academica contra Jacobum de Miſa, Paſtorem Eccleſiæ Pragenſis*, contra communicationem Plebis ſub utraque ſpecie. Sub Conſtantienſi Concilio Pragæ A. 1415. conſcripta, ſtylo ſuperioris Epiſtolæ adornata. Ex antiquo Codice *MSCto Cæſareo Vindobonenſi.*

CAP. I De dicto Joh. VI. Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, An ſpiritualiter debeat intelligi, an literaliter? 393.

CAP. II. Quod communicare plebem ſub ſpecie vini, aut ſub utraque ſpecie, ſit contra voluntatem Chriſti. 395

CAP. III.

Digitized by Google

CAP. III. De [illegible] V. Teſtamenti, quod tantum ſacerdotes ſub utraque ſpecie debeant communicare, populus autem ſub una. 397
CAP. IV. De Dictis Novi Teſtamenti, quibus de communione ſub utraque videatur [illegible] ... de neceſſitate ſalutis? 399
CAP. V. De Patrum & Doctorum dictis, qui communionem ſub utraque aſſerere videantur. 403
CAP. VI. De praxi primitivæ Eccleſiæ, quoad communionem plebis ſub utraque. 40[illegible]
CAP. VII. De communione infantum ſub utraque. 406.
CAP. VIII. Quare ſub utraque ſpecie ſolum à ſacerdotibus communicari ſit inſtitutum? 407
CAP. IX. De variis periculis & impedimentis uſus Calicis in communicatione plebis. 407
CAP. X. Solvitur objectio Jacobi de Miſa: Majorem vim & gratiam eſſe in communione ſub utraque. 409
CAP. IX. Solvitur dubium: Quod diſtinctior ſit memoria paſſionis Chriſti ſub utriusque ſpecie communione. 409
CAP. XII. De triplici potu ſanguinis Chriſti. 411
CAP. XIII. De autoritate Romanæ Eccleſiæ quoad ſtatutum communionis laicalis ſub una. 413
CAP. XIV. De libertate per Jacobum de Miſa plebi conceſſa, quando velint & cui velint confiteri & communicare, 415

PARS XVI.

Jacobelli ſive *Jacobi de Miſa*, alias *de STRZIEBRO*, *Bohemi*, *Paſtoris in Eccleſia & urbe Pragenſi*, *Vindiciæ*, *contra Andream Brodam*, Doctorem & Profeſſorem Theologum in Academia Pragenſi, pro communione Plebis ſub utraque ſpecie. Sub Conſtantienſi Concilio Anno 1415. editum opus. Ex *antiquiſſimo Codice MSCto Cæſareo Vindobonenſi.*

PARS I. De dictis Scripturæ & ſententia Patrum de communione ſacra.
CAP. I. Poſt Exordium, propoſita ſententia, ſub utraque ſpecie eſſe communicandum. f. 416
CAP. II De dicto Chriſti Johann. VI. Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. 419
CAP. III. De objectis à Broda incidenter ſcripturæ locis, quæ aliter videantur intelligenda ac verba ſonant, ap. Matthæum: Si oculus tuus ſcandalizat te erue eum &c. Et, Niſi quis renunciaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. 437
CAP. IV. De Dicto Chriſti: Bibite ex hoc omnes. An præceptive & obligative ſit dictum? 439
CAP. V. An Chriſtus, dum in ſacra cœna inſtituit ſacramentum, utramque ſpeciem ſolis ſacerdotibus an & laicis dederit. 443
CAP. VI. An Maria adfuerit in Sacra Chriſti cœna? 448
CAP. VII. De Dicto Actor. 2. Erant perſeverantes in doctrina Apoſtolorum & communicatione fractionis panis & orationibus. 451
CAP. VIII. De Septuaginta Diſcipulis Chriſti, an illi ſub utraque ſpecie communicaverint? 453
CAP. IX. An verba Chriſti, Bibite ex hoc omnes, collective an diſtributive debeant intelligi? [illegible]
CAP. X. De hoſpite domus, in qua Chriſtus cœnavit, an [illegible] 45[illegible]
CAP. XI. An ſub una ſpecie panis ſumatur ſimul corpus & ſanguis Chriſti. 457
CAP. XII. De loco Deut. XII, Sanguinem beſtiarum [illegible] in Altari, carnibus autem ipſe veſceris. f. 459

C. XIII.

C. XIII. An ſacerdotes pro laicis ſumant ſub utraque [illegible] Quod quis per alium facit, ipſe feciſſe putandus. 461
C. XIV. De Juda proditore, qui indigne ſacra uſus [illegible] quam ſacramentaliter frui, propter periculum [illegible] Ibid.
C. XV. Quod variis modis Chriſtiani frui poſſint [illegible] ſub una ſpecie? Ibid.
C. XVI. De ſanguine Chriſti poſt reſurrectionem corpori [illegible] & ab illo inſeparabili: An ideo cum corpore ſumatur ſanguis Chriſti?
C. XVII. De presbyteris, an ſint vicarii Chriſti, quibus ſufficiat in memoriam Paſſionis Chriſti utramque ſpeciem ſumere. Ibid.
C. XVIII. An Laici ſub una ſpecie panis æque corpus & ſangvinem accipiant ac Presbyteri? 465
C. XIX. De loco Pauli 1. *Cor. XI.* Ego accepi à Domino &c. ibid.
C. XX. De Decretalibus quid ſentiendum ſit in hoc negotio. 475
C. XXI. De Decreto Gelaſii Papæ pro communione ſub utraque ſpecie. 477
C. XXII. De Wilhelmi de Lauduno ſententia de communione utriusq ſpeciei. 479
C. XXIII. De effato Bernhardi. ibid.
C. XXIV. De Cypriani Martyris ſententia. 481
C. XXV. De Decretis, de miniſtratione vini in ſacramento. 483
C. XXVI. De mente Ambroſii. 485
C. XXVII. De Alberti Magni pronunciato. Ibid.
C. XXVIII. De communione ſacerdotali die Paraſceves ſub una ſpecie. 487
C. XXIX. An Eccleſia poſſit errare & falli. 491
C. XXX. De variis ſcrupulis, ex novitate, Judæorum offendiculo, Academiarum ſtatutis &c. Ibid.
C. XXXI. De antiquorum miſſalium teſtimonio. 493
C. XXXII. De legenda Donati, aliorumque ſanctorum. Ibid.
C. XXXIII. De Gregorii & Auguſtini Judiciis. 497
C. XXXIV. De Hieronymi conſenſu. 469
C. XXXV. De alio Cypriani loco. 501
C. XXXVI. De conſvetudine primitivæ Eccleſiæ communicandi ſub utraque. 503
C. XXXVII. De jure mutandi ritum antiquum Eccleſiæ communicandi ſub utraq;. 503
C. XXXVIII. De admittenda autoritate Eccleſiæ etiam in excommunicatione. 507
C. XXXIX. De Jacobo de Miſa excommunicato. 509
C. XXXX. De accuſata præſumtione ac temeritate Jacobi de Miſa, qui à conſvetudine cleri abeat. 511
C. XLI. De ſcrupulo objecto: Rumpi concordiam Eccleſiæ. 513
C. XLII. De remiſſa correctione plebis & Cleri: Deque libera abſolutione plebis apud Jacobum de Miſa impetrata. 515
C. XLIII. Diſputatio inter Brodam & Jacobellum de Anti-Chriſto. 517
C. XLIV. De mente Cypriani, quoad imitationem Chriſti in uſu ſacræ cœnæ. 519
C. XLV. De opinione Thomæ de Aquino de uſu S. cœnæ. Ibid.
C. XLVI. An propter periculum aliquod externum poſſit quid omitti ab inſtitutione Chriſti. 521
C. XLVII. An conſvetudo Eccleſiæ ſit mala, communicandi ſub una. 523
C. XLVIII. De periculo, ne laici [illegible] ſacerdotale ſibi vindicent. 525
C. XLIX. De intermittendis [illegible] Eccleſiæ traditionibus. 527
C. L. De Dicto Chriſti Joh. XVI. *[illegible] multa habeo vobis dicere.* 529
PARS II. De Jure mutandi antiquos Eccleſiæ ritus.
CAP. I. De vero [illegible] Patrum primitivæ Eccleſiæ aliorumque Doctorum quoad communionem ſub utraque. 531
C. II. De mutatione [illegible] ritu, poſt cœnam & feria quinta communicandi. 531
C. III. De Jure Eccleſiæ, mutandi ritum communicandi, ita ut aqua paſſim admiſceretur vino. 535

C. IV.

C.IV. De jure Eccleſiæ, mutandi aut abolendi ritum circumciſionis antiqvum, nec non circumſtantias temporis in celebratione Paſchatis. 539
C.V. De Jure Eccleſiæ mutandi communionem ſub utraque. Ibid.
C.VI. De Jure Eccleſiæ, traditiones veteres mutandi. Ibid.
C.VII. An ſufficiat plebi, ſub una ſpecie panis corpus Chriſti ſacramentaliter ediſſe, ſanguinem ſpiritualiter bibiſſe? 541
C.VIII. An ob metum periculi primævus communicandi modus ſit mutandus? 543
C.IX. An altera ſpecies, nempe vini, plebi potuerit ſubtrahi ob metum contemtus ſacramenti? Ibid.
C.X. Eccleſiæ non eſſe jus mutandi primævas conſtitutiones ſacras. Ibid.
C.XI. Communionem ſub utraque, eſſe Chriſti inſtitutionem & Eccleſiæ antiquæ obſervantiam, eamque haud eſſe mutandam. 547
C.XII. De Judicio Thomæ de Aquino, propter effuſionis periculum plebem arceri à calice. Ibid.
C.XIII. De periculo effuſionis & erroris, à Bonaventura jactato pro calice plebi ſubtrahendo. 551
C.XIV. De Hieronymi ſententia quoad communionem calicis. 553
C.XV. De Lyra [illegible] de calice. 555
C.XVI. De ſenſu verborum Pauli 2.Cor.13. Cætera cum venero, diſponam. Ibid.
C.XVII. De alio Lyræ cantu. ibid.
C.XVIII. De variis cauſis ſublati calicis, maxime priſtino religionis ardore extincto. 557
C.XIX. De Calice plebi olim dato & dando ob perſecutiones & martyria. 559
C.XX. De calice plebi ſubducto, ut carius haberetur ſacramentum. ib.
C.XXI. De variis periculis, & obſtaculis, propter quæ calix negatus. 561
C.XXII. Ex quo ſpiritu aut qua revelatione autor Jacobus hanc doctrinam de communione ſub utraque hauſerit. 567
C.XXIII. Repetita diſputatio de ſenſu locorum Joh.vi. Niſi manducaveritis &c. Et, Bibite ex hoc omnes. Et 1.Cor.2. Probet ſe homo &c.
C.XXIV. Repetita diſputatio de Jure Eccleſiæ, mutandi varias Cœnæ S. circumſtantias, exemplo Moſis, circumciſionem populi in deſerto plane omittentis. 571
C.XXV. De minis Brodæ contra Jacobum de Miſa, tanquam contemtorem conſvetudinum Eccleſiaſticarum. 575
C.XXVI. Excuſatio Autoris, quod autoritatem ſcholaſticorum recentiorum repudiet, & ſcripturæ ſacræ & antiquis Patribus inhæreat.
C.XXVII. Brevis delineatio ſententiæ Doctoris Brodæ de communione plebis ſub una ſpecie, cum brevi reſutatione. 579
C.XXVIII. Summaria commendatio communicationis laicalis ſub utraq; ſpecie.
C.XXIX. Plebem à ſacerdotibus eſſe invitandam ad communicandum ſub utraq;.
C.XXX. Concluſio cum obteſtatione Autoris. 585

PARS XVII.

Theologorum Conſtantienſis Concilii Concluſiones contra Jacobum de Miſa & ejus doctrinam De communione Plebis ſub utraque ſpecie. *Ao.1415 menſe Junio* [illegible] poſt varios congreſſus privatos proditæ. Ex quibus definitiva & condemnatoria illius ſententia in Concilio mox eſt deſumpta & die Sabbati 15. Junii in publica ſeſſione promulgata. Ex *MSCto Academiæ Helmſtadienſis.*

C.I. Sex Concluſiones Theologorum Conſtantienſis Concilii de Sacram. Cœnæ. 586
C.II. Probatio ſuperiorum ſex Concluſionum. 588
C.III. Examinata Argumenta, pro communione ſub utraq; à Jacobello adveсta. 590

PARS XVIII.

Jacobi de Miſa Apologia pro communione Plebis ſub utraq; ſpecie, contra publicum Conſtantienſis Concilii decretum condemnatorium, d. 15. Junii A. 1415. ſolemniter publicatum. *Ex antiquiſſimo Codice MSCto Academiæ Lipſienſis.*

C.I. Contra primam Concluſionem Doctorum Conſtantienſium [illegible]

C. II. Ad ſecundam Concluſionem. 596
C. III. Ad Tertiam Concluſionem. [illegible]
C. VI. Ad Quartam Concluſionem. 609
C. V. Ad Quintam Concluſionem. [illegible]
C. VI. Ad ſextam Concluſionem. 623
C. VII. De loco controverſo *Joh. VI. Niſi manducaveritis carnem filii hominis* [illegible]
C. VIII. De loco Pauli 1. *Cor. XI. Dominus Jeſus, in qua nocte tradebatur accepit panem* [illegible]
C. IX. De effato Gelaſii Papæ, communionem ſub una referre ſacrilegii ſpeciem. 637
C. X. Invectiva in Conſtantienſe Concilium ob reformationis jactantiam. Et de decretis ac conſtitutionibus ejus in genere. 643
C. XI. Ad decretum Conſtantienſis Concilii, contra communionem ſub utraque & contra Jacobellum A. 1415. die xv. menſis Junii publicatum. 646

PARS XIX.

Anonymi Theologi Tractatus tres, Ao. 1415. ſub Conſtantienſi Concilio *contra Jacobum de Miſa* Bohemum, & ſpeciatim contra doctrinam ab illo tunc reſuſcitatam de communione Laicorum ſub utraque ſpecie, editi. Ex *antiquiſſimo Codice MSto Cæſareo Vindobonenſi.*

Tractatus Generalis ac Præliminaris. De variis dogmatibus Jacobi de Miſa & aſſeclarum ejus Bohemorum, nec non Wicleſiſtarum illius temporis.
CAP. I. Invectiva in Jacobum de Miſa ob communionem ſub utraque, in Bohemia tunc per illum introductam. 658
CAP. II. De ſententia Jacobi de Miſa, Eccleſiam ad primævam formam eſſe reducendam. 664
C. III. Longa deſcriptio Wicleſiſtarum & Bohemorum illius temporis, ex *Reinheri*, ordinis Prædicatorum celebris Theologi, *libro, De erroribus hæreticorum.* Ib.
C. IV. Succincta reſponſio ad ſingula ſuperiora dogmata. 672
C. V. Plenior diſſertatio de Indulgentiis. 686

Tractatus ſpecialis I. Generalia momenta ac fundamenta pro explicanda doctrina communionis ſub una.
C. I. De Sacramento Panis & vini in genere. 692
C. II. De primitiva Eccleſia. 694
C. III. De catholica Eccleſia. ibid.
C. IV. De Romana Eccleſia. Ib.
C. V. Quomodo conveniant & differant Romana & Catholica Eccleſia. 695
C. VI. An Papa ſub ratione peccati poſſit facere decreta & conſtitutiones? 697
C. VII. Cujus momenti ſint Decreta & Decretales. 698
C. VIII. An ſacramentum corporis Chriſti ſit ſacramentum neceſſarium, ut ſine eo nemo ſalvari poſſit? 699. ſeqq.
C. IX. An communio plebis ſub utraq; ſit præceptum Chriſti & articulus fidei. 703. ſeqq.
C. X. An Communio ſub utraque à Chriſto inſtituta, pro ſolis ſacerdotibus ſit inſtituta, an etiam pro plebe. 704
C. XI. Num diſcipuli Chriſti in S. cœna totum Chriſtianorum cœtum præſentaverint? 707
C. XII. An ſacramentum corporis & ſangvinis Chriſti poſſit dividi? 710
C. XIII. An committant ſacrilegium, qui plebi non dant ſanguinem Chriſti ſub vino. 712
C. XIV. Utrum eundem cibum ſimul edere & libere quis poſſit? 713.
C. XV. An Communio ſub utraque poſſit introduci ad exemplum primitivæ Eccleſiæ. f. 714.
C. XVI. An Eccleſia poſſit mutare ritus primitivæ Eccleſiæ, pro Communione ſub utraque ſubſtituendo Communionem ſub una. f. 716.
C. XVII. De Communione infantum poſt baptiſmum. f. 717.

Tractatus ſpecialis II.
[illegible] pro Communione laicorum ſub una ſpecie. f. 720.
C. I. [illegible] ab autoritate & longa Eccleſiæ conſuetudine. f. 722.
C. II. [illegible] ab autoritate & conſuetudine Eccleſiæ, confirmatum de[illegible] rationibus. f. [illegible] ſeqq.

C. III.

C. III. [illegible] Communicandi ſub una in V. T. [illegible] f. 728.
C. IV. [illegible] Teſt. pro Communione ſub una. f. 730.
C. V. [illegible] Jacobo de Miſa, ob invectam communionem laicalem ſub utraque ſpecie. f. 73[illegible].
C. VI. De teſtimoniis Patrum & Doctorum pro communione ſub una. f. 73[illegible].
C. VII. [illegible] Doctores, probando Communionem ſub una. f. 739.
C. VIII. De [illegible] Canonicis pro Communione ſub una. f. 74[illegible].
Tractatus Specialis III.
Qui examinat argumenta Jacobi de Miſa pro Comunione ſub utraque allata. f. 742.
C. I. Quod ſacramentum panis & vini ſit unum idemque. Et cur nihilominus Sacerdotes ſub duplici ſpecie accipiant. f. 742.
C. II. De ſenſu dicti Joh. VI. Niſi manducaveritis &c. f. 744. ſeqq.
C. III. De ſenſu loci 1. Cor. XI. Quod accepi à Domino &c. f. 750. ſeqq.
C. IV. Examinata argumenta pro Communione ſub utraque tunc allata. f. 75[illegible].
C. V. [illegible] teſtimonia Patrum, pro communione ſub utraque à Jacobello [illegible].

PARS. XX.

[illegible] Pragenſis Conſeſſ. A. 1417. d. 1[illegible]. Martii ſub Conſtantienſi Concilio edita, De communione ſub utraque, pridie inter illos per Jacobellum reſuſcitata. f. 762.
Gerſon. Conſilium publicum, Conſtantiæ, juſſu Concilii A. 1417. Theologis datum, Cauſam Jacobi de Miſa & Bohemorum, quoad Communionis laicorum ſub utraque ſpecie neceſſitatem, uberius diſcutiendi.
C. I. Decem Regulæ generales, De autoritate Scripturæ & illam interpretandi jure. f. 766. ſeqq.
C. II. Decem regulæ ſpeciales, pro expugnanda doctrina Bohemorum ſub Conſtantienſi Concilio prodita, de laicorum communicatione facienda de neceſſitate ſalutis ſub utraque ſpecie. f. 772. 779.

PARS XXI.

Mauritii de Praga, in Academia Pragenſi Prof. Theologi, in Conſtantienſi Concilio præſentis, Tractatus I. *contra Jacobum de Miſa*, De communione corporis & ſanguinis Chriſti. Juſſu & autoritate Concilii Conſt. ſcriptus, & [illegible] Conſtantienſi Concilio, A. 1417. d. 8. Dec. Ex antiquiſſimis *Codicibus MSCtis, Cæſareo Vindobonenſi ac Electorali Berolinenſi.*
Præfatio. Officium, in Concilio contra Jacobum de Miſa ſcribendi, per Conſtantienſe Concilium autori eſſe demandatum. f. 780. ſeqq.
C. I. De autoritate Eccleſiaſtica, & obedientia Eccleſiaſticis debita. f. 784.
C. II. Doctrinam Eccleſiæ univerſalis tenendam eſſe in fide & moribus. f. 785.
C. III. Eccleſiam non peccaſſe, dum calicem ſubtraxerit. f. 786.
C. IV. Eccleſiam habuiſſe jus communionem calicis tollendi. f. 78[illegible].
C. V. Romanam Eccleſiam eſſe audiendam, quæ conſuetudinem communicandi ſub una obſervaverit. f. 788.
C. VI. Conciliorum decreta eſſe ſervanda, quibus jam olim uſus calicis interdictus. f. 7[illegible].
C. VII. Quod in primitiva Eccleſia laicis fuerit conceſſa communio calicis in memoriam martyrii, quotidie illis imminentis. Quo fine [illegible], ſublata quoque ſit inter laicos communio calicis. f. 79[illegible].
C. VIII. Concilium Conſtantienſe habuiſſe jus, uſum [illegible] confirmandi. f. 793.
C. IX. De fide laicorum, ſub una ſpecie eſſe verum corpus & verum ſanguinem Chriſti. f. 794.
C. X. De Sacramenti illius integritate ſub una ſpecie. f. 79[illegible].
C. XI. De variis figuris & ſymbolis, quæ eruditiores ſub [illegible] ſpecie in Euchariſtia conſiderare poſſint. f. 796.
C. XII. Laicis ſymbolicas illas conſiderationes duplicis ſpeciei in Sacramento non competere. f. 79[illegible].
C. XIII. Laicorum eſſe [illegible] ritumve à clero [illegible] ſuſcipere. f. 799.

C. XIV. De ſenſu illius dicti, Niſi manducaveritis carnem & biberitis ſanguinem &c. f. 800.
C. XV. De Conſtantienſis Concilii autoritate damnandi ſententiam de Communione ſub utraque f. 801.
C. XVI. Laicos uti hoc ſacramento, non ex obligatione divina, ſed ſolum inſtituto Clericorum ac Conciliorum. f. 802.

PARS XXII.

Mauritii de Praga, Prof. Theol. Conſtantiæ præſentis, Tractatus II. *contra librum Jacobi de Miſa* De Communicatione calicis in plebe Chriſtiana. In Conſt. Concilio publica illius autoritate ſcriptus atque publicatus. Ex antiquiſſimo *Codice MSC. Caſareo Vindobonenſi.*

Liber I. *Jacobi de Miſa* Demonſtratio per teſtimonia ſcripturæ, Patrum atque Doctorum, Communicationem calicis in plebe Chriſtiana eſſe neceſſariam.
C. I. Dicta ſcripturæ, pro communione calicis in plebe Chriſtiana, à Jacobello propoſita. f. 820.
C. II. Teſtimonia Patrum pro Communione laicali ſub utraque f. 807. ſeqq. usq; ad 820.
C. III. Concluſiones Jacobelli De neceſſaria communicatione plebis ſub utraque ſpecie. f. 821.
C. IV. Quod autoritas Scripturæ præferenda ſit conſuetudini. f. 823.
Liber II. *Mauritii de Praga* Reſponſio ad illam Demonſtrationem Jacobi de Miſa De Communione laicali ſub una. In Conſt. Concilio publica illius autoritate edita.
C. I. Præliminaris reſponſio ad ſuperiores Jacobelli concluſiones de neceſſitate communionis laicalis ſub utraque. f. 827.
C. II. Reſponſio ad dicta Scripturæ à Jacobello advecta. f. 828.
C. III. Reſponſio generalis ad teſtimonia Patrum à Jacobello adducta. f. 850.
C. IV. Reſponſio ſpecialis ad dicta Patrum. f. 851.
C. V. Specialis Reſponſio ad duas Jacobelli concluſiones de uſu calicis. f. 874.
C. VI. Longa Vindicatio conſuetudinis Eccleſiaſticæ communicandi ſub una, contra Jacobellum, conſuetudinis illius cenſorem. f. 877.

PARS XXIII.

Jacobi de Miſa, Bohemi, opus De vera exiſtentia corporis & ſanguinis Chriſti in S. cœna: Sub Conſt. Concilio ſcriptum. Ex MSC. Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis.

C. I. Propoſitio, An verum Chriſti corpus & verus ſanguis exiſtant in S. cœna? Sententia negativa aliorum. f. 884.
C. II. Jacobelli ſententia affirmativa. f. 885.
C. III. Sex hypotheſes, quibus nixa affirmativa Jacobelli ſententia. 886.
C. IV. Teſtimonia Scripturæ, pro probanda exiſtentia corporis Chriſti in S. cœna à Jacobello allata. f. 897.
C. V. Teſtimonia Patrum pro exiſtentia veri corporis Chriſti in S. cœna. 899.
C. VI. De adoratione corporis Chriſti in Sacramento. f. 917.
C. VII. Concluſiones pro dignitate hujus ſacramenti & contra negantes exiſtentiam corporis Chriſti in ſacramento. f. 920.
C. VIII. De digna præparatione ad uſum hujus ſacramenti.
C. IX. De idoneis ſacerdotibus hoc ſacramentum adminiſtraturis. f. 923.
C. X. De ſententia Wiclefi, quoad exiſtentiam corporis Chriſti in Sacramento, f. 924
C. XI. De officio ſacerdotum erga plebem ſacra uſuram cœna. f. 927.
C. XII. Reſponſio ad argumentum ſententiæ negativæ. f. 929.
C. XIII. De variis formulis eruditorum illius temporis, exiſtentiam corporis Chriſti in ſacramento negantium. f. 930.
C. XIV. Jacobi de Miſa obteſtatio ad lectorem de animi ſui integritate ac ſcopo in hac materia tractanda, f. 931.

F I N I S.

TOMI III. PARTES XXII.

RES CONSTANTIENSES

HUSSI, Bohemi, JOHANNIS PARVI, Galli,
CRUCIFERORUM de Pruſſia, BRIGITTÆ, Sveonis,
RECANTANTIUM IN REBUS FIDEI,
HIERONYMI, Pragenſis,
CALENDARIOGRAPHORUM ECCLESIASTICORUM,
CRUCIFRATRUM,
MONACHORUM AC MONIALIUM,
WICLEFI, Angli,
& præcipue JACOBI de MISA, Bohemi.

A primo Conſtantienſis Concilii principio, usq; ad illius finem à Patribus & Doctoribus illius ultro citroque ventilatæ.

FELICISSIMIS AUSPICIIS
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DN. RUDOLPHI AUGUSTI
BRUNSVIC. AC LUNÆBURG. DUCIS &c.

Ex antiquiſſimis Codicibus MSCtis
CÆSAREIS VINDOBONENSIBUS
aliisq; pluribus eruta ac recenſita ab
HERMANNO von der Hardt.



FRANCOFURTI ET LIPSIÆ
IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.
Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1698.

Digitized by Google

JOHANNES GERSON
Gallorum ad Conſtantienſe Concilium Legatus

In Sermone publico, Conſtantiæ in Concilio A. 1415. *proximè à fuga Johannis Papæ* 23. *habito.*

ECce, Patres Orthodoxi, quod ad hocipſum, ut glorificetur Deus & illuſtretur Eccleſia, nunc celeberrima Pariſienſis univerſitas, cultrix & amatrix eorum omnium, quæ Chriſtianæ religionis pietatem, quæ ſanam doctrinam reſpiciunt, ipſa ad exemplar Chriſtianisſimi Regis Francorum, Patris ſui dignantiſſimi, legationem mittit, quærens

Primo, ea quæ Pacis ſunt (*De quibus ſupra Tomo II.*)

Secundo, quæ Fidei ſunt (*De quibus hoc Tomo III.*)

denique *tertio*, quæ Virtutis & Eccleſiaſticæ ſunt Libertatis. [*De quibus ſupra Tomo I.*]

Quoniam ad hæc tria principaliter Synodus hæc ſacra tendit.

Digitized by Google

ÆQVO ET BENIGNO LECTORI S.

TERTIUM Conſtantienſis Concilii negotium, *tertio hoc Tomo* ſiſtendum, ſacras Eccleſiaſticorum concernit res ac recondita *religionis momenta*, de quibus vel ſcrupuli *ante Concilium* in Eccleſia erant quibusdam ſubnati, vel *ſub ipſa Concilii celebritate* ſuboriebantur. Has itaque de rebus fidei aut religionis, juribus ritibusve ſacris, Eccleſiaſticorum contentiones, Doctores atque Patres Concilii ſuo examini ſuæq; definitioni relictas eſſe judicarunt. Hinc eruditorum virorum, ex omni parte, in Concilio *congreſſus* frequentes, *cenſuræ* variæ, *judicia* diverſa, *accuſationes* multiplices, *reſponſiones* numeroſæ, *ſcriptaque* nec pauca nec exigua de iſtis religionis momentis, vel ad impugnandas vel defendendas ſententias prodita. Ex quibus tandem judiciis, cenſuris, nec non Theologorum aliorumq; concluſionibus, decreta Concilii publica vel formari debuerunt, vel & condita quædam ac publicata ſunt.

Ceterum *Concilii Decreta* de his quoque religioſis dogmatibus in *Actorum Decretorumq; corpore* ſuperſunt quidem, ut ex ſequenti *Tomo IV.* conſtabit: Aſt *fundamenta, & occaſiones decretorum*, in quolibet argumento, vix ac ne vix quidem ex decretis hodie perviderі queunt, quanto minus ob prolixitatem addi aut commemorari olim potuerunt. Siquidem *integra ſcripta, decretis præeuntia*, longa conſilia, argumentorum molem, numerum atque pondus, decretis jungere, nec

re, nec communis uſus nec ſcopus tunc admiſit. Quandoquidem igitur, poſt tot ſeculorum lapſum, decreta Concilii de rebus ſacris religionisque momentis intelligi apte aut plene non poſſe deprehenſum, absque *fundamentis* illorum & proximis remotisve *occaſionibus*, tunc ſubminiſtratis, absque *monumentis* inquam illis *literariis* : *Præcipua* illorum *antiquorum monumentorum, quæ in Concilio* vel *ſub Concilio* illis de rebus edita, ex tenebris in lucem proferre oportuit. Qui demum *commentarius* fuerit vel *in* plerasque vel *præcipuas* harum rerum *definitiones in Concilio factas*.

Neque verò omnia hic cumulare decuit. Apportanda huc tantum fuerunt DUCIS juſſu ſelecta, quæ vel rariora editisque longe emendatiora, vel nunquam his ſeculis in publica luce fuiſſent viſa. Cetera, vel aliunde repetet ſolers & antiquas rés cognoſcendi cupidus lector, vel, quæ ob nimiam molem *ab his Tomis excludere* tantisper oportuit nobiliora alia argumenta hactenus inedita, alio tempore à nobis expectabit. De quibus ſigillatim rationem in *Prolegomenis hujus Tomi* redditam meminerit cenſor æqvus.

Age ergo, bone Lector, de difficili hoc *ſepultas opes effodiendi* labore benigne judica, Optimi DUCIS animæ, pro hoc quoque impenſo in publicam rem literariam Eccleſiæque lucem ſtudio, bene precare, & eruditæ poſteritatis commenda fidei atque virtuti, ut CHRISTIANUM PRINCIPEM in hoc quoque ſalutari conſilio atque memorabili facinore feliciter æmulentur.

***

TOMI III. PARS I.

DE REBUS HUSSI.

DIffuſius negotium Huſſi, & ampliores ejus controverſiæ, in Conſtantienſi Concilio ventilatæ, ac ab ipſo Huſſo variis ſcriptis atq; literis ibidem proditæ, quam ut breves hujus Tomi nobisque in hoc opere indulti temporis cancelli capiant. Quapropter in *Prolegomenis* illarum rerum rationem lectori dedimus, deſignatis variis *antiquis ſcriptis* ad hoc negotium pertinentibus. Finem hic ſuffecerit notaſſe, in Concilio Conſtantienſi non tam controverſiis ac litibus illis ſacris, quàm litis autori vel præſidi impoſitum. Sed in hoc fine, *initium & anſam litium illarum ſacrarum ex trium Pontificum inter ſe diſſidentium litigiis* repetiit Orator & ſupplicii Huſſitici publicus in Concilio nuntius, *Epiſcopus Laudenſis.* Quocum plane conſenſere alii Viri illuſtres illius ætatis in Concilio præſentes. Quorum ſententiam videre licebit ſupra *Tomo I. Parte VII. Cap. XXIIX. & XXIX. f.306. ſeqq.* Audiatur ergo

JACOBI, Epiſcopi Laudenſis,
ſolennis ORATIO
IN SUPPLICIUM HUSSI
Coram Cæſare SIGISMUNDO ac toto Concilio, *in publica ſeſſione, A. 1415. Sabbato, die 6. Julii, habita,*
De immenſo damno ex trium Pontificum diſſidiis in Eccleſia ſuborto.

Ex antiquiſſimis Codicibus MSctis
CÆSAREO VINDOBONENSI, *Parte IV. Act. C.C. f. 85.*
& DUCALI BRUNSVICENSI, *Act. C.C. f. 85.*

In nomine Patris, & filii & Spiritus S.

DIvini ac ſummi præſidii ſupplici invocatione confiſus, *Sereniſſime Princeps, Chriſtianiſſimeque Auguſte, præſtantiſſimi quoque Patres & Domini, reverendi Præſules & Prælati, egregii Doctores & Magiſtri, Illuſtriſſimi etiam Duces, excelſi Comites, Magnifici Proceres & Barones, ceteriq; viri & Domini meritò memorandi:* Ut meæ mentis conceptum eloquium tàm ſacratiſſimo (ſacro) cœtui clarius innoteſcat, dicendorum occurrit principio proponendum illud, quod legitur in *epiſtola proximioris Dominicæ*, viddlicet: *Deſtruatur corpus peccati*, ſcribitur ad *Rom. VI. c.* & habetur in *epiſtola Dominicali.*

Quàm damnoſum, quàm periculoſum, quamque incautum videatur *parvis* (perverſis) *non obſtare principiis*, ex dictis claret Philoſophorum Principis *Ariſtotelis*, qui ait *in libro de cœlo & mundo: Parvus error in principio, maximus eſt in fine.* Damnabilius autem apparet, ubi periculoſius eſt erraſſe, & difficilius eſt corrigere. Unde quod comprimendi ſint hæretici, aut hæreſes, & *errores in ſuis primordiis extirpandi*, nos docet inclytus Doctor *Hieronymus* in *libro de Expoſitione Catholicæ fidei*, ita dicens: *Reſecandæ ſunt putridæ carnes à corpore, ne totum corpus intereat, vel putreſcat. Scabioſa ovis repellenda eſt ab aliis, ne totus grex pereat. Parvus removendus ignis eſt à domo, ne tota ardeat.* Arrius in Alexandria parva ſcintilla fuit, ſed quoniam non ſtatim oppreſſa fuit, pene totum mundum ejus flamma depopulata eſt.

Certè non minus malus, quàm Arrius, ſed multò pejor etiam quam Sabellius, qui fidem Catholicam, Chriſti fundatam ſanguine, triumphis victorioſiſſimis

ſimis martyrum defenſatam, & tantis tamque præclaris ſanctorum doctrinis illuminatam, præſumit ſuis pravis atq; perverſis cogitationibns, aut phantaſticis adinventionibus denigrare. Talibus ergo oportet reſiſtere. Tales ergo hæreticos neceſſe eſt comprimere & damnare.

Unde reſpectu cujuslibet talis hæretici obſtinati propoſui, quod deſtruendum eſt corpus peccati.

Circa quod conſiderandum, juxta patrum ſacras traditiones, quod aliqua ſunt peccata ſibi invicem contraria, ſeu adverſa: Aliqua ſibi invicem ſunt connexa: Aliqua ſunt aliorum, ut rami & membra: Aliqua ſunt aliorum, ut radices & capita: Quædam verò ſunt ceterorum, ut congeries, ſeu corpora. Inter quæ ſunt illa peſſima cenſenda, à quibus pejora oriuntur, vel plura.

Unde quanquam rectæ rationis conſilio cuncta ſunt *crimina* noſtris niſibus deteſtanda, potiſſime tamen illa, quæ *capitis* vel *radicis*, aut *totius* in ſe vires probantur *corporis* continere. Quoniam certè quantò in illis major viget & efficacior ad nocendum perverſio, tantò quidem ſunt celerius & cautius antidoti opportunis&cauterii remediis extirpanda & penitus exſtinguenda.

Cum verò inter cuncta peccata non minus, imò majus appareat *ſcelus execrabilis ſchismatis inveterati*, ideò etiam hujusmodi reſpectu præmiſi: *Deſtruatur corpus peccati.* Nam ex longa diuturnitate continuati ſchismatis ortæ inter fideles perdurant acerbiſſimæ diſſenſiones, creverunt abominabiles ſimoniæ, hæreſium & errorum multiplicatæ ſunt ruinæ, creverunt confuſiones totius cleri,&multipliciter pullularunt opprobria populi Chriſtiani. Et certè,non mirum. Quia iſtud execrabile *ſchisma* eſt velut corpus & congeries totius deſolationis fidei orthodoxæ. Quid namq; juſtum, rectumve aut ſanctum eſſe potuit, ubi *ſchisma* tam peſtiferum tanto tempore locum oppreſſit? Quia, ut ait *Bernhardus, ſicut in unitate & pace fidelium factus eſt locus Domini; Ita in ſchismate & diſſenſione Chriſtianorum locum fieri diabolo, manifeſtum eſt.*

Nonne *ſchisma* eſt origo ſubverſionis, fovea hæreſium, & nutrimentum omnium ſcandalorum? Unitatis namq; & pacis truncato fœdere, litibus & vitiis liberum indulgetur arbitrium. Ad prædam cupiditas extruditur. Injuriandi libido diffunditur. Facilitas cædibus aperitur. Jus omne de medio tollitur. Patitur eccleſiaſtica libertas injuriam. Et inducit ſchismatis calamitas ſervitutes. Imperant enſes & lanceæ. Dominantur oppreſſiones & impetus. Et, unitatis proſcriptâ concordiâ, omnis religionis& ſanctitatis relegantur edicta.

Conſiderate, clementiſſimi Domini, *durante hoc peſtifero ſchismate*, quot apparuerunt hæreſes? Quot impunes remanſerunt hæretici? Quot fuerunt diruptæ & ſpoliatæ eccleſiæ? Quot oppreſſæ urbes? Quot dilapſæ religiones? Quot evenerunt confuſiones in Clero? Et quot ſtrages in populo Chriſtiano? Attendite quæſo Dei eccleſiam, Chriſti ſponſam, fidelium matrem; quantum dietim ſit data contemptui. Quis jam claves veneratur eccleſiæ? Quis cenſuras formidat? Quis immunitates defendit? Imo verius, quis non offendit? Quis non invadit? Quis eſt, qui non audeat violentas manus opponere in patrimonium Jeſu Chriſti? Diripiuntur & diſſipantur Salvatoris & martyrum ſacratiſſimo ſanguine parta bona clericorum, pauperum, & peregrinorum viatica.

Circumſpicite, *abominationem deſolationis illatam eſſe in templo Domini*, in deſtructionem fidei & confuſionem populi Chriſtiani, in excidium ovilis Dominici & totius ſortis piiſſimi redemptoris. Gravior eſt hæc jactura, quàm fuit in Chriſti martyres crudelis perſecutio tyrannorum. Quia illi perimebant corpora. Sed in ſchismtae perimuntur animæ. Ibi humanus effundebatur ſanguis, ſed in ſchismate orthodoxa confunditur fides. Illa perſecutio fuit multis ſalus: Iſtud ſchisma fuit multis interitus. Tyrannis ſævientibus fides crevit; Sed in ſchismate fides periit. Sub tyrannica rabie aucta eſt primitiva Eccleſia: Sed in ſchismate catholica fides eſt confuſa. Tyranni peccabant ignoran-

tes;

Digitized by Google

tes;Sed in ſchismate multi peccant pertinaciter & ſcienter. Sub tyrannis creſcebant juſti ad palmam&coronam;Sub ſchismate creverunt hæretici, ſchismatici, (*in Brunsv. MSC.* Simoniaci) & hypocritæ,ad fraudem eccleſiæ& ruinam. Sub tyrannis augebantur ſanctorum merita; Sub ſchismate aucta ſunt ſcelera atque flagitia.

Nonne *iſto execrabili ſchismate procurante* facta eſt Chriſtianis veritas inimica, fides adverſa, charitas exoſa, ſpes perdita, juſtitia contraria, fortitudo non niſi ad crimina, temperantia ſimulata, prudentia ſubdola, humilitas ficta, æquitas falſa, patientia nulla, conſcientia prava, intentio perverſa, devotio fatua, manſuetudo abjecta, religio ſpreta, diligentia neglecta, pertinax contumacia, obedientia nulla, & infamis vita.

Quanta itaque amaritudine eccleſia eſt repleta, dum eam tyranni opprimunt, hæretici invadunt, Simoniaci ſpoliant, & ſchismatici lacerant? O dejectum laceſſitumque populumChriſtianum, tam *indurato ſchismate jam quaſi annis XL* offenſum & labefactatum! OChriſti naviculam errabundam,tanto tempore nunc in ſyrtibus (fretibus) nunc hærentem in ſcopulis, nunc altis adverſisq; tempeſtatibus actam! O Petri cymba, ſi te mergi ſineret pater pius! In quæ pericula piratæ impii te traxerunt! Quibus in rupibus te locarunt! O piiſſimi Chriſtiani, quæ fidelis devotio ſuper tanto excidio non provocetur ad lacrymas! Quæ recta conſcientia fletus poterit continere?

Quia *effuſa eſt contentio ſuper principes eccleſiaſticos, qui nos errare fecerunt in invio*, & non in via. Quia viam unitatis & pacis non invenerunt, imó verius invenire noluerunt.

Unde creverunt hæreſes & confuſiones in grege Petri & ovili Dominico. Ad hoc extirpandum multi laboraverunt Reges,Principes&Prælati,qui tàm ſalubre tamque opus neceſſarium perficere minimè potuerunt.

Unde, *Rex Chriſtaniſſime*,te glorioſus iſte expectavit triumphus, tibi iſta debetur pepetua corona, & feliciſſima perpetuis temporibus celebranda victoria, ut *reſarcias laceratam eccleſiam, ſchisma tàm inveteratum ſubmoveas, ſimoniacos compeſcas*, & exſtirpes hæreticos. Nonne vides, quanta erit iſta perpetua fama & celebris gloria? Quidnam poteſt eſſe juſtius, quid ſanctius, quid opportunius,quid deniqueDeo acceptius, quàm *ſchisma nefarium exſtirpare, libertati priſtina eccleſiam reſtituere, ſimonias extinguere, ac hæreſes & errores de grege fidelium deſtruere & damnare*. Certè nulla res melior, nulla ſanctior, nulla toti orbi convenientior, nulla denique Deo acceptior eſſe poteſt.

Ad hoc tam ſanctum, tam pium perficiendum opus, fuiſti electus à Domino, prius deputatus in cœlo, quàm electus in terra. Prius cœlici te conſtituerunt principes,quàmImperiiElectores. Et præcipue ut hæreſes & errores, *quos in præſenti damnatos habemus præ manibus*, Imperiali framea deſtrueres & damnares. Ad tam ſanctum opus perficiendum contulit tibi Deus divinæ veritatis ſapientiam, regiæ Majeſtatis potentiam, & rectæ æquitatis juſtitiam. Unde inquit altiſſimus *Jeremiæ* I. *Ecce, dedi verba mea in ore tuo, ſapientiam* infundendo, *& poſui te ſuper gentes & regna*, potentiam conferendo, *ut evellas & deſtruas*, juſtitiam exercendo. Deſtruas namque hæreſes & errores. Et præcipuè *hunc hæreticum obſtinatum*, quo malignante,plura mundi loca peſte hæreticâ ſunt infecta, & ejus occaſione deſtructa quam plurima. Sacer hic labor tibi, Princeps glorioſe,relictus eſt. Tibi magis incumbit, cui datus eſt juſtitiæ Principatus. Unde ex ore infantium & lactantium tibi (orbi) laudes celebrantur perpetuæ, ut Catholicæ fidei inimicos deſtruas & ultores. Quod feliciter proſpereq; tibi dignetur concedere Jeſus Chriſtus, qui eſt benedictus. Amen.

Explicit Collatio facta per Magiſtrum Jacobum Epiſcopum Landenſem & Magiſtrum Sacri Palatii in condemnatione Johannis Hus hæretici, coram Sereniſſimo Imperatore & ſacro Conſtantienſi Concilio, Anno Domini M CCCC XV. die Sabbati, VI. Julii. *Subſcriptio in MSC. Brunsv. obvia.*

TOMI III. PARS II.

De Rebus Johannis Parvi & Cruciferorum.

QUo die Huſſus capitis condemnat', eodẽ plane, & in ipſo illo publico Concilii conſeſſu, *damnata doctrina Johannis Parvi*, Theologi olim Pariſienſis, nuper defuncti, ſed in aſſeclis ipſoque Burgundiæ Duce tunc viventis, *de Tyrannis à quolibet ſubdito aut vaſallo quavis arte impune interficiendis.* Quæ *Theologico-Politica controverſia*, *De immunitate Principum ab injuriis ſubditorum*, uti in Gallico NationaliConcilio A.1413. & ſequenti ventilata, ita & porro inGermania in Conſtantienſi Generali Concilio A. 1415. magno ſtudio *multis magnisq́ ſcriptis* eſt agitata. Verum, quod *longa* iſthæc *Acta*, ex authenticis & permultis MSCtis hauſta, quæ poſſidemus, integrum conficiant Volumen, hic locum non invenerunt. In *Prolegomenis* vero illorum plenior data idea.

Unus verò ille *dies, ſextus Julii*, non ſolùm memorabilis *Bohemi, & Galli*, gemina condemnatione, ſed & tertiâ, *Cruciferorum Prutenorum* cauſâ, condemnandâ, fuit inſignis.

Nec ſane minoris momenti nec minus ſangvinolenta *controverſia Prutenorum*, in Conſtantienſi Concilio propoſita, *de Jure, infidelium terras invadendi aut armis illos ad fidem Chriſtianam pertrahendi.*

Qua de re magni præcipue legati Poloni, *Pauli Voladimiri*, egregiam in Concilio publicatam hic exhibemus ſententiam: Qua conſcientiam armis confodere nefas eſſe pronunciavit, *Cruciferosq́ Teutonici ordinis fratres*, crucis Chriſti haud ſatis conſcios, demonſtravit, qui cruce, ferro ac cædibus ad crucem Chriſti infideles adigendos putent, atque ſub Chriſtianæ religionis umbra infidelium regiones ſuo ſubjiciant jugo. Ut autem ſumma controverſiæ Cruciferianæ conſtet, paucis hic quædam prælibanda.

Quinquennio fere ante Conſtantienſe Concilium circa annum 1410. in mutua arma ruerant Rex Poloniæ Ladislaus & Magnus Dux Lithuaniæ Witoldus, *Ordinisq́ Teutonici* ſeu *Cruciferorum in Pruſſia* ſocietas, cum ab his illi vehementer eſſent laceſſiti. Cruciferi, profeſſi non ferrum ſed verbum, hoc relicto, illud capeſſiverant. Converſioni gentilium conſecrati, everſioni gentium ſe mancipaſſe viſi, ipſi magna ſtrage ſubvertendi. Quam rem, cum fortuna iſtius belli infandaque Cruciferorum clade, cum proſecuti ſint alii, conſulere illos par erit. Nobis ſuffecerit obiter ſubindicaſſe, Cruciferos illa ætate ſub religionis ac converſionis prætextu regiones gentium ac vicinorum ſuorum occupaſſe. Idque dominium, hoc colore occupatum, à Chriſtiana benignitate & miſericordia longe fuiſſe remotum. Id quod *gens Samogitica*, illo tempore *Chriſtianum nomen indepta*, cum dolore ſuo experta. Qua ſua miſeria moti, de Prutenis illis Cruciferis, qui crucem duram diramque Samogitis impoſuerant, hi publice conqueſti. Quæ orbi Chriſtiano palam expoſita *Samogitarum de Prutenis querela* recenſita à *Theodorico à Niem*, in libro *de Privilegiis & juribus Imperii*, ſub finem. Pari ratione Rex Poloniæ Ladislaus, & Duces Lithuaniæ & Maſoviæ, publicè de irreligioſis religioſorum Cruciferorum cœptis ſunt conqueſti, non fidei & religionis ſed imperii & regionis cauſam ab illis agi monentes. Neque eſt cur hic diſſimuletur *Ladislai & Witoldi* memorabilis hac de re tunc edita *proteſtatio.*

Ladislai Regis Poloniæ & Witoldi Magni Ducis Lituaniæ, Publica querela de Cruciferis.

Ex *antiquo Codice MSC. Lipſienſi.*

JUſte Deus, judex fortis, alme ſcrutator cordium, Te invoco & imploro, ut me in pronunciatione neceſſitatum ingruentium aderrare non permittas, ſeu contra veritatem quippiam fulminare. Noſcite igitur & attendite, percipite univerſi & ſinguli, Reges, Principesq́, tam ſpirituales quam ſeculares, Comites, Barones, Nobiles, milites, communi-

tates

tates civitatum &c. & omnes qui inhabitatis terram, ſacroſanctæ fidei catholicæ profeſſores, Quomodo in factis, quæ inter Nos & fratres Cruciferos de Pruſſia ventilantur & occurrunt, per ipſos erga nos nullus penitus pietatis aſſenſus adhibeatur, ex quo pacem, ad quam ex præcepto Jeſu Chriſti Regis pacifici ſervandam fuimus obligati, in nobis dilacerant & violant, ipſam nobis prætendentes ſequeſtrare. Quamvis enim nobiſcum firmiſſimo pacis fœdere & literarum robore fuiſſent colligati, quod utique fœdus nullis prorſus occaſionibus violari ſperabatur, ipſi tamen contra fœdus hujusmodi ſic firmatum ſub colore fictæ amicitiæ innocentiam noſtram iniquis occaſionibus & confictis adinventionibus coram aliquibus Principibus & multis probis detulerunt, proditorie aſſerentes, quod temporibus noſtris & Ducis Witoldi non multum fides catholica per baptiſmum gentis noſtræ Lithuanicæ fuiſſet roborata. Quia nullus gentis noſtræ ad fidem Chriſtianam per nos fuiſſet converſus & attractus, & quod illi de fide Ruthanica, qui per nos fuere baptizati, ſub colore fidei catholicæ ſectam eorum tenerent ſecrete & occulte. Sed quia Eccleſia de occultis non judicat, ſufficit nobis puræ devotionis diligentia, quam augmento fidei catholicæ adhibemus. Si enim ſciremus tales, qui fidem tenerent palliatam, nunquam ſine pœnali vindicta ipſos dimitteremus incorreptos. Et ſi perfecta caritas maneret in cordibus Cruciferorum, aut ſi in fœdere nobiſcum facto fideliter ſtare vellent, hos quos ſciverunt aut ſciunt de noſtris à fide exorbitantes, nobis ipſos ſinceriter debuerunt indicare. Et ſi ipſos non correxiſſemus, juxta Evangelium, teſtes debuerunt aſſumere, & nos inducere ad correctionem eorundem. Et demum ſi noluiſſemus ſtare inductioni eorum, tunc primo debuerunt nunciare Eccleſiæ. Sed ipſi ordine præpoſtero, dimiſſo principio, à fine incipientes, contra Nos & Fratrem noſtrum cariſſimum Ducem Witoldum, injuſtas querelas inceperunt fulminare. Nec ſperandum eſt, quod ipſi religionem nudam & immaculatam ſectarentur, ex quo, habenas linguæ laxantes ad vaniloquia, noluerunt vera loqui. Libertate linguæ potiti elegerunt loqui adverſus nos non vera ſed iniqua. Non enim nos animadvertemus juſtificationem noſtram multiplicitate verborum oſtentare: Sed per realem efficaciam clarificare volumus noſtrarum opera factionum, imo ad ſtabiliendum rem oculis nos audacter immittere & hoc realiter oſtendere, quod cultus Chriſtianæ religionis per Neophytos noſtros in terris Lithuaniæ Chriſto duce laudabiliter exercetur. Quia ibidem de gratia Dei, Cathedrales & alias multas Parochiales & Conventuales ereximus Eccleſias, ipſas de bonis patrimonialibus hæreditatis perpetuo ſufficienterque dotantes. De quo quilibet certus reddi poterit, qui pro experientia habenda eaſdem partes Lithuaniæ, per nos de gentilitatis errore eductas, vellet viſitare, & ea quæ ſcribimus non aliter ſe habentia propriis oculis contueri. Sed ipſi, proh pudor, pudorem ſqualidum tegant proprium. Alieno ſibi facto pudore culpas proprias in alios transferentes, bene quidem facerent, ſi prius de propriis oculis trabem ejicerent, antequam de alienis feſtucam ejicere feſtinarent. Ipſi enim ſcientes & videntes contrarium, aſſerunt, quod pauca infra viginti annorum decurſum à tempore baptiſmi noſtri in augmento fidei catholicæ accreviſſent. Dicant ergo ex adverſo, quæ quantaque in terris Pruſſiæ per ipſos occupatis forte à ducentis annis vel ultra per eos accreverunt. Pro reſpectu eorum, quæ in terris Lithuaniæ facta ſunt, poſſent minima reputari, cum & eos quos baptizaverunt Prutenos, utique bene conſtat, ſub audientia ipſorum, quaſi ſub quodam palliato rigore, ritus gentiles minime poſtpoſuiſſe. Et revera neminem hujusmodi gentilium fideliter ad fidem invitant Catholicam, prout de Samogitis experientia teſtatur, quos ad baptiſmum allicere debuerunt, quorum nullum infra quinquennium ſemita ſua adhuc usq; licet baptiſmi gratiam plurimum affectantes ad fidem catholicam vocaverunt ſolum. Nam in eo curſu gratulantur ſui propoſiti, ut terras taliter qualiter poſſideant alienas. Unde probabili rationis colligimus argumento: Scilicet, ſi tali tamque perverſo modo cum cæteris Principibus circumibunt, quemadmodum erga nos nunc procedunt, pro certo difficulter aliquis poſſet ſubſiſtere. Nec dubium, quin inpoſterum, niſi ope Dei refrenentur, omnes Principes & dominia ipſorum ditioni taliter ſubjugabunt. Illud quoque circa diſpoſitiones eorum eſt valde doloroſum, deteſtabile, & deflendum, quod poſitionis ſuum curſum ſemper habent retrogradum, in nullis penitus cum legum inſtitutionibus & canonicis ſanctionibus concordare volentes. Hoc etenim ipſe curſus eorum non admittit, ut

 volun-

voluntas ſequatur rationem. Sed hoc prætendit potisſime, quod ratio cedat, & ſubſit ſemper imperio voluntatis. In hoc namq; ipſorum tota fundamentaliter conſiſtit intentio & voluntas, ut propria teneant, aliena rapiant aut concupiſcant, de alienis autem utilitatibus ſemper uti volunt, proprias ſingulis prohibentes. Nec in acquiſitione alienorum ordinem juris nec juſtitiæ modum attendunt, dummodo violenter valeant occupare. Et de occupatis etiam nullo modo cedere volunt, nec cuipiam juri ſeu judicio parere & ſubmitti pro eisdem. Et quicunq; pro curſu hujus ob pacis amorem virtute patientiæ ipſos ſequantur, magis horum humilitate contemta per arrogantiam pede calcare nituntur. Et quamvis itaq; in ſumma patientia virtutis Dei ipſi creatori devotionem noſtram voluiſſemus humiliter commendare, & ipſius clementiam in pacis dulcedine liberius exorare: Illud ſcriptum ſemper retinentes in conceptu, quod, in pace bene coli poteſt autor pacis, pacem cum eisdem fratribus Cruciferis conſtitueramus perpetuam atq; firmam. Per quam pacem ipſi Salvatori duplicem nos ſperabamus feciſſe ſervitutem: Quarum una in eo conſiſtit, quod cum proximis & domeſticis fidei pugna ceſſaſſet, & ſopita fuiſſet omnium materia jurgiorum. Alteram autem in hoc poſueramus ſtabilitam, quod durante pacis fœdere Chriſtianam potuiſſemus ampliare religionem, & incredulos quoscunque per baptiſmum Catholicæ adducere unitati. Ob quod objectis & evulſis cordis rancoribus locum pura præbueramus charitati, omnesq; etiam injuriarum flammas pia manſvetudine ſuffocantes, imo pro reductione conſtantioris fœderis, & propter bonum pacis, terram Dorpinenſem, ad coronam pertinentem, per ipſos Cruciferos injurioſe a nobis & corona noſtra ablatam, & aliquot annos contra fœdus, tempore piæ memoriæ Caſimiri olim Regis Poloniæ inter regnum Poloniæ & ordinem ipſorum factum, occupatam, in multa pecuniarum liberavimus quantitate. Nec hoc quidem profuit nobis, cum pacem in pace invenire non potuimus. Quia mox poſt firmata pacis fœdera ipſi gravioribus plus quam præteritis injuriarum aculeis infeſtare ac afficere nos cœperunt, dum præter alias plus quam plurimas nobis illatas injurias, caſtra noſtra videlicet Dreſno & Santok cum territoriis etiam aliquibus, ad nos, & etiam ad Ducem Johannem Mazoviæ fratrem noſtrum ſpectantibus, aliisq; noſtris utilitatibus, omni juris modo & juſtitia poſtpoſito, frivole occuparunt. Quas hujusmodi injurias non ſine magna patientia ſuſtulimus, fœderi tali, quod omni guerra durius reputamus, involuti firmiter & ligati. Et quamvis multiplicatis inſtantiis per literas & ſolennes nuncios affectuoſe ipſos hortati fuimus, ut juxta inſcriptiones nobiscum ſtabiliti fœderis injurias ipſas æquitatis temperamento moderarentur, ipſi tamen ſuper hoc facientes de nobis ridiculum nulla facere voluerunt ratione. Interdum tamen quaſi deluſorie intimabant nobis, ſe velle easdem injurias vigore juſtitiæ moderare. Quod & demum ad effectum, ſicut alias, omnino deducere renuerunt. Ideoq; ad querelas contra ipſos prorumpere nos oportet, & injuriarum noſtrarum animo turbato gravedines explicare, quas in chartula ſpeciali ſigillatim Veſtræ claritati deſcripſimus: Eandem veſtram petentes attentius Claritatem, quatenus dictis & relatibus imo & accuſationibus eorundem Cruciferorum, ſi quas contra nos & fratrem noſtrum Ducem Wytoldum levitate linguæ emiſerint, fidem velitis ſubtrahere creditivam. Iniquis enim & doloſis accuſationibus nos depravant, ſoli pravitatis vitio claudicantes. Velitis etiam quæſumus ab ipſorum hortamentis iniquis avertere mentes veſtras, & tametſi aliquas ſibi gentes dominiorum veſtrorum jam in ſubſidium contra nos & prædictum fratrem noſtrum Wytoldum venturas vocaverint & poſtulaverint, omnibus veſtris illuc tranſitum prohibere. Ipſi enim verisſime contra eos, qui ad fidem catholicam promoveri dudum expectant, ſe armant, gentis armatæ ſuffragia poſtulantes. Datum Patovviæ, ipſa die ſanctæ Laurentii Martyris glorioſi, anno &c. nono.

Ladislai Regis & Witoldi Ducis
Epiſtola ad Cæſarem Rupertum, ob Cruciferorum invaſiones querula.

Ex eodem MSC. Lipſienſi.

SErenisſimo Principi, Domino RUPERTO, Dei gratia NOVO REGI ROMANORUM ſemper Auguſto, &c. fratri noſtro carisſimo, WLADISLAUS, eadem gratia

tia (Rex) POLONIÆ, Lithuaniaq; PRINCEPS SUPREMUS, & hares Ruſſia, ſincera charitatis continuum jugiter incrementum. Sereniſſime Princeps, frater chariſſime. Deum & conſcientiam noſtram in teſtimonium aſſumimus, quod inviti traheremur ad effuſionem & laſionem quorumvis Catholica fidei domeſticorum, & praſertim conterminorum nobis vicinorum. Sed quia preſſi nos multipliciter, & ſub patientia diſſimulationis, ſuſtinentes multiplices injurias noſtras, laſiones, & offenſas a Cruciferis, gravi querela dignas, quas nobis intulerunt, & per arrogantiam inferunt perperam & inique: Pro quibus licet ab ipſis aqualitatem nobis fieri multiplicatis poſtulaverimus inſtantiis, nullum tamen hujusmodi optatum aqualitatis ad eisdem obtinere potuimus nec huc usq; poſſumus temperamentum, neq; ſpes nobis aqualitatis offerenda conceditur ab eisdem. Quas hujusmodi injurias, diſplicentias, offenſas & laſiones ſub famato pacis fœdere ab ipſis nobis, ut prafertur, illatas, ſinceritati veſtra alias in ſpecialibus deſcriptas chartulis articulatim & ſigillatim cum praſentibus duximus dirigendas, cupientes de juſtitia noſtra ſinceritati veſtra facere plenam fidem. Videntes ergo, collectis hinc inde probabilibus argumentis, quod tanti morbi malitia reſtingui lenitivis nequit antidotis, niſi ferri cauterio reſcindatur: Nullo levitatis motu, ſed Deo teſte tantarum injuriarum & offenſarum gravibus preſſus anguſtiis noſter animus adverſus eosdem protervos & publicos hoſtes noſtros moveri compellitur, non aviditate ultionis appetenda, ſed occaſione offenſa tanta & injuria propulſanda. Nec adeo tantum nos movere poſſet injuriarum recordium, quantum ipſimet nos incitant deteſtabili bachati ſuperbia, pacem nobiscum per nos multipliciter optatam habere nolentes, imò adverſus nos & Chriſtianum populum noſtrum hoſtilitate avide ſe armantes, tanquam Chriſtiani ſanguinis ſitiabundi, fortiterq; in noſtrum exterminium anhelantes, armata ſibi gentis ubiq; in auxilium mendicant ſuffragia, falſo nos crimine deferentes. Et quia falſus precator carere debeat impetratis, & in optata fraude debeant ipſi fraudari: Idcirco ſinceritatem veſtram ſtudioſe petimus ex affectu, quatenus aſſertionibus ipſorum accuſatoriis, ſi quas de nobis in auditu veſtro fulminaverint, quoniam vana ſunt, totaliter falſa & iniqua, fidem velitis ſubtrahere creditivam, hominibusq; veſtris juſtitia noſtra intuitu inhibentes, ne eisdem hoſtibus noſtris, dum per ipſos vocati fuerint, adverſus nos & Chriſtianum populum noſtrum properent in ſuccurſum &c.

Quoties verò tentata fuerit horum reconciliatio, & quam vanis promiſſis Papæ Johannis 23. res protracta, donec Cæſaris Sigismundi autoritas intercederet, commemoravit cum aliis & laudatus *Theodericus à Niem in rebus Johannis* 23. Ut ſupra *Tomo II. f.*360. videre eſt. Plenius res ex *Tomo IV.* conſtabit. Ex ſuperioribus verò liquet occaſio diſputationis in Concilio agitatæ De jure Chriſtianorum in terras infidelium. Ex ergo

PAULI VOLADIMIRI, de CRACOVIA,

Decretorum Doctoris, Cracovienſis Canonici, Academiæ Cracovienſis Rectoris, Regis Poloniæ ad Conſtantienſe Concilium Legati

DEMONSTRATIO

Cruciferis de Pruſſia ſeu Ordini Teutonico oppoſita, Infideles armis & bello non eſſe ad Chriſtianam fidem convertendos, nec eorum bona invadenda aut illo nomine occupanda.

In Conſtantienſi Concilio *in ſolenni Congregatione A.* 1415. *d.* 6. *Julii* publice propoſita.

Ex antiquiſſimo Codice MSC. Cæsareo Vindobonensi *Parte IV. Act. C.C. f.*158. hoc tit.

Concluſiones, data per Magiſtrum Paulum de Cracovia contra Ordinem Theutonicorum ſancta Maria Virginis.

CAP.

CAP. I.

De jure Chriſtianorum in terras infidelium.

OPinio *Hoſtienſis* eſt: Quod in adventu Chriſti omnis jurisdictio, principatus, honor & dominium translata fuerunt ab infidelibus ad fideles: Et quod hodie non eſt jurisdictio, nec aliqua poteſtas vel dominium apud infideles: Cum iſtorum, ſicut dicit iſta opinio, ſunt funditus incapaces, & impugnandi ſunt illi infideles, qui non recognoſcunt Romanum imperium &c. Dicit etiam: Tale bellum contra infideles, non recognoſcentes Romanum Imperium, ſemper eſſe juſtum & licitum quoad Chriſtianos.

Sententia quorundam: Apud infideles nullum eſſe dominiũ neq; ullum jus in terras ſuas.

Iſta opinio licet habeat aliquos ſequaces, tamen communiter Doctores ſcribentes ſeqvuntur in hoc *Innocentium*, qui tenet contrarium. Et tractatur iſta materia per ipſos in *Decretal. l. 3. tit. 34. c. Quod ſuper his, De voto & voti redemtione.*

Refutata illa ſententia. Examen illius ſententiæ in Conſt. Concilio quæſitum.

Verum, quia hæc *opinio* videtur *ſeditioſa*, & dat viam ad multas ſtrages in populo, & etiam ad rapinas committendas: Quia, ſi non ſunt Domini iſtorum, licebit cuilibet ea occupare, & rapere &c. Videtur igitur hæc *materia plena periculi* neceſſario *declaranda per hoc ſacrum concilium.*

Petrus de Ancorano JCtus damnavit illam ſententiam.

Unde etiam *famoſiſſimus in Italia ille utriusque juris Doctor, Petrus de Anchorano*, in quadam Repetitione ſua illius regulæ juris: *Peccatum non dimittitur* &c. quam in Concilio Piſano fecerat, hanc opinionem improbando, infert ex ea multas *abſurditates.*

Innumera damna ex illa doctrina oritura.

Scilicet: Quod Chriſtiani poſſent ſine peccato furari, ſubtrahere, rapere, occupare, & invadere bona & terras infidelium, qui Eccleſiam Romanam vel Imperium non recognoſcunt, etiamſi velint nobiſcum pacifice vivere. Et ſequitur, quod hæc regula: *Peccatum non dimittitur* &c. hic non haberet locum. Et ſequitur, quod hæc prohibitio divinæ legis: *Non furtum facias, non occidas,* in quibus omnis rapina & omnis violentia prohibetur, ſecundum beatum Auguſtinum, hic locum non haberet. Item ſic lex naturæ, ſcilicet: *Quod tibi non vis fieri* &c. & multæ aliæ prohibitiones, Chriſtianos non ligarent &c.

Et pro faciliori *extirpatione iſtius erroris* ego facio *quinquaginta duas concluſiones.* In quibus etiam *factum* tangitur illorum, & in quibus partibus ſic *erratur.*

Ordo Teutonicus in Pruſſia nixus hoc olim errore.

Et ne credatur per illos Dominos, quos tangit hoc negotium, quod in vituperium eorum talia ſcripta proceſſiſſent: Sciant de certo, quod de *occultis* ipſorum *factis* me non impedio, ſed de iis, quæ ſua notorietate in pluribus ſunt *evidentia*, adeo, quod nulla tergiverſatione celari poſſunt. Nec facio ad alicujus vel aliquorum vituperium, ſed ad finem & effectum, ut ibidem *removeatur talis error per hoc ſacrum concilium*, in quantum error ſit, & dubia declarentur.

Error iſte per Conſt. Concilium debuit extirpari.

Et ut penitus ceſſet de me ſiniſtra ſuſpicio, licet revera ſum *computatus inter Dominos meos pro Ambaſiatore Sereniſſimi Principis & Domini mei Regis Poloniæ &c.* non tanquam *Ambasſiator* hoc facio, ſed tanquam *Doctor*: Non intendens aliquem errorem pertinaciter aſſerere, ſed me *correctioni hujus ſacri concilii* in omnibus humiliter ſubjicio. Imo, ſi ex dictis vel ſcriptis meis hujusmodi, vel quibuscunque aliis, ubicunque prius factis, vel in antea faciendis, aliquis error forſitan notaretur, in jure vel in facto, aliqvorum injurioſe offenſivus, hoc ex nunc revoco, & habere volo pro non dictis, neque ſcriptis. De quo proteſtor, & hanc proteſtationem circa omnes actus meos volo habere pro reſumta. *Paulus Voladimiri, Decretorum Doctor & Magiſter in artibus, cuſtos & canonicus Eccleſiæ Cracovienſis.*

CAP. II.

De Ordinis Teutonici in Pruſſia vel Cruciferorum machinis ac prætextu, ſub nomine religionis quasvis regiones ſibi ſubjugandi.

Sabba-

Digitized by Google

A. 1415.

SAbbatho, *VI. Julii*, Dominus *Paulus Voladimiri Doctor*, retroſcriptus, *in convocatione publica* dedit hanc *ſchedulam*, una cum concluſionibus, de quibus fit mentio in uno ſexterno.

Cruciferi Polonis opem tulerunt.

Thema: Venientibus olim Prutenis, tunc infidelibus, contra Polonos Chriſtianos, admittuntur in Polonia per Principes Poloniæ *Cruciferi* in ſubſidium, qui *Fratres ſanctæ Mariæ Hoſpitalis Hieroſolymitani de domo Theutonicorum* appellantur, & eis per Principes Poloniæ conſtituuntur & donantur certæ poſſeſſiones verſus limites infidelium dictorum.

Poloni Cruciferis opes dederunt.

Cruciferi Pruſſiam occuparunt. Muniverunt.

De quibus poſſeſſionibus cum adjutorio Polonorum & aliorum Chriſtianorum ſucceſſivis temporibus *gentem* crudelem *Prutenorum tunc infidelem ſibi ſubjugarunt, & dominium occuparunt, & Domini de Pruſſia* ideò appellantur. Ibique ædificantur civitates ſolennes munitiſſimæ, etiam caſtra fortiſſima, totumq; eorum dominium fortiſſimis munitionibus ſic firmatur, quòd plus quam de culpa potentiæ redditur inexpugnabile.

Et licet jam *ſubactis* ſuæ ditioni *Prutenis* dudum ceſſaverit impugnandi Chriſtianos crudelitas paganorum, ſolumque vices conſveverunt reddere, Chriſtianorum inſultibus provocati: Hi tamen *Cruciferi* etiam *manſuetos infideles & quietos impugnare, & ipſorum terras & dominia invadere*, eosque irritationibus hujuſmodi contra ſe & contra alios provocare, in quantum in eis eſt, usque modo non ceſſarunt.

Infideles, licet quietos, bello impetiverunt.

Annua expeditio Cruciferorum in terras infidelium, ſub prætextu religionis, ad occupandas illorum terras.

Sed ſub primo colore, quaſi adhuc rabies paganica in Chriſticolas deſæviret, convocant in ſubſidium Chriſtianos, aſſumunt ſibi quaſi pro regula *cum valido exercitu invadere partes infidelium bis in anno*, his ſcilicet diebus & temporibus, videlicet Aſſumtionis & Purificationis glorioſæ virginis Mariæ. Quas vices ſuo vulgari ſermone *reiſas* vocant. Sic, quod in conſvetudinem error deducitur, quod fideles Chriſti, cauſa exercendæ militiæ, credentes obſequium præſtare Deo, in multitudine illic confluunt, *& occaſione catholicæ fidei ampliandæ gens quieta infidelium crudeliter impugnatur.* Hinc ſequuntur homicidia, vadunt fideles cum infidelibus pari damnationis periculo, rapinæ fiunt, & alia neſanda infinita. Itaque creſcit fama *Ordinis*, creſcunt divitiæ cum potentia, utrinque *Cruciferi* colligunt theſauros, & ditantur per Chriſtianos, & etiam per paganos, *Romanorum Pontificum & Imperatorum literæ impetrantur*, ut, quascunque regiones, *terras, ſive dominia infidelium* expugnaverint, ſive occupaverint, ſint eorum.

Expeditiones Cruciferorū dictæ Reiſæ ſ. itinera.

Hinc locupletati Cruciferi.

Taxata indulgentia Cæſarum & Pontificū Cruciferis data pro infidelibus ſubjugandis.

Polonorū ſtudium in converſionem infidelium.

Tandem ſpiritus Dei, qui, ubi vult, ſpirat, *potentiſſimos Principes Paganorum de gentilitatis errore ad agnitionem veræ fidei evocatos miniſterio Polonorum ad ſacri baptiſmatis undam lavandos* perduxit. Unus eorum regni *Poloniæ* gubernacula ſuſcepit, alter *Lituaniæ* & aliarum partium tam ſchismaticarum quam infidelium vicinarum gubernator permanſit & rector.

Rex Poloniæ baptizatus, ut & Princeps Lituaniæ.

Et quorum potentia partibus Chriſtianis Pruſſiæ, Livoniæ, Poloniæ olim incuſſit formidinem, cum jactura, hos *ad profeſſionem ſacræ fidei* jam ſequitur immenſa gentilium multitudo, *currunt catervatim ad fontem ſacri baptiſmatis.* Et fere omnes eorum ſubditi naturales in terris *Lithuaniæ &c. ſacri fontis lavacrum ſuſceperunt.* Alii adhuc ſuſcipiunt ſucceſſive, alii vero ipſorum regimini ſe ſpontanee ſubjecerunt.

Illorum exemplo innumeri baptizati.

Lituani baptizati proxime ante Conſt. Conciliū.

Illorum baptiſmus crux fuit Cruciferorum.

Neophyti a Cruciferis adcrucem acti.

Conſiderant hæc mirabilia *Cruciferi*, & quaſi moleſte ferentes, quod *eis cauſa occupandi poſſeſſiones & dominia prædictorum taliter periret, majori ferocitate invadunt* pluries, & ſucceſſive more ſolito *dictos neophytos*, & tam baptizatos, quam etiam alios nondum baptizatos multos crudeliter perimunt, etiam ſacerdotali conditioni vel ordini non parcentes, cremant ipſorum novellas Eccleſias, & innumera alia faciunt, quæ honeſtas poſtulat ſubticere. Sed etiam Chriſtianis antiquis, præſertim ſuis fundatoribus, inſultant graviſſime, ſuos captivant donatores, Duces Chriſtianos, tractant turpiſſime ipſorum Ordinis dotatores.

Et convocata demum multitudine copioſa Chriſti fidelium ſibi in adjutorium, quaſi adverſus infideles bellandi geren-

Pro pace arma ſumpta à Cruciferis adverſus Polonos, proxime ante Conſt. Concilium.

gerentes ſpeciem, erigunt potentiam *contra Regem Poloniæ* catholicum improviſum, *invadunt regnum Poloniæ hoſtiliter,* caſtra demoliunt, & alia redigunt in cineres, ſpoliant, violant, & plurima nefanda ibi fiunt, quæ ſtilus vix valeret exprimere.

Et dum ſic *a Prutenis in Cruciferos translata crudelitas* in Polonia deploratur: Quia, quos ſibi Poloni pro ſcuto aſſumſerant, ſua ferocitate converſi ſunt ſibi in flagella: *Gemit Polonia* non ſolum tantam atrocitatem ſibi peſtiferam in ſinu ſuo enutritam, verum etiam cogitur tandem venire ad reſiſtentiam.

Poloni ſtrage Cruciferorũ bos ſub cruce quieſcere docuerunt.

Ordinatis itaque aciebus utrinque conveniunt ad bellandum, ſternitur ab alto potentia Ordinis, campus heu humanis repletur cadaveribus, & *Polonorum gladius Cruciferorum ſangvine ſaturatur, Anno Domini M CCCC X. die XV. menſis Julii,* & poſtmodum etiam per intervalla temporum *vicibus iteratis.*

CAP. III.

Chriſtianos non habere jus ſub ſpecie religionis propagandæ infidelium regiones invadendi; Neque indulgentiâ vel literis aut privilegiis Cæſarum & Pontificum, Cruciferis datis, hoc jus acquiri.

VErùm, quia *præmiſſæ literæ* omni triſtitia pejores ſua occaſione tot calamitatibus videntur præſtitiſſe fundamenta & fomenta: Ad ſuccidendum igitur radicem peſtiferam tanti mali, ex iſto themate veriſſimo & evidentiſſimo eliciebantur aliquæ *quæſtiones,* de quibus plene in quodam *tractatu, De poteſtate Papæ & Imperatoris reſpectu infidelium,* per me facto, ad quaſdam quæſtiones datur reſponſio per *LII. concluſiones* infra ſcriptas, quæ ſequuntur.

Paulus Voladimiri ſcripſit in Conſt. Concilio. De poteſtate Papæ & Imperatoris reſpectu infidelium.

Prima concluſio: Licet *infideles* non ſunt de ovili Eccleſiæ, omnes tamen ſunt *oves Chriſti,* ſine dubio ſecundum creationem, *Joh. X. Alias oves habeo, quæ non ſunt de hoc ovili,* ſcilicet Eccleſiæ. *Innocentius.*

Infideles Chriſti oves.

II. Verba ad perſonam Petri prolata voce Dominica, videlicet: *Paſce oves meas,* accipienda ſunt pro *ovibus fidelibus & infidelibus* indiſtinctè. Et ideo Petri ſucceſſor debet non ſolùm paſcere, ſed etiam eas defendere. Et quibus Chriſtiana proviſione tenetur conſulere, non debet impugnare, vel lædi permittere, niſi cauſa rationabilis id expoſcat. Ratio: Quia *non debent inde injuriæ procedere, unde jura naſcuntur, Decretal. l.* 4. *tit.* 10. *De natis ex libero ventre, cap. unico.*

Infideles eq; ac fideles per Papam non impugnãdi ſine cauſa, ſed defendendi.

III. Non debent Principes Chriſtiani Judæos & alios infideles expellere de ſuis dominiis, aut eos ſpoliare, juſta cauſa non exiſtente. Ratio. Quia jura eos quiete vivere volentes prohibent moleſtare, *Cod. l.* 1. *tit.* 9. *De Judæis, l. Nullus. Et Decretal. l.* 5. *tit.* 6. *ejusdem tit. De Judæis, c.* 2. *Multorum, &c.*

Judæi non ſpoliandi.

IV. Quamvis à principio creaturæ omnia erant omnibus communia, *jure* tamen *gentium,* videlicet naturali & humano, *diſtincta ſunt rerum dominia.* 1. *diſt. c.* 9. *Jus gentium.* Et ideo, quæ occupantur ab uno, jam non licet alteris occupare, lege naturali prohibente, ſcilicet: *Quod tibi non vis fieri, alteri non facias;* Et lege divina: *Ne transgrediaris limites proximi tui &c. Prov. XXII. Innocentius,* & communiter alii.

Rerum dominia jure gentium diſtincta.

V. Non licet infidelibus, etiam Romanum imperium non cognoſcentibus, auferre dominia ſua, poſſeſſiones vel jurisdictiones. Quia *ſine peccato, & Deo autore ea poſſident,* qui creavit hæc indifferenter propter hominem, quem formavit ad ſuam imaginem. Unde omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, oves & boves univerſos &c. *B. Thomas, Innocentius,* & communiter alii.

Dominia infidelib᷒ non ſubtrahenda.

VI. *Terra ſancta,* quam poſſident Saraceni, *juſto bello victa fuit ab Imperatore Romano.* Ideo licitum eſt Papæ, vel alii cujus intereſt ratione Romani Imperii, eam ad ſuam jurisdictionem revocare. Et etiam ideo, quia, ubi colebatur Chriſtus, jam colitur Muhammedes. *Innocentius & Franciſcus Florentinus.*

Terra ſancta juſto bello à Cæſare victa. Inde jus illã recuperandi.

VII. Non eſt cauſa ſufficiens auferendi infidelibus jurisdictiones & dominia

minia, quia infideles iſtis Imperium ſpoliarunt. Ratio. Quia proſcripti poterant etiam Romanis non ſubeſſe, qui habuerunt aliquos confœderatos, quibus minime præfuerunt. *Innocentius & Franciſcus de Zabarellis.*

VIII. Eccleſia Romana, quæ habet imperium in occidente, & etiam omnes aliæ Eccleſiæ, licite tenent, quæ poſſident ibi & alibi. Non obſtante, quod dicitur, quod *Imperatores Romani, a quibus Eccleſia habet*, hæc omnia armis per violentiam occuparunt. *Innocentius & Franciſcus Florentinus.*

IX. Quamvis hæretici & ſchismatici bonis ſuis juſte veniunt ſpoliandi, *non* tamen *præter autoritatem juris vel judicis* licitum ſit ea fidelibus *occupare*. *Innocentius.*

X. Papa, quatenus eſt vicarius Chriſti, habet poteſtatem & jurisdictionem non tantum ſuper Chriſtianos, ſed etiam ſuper omnes generaliter infideles de jure, licet *non de facto*. Ratio. Quia Chriſtus eam habuit *Matth. ultimo: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra &c.* Et non videretur diligens paterfamilias, niſi ſuper omnes poteſtatem ſuo vicario dimiſiſſet. *Innocentius & Franciſcus.*

Quando gentiles per papam poſſint puniri.

XI. Si *gentilis*, qui non habet niſi legem naturæ facit contra legem naturæ, per Papam licite eſt puniendus, exemplo Sodomitarum, qui a Deo puniti ſunt, quando contra legem naturæ peccaverunt, *Gen. XIX. Innocentius & Franciſcus.*

XII. Similiter Papa poteſt punire *infideles*, colentes idola. Quia naturale eſt, unum ſolum Deum colere, & non creaturas. *Innoc. & Franciſc.*

De judicio Papa in Judæos.

XIII. Papa poteſt *Judæos* judicare, ſi contra legem faciunt in moralibus. Et idem, ſi contra legem ſuam hæreſes invenire dignoſcuntur. *Innocentius & Franciſcus.*

Cur Papa non plectat gentiles, ſi in natura jus peccēt.

XIV. Licet Papa quandoque *dimittit* pœnas debitas omnibus prædictis inferendas, ideo quia *facultatem non habet actualem*, vel propter pericula, vel ſcandala, quæ inde timentur evenire, poteſtas tamen jurisdictionalis eſt apud ipſum talia faciendi. *Innoc. & Franciſc.*

Papam poſſe præcipere infidelibus, ne fideles premant.

XV. Papa *poteſt* juſte præceptum facere & conſtitutionem, quod infideles injuſte non moleſtent Chriſtianos, & ipſorum jurisdictioni ſubjectos. *Innocentius & Franciſcus.*

Papam non debere injungere Chriſtianis, ut ſe dominio infideliū ſubtrahant.

XVI. Quamvis Papa poteſt in totum Chriſtianos a jurisdictione & dominio infidelium eximere, imo etiam per ſententiam tales infideles dominio & jurisdictione privare, quod habent ſuper Chriſtianos, *non* tamen *debet* facere, *niſi magna cauſa* hoc exigat. Quinimo debet eos potius *ſuſtinere*, dummodo non ſit periculum Chriſtianis, nec grave ſcandalum poneretur. *Innocentius & Franciſcus.*

Infideles ad fidem non cogendi. Prædicandum illis Evangelium.

XVII. Licet *infideles ad fidem cogi non debeant, & relinquendi ſint libero arbitrio, quia ſola Dei gratia in hac vocatione valet*, ut dicunt canones: Poteſt tamen Papa mandare infidelibus, quod *admittant prædicationes Evangelii* in terris ſuis. Ratio hujus eſt, quod omnis creatura rationabilis facta eſt ad Deum laudandum, ut *in ſecundo libro Sententiarum* dicitur. Si ergo prohibent prædicare, peccant, & ideo eſſent merito puniendi. *Innocentius & Franciſcus.*

Quis infidelibus bellum poſſit indicere.

XIIX. In omnibus prædictis, in quibus Papa *licite* aliquid mandat infidelibus, ſi non obediunt, ſunt compellendi brachio ſeculari. *Innoc. & Franciſcus.*

XIX. Solus Papa habet indicere bellum infidelibus, & non alii, niſi *ubi quis de ſuo jure contendit. Innocentius & Franciſcus Florentinus* notant fere omnia ſupra ſcripta in Decretal. l. 3. tit. 34. *Cap. quod ſuper his, De Voto & voti redemtione.*

De ſenſu privilegiorū Pontificalium pro occupandis infidelium terris.

XX. Ex quibus ſupradictis colligitur, quod *litera Romani Pontificis* conceſſæ alicui homini vel Ordini ſuper occupandis terris infidelium, *juris interpretationem* recipiunt: *Ut nulli in ſuo jure præjudicent.* Quam *interpretationem* ſi natura verborum non patitur, quoniam per ipſas læditur alicujus juſtitia, de falſitate ſunt *ſuſpectæ*. *Et ſi alias per eas jus tollitur alienum, ſine cauſa legitima, ſunt nulla ipſo iure.* Maxime, ubi de certa Papæ ſcientia non apparet. Ratio. Quia *actus* ſive *diſpoſitio*, quæ ex ſui natura *non valet niſi ex cauſa legitima*, ſi cauſa ſufficiens non exprimitur, diſpoſitio reddi-

Quando illa privilegia Papalia ſint ſuſpecta.

Digitized by Google

Repudiatum privilegium Clementis Papæ jactatum à Cruciferis.

redditur nulla, niſi de certa ſcientia concedentis appareat, *qui* ſcilicet *facere hoc etiam potuiſſet ſine cauſa.* Et talis eſt *litera Papæ Clementis*, inter omnes alias literas præcipua, *quam ſe* Domini *Cruciferi de Pruſſia habere aſſerunt*, quæ non ſolùm *caret certâ ſcientiâ Papæ*, ſed *nec* in ea ponitur *cauſa legitima*, quare infideles per eos debeant ſpoliari, ut patet ex tenore copiarum.

XXI. Prædictæ concluſiones concernunt primum *tractatum, De poteſtate Papæ reſpectu infidelium.* Seqvuntur concluſiones de ſecundo *tractatu, De poteſtate Imperatoris reſpectu infidelium.*

XX. Quamvis ad inveſtigandum *terreſtris monarchiæ fundamenta* ſe multa ingenia occuparunt, hæc tamen opinio magis & veritati conſona, & etiam eſt communior Doctorum ſententia, ſcilicet, Papam habere utramque juriſdictionem, ſpiritualium & temporalium. Quam opinionem conſtat eſſe fulcitam non ſolum in jure canonico, ſed etiam naturali & divino. De *Canonico* patet in pluribus locis. Unde in *Extravaganti Bonifacii Octavi*, (*Extrav. Comm. lib.* 1. *t.* 8. *c.*1.) quæ incipit: *Unam ſanctam*, in fine concluditur, quod de neceſſitate ſalutis eſt, credere omnem humanam creaturam ſubeſſe Romano Pontifici. *Naturali* jure, patet: Quod optimus principatus eſt, ubi unus principaliter principatur, *II. Polit.* Eſt ergo neceſſe, habere unum ſolum Principem in orbe: Sed non poteſt eſſe Imperator, ad quem nihil de ſpiritualibus, ergo Papa. De *divino*, proſequitur *Innocentius, Decretal. l.*2. *t.*2. *c.*10. *Licet. De foro competente*, & *Franciſc.*

XXIII. Imperium comparatum fuit à Romanis de facto, per oppreſſionem aliarum gentium. Idem eſt dicendum de aliis regnis, quæ habuerunt monarchiam, ut Babylonicum, Macedonicum, &c. *Franciſcus Cardinalis.*

Imperator mundi Dominus juxta jura civilia

XXIV. Licet *Imperator* dicatur *mundi Dominus*, ſecundum jura civilia, de jure tamen laicus ante aliquam conſtitutionem nunquam habuit poteſtatem in laicos, ſed ſola uſurpatione, ſecundum *Joh. An.* XCVI. *diſt. c.* 40. Si *Imperator.*

Ab Imperatore ad Papam appellare nefas.

XXV. Quamvis imperium dependet à poteſtate Papæ, qui habet utrumq; gladium, *non* tamen *ab Imperatore ad Papam appellare poterit* ratione ſubordinationis hujusmodi in temporalibus. Ratio, quia *non eſt talis ſubordinatio, quæ facit, Papam cenſeri ſuperiorem quoad actuale exercitium in temporalibus*, ſed tantum in habitu, ſalvis caſibus in jure expreſſis. *Caſpar* & *Franciſc.*

Imperatori & Regibus competit juris dictio cauſarum civilium.

XXVI. Quamvis Eccleſia *juriſdictionem cauſarum civilium* aliquando per ſacerdotes exercuit, rationabiliter tamen *Imperatori & Regibus hoc exercitium*, maxime in criminalibus, ubi agitur de ſeparatione animæ à corpore, commiſit. Ratio. Quia non decebit illud per ſe exercere. Quia miniſter N.T. eſt miniſter Sacramenti unitatis, &c. Primum patet XII *q.* III. Et alterum *Caſpar.*

XXVII. Quoniam regnum in terris ſurgit tribus modis, primo per voluntatem Dei revelatam aliquo modo hominibus: Secundo per conſenſum eorum, qui reguntur, & fit juſte: Tertio per violentiam & tyrannidem & injuſte: Cum igitur non conſtat, Imperium ſuper omnes infideles generaliter eſſe juſtificatum primo aut ſecundo modo, quemadmodum de Papa eſt dicendum: Sequendo opinionem prædictam magis probabilem, *non eſt adſerendum, Imperatorem habere aliquam poteſtatem ſuper dictos generaliter infideles.*

Imperatorem non habere poteſtatem in omnes infideles.

XXVIII. *Imperator non habet dare licentiam occupandi terras infidelium*, non recognoſcentium ſuum imperium. Ratio. Quia apud ipſum non eſt poteſtas primaria, ſed ſubordinata & ſecundaria, ſive exercitium tantummodo hujusmodi poteſtatis.

Nec poſſe jubere ut terræ infidelium occupentur.

XXIX. *Litera Imperatoris Cruciferis de Pruſſia conceſſa*, aut aliis, ſuper occupandis terris infidelium, *nullum jus eis tribuunt*, ſed magis Chriſti fideles decipiunt, cum nihil dat, quod non habet. Nec hujusmodi *litera* tam *Romanorum Pontificum*, quam *Imperatorum*, eos privilegiare poterant maxime contra jus naturale & divinum.

Cruciferis nullum jus ex indulgentia Cæſaris terras infidelium occupādi.

XXX. Quod *Cruciferi de Pruſſia, pugnantes cum infidelibus pacificis*, aut potius eosdem impugnantes, ut ſic, *nunquam habuerunt juſtum bellum* cum eisdem.

Cruciferorū bella injuſta, cum infidelibus pacificis.

Ratio.

Ratio. Quia *impugnantibus illos, in pace degere volentes, omne jus reſiſtit*, ſcilicet naturale, divinum, canonicum & civile. *Naturale* ſcilicet, *Quod tibi non vis fieri &c. Divinum* ſcilicet: *Non occidas. Non furtum facias. Exod.* XX. Quibus verbis omnis rapina, & omnis violentia prohibetur, XIV. *q. V. c.* 12. *Dixit Dominus.* Jure *Canonico*, XXIII. *q.* VIII. *c.* II. *Diſpar* &c. & *Civili*, *Cod. l.* 1. *t.* 11. *De paganis, & eorum ſacrificiis, l.* 6. *Chriſtianis &c.*

Tale bellum referre furtum & rapinam.

XXXI. Talis impugnatio infidelium per fideles non excluſit dilectionem proximi, ſed hujusmodi *illicita uſurpatione rei alienæ furtum* includit, & rapinam. *Proximi* enim *noſtri ſunt tam fideles, quam infideles*, indiſtincte. *De Pœnitentia, diſt.* 2. *Non illi tantũ proximi, &c. Proximos.*

Infideles armis ad fidẽ Chriſtianam compellere, nefas.

XXXII. *Non eſt licitum, infideles armis vel oppreſſionibus ad fidem compellere Chriſtianam. Quia hic* modus eſt *cum injuria proximi.* Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona. Et canon dicit: *Nova atq; inaudita eſt iſta prædicatio, quæ verberibus exigit fidem*, XLV. *diſt. c.* I. *Quod autem.*

Converſio non ſit violenta.

XXXIII. Decretum concilii generalis Toletani, præcipiens, quod *blandimentis* non aſperitatibus *debent illi ſuadere, qui alios debent convertere*, licet de Judæis exprimat, ſuâ ratione, quæ idem jus habet facere, extenditur ad omnes generaliter infideles. Nam *quicunque aliter agunt, ſuas & illic magis quam Dei probantur cauſas attendere.* Textus eſt ibidem ad literam. XLV. *Diſt. c.* 5. *de Judæis.*

Cruciferis in tali bello opem non eſſe ferendam

XXXIV. *Error* nulla ratione tolerabilis, quod Chriſtiani confluunt dictis Cruciferis de Pruſſia in ſubſidium, *ad impugnandum infideles pacificos, ex eo, quod infideles.* Sive hoc dicatur cauſa militiæ exercendæ, ſive *cauſa fidei Chriſtianæ amplianda.* Ratio, quia *prætextu pietatis non eſt impietas facienda*, XXX. *q.* I. *c.* 3. *Noſſe* &c. Secus dicitur de bello Hiſpanorum contra Saracenos. Quia illud fit ad recuperandum terras dudum occupatas, in quibus prius habitabant Chriſtiani, ſecundum *Oldrad. III, q.* 72.

Impios eſſe, qui in tali bello infideles occidant.

XXXV. *Qui in bello injuſto hujusmodi impœnitentes perimunt*, ſortem recipere cum *impiis* & *damnatis* merito ſunt cenſendi. *Non* enim *opem fert, qui ad peccandum adjuvat*, dicit canon XIV. *q.* VI. *c.* I. *Si res.*

Milites non pugnent in tali bello ante, quã juſtum bellum noverint.

XXXVI. Quamvis *miles*, præſertim catholicus, *non ſubditus, certus* debet eſſe *de belli juſtitia*, quod pugnando proſequitur, alioquin in dubio gravi ſe exponeret periculo: Si tamen *ſubditus* exiſtat, excuſatur *in dubio probabili juſti belli*, juvando ſuum Dominum. Hoc eſt verum, *ſi inquiſivit, quantum potuit*, & peritiores conſuluit, & ſemper dubius remanſit, ſecundum *Rai.* & *Hoſtienſem.*

XXXVII. Non excuſat ſubditum metus amiſſionis rerum temporalium, ſi credit probabiliter, bellum, aut ſcit, eſſe injuſtum. Ratio. Quia, *licet metus culpam attenuet, non eam tamen prorſus excludit.* in Decretal. l. 1. t. 40. c. 5. *Sacris, De his quæ vi metusve cauſa. Oſtienſ.*

XXXVIII. Licet ad juſtificandum bellum quinque requiri dicuntur communiter per Doctores, ſcilicet, perſona, res, cauſa, animus & autoritas: Sextum tamen non eſt aliquatenus omittendum, ſcilicet temporis habilitas. Ratio. Quia quædam ſunt *tempora*, quibus bella alias juſta ſunt prohibita. Decretal. l. 1. t. 34. *De treuga & pace, c.* 1. &c.

XXXIX. Sola neceſſitate, quæ legem non habet, excuſatur aliquis à peccato, diebus pugnando ſolennibus & feſtivis. Non autem alias libere impugnando. Hoc probatur Maccabæorum exemplo. 2. *Maccab. ult.*

XL. *Opus*, quod tam materialiter, id eſt, ſecundum ſe, ſimpliciter, eſt *ſervile*, quam etiam formaliter, id eſt, finaliter, per reſpectum ad agentem, eſt *in ſabbatho prohibitum. Rich.*

XLI. Illa, quæ ſolum materialiter, aut ſolum formaliter ſunt ſervilia, non ſic ſunt cenſenda ſtricte prohibita. Ratio. Quia difficilius eſt, abſtinere ab his, quam à primis. Et ideo non peccat quis mortaliter per actus hujusmodi, niſi per hæc excludatur illa vacatio, quam quis neceſſario debet cultui divino. *Rich.*

XLII. Non eſt dubium, quin *invadere terras infidelium*, & etiam pugnare vel ad impugnandum ire, maxime cum exercitibus aut armis & aliis apparatibus bellicis, citra neceſſitatis caſum ſe

 præpa-

BIBLIOTECA

Digitized by Google

præparare, eſt ſecundum ſe & materialiter *opus ſervile*, & etiam formaliter, in quantum per intentionem operantium hoc fit *ad commodum temporale*, & de tanto magis vituperabile conſtituitur, ut ſcilicet ſibi ipſos infideles ſubjiciant. Et hic finis eſt *libido dominandi.* Aut ut ipſorum bona & dominia acquirant & occupent: Et ſic eſt cupiditas, quæ eſt omnium malorum radix &c.

Erroneas eſſe reiſas ſeu annuas expeditiones Cruciferorũ contra infideles.

XLIII. *Error*, violans præceptum Domini de ſanctificatione ſabbathi, de quanto *Cruciferi* guerrandi cauſa, ſolitas *reiſas contra infideles faciunt bis in anno.* Præmiſſa faciunt his maxime præcipuis ſanctæ Mariæ ſolennitatibus, ſcilicet Aſſumtionis & Purificationis. Hic enim *labor*, ſcilicet *cupiditatis* aut *dominandi libidinis cauſa*, etiam quia extinguit ſpiritualem quietem, ideo eſt prohibitus, *Jer. IX. Ut inique agerent, laboraverunt. Hoſtienſis.*

Superſtitioſas illas eſſe, non niſi diebus Mariæ inſtitutas.

XLIV. Obſervantia Cruciferorum de terris infidelium invadendis, aut alias proſequendis hujusmodi bellicis negotiis, de quanto fit præſertim his diebus, *ſuperſtitionis* ſpeciem videtur ſapere, & cultum excludere pietatis. Et quantum in agendis hujuſmodi quoad ipſos bellantes ratione diei proſperior ſpectatur eventus, *ritus* eſt penitus *contrarius religioni Chriſtianæ.* Ratio hujus ponitur in canone, *Illud, quod eſt*, XXVI. *q.* 2. *c.*6. Et probatur autoritate beati Auguſtini *lib.*1. *de doctr. Chriſt.* Et, *eadem cauſa* 26. *q. V. c.*3. *Non liceat*, &c. Unde Apoſtolus *ad Galat. IV. cap. Dies obſervatis, & menſes, & tempora & annos.* &c. Non enim per reſpectum ad beatam virginem dies plus videtur ad rationem apponere. Ut ſcilicet beata virgo, cujus celebritas agitur, magis tunc hujusmodi agenda promoveat. Quaſi ad illum diem plus, quam ad alium ſua auxilia ſint reſtricta. Vel, quod tale obſequium ſibi præſtitum magis reddatur tunc honorificum vel acceptum &c. Sed nec quantum ad agentes habenda eſt *diei ratio*, nec ſcopum facilius conſequentur, intendant etiam. Quia attribuendo iſta tempori, pietas excluditur, quæ omnia attribuit ſuo principio.

Peccare illos qui in Expeditionibus illis opem ferant Cruciferis.

XLV. Subditi Cruciferorum prædictorum *reiſas* cum eisdem *facientes bis in anno* contra infideles pacificos, non ſunt excuſabiles à peccato. Et eadem ratione, cum citra autoritatem juris vel judicis impugnant Chriſtianos. Quia magis eſt obediendum Deo, quam homini. Nec excuſat juris ignorantia, præſertim naturalis & divini. *Hoſtienſis.*

XLVI. Juſte pugnanti ſine peccato non poteſt reſiſtere impugnatus, ſed tenetur potius ſapienter emendare. *Hoſtienſis.*

Tali bello occupata pro furtivis habenda.

XLVII. Res occupatæ *in bello hujusmodi* non poſſunt eſſe occupantium, nec ſine peccato poſſunt aliquatenus retineri. Ratio. Nam talis *res furtiva*, vel *vi poſſeſſa*, dicitur vitioſa, quam *non poteſt uſucapere*, vel præſcribere fur, vel raptor, nec alius, quamvis ab eis emerit vel acceperit bona fide. *Inſtit. De uſucapionibus* §. 2. *Furtivæ, &* §. 7. *Quod autem. Oſtienſis.*

Reſtituenda.

XLIIX. De neceſſitate ſalutis omnia taliter occupata ſunt pro poſſe reſtituenda, nec aliquatenus retinenda. Salva compenſatione etiam non liquidi ad liquidum, quæ duntaxat habet fieri in judicio pœnitentialis fori. Ratio. Quia *peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum &c.*

XLIX. *Dux belli hujusmodi*, aut alius principalis, non ſolum tenetur de rapinis, homicidiis & aliis ſceleribus, perpetratis per ſe ipſum, ſed etiam quæ fiunt ibi per alios, & non ſolum per ſuos, ſed etiam contra ſuos. *Hoſtienſis.*

L. Infideli rem captam vel ſubtractam repetenti coram judice Chriſtiano non debet juſtitia denegari. Ratio ſecundum *Innocentium*: Quia juſta rerum dominia ſunt etiam apud ipſos.

Infideles in auxiliũ à Chriſtiano Principe poſſe peti.

LI. *Princeps Chriſtianus* neceſſitate imminente ſine peccato *ad ſui defenſionem & ſua terra uti poteſt auxilio infidelium*, non ſolum ſibi ſubjectorum, ſed etiam aliorum, intelligendo de *infidelibus pacificis* non habentibus nobiſcum guerram, active vel paſſive. Probatur exemplo Maccabæorum, qui cum eſſent viri ſancti, & pugiles fidei, pacti ſunt cum Romanis, cum infidelibus, ut mutuo ſe juvarent 1. *Maccab. VIII. cap.* &c. Non obſtat illud, 2. *Paralip. XIX cap. Im-*

Digitized by Google

pio prabes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitia jungeris. Et idcirco iram Domini mereberis. Quia hæc contraria loqvuntur in bello injuſto. Hæc concluſio eſt *Joh. Andreæ in Additionibus ſpecialibus* de Judæis & Sarracenis, in *dicto tractatu* probata multipliciter. Et concordat *Oldra. III.q.LXXI.*

Rejecta ſententia: Infideles hodie dominii eſſe incapaces.

LII. Impium eſt aſſerere & abſurdum, quod infideles alicujus jurisdictionis, honoris, poteſtatis & Dominii eſſent hodie penitus incapaces. Quia hæc *ſeditioſa aſſertio* viam præſtat in hoc homicidiis & rapinis. Quia, ſi non ſunt iſtorum Domini, licebit cuilibet ea rapere vel etiam occupare. Ex quo invenitur, quod Chriſtiani poſſent ſine peccato furari, rapere, vel invadere terras & bona infidelium, etiam nobiſcum pacifice vivere volentium &c. legis prohibitione non obſtante: *Non furtum facias. Non occidas.* In quibus omnis rapina, & omnis violentia prohibetur, ut ſupra &c. Non enim negandum eſt infidelibus generaliter, quod eis *humanæ ſocietatis jus* concedit. XXIII. *q.2. Notandum. &c.*

Infidelibꝰ competere humanæ ſocietatis jura.

Non eſt aſſerendum, ſed negandum tanquam erroneum, ſcilicet, quod omnis honor, dominium, & jurisdictio omni infideli fuit abſtracta in adventu Chriſti. Nam dicit beatus *Thomas: Licet infideles de novo non debent conſtitui Domini vel prælati fidelium, propter periculum fidei &c. tamen per hoc non tollitur dominium ipſorum ante praexiſtens ſuper fideles. Nec infidelitas repugnat dominio. Quia dominium & prælatio introducta ſunt ex jure humano, ſcilicet ex jure gentium. Diſtinctio autem fidelium & infidelium eſt ex jure divino. Jus autem divinum, quod eſt ex gratia, non tollit jus humanum, quod eſt naturali ratione. Secunda ſecundæ* q. IX. *ar.* X.

Refutata: ſententia. Per advẽtum Chriſti infidelibus omne jus dominii eſſe ablatum.

CAP. IV.

Deſideratum Conſtantienſis Concilii in hac controverſia decretum.

DAtum *Conſtantiæ* omnibus *quatuor nationibus, generale Concilium facientibus,* ſcilicet Italicæ, Gallicæ, Anglicæ, Germanicæ, per me Magiſtrum *Paulum Voladimiri, Decretorum Doctorem, Cuſtodem & Canonicum Eccleſiæ Cracovienſis,* nec non *Rectorem* pro parte almæ *Univerſitatis Studii Cracovienſis*, ad effectum, quod in hac materia per *hoc ſacrum generale Concilium* dubia declarentur, & errata ſalubriter reformentur.

Et ſi quempiam præmiſſæ concluſiones delectant, videre poterit cum allegationibus latius declaratas *in tractatu ſupradicto & tradito Germanicæ nationi Anno Domini M CCCC XV die quinta menſis Julii.*

CAP. V.

Conciſior probatio, Chriſtianis nullum eſſe jus ſub religionis prætextu in regiones infidelium. Ejusdem ut apparet Voladimiri.

Ex eodem *Codice MSCto Vindobon.* hoc tit.

Reducendo iſtam materiam ad *tres concluſiones principales.*

Infideliũ terras invadere fidei Chriſtianæ augendæ gratia, eſſe hæreſin.

NOn poteſt licite Papa, neque Imperator, dare alicui facultatem infideles invadendi, eos ſubjugandi, & eorum dominia occupandi, abſolute & immediate, *cauſa fidei ampliandæ,* non habito reſpectu ad aliquam *cauſam* primo & principaliter *juſti belli.* Et tenere contrarium eſt hæreſis.

Ratio hujus. Quia, ex quo finis eſt cauſa per ſe eorum quæ ſunt ad finem, repugnat fidei, quod ſit finis & cauſa per ſe principalis alicujus belli, violentiæ, homicidii vel rapinæ.

Ex iſta concluſione *tria correlaria* inferuntur.

Privilegia pro tali invaſione data, involvere hæreſin.

Primum, quod *literæ* qualescunque, *Papales* ſive *Imperiales* appellatæ, huic *errori* innitentes, continent virtualiter *hæreſin*, ſuntque *ipſo jure irrita*, invalidæ atque nullæ: Et per conſequens neque gene-

Digitized by Google

generalem neque ſpecialem poteſtatem alicui tribuunt, infideles invadendi, ſubjugandi, ſpoliandi &c.

Secundo ſequitur, iſtam militiam, ſupponentem hujusmodi literas pro ſuo fundamento, in quibus non agitur de aliqua cauſa hujus juſti belli principaliter, *niſi cauſa fidei amplianda*, fundatur in *hæreſi*. Et per conſequens ex ipſorum propriis principiis clare convincitur, & probatur, eundem *Ordinem* eſſe *hæreticum*.

Tertio ſequitur ex eisdem *literis* & principiis, manifeſte *falſum* eſſe, quod in ſuis articulis aſſerunt dicti Fratres, ſcilicet, hunc *Ordinem* fuiſſe *inſtitutum* per easdem literas *ad invadendum quoscunq; infideles &c.* Cum iſtæ literæ tanquam nullæ non contineant aliquam poteſtatem Romani Pontificis aut Imperatoris, ut dictum eſt, & per conſequens neque inſtitutionem eorum, neque fundationem.

Ordinem militarẽ falſo niti privilegio.

II. Concluſio. Religioſus ordo, generaliter *ad militandum inſtitutus contra infideles*, non poteſt movere bellum infidelibus, ex quacunq; ſpeciali cauſa, quantumcumque in ſe juſta, niſi etiam *autoritas ſuperioris* intervenerit ad hoc ſpecialis. Et tenere contrarium, videtur hæreſis.

Sine autoritate ſuperioris ordinem militarẽ non poſſe bello aggredi infideles.

Hæc concluſio prædicta eſt beati *Thomæ, ſecunda ſecundæ q.CXXXIIX. artic. 3. in fine.* Hoc etiam tenent *Joh. Andreæ* & alii Canoniſtæ *in Decretal. l.3. t.31. c.10. Sane, De regularibus.*

Ex hac *tria correlaria* inferuntur.

Primum, quod militia religioſorũ pugnantium aliter, videlicet *ſine ſpeciali edicto Eccleſiæ vel Principis*, eſt divinæ legi contraria, & tanquam hæreticalis judicanda.

Talis militia religioſorum injuſta.

Secundo ſequitur, quod poſito, ſine præjudicio veritatis, quod Ordo iſte Fratrum fuiſſet generaliter ad militandum inſtitutus, non tamen ſibi licuit invadere infidelium partes, ad occupandum ipſorum dominia, licentia ſedis Apoſtolicæ non habita ſpecialiter.

Tertio ſequitur, quod omnia *dominia taliter per eos acquiſita*, ut in facto ſupponitur, ſunt *injuſta*, & de neceſſitate ſalutis pro viribus occupantium eorundem reſtituenda, aut dimittenda realiter cum effectu.

Dominia ſic acquiſita eſſe injuſta.

III. Concluſio. Ad hoc, ut *juſtum bellum* appareat, prærequiritur, *cauſæ* hujus autoritativa cognitio & declaratio legitima, ubi de hoc poſſet veriſimiliter ſeu probabiliter dubitari. Et tenere contrarium videtur *hæreſis*, & contra Sacram Scripturam, in qua includitur, *debere* in talibus *debitum juſtitiæ ordinem obſervari.* Dubitari autem non debet de autoritate ex parte actoris ſive impugnantis, propter belli periculum: De cauſa vero juſta ex parte rei, ſive impugnati, propter injuriam vel errorem: Et de utroque iſtorum reſpectu aliquorum, quorum intereſt iſta ſcire, ut evitetur periculum active & paſſive.

Juſtitiã cauſæ in bello tali eſſe ſpectandam.

Ex iſta *tria correlaria* inferuntur.

Primum, quod non poteſt in hac militia judicari *ſuperioris* interveniſſe *autoritas*, penes *conſenſum*, tacitum ſive interpretativum. Quia illud nemo poteſt tacite approbare, quod ignoratur, VI. Decretal. l.1. t.2. *De conſtitut. c.1.* Et idcirco talium ignorantia præſumitur de jure, ubi ſcientia non probatur. *De regulis juris, Decretal. lib. 6. reg. 47.*

Secundo ſequitur, quod talis militia, qua pugnatur omiſſo tali medio, ac *juris ordine non ſervato*, non ſolum eſt in ſe debito ordini juſtitiæ contraria & injuſta, ſed etiam *culpabilis* quoad alios, *active & paſſive*, & per conſequens debet intelligi *jure divino prohibita.* Dico autem *active & paſſive*, tum ratione ſcandali, tum ratione offenſionis corporalis, nec non rerum, in quibus non licet quemquam offendere, nec offendi, niſi evidenter ſubſit *juſta cauſa*, cujus ignorantia quantumcunque probabilis non excuſat, præter ſubditos, qui ratione obedientiæ in dubio probabili juſti belli excuſantur, ut in *canone XXIII. q.1. Quid culpatur &c.*

Tertio ſequitur, quod, niſi *impugnatus* etiam infidelis *ſciat cauſam*, propter quam impugnatur, *juſte reſiſtit impugnanti*, quamvis in ſe cauſam habeat impugnandi. Quia talis cauſa non tollit ſibi jus naturale defendendi &c.

Infidelis impugnatus, ſi cauſam belli neſciat, jure reſiſtit.

TOMI III. PARS III.

DE REBUS BRIGITTÆ.

SUperioribus tribus ſangvineis *mollior* aliquanto *liticula*, & feminea affectione *mitior* atque *benignior quæſtio* nova, in Conſtantienſi Concilio mota, *Brigittica* ſcilicet, *de Viſionibus divinitus menti illabentibus*. Quæ res ſua teneritudine Johannem Papam 23. in Concilio adhuc exiſtentem movit, ut *Brigittam* defunctam *inter ſanctas* ſolenniſſima feſtivitate pro ſua in ſanctas devotione collocaret. Neque tamen *viri* defuere in Concilio, qui *nimiam* judicarent *religioſitatem canonizandi* ac ſanctarum dearumve numero adſcribendi. Quod maſculum pectus viris in Concilio monſtravit *Gerſon*.

Canonizationem verò *Brigitta* à Johanne 23. haud longe ante fugam è Concilio, die Purificationis Mariæ, 2. Februarii A. 1415. magna cum pompa fuiſſe celebratam, ex *Tomi IV. Actis* conſtabit. Satis erit hic dediſſe *judicium Gerſonis de Brigitticis* æqve ac aliis jactatis *viſionibus* novisq; & peculiaribus *revelationibus*. Quib' illa ætas præ aliis omnibus inclaruit. Ita ut plures eruditi viri ancipites hærerent, dubii in quam concederent partem. Plura harum rerum ſuggeſſit exempla *Johannis Nider, Theologus Baſileenſis*, in ſua *illius temporis Hiſtoria*, à SERENISSIMO DUCE noviſſime in lucem revocata.

Conferri autem cum cum præſenti opusculo in Concilio edito poterit & alterum ab eodem *Gerſone* profectum, *De diſcernendis veris viſionibus à falſis*. Sed en Gerſonis cenſuram in Concilio proditam.

JOHANNIS GERSONIS
Cancellarii Pariſienſis
Diſſertatio

De Probatione Spirituum
Deq; Viſionibus ac Revelationibus novis caute dijudicandis,
Occaſione Canoniſationis Brigittæ
In Conſtantienſi Concilio A. 1415. die Auguſtini edita.
EX MSCTO CÆSAREO VINDOBONENSI.

Conſideratio I. Difficile eſſe negotium judicare de viſionibus

PRobate *Spiritus, num ex Deo ſint*, jubet diſcipulus ille, quem diligebat Jeſus. Neq; enim neſciebat illam Coapoſtoli ſui ſententiam: *Angelus Satanæ transfigurat ſe in Angelum lucis*, ſicut fiat Dœmonium meridianum, dum pro tenebris erroris, quas ad tempus celare permittitur, lucem veritatis claram ſe fingit offerre. Prout hoc apud ſanctum Martinum viſibiliter patet, apud alios plurimos inviſibiliter. Dum, teſte veritate, ſub ſpecie magni boni & ardui, grandia peccata operit, ſuggerit & inducit.

Probare Spiritus, num ex Deo ſint, non cuilibet datum eſt, ſed aliquibus per Spiritum Sanctum, qui unus exiſtens diviſiones gratiarum diſtribuit ſingulis, prout vult, ad ædificationem corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, quæ nunquam deficit in neceſſariis. Sicut igitur non omnium eſt prophetare, nec omnium evangelizare, nec omnium interpretari ſermones, ſed ex aliquorum officio, usque in finem ſeculi: Sic non omnium eſt probare ſpiritus, ſi ex Deo ſunt, ſed quibus datum eſt, quales ſunt ſpirituales, quos unctio docet de omnibus, qui & de omnibus judicant etiam inter diem & diem. Quale donum beatus *Martinus & Antonius* & plures alii leguntur habuiſſe.

Probare Spiritus, num ex Deo ſint, con-

Conſid. 2. De tribus modis ac viis examinandi viſiones.

tingit multipliciter. Uno quidem modo, *per modum artis & doctrinæ generalis.* Sicut *per eruditionem Sacrarum Scripturarum* diligenti ſtudio conquiſitam. Sunt nimirum Scripturæ, in quibus putamus nos fidem habere, continentes artem
1. falſos Prophetas à veris & ab illuſionibus revelationes cognoſcendi.

Alius invenitur modus, *per inſpirationem intimam* ſeu internum ſaporem,
2. ſive per experimentalem dulcedinem quandã, ſive per illuſtrationem à mentibus (montib') æternis, effugantem tenebras omnis dubietatis. Hoc autem eſt manna abſconditum & nomen novum in calculo ſcriptum, quod nemo novit, niſi qui acceperit. Hæc *Gregorius in Dialogo:* Hoc *Auguſtinus* de ſe ipſo & matre: Hoc *Hugo de Arra animæ*, cum pluribus aliis notaverunt.

Probare ſpiritus ſi ex Deo ſint, per Regu-
3. *lam artis generalem & infallibilem* pro particulari caſu, non poteſt aut vix poteſt humanitus fieri. Sed requiritur *donum ſpiritus ſancti*, quod Apoſtolus nominavit *diſcretionem ſpirituum.* Quo dono fit, ut mens nedum in ſe & de ſe ſciat probare ſpiritus, ſi ex Deo ſint: Sed etiam in aliis & de aliis ſcit. Hic autem eſt *modus tertius*, alius à prædictis, probandi ſpiritus. Quoniam *primus* eſt *doctrinalis*, *ſecundus* eſt *experimentalis*, *tertius officialis*, ſcilicet officio Hierarchico atque ſpirituali conceſſus.

Itaque ſicut nemo novit quæ ſunt ſpiritus, niſi ſpiritus, ita nemo cognoſcit infallibili certitudine ea, quæ *per ſolam experimentalem notitiã vel ſentimentum interius & ſenſum* aguntur *in alterius animo.* Quemadmodum ergo tradere Regulam generalem, quæ diſtingueret infallibiliter inter *viſionem ſomnialem* & illam *quæ fit in vigilia*, nullus facile poſſet, propter varias ſimilitudines inter utraſque viſiones, multo magis in propoſito. Scit nihilominus homo vigilans, ſe certitudinaliter & experimentaliter videre, quamvis von ignoret, ſe habuiſſe viſiones valde vicinas & ſimiles ſuæ vigiliæ, adeo, qvod, ſomnium ſuum narrare ſomniando quandoque videatur, quamvis dicat *Seneca*, eſſe vigilantis, ſomnium narrare. Scit ſimiliter homo ſpiritualis, in vigilia veræ lucis divinæ poſitus, videre ſe divina, quæ videt, vere ſentire, odorari & ſapere. Qui, quia vigilat, poteſt nihilominus recogitare, ex ſe vel aliis, quæ nonnunquam potuit in quodam ſomnio naturalis cognitionis aut diabolicæ illuſionis. Qui dum ſic ſe habet & quodammodo dormit à divinis, putare poteſt quod vigilet ad ea, ſicque falli.

Vidit hæc beatus Gregorius, aſſerens, *ſpiritus Prophetarum non ſemper eſſe in poteſtate vel diſtincta cognitione Prophetarum.* Probans hæc per *Nathan*, qui ad David, cogitantem ædificare domum Dei, reſpondit: *Omne quod eſt in corde tuo, vade & fac, quoniam Dominus tecum eſt.* Cujus contrarium ipſa nocte revelavit ei Deus.

Conſid. 3. De cautione in Conſt. Concilio habenda quo ad Canoniſationẽ ſanctorũ.

Probare ſpiritus ſi ex Deo ſint, ex primo modo, qvi magis eſt ad propoſitum, videlicet *per ſcripturam ſacram & eruditos bonos in eadem*, (quia de perverſe agentibus, quale judicium niſi perverſum & illuſivum reportare ſperabimus?) contingit multis & ſufficienter, quantum ad præſentem ſpectat materiam (militiam) & ad ſtatum communem viatoris.

Qua ſuper re nedum unum ab uno ſed *plures* à diverſis *tractatus* compoſitos invenimus, quos nunc manualiter habere fas eſſet, & diligenter inſpicere, dum *in hoc ſacro Concilio quæritur tractari de Canonizatione ſanctorum & examinatione doctrinarum ſuarum*, præſertim unius quæ *Brigitta* nominatur *à Svecia* (aſſveta) viſionibus, quas nedum ab Angelis, ſed à Chriſto, & Maria & Agnete, & cœteris ſanctis, familiaritate jugi ſicut ſponſus ad ſponſum loquitur, ſe aſſerit divinitus accepiſſe.

Eſt autem utrobique vel in *approbatione* vel in *reprobatione* periculum.

Approbare enim falſas & illuſorias, (aut frivolas viſiones, pro veris & ſolidis revelationibus,) quid indignius? *Quid alienius ab hoc ſacro Concilio?*

Reprobare nunc eas, quæ multifarie, multiſque modis quaquaverſum per diverſas nationes probatæ dicuntur, non parva exinde ſcandalorum in Chriſtiana Religione & devotione populorum formidatio. De-

Digitized by Google

Denique in ipſo etiam *ſilentio & diſſimulatione*, ex quo res in medium poſita eſt, nonnihil eſſe diſcriminis pertimeſcimus. Invenire vero *medium* aliquod vel expediens inter hæc extrema, laudabile quod ſit an effectibile, necdum ſatis cernimus exploratum.

Conſid. 4. Experientia propria opus eſſe, ſi quis velit judicare de viſionibus aut revelationib⁹.

Probare ſpiritus per modum artis & doctrinæ, ſicut tota deinceps verſabitur intentio, *nemo* perfecte poteſt *per ſolam ſacræ Scripturæ eruditionem*, qui non etiam *expertus ſit in ſemetipſo* variam affectionum ſpiritualium pugnam, tanquam aſcenderit nunc in cœlos, nunc deſcenderit in abyſſos, & viderit mirabilia Dei in profundo. Nam qui navigant mare hoc infinitum (myſticum) diverſarum affectionum, quaſi collidentium ſe fluctuum, enarrant mirabilia ejus. Inexpertus autem talium quid novit eorum? Hic autem eſt *quartus modus* probationis ſpirituum.

Vid. ſupr. Conſid. 2.

Cæterum, puto, differentiam inter homines, quos loquimur, unum *Theologum*, alterum *contemplativum*, talem eſſe, qualis eſt inter *peritum* in arte medicinæ & inter *expertum* ſeu practicum in eadem. Quæ duo poſſe convenire in eodem, nullus dubitaverit. Sic fit & fieri poteſt, Domino propitio, ut idem ſit *in Scripturis Sacris eruditus*, qui ſimul *in contemplationis exercitatione* probatus eſt. Hunc vero talem habere vult materia præſens, ſicut alias ſcripſiſſe, cum de tractatu quodam *Spiritualium nuptiarum* ſermo fieret, meminimus.

Conſid. 5. De regulis in viſionum examine obſervandis

Probare vero Spiritus iſto modo *doctrinaliter* dum quærimus in aliquibus (alienis) perſonis, quarum corda neq; videre neque ſcrutari datur, oportet, ut *ab operibus ſigna* ſumamus, dicente Chriſto: *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Fallit tamen unum ſignum, vel pauca, ſi non uni (in unum) plura conglobaverimus. Ita enim tradit *Tullius*, ita *Boetius*, ita *Ariſtoteles*, in conjecturali cauſa faciendum. Sed quoniam infinita eſt hujusmodi ſignorum confuſio, coarctemus ad pauciora, & dicamus ſub hoc metro: *Tu quis, quid, quare, cui, qualiter, unde, require.* *Quis* ſit, cui fiat revelatio. *Quid* ipſa contineat & loquatur? *quare* fieri dicatur? *cui* pro conſilio detegatur? *qualiter* venire, & *unde* venire reperiatur?

Conſid. 6. De conſtitutione & affectionibus perſonæ examinandis quæ viſiones jactat.

Probatio Spirituum dum quæritur fieri, conſideretur inprimis *perſona ſuſcipiens viſiones*, an ſit boni & diſcreti judicii, rationis naturalis. Quia læſo cerebro, turbatoq; judicio rationis, ſi læſus *phantaſias patiatur*, non magnopere quærendum eſt, à quo ſpiritu veniant *melancholicæ illuſoriæque viſiones*. Ut patet in phreneticis, in ægrotis variis, qui vigilantes ſe talia videre putant, audire, guſtare &c. qualia ſomniantes patiuntur.

Habet præterea *qualibet paſſio profunda ſuam læſionem*, ſuam ebrietatem, ſuum ut Origines loqvitur dæmonium. Patet in philotypis (philocaptis) in zelotypis & iracundis, in invidis & avaris. Unde Poeta:

An, quia amant ſibi ſomnia fingunt?

Videatur ergo, ſi *perſona* ſit *novitia in zelo fidei.* Quia *novitius fervor cito fallitur*, ſi regente caruerit. Præſertim *in adoleſcentibus & fœminis, quarum eſt ardor nimis avidus*, veriusque effrenis, ideoque *ſuſpectus.*

Rurſus plurimum refert attendere, *qualis ſit & fuerit perſona, qualiter erudita*, quibus aſſveta, quibus delectata, cum quibus converſata? ſi dives vel egena?

In prima *ſuperbiam* vel *ſecretam voluptatem*, in altera *fictionem* timebimus.

Super hæc omnia conveniret obſervare, ne lateat interior *ſuperbia* (ſpiritualis) quam Bernhardus vere nominat *ſubtile malum.* Quoniam & *hæc de humilitate ſua naſcitur*, de ſordibus & cilicio, de jejuniis & virginitate, religione, & de ſua morte, ſuoque contrario trahit originem. Quid igitur erit tutum á ſuperbia, cum nec ipſa virtus tuta ſit ab ea?

Eſt autem *ſuperbia* quædam *in intellectu*, dum non vult ſubjici alieno judicio, ſed innititur proprio: Quædam *in voluntate*, dum renuit obedire. Et hæc citius deprehenditur, ideoque facilius corrigitur quam prima.

Conſid. 7. De viſionum jactatarum

Probatio ſpirituum reſpicit nedum perſonam, quæ viſiones patitur, ſed *viſionum qualitatem*, ſi *vera* ſint omnia etiam usque ad minimam propoſitionem,

indole ſpectanda.

nem. Quoniam in ſpiritu veritatis falſitas non eſt. In ſpiritu autem mendacii mille quandoque ſunt veritates apertæ, ut in una latente falſitate decipiat dæmoniacos, ut Saulem pytoniſſa. (*Alias ita:* Hac ratione prohibuerunt à teſtimonio veritatis quam fatebantur, Chriſtus Dæmoniacos & Paulus pytoniſſas.)

Si præterea ſit in viſionibus *ſapientia*, quæ de ſurſum eſt, cum ſuis titulis, quos Jacobus enumerat. *Primum*, inquit, *pudica eſt deinde pacifica*, *modeſta*, *ſvadibilis*, *bono conſentiens*, *plena miſericordia & fructibus bonis*, *& judicans ſine ſimulatione*.

Si rurſus excedant hæ viſiones communem intelligendi modum, vel in ſcriptura ſacra poſitum, vel in ratione naturali vel morali collocatum. Quia, ſi non, videretur illud adſcribi fruſtra revelationi quod in ſcriptura ſua ſemel Deus locut° eſt, Sicut Job loquitur. *Furioſum* (*onerosum*) *quippe eſſet*, *nedum vanum*, *viſiones ſuper viſiones in immenſum multiplicatas debere recipere tanquam ab ore Dei prolatas*, ac deinde certiſſima fide credendas. Sicque demum noſtra fides, *noſtraq; Religio*, *quam Deus*, teſte Auguſtino, *voluit ſub paucisſimis contineri Articulis*, redderetur plus, absque ulla comparatione; quam lex vetus oneroſa! Hinc *claræ memoriæ Magiſter Henricus de Haſſia* comprimendam eſſe tot hominum canonizationem ſcripſit.

Vid. ſupra Tomo II. in Prolegom. *de hoc Viro plura.*

Unde viſionum frequens ſtudium tempore Conſt. Concilii.

Hinc alia ratio ſumitur. Quoniam *omiſſo divinarum ſcripturarum ſtudio*, *magna pars Chriſtianorum ad has viſiones*, ideo placentiores quia recentiores, *converteret oculos & aures prurientes*. Sicq; neceſſaria neſcirent, quod juxta Senecæ verbum, ſupervacua didiciſſent.

Sint oportet in omni Revelatione Moſes & Helias, hoc eſt, ſecundum venerabilem *Richardum*, teſtimonia legis & Prophetarum. Per totum alioquin ſuſpecta eſt.

Et inde fit perſpicuum, quam *neceſſarii ſint Theologi in Canonizationibus ſanctorum & examinatione doctrinarum*.

Conſ. 8. *Viſionum examinator quomodo ſe gerere debeat, erga viſionem venditantes.*

Probatio ſpirituum requirit ut *perſona*, *cui viſiones hujusmodi recitantur*, *habeat ſe prudenter & cautisſime*. Præſertim in principio conſideret acriter, *quare moveatur hæc perſona*, *ſecretum ſuum pandere*, ſuper quo fiet iſta conſideratio.

Cave ergo, quisquis eris auditor, aut conſultor, ut *non applaudas tali perſonæ*. Non obinde laudes eam, non mireris, quaſi ſanctam, dignamque revelationibus atque miraculis.

Obſiſte potius, *increpa* dure, ſperne eam, cujus ſic exaltatum eſt cor & elati ſunt oculi, ut ambulet in magnis & mirabilibus ſuper ſe, ut digna ſibi videatur, quæ non humano aliorum more operetur ſalutem ſuam, per doctrinam ſcilicet ſcripturarum & ſanctorum, cum dictamine rationis naturalis, niſi conſilium habere præſumat & putet, nedum ab Angelis, ſed à Deo, nedum ſemel in neceſſitatibus, ſed pene jugiter, velut in quotidianis collocutionibus.

Talem *admone*, *non ſublime ſapere* ſed ſapere ad ſobrietatem. Quoniam veriſſime ait, qui dixit: *Superbia meretur illudi.* Et eo dignius, quia inſtar febris phyſicæ latentem hærentemq; oſſibus ſuperbiam, ſicut nec Phyſicus febrilem calorem, ſuperbus attendit. Qvid enim facilius, qvam ſe viliſſimum peccatorem dicere? Sed vivaciter (veraciter) ſimpliciterqve ita ſentire ex intimis, hoc divini muneris, non humani ſolius exercitii.

Enarrentur *Exempla ſanctorum Patrum*, qvi curioſitatem hujusmodi viſionum vel miraculorum pernicioſiſſimam fallaciſſimamque refugerunt. A qva ſe *Auguſtinus* liberatum *in ſuis Confesſionibus* gloriatur in Domino. Qvam præterea Dominus *Bonaventura* abhorrendam nimis eſſe determinat, totoq; conatu repellendam, nunc orationibus, nunc increpationibus, ſeu flagellationibus, propriæ mentis & corporis: Exemplo illius, qvi ut tentatione careret ſuperbiæ, qvæſivit & obtinuit à Domino, ut per tres menſes dæmoniaca vexaretur obſeſſione.

Alter ſanctorum Patrum, cum ipſi Dæmon, transfiguratus in Chriſtum, diceret: *Ego ſum Chriſtus*, *perſonaliter te viſitans*, *quia dignus es:* Confeſtim clauſit oculos utraque manu, vociferans: *Hic Chriſtum credere*, *ſatis eſſe ipſum in gloria ſe videre*. Moxqve diſparuit.

Alter

Alter ſub aliis verbis ſimilem in hujuſmodi illuſione ſervavit humilitatem *Vide*, inquit, *ad quem miſſus ſis. Ego certe talis non ſum dignus hic videre Chriſtum.*

Alterum qui nolebat intrare templum, dicens ſibi ſatis eſſe, quod oculis corporeis aſpexiſſet Chriſtum, colligaverunt catenis, ſolvere jejunium, carnibus veſci, vinumque bibere compulerunt. Sicque timore compulſus (tumore compreſſo) ſanatus eſt.

Objectio. Opponet forſitan aliquis ex Apoſtolo jubente: *Nolite*, inquit, *ſpiritum extingvere!* Si ſit ergo viſio à Spiritu ſancto, quæ nihilomintus repellitur, quid hoc eſt niſi Spiritui Sancto reſiſtere, ſuamque naſcentem gratiam ſuffocare?

Solutio. Sed profecto Spiritus Sanctus qui dat humilibus gratiam, nequaquam ex humilitate quàm prædiximus, ſe ſubtrahet. Intrabit potius & pro beneplacito ſuo deducet victor ſuper excelſa animam hanc, in oculis ſuis vilem, & absq; ulla ruga fictionis humilem & ſimplicẽ.

Curioſitas Porro dici non poteſt, quantum hæc *curioſitas cognoſcendi futura & occulta*, & *miracula videndi* vel faciendi, feſellerit plurimos & à vera Religione frequen-
Superſtitio ter averterit. Hinc *ſuperſtitiones* in populis, quæ Religionem inficiunt Chriſtianam. Dum, ſicut olim Judæi, *ſola ſigna quærunt*, dum *imaginibus exhibent latriæ cultum:* Dum inſuper hominibus necdum canonizatis, *ſcriptis* quoque *non autenticis, plus quam ſcriptis in Evangelio præſtant fidem.*

Conſ. 9. De fine ac ſcopo viſionum ſpectando, Probatio Spirituum conſiderat, *quare* fieri dicantur viſiones, præſertim *quo fine*, nedum proximo, nedum aperto, ſed occulto & longinqvo. Poteſt itaq; *finis proximus* apparere bonus & ſalutaris & devotus ad ædificationem aliorum, qui tandem prolabatur in multiplex ſcandalum; dum vel non reſpondebunt ultima primis, vel aliàs falſum fictumqve deprehendetur in perſonis fuiſſe, quod reputabatur ſanctitatis & devotionis.

Johannes de Varennis. Docuit hoc ætas noſtra de prædicationibus damnatorum *Johannis de Varennis & Johannis Hus*, & ſimilium.

Joh. Hus, Rurſus, dum aliqvid fieri poteſt per humanam induſtriam, ſit hoc in vita ſit in doctrina, qvare neceſſe eſt vel quærere vel expectare divinam cœlitus allocutionem? Hoc nempe tentationi Dei quam honorationi (venerationi) apparet ſimilius.

Cœterum *finis* attendendus eſt, quà- *Conſ. 10.*
re fiat communicatio talium viſionum *De obſervando fine, cur viſiones recenſeantur ab illis, qui hat jactant.* alteri perſonæ, utrum *ad oſtentationem*, vel ad neceſſitatem? utrum ad dandum vel recipiendum conſilium? utrum fiat experto vel inexperto talium?

Qvod ſi videatur hæc perſona quærere tantummodo *conſilium*, ne fallatur, videndum eſt, num paratam ſe monſtret *obedire conſilio.* Alioqvin jam de curatione vix ſpes erit. Qvoniam, ut dicit *Johannes Climachus* : *Non jam eget dæmone tentante ſe, quia fact' eſt ſibi dæmon.*

At vero, dicit aliqvis: Hæc idcirco *Objectio.*
perſona non credit alieno judicio, quia de ſuo certa eſt per Revelationem in-
timam & ſecretam. *Solutio.* Sed profecto, non eſt diviſionis Deus, ut timenti ſe revelet unum, & per alterum, ſimiliter timentem Deum, dicat unũ contrarium. Itaqve ſi viſio ex Deo fuit, non diſſipabitur inhumiliante ſe ab alieno judicio propter Deum, ſed vigorabitur amplius & vivet (vincet).

Qvocirca tradimus pro *cautela*, qvod *in hujusmodi viſionibus nedum ſuſpenſum teneatur judicium*, exemplo Beati Ambroſii & Luciani Presbyteri, ſed dicatur reverenter cum Petro ; *Exi à me, Domine, quia peccator ſum, quia vilis ſum, quia viſionibus tuis indignus ſum, quas hic neq; quæro, nec accepto, ſed repello. Sit in alio (cœlo) & non in hoc ſeculo Viſio tua tota merces mea, Domine Deus. Sed ſufficit quantum ad me de Viſionibus tuis in hac vita ſuperiorum meorum monitionibus acquieſcere. Mitte potius obſecro quem miſſurus es. Sine, (me) meus Spiritus humili degat (tegat) obſcuroq; loco.*

Altera poteſt addi ſuper hujusmodi viſionibus recipiendis *cautela*, qualem *de ſomniis* tradidit unus, dicens: *Si monitiones aliqua bona*, inqvit, *fieri videantur in ſomniis, vel ex perſona defunctorum vel aliunde recipiantur, eas non quaſi ſomnia penitus abjicito, neque eis ex adverſo velut autenticis vel divinis adhæreto. Recogitentur potius, tanquam rememorationes a-*

 liquo

liqua ad faciendum bona, vel mala declinandum, juxta ſomniorum qualitatem.

Conſ. II. De obſervanda vita & converſatione viſiones jactantium.

Probatio ſpirituum conſiderat, *quomodo Perſona*, quæ viſiones ſe habere dicit, *converſetur*, an in ſecreto vel in publico, an in vita activa vel contemplativa, an in devotione nimia, quæ notam affert in veſtimentis & cœteris? Aut ſi communem habeat converſationem, accommodam his, quibus convenit.

Hoc præcipuè conſiderare neceſſe eſt, *ſi ſit mulier, qualiter cum ſuis confeſſoribus converſetur & inſtructionibus* ſeu collocutionibus intendat continuis, ſub obtentu nunc crebræ confeſſionis, nunc prolixæ narrationis viſionum ſuarum, nunc alterius cujuslibet confabulationis.

Expertis credite, nominatim Auguſtino ac Domino Bonaventuræ: *Vix eſt altera peſtis vel efficacior ad nocendum vel inſanabilior.* Quod ſi nihil haberet aliud detrimenti, niſi temporis pretioſi latiſſimam hanc conſumtionem, abunde Diabolo ſatis eſſet.

Habet aliud ſcitote, habet *inſanabilem videndi loquendiq;*, ut interim *de tactu* ſilentium ſit, *pruriginem.* Evenitque illud de Didone apud Poetam:

- - - Hærent infixi pectore vultus
Verbaq;, nec placidam membris dat cura quietem.

Cum tamen in *pace* ſit Dei locus. Nullus idcirco mirabitur ſi tales ad fabulas converſi avertuntur à veritate.

Si præterea *mulieres hæ curioſe agentes* ſint, quales notat Apoſtolus, ſemper diſcentes & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes. Ubi autē non eſt veritas, ſit vanitas & falſitas neceſſe eſt.

Conſ. 12. Spectandum unde veniat & quo tendat Spiritus.

Probatio ſpirituum conſiderat, *unde ſpiritus veniat, aut quo vadat.* Itaq; *Bernhardus* teſtatur, hoc in ſe nunqvam ſcire datum eſſe. Qvi tamen expertum ſe pluries aſſerit humiliter Sancti Spiritus præſentiam, ex intimo motu cordis ſive mentis. Mirabitur igitur fortaſſis aliqvis, qvo pacto *perſona ſtatûs inferioris* dicat, *ſe frequenter agnoſcere, unde Spiritus veniat.* Præſertim cum dixerit Chriſtus Nicodemo: *Vocem*, inqvit, *ejus audis, & neſcis unde veniat aut quo vadat.*

Magna difficultas diſcernere viſiones divinas à cogitationibus naturalibus.

Qvid porro, qvod *in ſpiritibus diverſis multa in* ſpirationibus inveniatur ſimilitudo. Eſt enim Spiritus Deus, Spiritus Angelus bonus, Spiritus Angelus malus, Spiritus humanus, tam rationalis qvam animalis. Poteſt autem *ſimilis viſio* ſpirari per qvemlibet hunc ſpiritū, ſuo modo, longeqve (tamen) diverſo, ſed diverſitate faciliter perceptibili.

Qvæ ſimilitudo non ſcitur apud *inexpertos* talium, qvi neqve per ſe ipſos ex acumine ingenii, neqve per eruditionem in Theologicis, vel Phyſicis diſciplinis, neqve per aliorum traditionem ſciunt talia diſtingvere certo.

Nec mirandum. Cum pauciſſimos inveniamus, *qui plene* ſciunt *ſecernere cogitationes & affectiones rationalis animæ, ut rationalis eſt, ab illis, quæ ſunt animales*, videlicet *in ſenſu communi vel organo phantaſiæ.* Quem invenies, precor, ex timentibus Deum, peccataque fugientibus, qvi ſemper & in omnibus ad liqvidum proſpiciat, dum tentationes urgent (vigent) num ſenſus eorum ſit tantummodo in imaginatione, vel conſenſus in ratione? Adeo *non facile eſt diſcernere ſenſum à conſenſu.* Qvanto plus habet difficultatis probatio qvadruplicis prænominati ſpiritus. Dum ſcilicet inſtinctus unus vel inſpiratio vehemens tangit mentem: Si ſit à Deo, vel ab Angelo bono, aut malo, vel à proprio *ſpiritu humano.* Cujus rurſus *portio duplex*, ſuperior & inferior, deſcripta eſt. Cujus ſentire diviſionem, perfectè dat illud verbum Dei, qvod pertingit usq; ad diviſionem ſpiritus & animæ. Qualem in ſe diviſionem paſſa erat, qvæ exclamavit: *Magnificat anima mea Dominum.* Dehinc ſecernens ſpiritum ab anima, ſubjunxit: *Et exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.*

Hæc interim ſub compendio curſim notata ſint, quatenus, dum ad ſingularia deſcendendum erit, facili' hac occaſione ſapientiores dijudicent: Perſvaſū habentes, vivere hominem, cujus nomen ſit in libro vitæ, cui pluries & in pluribus perſonis hujus temporis datum eſt experiri & practicare omnia, quæ dicta ſunt. Et ſic eſt finis. Deo gratias. Amen.

(o)

TOMI

Digitized by Google

TOMI III. PARS IV.

DE RECANTANTIBUS IN REBUS FIDEI.

CRemati Huſſi cineres, Rheno inſperſi, in univerſum abierant orbem *Hieronymus Pragenſis* ſuos quoque cineres Rheno fuerat mixturus. Quiq; Huſſum i vivum erat ſectatus, defunctum pari & doctrinæ & fortunæ facto è veſtigio erat ſecuturus: Ni pedem retinuiſſet. Gemino itaque à flammis Huſſi elapſo menſe, cum memoria Huſſi videretur Hieronymo excidiſſe, amoris & doctrinæ vinculum, quod inter Huſſum & Hieronymum fuerat arctiſſimum, abſentia vel flammis Huſſi videbatur prorſus ſolutum. Quapropter *XI. die menſis Septembris* ejuſdem *anni* 1415. Hieronymus Huſſum in publico Concilii conſeſſu execratus, doctrinam ejus abjuravit. Quam *abjurationis* formulam, ab *Hieronymo* hoc *Pragenſi* in magna Concilii celebritate prælectam, recenſuit *Theodericus Vrie, in Hiſtoria Concilii Conſtantienſis.* Hanc videre licet ſupra *Tom. I. Parte I. f.* 171. *ſeqq.* Quæ res plenius ex *Actis & Decretis Concilii Tomo IV.* conſtabunt.

Poſthæc, qui flammas revocatione ſuæ doctrinæ putaretur evaſiſſe, ſcrupulos aliis de integritate ſui pectoris injeciſſe deprehenſus. Ut ex quorundam ſententia non uſtus ſed urendus exiſtimaretur.

Quæ præcipua cauſa fuit, quare in Concilio mox diſputatum *de Proteſtatione aut revocatione in rebus fidei ad hæreſeos maculam abſtergendam.* Quam quidem quæſtionem haud longe poſt Hieronymi Pragenſis recantationem, *d.* 29. *Octobr.* ejuſdem *anni* 1415. publice in Concilio movit *Gerſon.* Non itaq; fas fuit hanc fatorum partem hic diſſimulare. Maxime quod ex his diſputationibus *Hieronymi profeſſio* aliam dein nacta ſit faciem, quæ Huſſi flamma colluſtraretur, ad eundem cum Huſſo rogum haud longe poſt rapto Hieronymo.

JOHANNIS GERSONIS
JUDICIUM
De Proteſtatione & Revocatione in negotio fidei ad eluendam hæreſeos notam.
In Conſtantienſi Concilio A. 1415. *d.* 29. *Octobr. publicatum.*

PRoteſtatio ſeu *revocatio generalis* aut *conditionalis*, quia quæritur nonnunquam adſumi tanquam velamen iniquitatis & ad excuſandas accuſationes in peccatis, præſertim ab *hæreticis*: Propoſuimus declarare ſub aliquibus conſiderationibus, quid *proteſtatio generalis*, quid *conditionalis revocatio* juvant vel important. Maximè dum *in hoc ſacro Conſtantienſi Concilio* ſentimus, quod *hæreſes* ut cancer ſerpunt, & *ſub* hujuſmodi *proteſtationibus deliteſcere* quærunt, junctis *protelationibus*, quæ ſub terminis juris poſitivi vel & in cauſis prophanis ſedulo procurantur, ut non protinus in lucem prodeat veritatis catholicæ ſpecies atque decus.

I. Conſideratio. Proteſtatio circa materiam fidei, de quâ ſola nunc intendimus, eſt quædam *profeſſio* ſeu confeſſio, *facta exterius, ad oſtendendum, quid de fide proteſtans ſentiat interius*, juxta illud Apoſtoli *ad Rom.* 10. *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem profeſſio fit ad ſalutem.* Et ſic ad ſalutem, ut dixerit Chriſtus *Luc.* 9. *Qui me erubuerit, & ſermones meos, & filius hominis hunc erubeſcet coram Angelis Dei.* Quo contra, Matthæo teſte, dicebat *Matth.* 10. *Qui me confeſſus*

fuerit coram hominibus, *confitebor & ego eum coram patre meo.* Ex quibus elicitur, quod, ſicut *credere* cadit ſub præcepto, ſic cadit *fidem exterius profiteri* pro ſemper quidem ſed non ad ſemper, cum ſit adfirmativum præceptum. Obligat autem ſemper & ad ſemper, dum ex omiſſione confeſſionis libera diſpendium fidei vel ſalutis detrimentum probabiliter immineret. Ut coram Tyrannis, corum hæreticis, coram judicibus, coram populis fides eſt diverſimodè palam confitenda, defendenda, teſtificanda, & ex officio prædicanda. Notetur *Auguſtinus* ſuper illud Apoſtoli: *Oportet hæreſes eſſe.* 1. *ad Corinth.* 2. Et recitatur 24. *quæſt. ult. c. finali.* Faciunt pro hoc dicta ſcripturæ *Joh.* 10. 2. *Petr.* 3. *Matth.* 2. *Ezech.* 3. *&* 33. & alibi ſine numero.]

II. Conſideratio. Proteſtatio generalis vel *ſpecialis* de ipſa fide, *non infert*, *quod proteſtans erraverit*, ſimiliter nec *revocatio conditionalis.* Hoc eſt itaque perſpicuum, quod hoc, quantumcunque fidelis, dicere poteſt: *Proteſtor*, *quod nihil intendo dicere*; *nec puto dixiſſe contra fidem: Et ſi oppoſitum contingeret vel contigiſſet, illud ex nunc revoco vel retracto.* Sic inveniuntur Doctores Catholici qvandoqve dixiſſe. Imo & qvotidianus mos apud exercitantes ſe in actibus Theologiæ ſcholaſticæ ſic ſe habet. In quibus frequenter nullus eſt aut fuit de errore notatus, qui ſic proteſtatur aut revocat. Nihilominus advertendum eſt, quod non refert *proteſtari* vel conditionaliter revocare, *circa ea*, *quæ clariſſimè & explicitè ſunt de fide*, ſicut quod Deus eſt omnipotens, quod proximus eſt diligendus. Aliter vero circa ea, quæ diſputabilitatem vel difficultatem habent aliquam. In primo ſiquidem caſu fas eſt dicere cum Apoſtolo *ad Gal.* 2. *Si quis vobis aliud evangelizaverit*, *etiam Angelus de cœlo*, *anathema ſit.* Quocirca veniunt irridendi quicunq;, imo & corripiendi nonnulli, qui concluſiones Theologicas poſituri dicunt, *proteſtor*, *quod nihil volo vel intendo aſſerere, ſed tantum diſputativè loqui.* Deinde ponunt talem aliquam concluſionem: *Deus eſt omnipotens, Deus eſt trinus & unus*, quaſi videlicet concluſiones tales non in certiſſimâ credulitate, ſed ſub probabilitate tradi poſſint.

Denique ſic eſt judicandum de omnibus, ad quæ profitens fidem ſuam obligatur explicitè credere, vel ex officio, vel ex eruditione, vel ex divinâ revelatione, vel ex aliquo tali modo. Alioquin ſicut dubius in fide infidelis eſt, ſic & dubiè profitens certam fidem. Neq; tamen negandum eſt, quin *proteſtatio ſeu ſubmiſſio reverentialis* fieri poſſit. Sicut egit Apoſtolus, conferendo Evangelium ſuum, de quo per revelationem certus erat, cum Petro & aliis Apoſtolis, quibus tamen, oppoſitum, ſi fieri potuiſſet, dicentibus, nequaquam crediſſet.

III. Conſider. Proteſtatio generalis de fide *ſtat cum errore particulari circa eam*, & ſimiliter conditionalis revocatio. Vidimus hoc & videmus in ipſis hæreticis, qui errant videlicet pertinaciter contra fidem, circa ea, quæ tenentur explicita fide tenere & exterius profiteri. Quorum nihilominus vox iſta: *Proteſtor, quod eſſe volo bonus Catholicus*, *& ſi ſcirem aliquid eſſe contra fidem illud ſtatim vellem revocare.* Sic Arrius, ſic Sabellius, ſic hæretici noſtri temporis plerumque dixerunt, qvos tamen damnatio judicialis interemit vel perdidit.

Datur ad conſiderationem hanc *ratio* talis: Quia ſtat, quod aliquis credat aliquid in generali, ut, quod fides catholica vera eſt, & pro hac mori vellet, qui nihilominus in ſpeciali credit de aliquâ veritate catholicâ, quod non ſit de fide, errans pertinaciter circa illam. Simile dicit Ariſtoteles, quod *contingit aliquid ſcire, in generali*, & illud vel *neſcire*, vel *de illo dubitare in particulari.* Exemplum eſt de iſta: Omnis mula eſt ſterilis, hoc animal non eſt ſterile, demonſtrata mula, quam aliquis putat eſſe prægnantem ob turgidum ventrem, & neſcit vel non advertit hanc eſſe mulam. Et ita ſicut in hoc caſu iſte *neſcienter errat*, ſic & alii, de quibus loquimur, dicuntur *neſcienter hæretici*, prout infra docebimus.

IV. Conſider. Proteſtatio generalis de fide

Digitized by Google

de fide *non ſufficit ad purgationem errantis pertinaciter*, ſic nec conditionalis proteſtatio. Sequitur hoc ex præcedenti, cujus etiam ratio talis eſt. Quia debet errans particulariter & explicitè circa ea, quæ ſunt fidei, quærere cautâ ſolicitudine veritatem fidei, & obedire quæſitæ ac ſufficienter edoctæ, tam credendo interiùs, quàm exterius profitendo. Alioquin oſtendit ſe non paratum corrigi, oſtendit quoque ſe non credere ſacræ ſcripturæ catholicæ, dum non credit eis, quæ ſufficienter contineri monſtrantur in eâdem ſcripturâ formaliter vel in conſequentia evidenti ſeu certâ. Quia ſi non corrigitur per hanc regulam ſcripturæ, nihil reliquum eſt, per quod ad viam veritatis revocatur, ſecluſo miraculo. Denique talis proteſtans ſeu conditionaliter revocans dum facit vel dicit oppoſitum ſuæ proteſtationis ac revocationis, patet ipſum non inde juſtificari, ſed magis infici, cum ſit ipſe ſibimet contrarius. Rurſus talis alios per hujuſmodi proteſtationes & revocationes ab errore non revocat, neqve ſcandalum datum tollit, neqve captivat intellectum ſub Deo in obſeqvium fidei. Stat enim talis proteſtatio cum infidelitate, cum ſcandolo, cum tumore & arrogantiâ.

Propterea ſtatutum invenitur in ſacris canonibus, quod errantes dum correcti recipiebantur, dabant libellum ſuæ confeſſionis abſolutæ de fide, & abjurationis de errore. Rectè qvidè, ſicut & in foro pœnitentiali non ſufficit ſub conditione facta confeſſio, dum aliqvis ſcit vel ſcire debet abſolutè quod peccavit.

Secus ubi non habetur certitudo, ſed ſcrupulus aliquis, timidus & vacillans, neſciens ſi hoc fecit, vel malo modo fecit, quemadmodum circa cogitationes carnis, quas incontinens ſenſit, trepidat, vel ignorat, ſi conſenſit. Quo caſu ſufficit conditionalis confeſſio & ſalva veritate doctrina Gregorii. *Bonarum mentium eſt*, inquit, *agnoſcere culpam, ubi culpa non eſt*, hoc eſt, *pœnitentiam quaſi pro culpâ recipere, quaſi reus eſſet.*

Sed opponitur contra conſiderationem de neſcientet hæretico, quod mentiretur contra conſcientiam ſi revocaret. Reſponſio plana eſt. Quia tenetur conſcientiam deponere, ex quo ſupponitur, quod pertinax eſt. Secus ubi quis errat non imputabiliter. Quare pro tunc non tenetur conſcientiam dimittere, ſed bene poſtmodum, dum movetur legitimè. Facit pro conſideratione *Calixtus*, ſicut habetur *Extra. de pœnit & remiſſione cap.* 1. Manifeſta peccata non ſunt occultâ correctione purganda, nec ſub conditione.

V. Conſider. Proteſtatio generalis & conditionalis revocatio veraciter factæ *ſufficiunt* ad excuſationem aut purgationem, *dum* proteſtans & conditionaliter revocans *errant circa ea, quæ non tenentur explicitè credere, vel abſolutè confiteri.* Declaratur hoc in illis, qui promtum habent animum ſtatim obediendi veritati cognitæ. Ut ſi Theologus aliquis vel non Theologus erraret circa unam propoſitionem in Biblia poſitam: Exempli gratiâ: Quod Samuel unxit in Regem ipſum Saul, vel quod David fuit paſtor ovium: Non ideo diceretur ſtatim hæreticus. Quia forte nunquam vidit vel audivit textum illius ſcripturæ, ſed poſtquam oſtenditur in textu ſic haberi, continuo credit & adſentitur. Ita proteſtatio & conditionalis revocatia ſalvant eum, ne pertinax eſſe aut fuiſſe condemnetur. Præſertim dum de ignorantiâ ſuâ poteſt afferre ſufficiens documentum. Alioquin forte judicaretur apud homines pertinax fuiſſe, apud Deum verò maneret innoxius. Propterea poſitum eſt in conſideratione hoc adverbium, *veraciter*, per quod excluduntur, qui non ex animo ſed *fictè & inaniter* proteſtantur, diſſidentes in ſemetipſis corde, voce, & opere.

VI. Conſider. Proteſtatio generalis de fide, quâ dicunt aliqui, *ſufficit mihi fides Eccleſia, ſufficit, quod ſalver in fide parentum, ſufficit etiam dicere, credo in Deum*, non ſalvat ſemper hujuſmodi proteſtantes, etiamſi non errant. Deducitur hoc: Quia *non ſufficit ſola fides generalis & implicita*, ſed explicita requiritur, apud iſtos quidem minus, apud alios ampliùs. Unum ſymbolum generale apud omnes capaces rationis eſt illud, quod poſuit Apoſtolus *ad Hebr.* 11. *Credere enim oportet*

portet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit. Porro apud Chriſtianos, qvibus facta eſt apertior revelatio de credendis, non ſufficit hoc Symbolum, ſed debet explicitè credere *Symbolum Apoſtolorum*, & illud addiſcere, protinus ut veniunt ad annos diſcretionis. Sicut ab initio, dum baptizabantur adulti, fiebant prius catechumeni, profitentes explicitè fidem ſuam, qvemadmodum pro parvulis patrini nunc reſpondent.

Deinde ſunt multa de fide per univerſos pene Chriſtianos promulgata in prædicationibus, in picturis, in mutuis relationibus, ſeu collationibus, in obſervationibus authenticis celebritatum ſanctorum, & ita de reliquis. Hæc autem talia, quæ publicè fiunt, non eſt licitum, ſicut dicit, ea non ignorare. Non enim excuſarentur Laici, ſi non crederent infernum eſſe, ſi non bonos Angelos, ſi non malos, ſi non ſanctos & ſanctas, ſi non præterea decem præcepta legis juxta planum & textualem eorum intellectum. Ut, quod non eſt idololatrandum, quod non perjurandum, quod non occidendum, quod non furandum, quod non mœchandum, & ita de reliquis plurimis impreſſionibus, legibus ac inſcriptionibus naturæ, quas nemo capax rationis, maximè poſtquam ſibi traditæ ſunt per doctrinam, permittitur, ignorare.

Amplius verò ſunt alii, quos ultra ſimplices & commune vulgus hominum neceſſe eſt habere fidem explicitam, de plurimis, multiplici & ſpecialiter qvadruplici ratione.

Primò propter officium *paſtorale* ſuper alios, ut paſcant eos in fide & doctrina, & ab hæreticorum argutiis ſapienter defendant. Conſtat enim, qvod aliqvi ſunt in Eccleſia ad hoc ablegati ex officio, alioqvin non eſſet ſufficienter inſtituta. Iſti autem ſunt *prælati*, juxta quod *profitentur utrumq; ſe Teſtamentum ſcire.* Qvod & Apoſtolus ſæpius explicuit, dum Timotheum & Titum chariſſimos diſcipulos inſtrueret & alios, *Actor.* 20. dicens: *Attendite vobis & univerſo gregi, in quem poſuit vos Spiritus Sanctus Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.*

Deinde *ſecundo* ſunt *Doctores* in ſacris literis, *Profeſſores*, qvos ignorantia non poteſt excuſare, quin ſciāt explicitè plurimas veritates contentas in Biblia, & alias ex eis deductas. Alioqvin Doctoris nomen & gradum damnabiliter & inexcuſabiliter uſurparent.

Proinde ſunt alii de ſtatu etiam laicali, qvos oportet multa ſcire de legibus divinis præceptorum moraliū, dearticulatim & explicitè, propter ſuſceptum ab eis officium. Ut quia rectores populorum, qvia judices eorum, qvia conſiliarii vel aſſeſſores ſunt eorundem rectorum & judicum in cauſis variis criminalibus atq; civilibus. Quod animadvertens Salomon petivit a Domino *cor docile & intelligens, ad faciendum juſtitiam, & ad faciendum judicium.* Eſt itaq; regula, qvod *nullus ea, quæ ſunt officii ſui, permittitur ignorare.* Quæ regula reſpicit nedum prælatos majores, aut principes ſuperiores, ſed minores & inferiores, in utroq; ſtatu clericali, ut ſunt *Curati & Confeſſores* in foro pœnitentiæ, & in ſtatu laicali, ut *Præpoſiti vel Ballivi.*

Poſtremò conſurgit *quartò* generalis obligatio ad credulitatem aliquorum explicitam, non ex ſolo gradu hierarchico, ſed ex *aliis donis gratuitis*, ut ſunt *vivacitas ingenii naturalis, ut judicium ſolers, ut vis gnomica* vel epieikes, ut particularis *eruditio*, ut vehemens adplicatio ad ſcripturas ſacras, canonicas vel civiles. Hic enim veritatem habet illud Gregorii: *Tantum ab unoquoq; Dominus exigit, quantum dedit.*

Quo fit, ut perſpicua ſit conſideratio, quæ dicta eſt adverſus reprobam nonnullorum deſidiam vel taciturnitatem, qui, dum fides confitenda venit explicitè, ſe in implicitâ latere tutos putant, aut qui talentum multiplicis doni, naturalis vel gratuiti, qvod multiplicādum ſuſceperant à Domino ſpiritualib' incrementis, defodiunt in terrâ ſupervacuæ vel noxiæ curioſitatis temporalis, ſibi blandientes, qvod in fide non errant, qvippe de eâ nihil ſciunt, curant vel interrogant. Notetur pro conſideratione *S. Thomas* 2. 2. *quæſt.* 2. *artic.* 6. *Explicatio*, inquit, *fidei ad inferiores homines oportet quod veniat per majores.* Quod probat

Digitized by Google

batur auctoritate Dionyſii, concludentis, qvod oportet eos pleniorem habere notitiam de credendis, & magis explicitè credere.

VII. Conſider. Proteſtatio generalis ſeu conditionalis revocatio, qua dicitur ab aliquibus pertinaciter errantibus: *Si hac veritas mihi nota eſſet, ſcit Deus, quod libenter eam corde crederem ad juſtitiam, & ore confiterer ad ſalutem*, non excuſat tales apud Deum vel homines. Fundatur hoc ſuper illud Evangelii, Ecce venit hora, & nunc eſt, ut omnis, qui nos interficit, arbitretur ſe obſeqvium præſtare Deo. Sic Apoſtolus prius errans in Chriſtianorum perſecutione judicabat de ſe ipſo, ſic ad Judæos loquens: *Et nunc ſcio fratres, quod hac per ignorantiam feciſtis.* Quos tamen non excuſabat de nece Chriſti, dum alibi dicit: *Ignorans ignorabitur.* Erat quippe juris ignorantia affectata, craſſa vel ſupina. Sic hæretici, dum ſe morti tradunt pro defendendis erroribus ſuis, arbitrantur ſe Catholicos & mereri. Habent quippe zelum, prout dat aliquibus teſtimonium Paulus, ſed non veram ſcientiam. Quare non veram ſcientiam? Nimirum quia ſcientiæ Dei (quæ eſt Scriptura ſacra) ſuam ſophiſticam ſcientiam ſic præponunt, quod eidem nolunt eſſe ſubjecti, quamvis aliter ſint ſibimet conſcii, non tamen in hoc juſtificati, quia mentitur iniquitas ſibi.

Conſid. 8. Proteſtatio generalis ſeu conditionalis revocatio quandoque ſufficiunt excuſare proteſtantem *apud forum exterius*, quem non excuſat *de interiori foro* Deus, & è contra. Conſurgit hæc varietas; quoniam *aliter judicat Deus, aliter homo.* Deus inſpicit corda, & ſcit, qvid intus agatur, conformiter ad proteſtationem ſeu revocationem, aut difformiter ad eam. Humanum verò judicium id ſpectat, qvod foris eſt, & unde certificari poteſt per ſigna, teſtes, voces & opera. Qvo fit, ut verè credens interius & explicitè quandoqve non poſſit hoc oſtendere contra teſtes & ſigna. Aliqvando autem fit è contra, ut qvi veraciter eſt hæreticus in corde, ille humano teſtimonio per allegationem ignorantiæ vel aliter catholicus cenſeatur & abſolvatur. Qualiter autem debeat aliquis probare, qvod non fuit pertinax per allegationem ignorantiæ vel ſimplicitatis, hoc magis *juribus poſitivis* cautum eſt. Quibus inter cætera dicitur, qvod *allegans ignorantiam probare debet illam.* Tradunt ſimiliter, qvibus argumentis, teſtibus, & judiciis poſſunt & debent judices Eccleſiaſtici pertinaciam convincere præſentem vel præteritam in errante.

Conſideratio 9. Proteſtatio ſpecialis de fide, ſicut & *abſoluta revocatio* de errore, reqviruntur ad juſtificationem illius, *qui particularem errorem abſolutè tenuit* in verbis & in factis. Qvod ſi legitimè monitus facere renuit, ipſe *pertinax* cenſendus eſt. Oſtenditur prima pars tali ratione: Nulla proteſtatio ſeu revocatio, qvæ communis eſt omnibus catholicis, ſufficit ad juſtificationem errantis in fide & explicitè, dum hoc particulariter ſcit, aut ſcire debet. Qvoniam non eſt idem judicium de catholico & errante, ſicut nec innocente atqve peccatore, reſpectu confeſſionis ſacramentalis. Conſtat autem, proteſtationem generalem cum revocatione conditionali ab omnibus catholicis ſine mendacio ſine diffamatione fieri poſſe. Reqviritur igitur pro errantibus *ſpecialior revocatio.* Altera pars manifeſta eſt. Qvia talis non oſtendit ſe qværere cautâ ſolicitudine veritatem, ſed forte *quâdam diſſimulatione, palliatâ* velamine revocationis hujusmodi conditionalis. Quæ ad veritatem non eſt, niſi qvædam *proteſtatio fidei generalis*, & non propriè revocatio. *Quia conditionalis nihil ponit.* Facit pro hoc, quod dictum eſt ſuperiùs, conſideratione quartâ circa finem.

Conſideratio 10. Proteſtatio catholica de fide cum revocatione particulari & abſolutâ de errore licet juſtificet errantem, qvod *modo* non ſit habendus pertinax aut hæreticus; Non abſolvit tamen, qvin *talis extiterit*, præſuppoſitâ notorietate primæ partis in utroqve foro, Dei & hominis. Quia talis corrigitur & obedit veritati, neqve tenet plus errorem, qvem deſerit per abſolutam

tam revocationem. Deducitur altera pars. Conſtat itaqve hoc ſolo privari Deum, facere ſcil. *præteritum non fuiſſe*, ut notat Hieronymus & Salomon. Qvisqvis igitur fuerit de præterito ſic adhærens errori ſuo, cujus oppoſitum tenebatur explicitâ fide tenere aliqvo modorum prætacto, qvod perſiſtebat in illo errore, monitus etiam legitimè vel edoctus, ſeu fraternaliter ſeu doctoraliter ſeu judicialiter, per ſcripturam ſacram, per rationem evidentem, aut aliter; Talis verè fuit pertinax in errore, & ex conſeqventi nedum hæreticans ſed hæreticus. Propterea quantumlibet emendetur, nunc poteſt declarari *fuiſſe talis*, atqve hæreticorum *pœnis ſubjici* ſub perpetuâ carcerali cuſtodiâ, vel aliter, ſublatis ſibi qvibuslibet dignitatis, officii vel honoris inſignibus. Solet tamen apud Eccleſiam miſericordia ſuperexaltare judicium, præſertim *humilitate* revocantis errorem ſponte palam & abſolutè *perſpecta*.

Qvod ſi dixerit proteſtans hujusmodi: *Ecce paratus fui ſemper audire Eccleſiam, audire determinationem ſedis Apoſtolicæ vel ſacri concilii, qualiter accuſor nunc de pertinacia circa doctrinam aliquam, priusquam fuerit hoc modo declarata, diffinita & judicata? Quid etiam mihi de inferioribus judicibus, quid de Doctoribus & eorum diffinitionibus, quibus obedire nequaquam adſtringor, ut qui ſubjectus eis non ſum, ſed prælatus, ut ipſi, Doctor, ut ipſi.* Sic blanditur pertinax arrogantia ſibi, ſic ſe fallit & alludit, tanquam videlicet nihil explicitè credendum ſit, niſi Papa prius, niſi Cardinales illud ſub præciſâ verborum formâ ſententialiter damnaverint. Eſt itaque longè aliter juxta deductionem illorum, qui probant, nullam inveniri poſſe novam hæreſin. Quia, qvæcunque detur, illa prius erat Scripturæ Sacræ contraria, ab ipſa quoque damnata, ſicut modo, dicente Auguſtino: *Si quid noxium eſt, hic, ſcil. in Scripturâ Sacrâ, damnatur.*

Fatemur nihilominus, poſſe fieri *declarationem novam* tam doctrinaliter, quàm judicialiter, *de aliquâ hæreſi*, quod ſcripturæ ſacræ repugnans eſt. Qvæ declaratio etſi fieri habeat principaliori ac ſuperiori auctoritate, generaliter obligante, per ſedem Apoſtolicam & ſacrum Concilium: Fit nihilominus quotidie legitima declaratio talis per Doctores & expoſitores Sacræ Scripturæ ac per prælatos inferiores, qvos oportet explicite multa ſcire ad inſtructionem populi ſui. Hæc autem declaratio, etſi non obliget, ut præciſè talis eſt, alienos, obligat tamen, ut convincitur eſſe facta conformiter ad Sacram Scripturam, quæ eſt antecedens. Qvo conceſſo, ſi conſeqventia negari rationabiliter neqvit, concedenda eſt conſeqventer explicita concluſio, quæ declaratur & infertur. Quoniam ex veris non ſeqvitur niſi verum. Itaque ſi quis diceret, qvod Chriſtus non habuit nervos, aut quod omnis puer non baptizatus poteſt licenter occidi, aut qvod pro bono communi licitum eſt falſum dicere: Talis perſeverans poſt declarationem ſufficientem ſibi factam non excuſaretur à pertinaciâ, quantumcunqve clamaret: *peto judicium Eccleſiæ vel ſacri concilii. Huic me ſubmitto, hanc audio.* Poteſt equidem tali dici, *quod actum eſt, ne agas, quod jam diffinitum eſt, diffiniendum non expectes.* Diffinitum, inqvam, etſi non in eadem verborum formâ, tamen in effectu & in ſententia. Unde fit, ut aliqvis uno tempore teneatur aliqvid explicitè credere, ad qvod prius fides implicita ſatis erat, ſecundùm *Thomam 2. 2. queſt. 2.* ubi loqvitur de credendis implicitè vel explicitè.

Conſideratio 11. Proteſtatio ſpecialis de fide vel abſoluta revocatio ſpecialis de errore, *non debet fieri neceſſario, dum quis errat neſcienter in fide.* Conſtat itaque qvod nullus mentiri tenetur, hic autem neſcienter errans, ſi ſe diceret errare, mentiretur, ſtante tali conſcientiâ. Talis præterea pœnas hæreticorum vel infamiam etiam, poſteaqvam deprehenditur erraſſe, & abſolutè revocat, non incurrit. Patuit hoc in Auguſtino, qvi multa priùs neſcienter errata poſtmodum abſolutè correxit ſub nomine *retractationis*, vel aliqvo tali modo loqvendi, qvo revocationes denotabat, utendo talibus verbis: *temerè dictum eſt, hoc improbo, hoc non approbo, hoc mihi non placet.*

Digitized by Google

cet. Notetur ad hoc idem *Auguſtinus ad Vincentium, 24. quaſt. ult. cap. finali, & Gelaſius, ibidem, quaſt. 2. c. 2. Legatur.*

Elicitur conſeqventer ex iſtis differentia multiplex inter *ſcienter & neſcienter errantes*, & inter *ſcienter & neſcienter hareticos*. Et hoc qvoad tria, qvæ ſunt *crimen, modus, & pœna.* Juxta qvod notetur dictum Auguſt. 24. *quaſt. 3. c. 29. Dixit Apoſtolus.* Ubi ait: *Qui ſententiam ſuam, quamvis falſam & perverſam nulla pertinaci animoſitate defendunt, praſertim quam non audacia ſua praſumtionis pepererunt, ſed à ſeductis atq; in errorem lapſis parentibus acceperunt: Quarunt autem cautà ſolicitudine veritatem, corrigi parati cum invenerint, nequaquam ſunt inter hareticos reputandi.*

Unde colligitur, quod *quadruplex* eſt *modus errandi circa fidem. Uno modo*, credendo quod fides catholica ſit falſa, aut Scriptura Sacra. Et ſic errans dicitur ſcienter hæreticus, quia non eſt paratus corrigi, cum neget regulam, per qvam habet dirigi ſeu revocari. Poteſt *alio modo* qvis errare, credendo generaliter, qvod fides catholica ſit vera, ſed æſtimat aliqvam eſſe fidem catholicam, quæ in veritate non eſt catholica, ſicut Arriani, recipientes Scripturam Sacram, ſed ad ſenſum perverſum, qvi ſectam ſuam ſolam putabant eſſe catholicam, hi ſunt neſcienter hæretici. Errant autem præcedentes in utroqve modo contra fidem, quam tenentur explicitè credere. Sunt alii circa fidem errantes in his, qvæ non tenentur pro tunc explicitè credere. Et hoc dupliciter. *Uno modo* pertinaciter, qvia non parati ſunt corrigi, ſed propter ſuperbiam ſuam aut aliter proprium defendunt errorem. *Altero modo* dum parati ſunt corrigi protinus agnitâ veritate, qvia non pertinaci animoſitate defendunt errorem, ſed ex ſolâ ſimplicitate vel ignorantiâ ſunt in errore.

Cæterùm inter *hos quatuor modos* primi magis peccant quàm ſecundi, & ſecundi quàm tertii.

Modus errandi ſimiliter diverſus eſt, Qvoniam in duobus primis error invenitur, qvem tenentur explicitè diſcredere & diffiteri. Tertii verò pertinaciter errant in illo, cujus oppoſitum pro tunc non tenentur explicitâ fide tenere ſed implicita, ſed qvia renuunt corrigi, dicuntur hæretici. Qualiter verò deprehendatur aut cognoſcatur talis pertinacia, declaratur ſummatim in aliis duodecim conſiderationibus, quæ ad hanc unam reducuntur hic ab Auguſt. poſitam. *Quod tales non quarunt cauta ſolicitudine veritatem, ſed ejus declarationi reſiſtunt, omisſivè vel commisſivè*, variis modis, *per ſe vel alios, verbis aut factis; judicialiter aut extrajudicialiter, terroribus aut muneribus, minis aut blanditiis, propter depravationem affectus, cauſa alicujus commodi temporalis adſequendi, vel incommodi devitandi, circa divitias, delicias vel honores.* Habemus in his tripliciter errantibus diverſitatem in crimine & in modo.

Pœna ſimiliter diverſa eſt qvoad aliqva. Nihilominus tertii punientur ſicut duo primi, ſi judicialiter evocati ſe corrigere, ſi errorem abſolute revocare, ſiveritatem oppoſitam profiteri noluerint. Qvia relinqventur curiæ ſeculari, aut ſi ſe correxerint pœnitentiæ ſalutari. At verò quarti, qvia non jungunt errori ſuo pertinaciam, nunc vel antea, qvamvis ſint corripiendi per revocationem erroris, ipſi tamen neqvaqvam ſunt pœnis hæreticorum plectendi, nec infamiâ notandi. Sicut apud Scholaſticos Theologos *in præclarâ Univerſitate Pariſienſi* freqventer obſervatur, qvos proteſtatio generalis & conditionalis revocatio juvit ad hoc, ne de pertinaciâ notarentur, juncta humilitate, qvâ protinus revocant errorem nedum conditionaliter, ſed abſolutè. Qvæ revocatio ſufficit Magiſtris ad purgationem, nec ab actib' ſtudii legitimis exercendis vel conſeqvendis revocantes obinde repelluntur.

XII. Conſider. Proteſtatio generalis aut conditionalis revocatio non obſtat, qvin ſic proteſtans aut revocans dici poſſit *ſuſpectus de hareſi* qvandoqve leviter, qvandoqve vehementer, aliqvando violenter. Patebit hæc conſideratio per præcedentes, ſi docuerimus; *quis* eſt *dicendus de hareſi vel leviter, vel*

vehementer, vel violenter ſuſpectus. Et hoc alias latiori ſermone declaravimus, nunc ſummatim repetatur. Itaqve *ſuſpicio levis* provenit ex ſignis exterioribus operum vel verborum, ex qvibus cognitis accipitur conjectura, quâ concludi poteſt non qvidem freqventer, ſed rarò ſeu contingenter, ut in paucioribus, qvod talia agens vel dicens eſt hæreticus. Itaqve conſeqventia levis eſt & Topica, ſicut argueremus: Petrus non venit ad Eccleſiam in ſolennitate Nativitatis Beatæ Mariæ virginis: Ergo non bene ſentit de ea. Vel ſic: Petrus aſſumit nomen Dei freqventer in vanum, dejerans & negans eum, ergo non bene credit de eo.

Porro *vehemens ſuſpicio* provenit ex ſignis exterioribus operum vel verborum, ex qvibus cognitis accipitur argumentum, concludens freqventer & ut in pluribus, qvod talia agens vel dicens eſt hæreticus. Ut ſi qvis neget explicite, palam & publicè ea, qvæ debet ex officio ſcire plus quam alii. Quamvis poſſit in rei veritate negatio talis ex ignorantia provenire, vel animi levitate, non ex hæretica pravitate.

Dicimus demum, *ſuſpicionem* eſſe *violentam*, qvæ ſumitur ex ſignis exterioribus operum vel verborum, ex qvibus cognitis concludi ſolet efficaciter & ut ſemper, qvod talia agens vel dicens eſt hæreticus. Qvemadmodum ſi qvis prædicet publicè, qvod Chriſtus non fuit verus Deus, qvod Deus non eſt diligendus ſuper omnia, qvod licitum eſt paſſim homines occidere ſicut beſtias, qvod juramenta non ſunt tenenda, aut ſi patenter adoret ſepulchrum Machometi, vel ſi deferat habitum Judæis appropriatum, non qvidem joco faciens hoc ſed ſerio. Conſtat nempe qvod poſſibile eſt talia facientem vel agentem tenere veraciter interius fidem Catholicam, ſicut de Salomone idolatrante, & de Marcellino idolis ſacrificante, dicunt multi, qvod neuter eorum fuit hæreticus in mente. Nihilominus Eccleſia de exterioribus judicans non de occultis arguet in talibus violentam præſumtionem & ſecundum eam feret judicium. Exemplo Salomonis de meretricibus. 3. *Reg.* 3. Et hoc, niſi talis *violenter ſuſpectus* ſe legitimè purgaverit, allegando vel ignorantiam, vel timorem, vel fictionem, vel aliqvid hujusmodi, paratum corrigi ſe demonſtrans.

Quocirca patet, valere plurimum circa ſuſpiciones hujusmodi adſumendas pro argumentis conſiderare *conſvetudines patriarum, locorum, temporum, perſonarum, modos & judicia.* Evenit qvippe, qvod verbum unum dabit ſuſpicionem hæreſis in uno loco vel in una perſona, qvod in alio loco vel perſona nihil reputabitur. Exemplum de negantibus & deſpicientibus Deum qvotidianis verbis, in certis partibus, qvod in aliis partibus multis horridum judicaretur, & hæreſi proximum.

Has interim *conſiderationes duodecim*, poſuiſſe velut in tranſcurſu ſuffecerit 29. *menſis Octobris, anni* 1415. *in civitate Conſtantienſi, ubi ſacrum* agebatur *generale Concilium*, præſtante eo, qvi eſt Deus benedictus in ſecula. Amen.

TOMI III. PARS V.

DE REBUS HIERONYMI PRAGENSIS.

LEgerat Hieronymus Pragenſis *Gerſonis de Revocatione Diſputationem.* Conſcientiam ſuam non ſolùm à Concilii patribus, amicis, hoſtibus, ſed præcipue *Bohemis*, Huſſi rogo inflammatis, novoque zelo accenſis, vellicari & magis magisque uri ſenſerat. Quapropter diu ſe continere haud ſuſtinuit, quin Huſſi flammis pectus ſuum incaluiſſe palam teſtaretur, qui uno iterum cum Huſſo loqueretur ore. Sic animo ſumpto recantationem ſuam nuper factam publice damnavit, magno æſtu ad Huſſi uſtrinam adſpirans. Quas viciſſitudines vel oris vel pectoris vel fortunæ delineavit *Theodericus Vrie in Hiſtoria Concilii Conſt*, ſupra *Tomo I. Parte I. f.* 182. *ſeq.* Plenius de his infra *Tomo IV.* Audiendus hic lauda-

laudatus aliàs *Epiſcopus Laudenſis*, qui ut antea in funere Huſſi, ita & nunc Hieronymi, coram Concilio oravit.

CAP. I.

JACOBI, Epiſcopi Laudenſis,
Publica ORATIO
In Supplicium Hieronymi Pragenſis,

Abſente Cæſare, in Conſtantienſi Concilio A. 1416. d. 30. Maji habita,

Ex *antiquiſſimis Codicibus MSCtis*

Cæſareo, Vindobonenſi, Parte IV. Act. C.C f. 89.

& Ducali Brunſvicenſi. Act. C.C. f. 87.

IN *nomine Patris, & Filii & Spiritus S. Amen.* Supremæ TRINITATIS nomine invocato, pro præſenti propoſito occurrit mihi thema meritò proponendum, videlicet: *Exprobravit incredulitatem illorum, & duritiam cordis. Marc. ult. c. & in Evangelio occurrentis Octavæ.*

Reverendiſſimi Patres & orthodoxi Domini, ceteri quoque *fideles & catholici.* Quoniam, teſte *Aurelio Auguſtino*, perverſis & obſtinatis hominibus non levia verba, ſed magis aſpera objicienda ſunt: Quoniam ſæpius contingit, ut ubi lenis correptio (*MSC. Br.* correctio) ſpernitur, acris, aut acerba prolata (*MSC. Br.* plaga) majori attentione ſuſcipiatur: Ideò, qui blando verbo non corripitur, neceſſe eſt, ut acrius arguatur. Cum dolore quidem abſcindenda ſunt, (*in MSC. Br.* vulnera) quæ leniter ſanari non poſſunt, inquit *Iſidorus de ſummo bono.* Certè ſic videmus, quòd graviſſimus nodus in ligno nequit expelli, niſi graviſſimo oppreſſorio, teſtatur *Ambroſius.* Ubi namq; fuerit peſtilentior morbus, (*MSC. Br.* peſtilentia morbi) oportet medelam apponere fortiorem, & majus vulnus cautiori (arctiori) eſt ligamine conſtringendum. Durior quoque ferri materia, dum ad formam non facilè flectitur, opportunum eſt, ut ei acrioris flammæ incendium & groſſioris mallei tunſio adhibeatur.

Propterea, *Hieronyme*, viſa tua obſtinatione diutinâ, attentâ pertinaci contumaciâ, & *auditâ tua ultimâ reſponſione* tàm improba, certè poſſum tibi dicere illud, quod ſcribitur *Eſa. XLVII. Scivi, quod durus es, & nervus ferreus cervix tua, & frons tua area.* Sed attende, quòd cor durum mala habebit in noviſſimo, & *qui amat periculum, peribit in illo. Eccl. III.*

Conſidera tu quoque, quòd, licet foris mea ſonet terribiliter increpatio, intus tamen jacet charitativa dilectio lenitatis. Et ſicut tibi non debeo verbo aut ore parcere, ſic etiam intendo bonâ voluntate te delinquentem & pia charitate corripere. Non quippe malis aſſentiendum eſt, ut approbentur. Sic etiam negligenda non ſunt, ut non arguantur. Quarè *non putes me afflictionem velle afflicto addere*, neq; ignem gladio confovere. Non enim intendo recalcitrantem bis pungere, ſive incredulum obruere, aut induratum confundere. Sed ut verius cognoſcas, quanta charitate corripereris, quantâ dilectione reprehendereris, & quam longâ piaque benignitate, ut reſipiſceres, hortabaris & adoptabaris, propoſitum thema duxi iterum reſumendum, eisdem verbis, videlicet: *Exprobravit incredulitatem illorum & duritiam cordis.*

Sacrum quippe præſens concilium exprobavit incredulitatem illorum perfidorum hominum, *Johannis Wicleff*, & *Johannis Huß*, & eorum ſeqvacium. Sic qvoqve exprobrat tuam incredulitatem & duritiam cordis. Tua qvidem *incredulitas* mala, qvæ hæreſes nutrivit, atqve perfidiam. Sed multo pejor tua *cordis duritia*, qvæ tuam obſtinationem oſtendit & pertinaciam. Nam ex errore increduſus reprehenditur, ſed ex cordis duritia hæreticus convincitur. Qvoniam qvi ſuam ſententiam licet falſam nulla pertinaci obſtinatione tuentur, ſe ipſos emendare

parati,

Digitized by Google

parati, ſunt neqvaqvam inter hæreticos computandi. Sed ſolum qvi majorum Patrum contemtâ ſententiâ ſuorum errorum perfidiam contendunt toto poſſe defendere, parati magis mori, qvam corrigi, verba ſunt *Auguſtini contra Fauſtum.* Nam ex diſpoſitione nullus ſimpliciter nominatur, ſed ex habitu perfecto. Unde non qvicunq; *incredulus*, ſed ſolum qvi pertinaciter devius, *hæreticus* eſt. Qvoniam *error in ratione*, eſt hæreſeos initium: Sed *pertinacia* & cordis duritia in voluntate, eſt hæreſeos complementum. *Falli qvippe & fallere, humanæ eſt fragilitatis conditio.* Qvare vidimus, qvod, qvi, non dico meliori aut ſaniori, ſed acutiori (*MSC. Br.* acriori) vigent ingenio, præ aliis deſipiunt. Qvoniam noſtrum ingenium de (in) ſua natura non eſt otioſum. Et ideò, quando neſcit tenere veritatis tramitem, in labyrinthum præcipitatur erroris. Nam *aliter ſapere, quam res ſe habet, humana tentatio eſt. Sed nimis ſuam amare ſententiam, ſacrorum Patrum decreta contemnere, & usq; in hæreſeos ſacrilegium pervenire, diabolica præſumtio eſt,* inquit *Auguſtinus contra Donatiſtas.*

Sunt igitur *errores* ſimul & *increduli* exprobrandi. Sed magis cordis duritia condemnanda. *Vitia* ſiqvidem *transmittit ad poſteros, qui præſentibus culpis ignoſcit, & bonis nocet, qui malis parcit,* ſic ait Moralis *Seneca.* Iniqvitas qvippe mortalium in noſtri pernitiem more putredinis ſine fine vagaret, ſi eam medicinalis correctio minimè reſecaret. Nempè malum cum perſeverat, augetur, & remediabile bonum eſt in peccato accelerata correctio.

Occurrendum eſt itaqve malis, occurrendum eſt ſcandalis, ne tractu temporis impunita malitia convaleſcat, & vires iniqvitati diſſimulatio ſubminiſtret; Sed debita correctio imperitiam doceat, & contumaciam atqve cordis duritiam ſevera diſciplina compeſcat. *Manifeſta ſunt quidem crimina non occulta correctione purganda. Sed palàm arguendi ſunt, qui publicè peccaverunt. Ut, dum aperta objurgatione ſanantur, hi, qui eos imitando deliquerant, corrigantur. Dum enim unus corripitur, plurimi emendantur. Et melius eſt pro multorum ſalute, ut reus puniatur, quam quod per unius licentiam multi periclitentur,* inqviunt *Gregorius in Regiſtro, & Iſidorus, III. De Summo bono.*

Quamobrem ſunt hæretici publicè exſtirpandi, ne ſuis malis exemplis, falſa doctrina, & contagione peſtifera plurimos perdant. Fide qvidem cordium mundatrice contemtâ, quid agunt increduli, intelligendo, quæ de natura noſtræ mentis ſubtiliſſime diſputantur, niſi, ut ſua qvoqve intelligentia teſte damnentur. Sunt enim nonnulli, ut inqvit *Gregorius*, qvi, dum plus exqvirunt contemplando, quam capiunt, usque ad perverſa dogmata erumpunt, & dum humiliter diſcipuli eſſe veritatis negligunt, magiſtri errorum fiunt. Sicut igitur eſt *approbanda vera & docta ſimplicitas*: Sic *exprobranda eſt falſitas accuratè compoſita*, quæ hominem ſuis erroribus illicit, & per lingvæ ornamenta laqveos deceptionis expandit.

Et licet qvisque incredulus ſit pro ſua perfidia meritò exprobrandus: Intereſt tamen multum, *in quibus rebus & quantum erretur*, & quam facilè ſe quisqve corrigat, vel quanta pertinacia ſuum defendere conetur errorem. Incredulitas, ubi correctionem ſuſcipit, meretur veniam. Sed duritia & pertinacia non niſi finali exterminatione plectenda eſt. Nemo igitur obduratus & contumax de ſuo corde præſumat, nemo de ſua inani phantaſia confidat. Adverſaria namque eſt duritia, quæ vitam ſuam pro certo commendat: Et lubrica ſpes, quæ inter fomenta peccati ſalvari ſe ſperat. Incerta eſt victoria, inter hoſtilia arma pugnare: Et impoſſibilis eſt ſalvatio, flammis circumdari & non ardere.

Nimium itaqve *præceps* ſui eſt, qvi contendit intrare, ubi viderit alios cecidiſſe: Et vehementer *infrenis*, cui non incutitur timor, alio pereunte. Culpa cum defenditur, geminatur. Et peccatum peccato adjicit, qui mala geſta inverecunde pertinaciterque defendit. Deteſtanda igitur eſt cordis duritia, & præci-

præcipuè illa, quæ nec compunctione ſanatur, nec pietate mollitur, nec precibus commovetur, quæ minis non cedit, & flagellis amplius induratur. Unde eſt inexcuſabiliter criminalis, qvando remedium pœnitentiæ non admittit, & contentû ſuperbiæ non evomit.

Duo ſunt quidem, qvæ in erroribus hominum difficillimè tolerantur: *Præſumtio*, antequam veritas pateat, & cum patuerit, *præſumta defenſio falſitatis.* Sicut enim incredulitas ex ſuperbia naſcitur, ſic etiam cordis duritia ex propria præſumtione nutritur. Nullus quidem *præſumtuoſus* culpam ſuam confitebitur, (MSC. Br. fatetur) quia ſe culpabilem non exiſtimat. Quod tamen ſi omnino viderit, argui aut deliqviſſe putari, minimè patitur. Damnatiſſima eſt igitur præſumtuoſa ſuperbia, & ſuperba præſumtio, qvæ, ubi nulla veritas eſt, ſibi cupit fictam juſtitiam arrogari, & de propria non deſinit ſcientia ſuperbire.

Hieronyme, timeo quod iſta talisq; præſumtio & exiſtimatio, qvam tu tibi fingis de te ipſo, ſit totius tuæ cauſa ruinæ. Hic latet tuû præcipitium. Hic eſt tuus labyrinthus errorum. Hæc tuæ obſtinatio paravit interitum. Licet enim ſciolus ſis, & didaſcalus fueris, tua tamen, ut mihi apparet, nimium præſumtione deceptus. Error enim tuus errori gradum multifariam præparavit.

Deliberavi, *Hieronyme*, te utraqve fronte percutere, ſemper tamen cum debita charitate, qvæ dum vulnerat, ſanat, & dum pungit, lenit. Quare non præbeas mihi faciem tuam ut petram duriſſimam. Sed potius, juxta evangelicum (M. B. Eccleſiaſticû) documentum: *Siquis percuſſit te in unam maxillam, præbe illi & alteram.* Percutiam igitur te, & utimam ſanem. Debuiſſes qvidem emolliri ex recordatione criminum commiſſorum, aut viſa tantâ benignitate tuorum judicum.

Primò quidem projicio ſtercus non alienum ſuper faciem tuam, ſed tuum proprium, ut tua poſſis ad tui emendationem crimina intueri. Quibus utinam poſſet tanta tua duritia emolliri.

Attendite, quæſo, *Catholici Domini*, quanta fuit horum virorum, ſcilicet *Johannis Huß & Hieronymi*, præſumpta temeritas. Ut homines viles, plebeji, infimi, ortuque ignoti, auderent nobile regnum Bohemiæ totum concutere, Barones & Principes ad lites & diſſenſiones incitare, milites provocare, regimina antiqua & utilia immutare, convocare cohortes, dividere populos, inter cives diſſenſiones maximas commovere, catervas ducere, ſatellites habere, armatos tenere, homicidia perpetrare, vel procurare, ſpoliare eccleſias, & altaria profanare. O beatum regnum Bohemiæ, ſi natus non fuiſſet homo ille! Valdè qvippe deteſtandum eſt, qvod *homines eccleſiaſtici*, ſub cujusdam prætextu ſanctitatis, qvi deberent Deo vacare, die noctuqve precibus inſiſtere, pro peccatis populi, cujus bona commedunt, orare, tempus ſuum orationi impendere, *non verentur Regum & Principum curias infeſtare*, lites commovere, decreta regnorum velle pro libitu immutare, litibus inſudare.

O qvanti mali fuit radix, *horum duorum ruſticorum* præſumtio. Ex qva qvot ſunt utraqve parte occiſi, & quot ſolennes clerici detruſi? qvot exilio relegati? quot violenter expulſi? qvot ſpoliati? quot verberibus cæſi? quot deſolatæ eccleſiæ? quot profanata altaria? qvot deſtructa monaſteria?

Et ſi, *Hieronyme, volebas malos perſequi clericos*, cur bonos afflixiſti? Qvæſo te. Quia pridiè uſus fuiſti Jeremiæ exemplo, eodem & nunc velis uti & dicere: *Væ mihi mater mea, cur genuiſti me virum rixæ, virum diſcordiæ in univerſa terra?* ut ſcribitur *Jerem. XV.* Non te pigeat meminiſſe, illorum ſanctorum virorum *Cartuſienſium de Praga*, qvorum *Priorem* trahi & monaſterium ſpoliari, vos, in animarum veſtrarum perniciem, procuraſtis.

In unam te percuſſi maxillam, præbe mihi & aliam, in qva benignitatem tuorum Dominorum judicum ut perpendas attende. Sciunt aliqui, ſi non omnes, debeo ſcire & ego, rigorem & modum, qvi circa hæreticos vehementer de hæreſi diffamatos debet breviter obſervari. Nam debent diligenter in-

quiri & capi, ac forti carcere mancipari. Debent contra eos articuli recipi, & teſtes, quicunque contra eos admitti, etiamſi ſint infames, ut uſurarii, ribaldi, aut publicæ meretrices. Debent de veritate dicenda juramento aſtringi. Qvam ſi præfati hæretici dicere contemſerint, debent aculeo (eqvuleo) torqueri, & variis tormentis extendi. Nec debent aliqui ad eos, niſi magnæ neceſſitatis cauſa, intromitti. Non debent qvoque publicè audiri. Si reſipuerint, debet eis miſericorditer venia impendi. Si autem pertinaces extiterint, debent condemnari, & tradi brachio ſeculari.

Certè non iſto rigore tecum actum eſt, licet fueris de hæreſibus permaximè diffamatus. Quia non tantum Arrius, non Sabellius, non Fauſtus, non Neſtorius, non quiſquam alius fuerit hæreticus in vita ſua tantum, quantum tu, diffamatus. Quia in Anglia, in tota Bohemia, in Francia, in Ungaria, in Polonia, in Lituania, in Ruſſia, in Italia, & in tota Alemannia, de hæreſi tua pervolavit infamia. *Fuiſti captus*, ut debent ſimiles, *ad concilium que deductus*, & ſola neceſſitate urgente, *recluſus*. Super qua recluſione reverendiſſimi Domini mei *Cardinales, de Urſinis, Aquilegienſis, Cameracenſis, Florentinus*, perſonaliter qvæſierunt, ſi poſſes alio magis loco commodo collocari. Et, ſi tuam fugam non fuiſſent veriti, quia ſæpius fugeras, nedum in eorum domo, ſed menſa & camera, te unusquiſque eorum benevolè pertractâſſet.

Contra te non fuerunt, niſi probi teſtes admiſſi, utputa S. Theol. Magiſtri, ſacri Canonis Doctores, Baccalaurei quoque quàm plurimi; ſolennium eccleſiarum Curati, & omnes alii venerabiles viri, qui coram te jurarunt, & quorum neminem reprobaſti. Articuli quoque contra te adducti fuerunt pro maxima parte de veritate probati.

Tortus (coactus) *non fuiſti*. Et utinam fuiſſes. Quia vel ſic humiliatus omnes errores tuos penitus evomuiſſes. Pœna illa tuos aperuiſſet oculos, quos culpa præcluſerat.

Ad te etiam *quicunque venire voluerunt*, ad tui conſolationem fuere *intromiſſi*. Recogita, quàm benigne, quam dulciter Reverendiſſimi Domini Cardinales, quam plures alii te fuerint exhortati, & tibi ex corde compaſſi. Ut velles reſipiſcere, quoties ſupplicarunt?

Audientia quoque *publica* pluries tibi ad tui *conceſſa* eſt libitum. Quam utinam non habuiſſes! Timeo namque, ne illa audientia tibi nimiam præſtiterit audaciam.

Sex enim *incommoda* tibi per te in illa audientia irrogata ſunt. *Primum*, quia omnium te piè excuſare volentium ora obſtruxiſti, *qui, quadam pietate commoti, ut te defenderent, te delirum, amentem, ſtultum, ſive inſanum dicebant*. Sed, quæſo, quis te inſanum aut delirum diceret, niſi eſſet delirus? Hominem ſic ornatè orantem & accuratè dicentem? Oportet amplius, ut hi tui excuſatores ſileant, & penitus conticeſcant. Qvia loquela tua manifeſtum te fecit.

Secundum incommodum tibi in tua irrogatum oratione fuit: Quia te ſeditioſum & homicidia procuraſſe minimè denegaſti.

Tertium: Quia teſtes contra te deponentes per multas hiſtorias longaque exempla, mentitos fuiſſe, probare conabaris, quos tamen contra te veraciſſime dixiſſe, unico tuo teſtimonio comprobatum eſt.

Quartum fuit: Quia apparuit, ut neſcires inter Logicam Rhetoricamque diſtingvere, cùm dixeris, dicta teſtium contra te demonſtrativum argumentum minimè facere. Neſcis quippe, quod demonſtrationis genus aliud eſt in Logica, & aliud in Rhetorica. Logica quidem demonſtrat per propoſitiones immediatas & Syllogiſmum expoſitorium. Rhetorica verò monſtrat per laudes & vituperia. Aliter namque demonſtrat Phyſicus, Naturalis, & aliter Ethicus & Moralis. Unde Legiſta, Canonicus vel civilis, non demonſtrat niſi per allegata & probata. Itaque contra te demonſtrant per allegata legitima, & probata de veritate ſufficientiſſima. Rogo te, quis magis contra te poteſt demonſtrare, quàm tu ipſe contra te & adverſum temet demonſtraſti?

Digitized by Google

Tu ſolus tibi inimicus exiſtis, tu ſolus tibi adverſarius, tu ſolus magis tibi contrarius. Omnes nos tibi compatimur, tu ſolus tibi crudelis penitus comprobaris. Omnes tibi pii aſſiſtunt; at tu ſolus tibi ipſi inimicaris.

Quintum fuit: Quia *Johannem Huß*, quem prius tuo teſtimonio ac juramento anathematizaveras, poſtmodum laudare non fuiſti veritus. Quæſo te, quâ fronte, qua audacia, qua quoque inverecundia potuiſti attollere virum ſeditioſum, hæreticum, & homicidia procurantem?

Memini, te aliquando dixiſſe, illum non fuiſſe ebrioſum, vel fornicarium. Sed quid prodeſt, Reverendiſſimi Dni, vinum non bibere, & ira, odio, ſuperbia, & contentione inebriari? Quid prodeſt jejunare viſceribus, & luxuriare venatibus? Abſtinere à cibis, & errare peccatis? 86. *diſt.* 12. *Quid prodeſt.* Quid eſt vinum ſervare, & ſangvinem effundere non vereri? Aut quid eſt, non inebriari vino, & dentibus detractionum ſangvinem ſpargere, & proximorum carnem immaniter (inhumaniter) laniare, & inceſſabili (ineffabili) perſecutione interimere.

Dixiſti, illum non fornicarium. Utinam dixiſſes non hæreticum. Nulla enim major fornicatio, quàm illa, quâ hic fuit catholica fornicatus à fide.

Sed *ultimò* in hac publica audientia temetipſum tuo proprio teſtimonio condemnaſti. Utinam ſiluiſſes! quæ namque contra te major potuit eſſe auctoritas, quàm ea, qua te mendacem, perjurum, imò pejerantem & hæreticum relapſum eſſe affirmas, revocas quæ ſanctè juraſti, & in fortiorem & pejorem recidivaſti errorem.

Quamobrem *ſacrum præſens concilium*, cui in terra eſt collatum omne judicium, *judicabit te juxta vias tuas. Ezechiel. VII.* licet, qui non credit jam judicatus ſit, ut ſcribitur *Joh. III.* In judicando, ſive in corripiendo, ut teſtatur *Seneca De Clementia ad Neronem*, hæc tria lex ſecuta eſt, quæ quilibet princeps aut judex ſequi debet: Ut aut eum, quem punit, emendet, aut pœna ejus ceteros meliores reddat, aut ut ſublatis malis ſecuriores ceteri vivant.

Quamobrem *hæc ſancta ſynodus* de te nunc intendit ſumere judicium. Et utinam reſipiſceres, & duritiam tui cordis infringeres. Judicabit itaque te ſecundum recti judicii æquitatem & ſacrorum Canonum ſanctiones. Et licet, quod abſit, converti nolueris, tamen ſic debet utique judicare, ut convertat incredulos ad prudentiam, i. e. ad ſanctam ſcientiam fidei parare Domino plebem perfectam. Quod eidem ſancto concilio concedere dignetur feliciter vivorum & mortuorum judex juſtiſſimus, Jeſus Chriſtus, benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

Collatio facta per Magiſtrum Jacobum, Laudenſem Epiſcopum & Apoſtolici Palatii magiſtrum, ſuper condemnatione Hieronymi de Praga, hæretici, in Concilio Conſtantienſi M CCCC XVI. die XXX. Maji.

CAP. II.

Supplicium Hieronymi Pragenſis ſpectaculum fuiſſe non deplorandum magis quam admirandum, cum ſtupore referunt omnes illius ætatis ſcriptores vivique ſpectatores, nullo in Hieronymum affectu moti, niſi quod tam forte pectus ſervari inque ſuis caſtris vivere optarent. Noſtrum non eſt, oris aperti pectoriſque infracti lineas in Hieronymo, coram judicio æque ac inter ardentium lignorum ſtrues collocato, ducere. Præſtitere id abunde *Theodoricus Vrie, in Hiſt. Concilii Conſt.* ſupra *Tomo I. Parte I. f.* 201. *& Poggius Florentinus*, Orator Concilii florentiſſimus. Cujus orationem *piam parentationem* dixiſſes, niſi conſtaret, non amore in Hieronymum, ſed animoſitatis & conſtantiæ admiratione virtutiſque heroicæ in diro mortis genere proditæ veneratione motum, ſcripſiſſe Florentinum, magnum illius ætatis Oratorem ac Philoſophum,

Digitized by Google

POGGII FLORENTINI
Oratoris in Conſtantienſi Concilio inclyti
EPISTOLA
ad Leonardum Aretinum
De admirabili animi præſentia in Hieronymo Pragenſi coram judicio & in buſto.

Ex MSCto Lipsiensi.

Poggius plurimam ſalutem dicit Leonardo Aretino.

CUm pluribus diebus ad balnea fuiſſem, ſcripſi ad Nicolaum noſtrum ex balneis ipſis Epiſtolam, qvam exiſtimo te lecturum. Deinde, cum *Conſtantiam* revertiſſem, paucis poſt diebus, cœpta eſt agi *cauſa Hieronymi*, quem hæreticum ferunt, & quidem publice. Hanc tibi recenſere orationem inſtitui, cum propter rei gravitatem, tum maxime propter *eloquentiam* hominis ac *doctrinam*. Fateor, me neminem unquam vidiſſe, qui *in cauſa dicenda*, præſertim *capitis*, magis accederet ad *facundiam priſcorum*, quos tanto tempore(tantopere)admiramur. Mirum eſt vidiſſe, quibus verbis, qua facundia, quibus argumentis, quo vultu, qvo ore, qva fiducia reſponderit adverſariis, ac demum cauſam perorarit. Ut dolendum ſit, tam nobile ingenium, tamque excellens, ad illa hæreſis ſtudia divertiſſe. Prouti tamen vera ſunt, quæ ſibi objiciuntur. Neque enim mei intereſt, tantam rem dijudicare. Acquieſco enim eorum ſententiis, qui ſapientiores habentur. Neq; tamen exiſtimato, me in morem Oratorum ſigillatim cauſam referre. Longum qvidem illud eſſet, & multorum dierum opus. Pertingam qvosdam illuſtriores locos, quibus tantum viri doctrinam poſſis conſpicere.

Cum multa in hunc *Hieronymum* congeſta eſſent, quibus arguebatur hæreticus, atq; ea teſtibus firmata: Tandem placuit, ut ſingulis, quæ ſibi objiciebantur, reſponderet. Ita in concionem deductus cum juberetur ad illa reſpondere, maledictis adverſariorum diutius reſpondere recuſavit: Aſſerens, ſe prius cauſam ſuam agere, quàm maledictis illorum reſpondere. Itaqve pro ſe prius dicentem ſe audiendum aſſerebat, tum ad æmulorum ſuorum probra in eum congeſta deveniendum.

Sed cum hæc auditio (conditio) ſibi denegaretur, tum ſtans in medio concionis, *Quænam eſt hæc iniquitas*, inquit, *ut cum* GCC LX. (340) *diebus, quibus in duriſſimis carceribus fui, in ſordibus, in ſqualore, in ſtercore, in compedibus, in rerum omnium inopia, adverſarios, atq; obtrectatores meos ſemper audieritis, me unam horam audire nolitis. Hinc eſt, ut, cum ſingulorum aures patuerint, atq; in tam longo tempore vobis perſvaſerint, me hæreticum, hoſtem fidei, Eccleſiaſticorum perſecutorem, mihi autem defendendi nulla facultas detur: Vos prius mentibus veſtris me improbum hominem judicaveritis, quam qui forem potueritis cognoſcere. Atqui*, inqvit, *homines eſtis, non dii. Non perpetui, ſed mortales. Labi, errare, falli, decipi, ſeduci poteſtis. Hic mundi lumina, hic orbis terrarum prudentiores eſſe dicuntur. Maxime vos decet elaborare, ne quid temere, ne quid inconſulte, aut quid præter juſtitiam faciatis. Equidem ego homuncio ſum, cujus de capite agitur. Nec pro me loquor, qui mortalis. Verùm indignum videtur, ſapientiam tot virorum adverſum me aliquid ſtatuere præter æquitatem, non tantum re quantum exemplo nocituram.*

Hæc & multa præterea ornate diſſerebat in ſtrepitu & murmure plurimorum ſermonem ejus interpellantium.

Tandem decretum eſt, ut ad errores, qui in eum conferebantur, publice reſponderet, deinde loquendi quæ vellet facultas daretur. Legebantur ergo ex pulpito ſingula capita accuſationis. Tum rogabatur, an quid vellet objicere, & deinde teſtimoniis confirmabantur.

In-

Digitized by Google

Incredibile eſt dictu, quam callide reſponderet, quibus ſe tueretur argumentis. Nihil enim protulit indignum bono viro. Et ſi id in fide ſentiebat qvod verbis profitebatur, nulla in eum, nedum mortis, cauſa inveniri juſta potuiſſet, ſed nec qvidem licuiſſet leviſſimæ offenſionis. Omnia falſa tunc eſſe dicebat, omnia crimina conficta ab æmulis ſuis.

Inter cætera cum recitaretur, illum ſedis Apoſtolicæ detractorem, oppugnatorem Romani Pontificis, Cardinalium hoſtem, perſecutorem Prælatorum & cleri, Chriſtianæ religionis inimicum: Tunc ſurgens, qverebunda voce, & manibus erectis inquit: *Quo nunc me vertam? Patres conſcripti, quorum auxilium implorem? Quos deprecer? Quos obſecrer? Vos ne? At iſti, perſecutores mei, veſtras mentes a mea ſalute alienaverunt, cum univerſorum hoſtem me eſſe dixerint eorum, qui judicaturi ſunt. Nempe arbitrati ſunt, ſi ea, quæ in me confinxerunt, levia viderentur, tamen vos veſtris ſententiis oppreſſuros cummunem omnium hoſtem atq; oppugnatorem, qualem me iſti falſiſſime ſunt mentiti. Ita ſi eorum verbis fidem dabitis, nihil eſt quod de mea ſalute ſperandum ſit.* Multos ſalibus perſtrinxit, multos lædoriis: Multos perſæpe in re mœſta ridere coëgit, jocando in illorum objurgationes.

Cum rogaretur, qvid ſentiret de Sacramento, inquit, *Antea, panem, in conſecratione & poſtea, verum corpus, & reliqua ſecundum fidem.* Tum qvidam: Atqui ajunt te dixiſſe, poſt conſecrationem remanere panem. Reſpondit: *Apud piſtorem remanet panis.* Cuidam ex Ordine Prædicatorum acrius invehenti, *Tace*, inquit, *Hypocrita.* Alteri, conſcientiam juranti, *Hæc*, inquit, *tutiſſima via eſt ad fallendum.* Quendam præcipuum adverſarium, nunqvum niſi *canem* aut *aſinum* appellavit.

Cum vero propter criminum multitudinem ac pondus, res eo die tranſigi nequiret, in diem tertium eſt dilata. Quo die cum ſingulorum criminum argumenta recitata eſſent, ac ſubinde plurimis teſtibus confirmarentur, tum ſurgens: *Quoniam*, inquit, *adverſarios meos tam diligenter audiſtis, conſequens eſt, ut me quoque dicentem æquis animis audiatis.*

Data tandem, licet multis perſtrepentibus, dicendi facultate: Hic primum à Deo exorſus eſt. Eum deprecans rogabat, eam mentem ſibi dari, eamque dicendi facultatem, quæ in commodum & ſalutem animæ ſuæ verteretur. Deinde, *Scio*, inquit, *Viri doctiſſimi, plures fuiſſe excellentes viros indigna ſuis virtutibus perpeſſos, falſis oppreſſos teſtibus, iniquis judiciis condemnatos.* Incipiens autem à *Socrate*, illum injuſte à ſuis damnatum eſſe retulit, neque, cum poſſet, evadere voluiſſe: Ut duorum, quæ hominibus aſperrima videntur, *metum* demeret, *carceris & mortis.* Tum *Platonis* captivitatem, *Anaxagoræ* fugam, ac *Zenonis* tormentum: Multorum præterea gentilium iniquas damnationes, *Rutilii* exilium, *Boëtii* ſimul & aliorum, quos Boëtius refert, indignam mortem commemoravit.

Deinde ad *Hebræorum* exempla tranſivit. Et primum *Moſen*, illum liberatorem populi & legislatorem, à ſuis ſæpe calumniatum eſſe dixit, tanquam ſeductor eſſet, aut contemptor populi. *Joſeph* inſuper à fratribus venditum ob invidiam, (poſt ob ſtupri ſuſpicionem invincula conjectum,) præter hos *Eſaiam, Danielem*, & ferme *Prophetas* omnes, tanquam contemptores Deorum, tanquam ſeditioſos, iniquis circumventos ſententiis. Hic & *Suſannæ* judicium multorumque præterea, qui cum viri ſanctiſſimi extitiſſent, injuſtis tamen judiciis perierunt. Poſtea, ad *Johannem Baptiſtam*, deinde ad *Salvatorem* noſtrum deſcendens, falſis teſtibus, falſis judiciis, condemnatos, inquit omnibus conſtare. Deinde *Stephanum*, à Sacerdotum Collegio interfectum, *Apoſtolos* autem omnes morti damnatos, non tanquam bonos, ſed ut ſeditioſos populorum concitatores, contemptores deorum, & malorum operum effectores. *Iniqvum* eſſe, injuſte damnari ſacerdotem a ſacerdote. At id factum eſſe docuit. *Iniquius* à ſacerdotum collegio: Id quoque exemplo probavit. *Iniquiſſimum* vero à Concilio Sacerdo-

Digitized by Google

tum. Id etiam accidiſſe monſtravit. Hæc diſerte & magna cum expectatione diſſeruit.

At omne cum pondus cauſæ *in teſtibus* ſitum eſſet, multis rationibus docuit, *nullam his teſtibus fidem adhibendam*, præſertim cum non ex veritate, ſed ex *odio*, ac *malevolentia & invidia* omnia dixiſſent. Tum *odii cauſas* ita explicavit, ut haud procul fuerit à perſvadendo. Ita enim erant veriſimiles, ut excepta ſola fidei cauſa, parva illis fides teſtimoniis adhibita eſſet. Commoverat omnium mentes, & ad miſericordiam flectebantur. Addiderat enim, ſe ſponte ad Concilium veniſſe, ad ſe purgandum. Vitam ſuam & ſtudia expoſuerat officii plena & virtutis. Dixerat, hunc morem priſcis atque doctiſſimis viris fuiſſe, ut in rebus fidei invicem ſententiis diſcreparent, non ad peſſundandum fidem, ſed ad veritatem fidei aperiendam. Ita Auguſtinum & Hieronymum diſſenſiſſe aſſeruit, & non ſolùm diverſa ſenſiſſe, ſed & contraria, nulla hæreſeos ſuſpicione.

Expectabant omnes, ut vel ſe purgaret, retractando objecta, vel erratorum veniam poſtularet. At ille, neque ſe erraſſe aſſeverans, neque ſe retractare aliorum falſa crimina velle, oſtendens: Tandem *deſcendit in laudationem Joannis Huſs*, dudum ad ignem damnati, virum illum bonum, juſtum & ſanctum appellans, & illa morte indignum: Se quoque paratum, quodvis ſupplicium ſubire forti animo atque conſtanti, ſeque inimicis ſuis cedere, & teſtibus illis tam impudenter mentientibus, qui tamen aliquando coram Deo, quem fallere non potuerint, eſſent rationem eorum quæ dixiſſent reddituri. Magnus erat circumſtantium dolor animi. Cupiebant enim virum tam egregium ſalvari, ſi bona mens fuiſſet. Ille autem ſua in ſententia perſeverans, ultro mortem appetere videbatur. Laudansque Joannem Huſs, ait: *Nihil illum adverſus Eccleſiæ Dei ſtatum ſenſiſſe, ſed adverſus abuſus Clericorum, adverſus ſuperbiam, faſtum, ac pompam Prælatorum. Nam, cum Patrimonia Eccleſiarum primum deberentur pauperibus & advenis, ac demum fabricis, indignum illi bono viro videri, diſpendi illa meretricibus, conviviis, equorum copiæ, aut canum ſaginæ, cultui veſtimentorum, & aliis rebus indignis religionis Chriſti.*

Hic autem maximi ingenii fuit. Cum interrrumperetur ſæpius oratio ſua variisque rumoribus laceſſeretur à nonnullis, ejus ſententias captantibus, *neminem eorum intactum reliquit*, pariterq; omnes ulciſcens, vel erubeſcere coëgit, vel tacere. Surgente murmure ſilebat, turbam quandoque increpans. Poſtea orationem replicans iterum atque iterum perſequebatur, orans atque obteſtans, ut eum loqui paterentur, cum ſe non eſſent amplius audituri. Nunquam ad hos rumores expavit, mente firma atque intrepida.

Illud vero admirabile *memoriæ* argumentum. CCC XL. diebus fuerat in fundo *turris fœtidæ atq; obſcuræ*, cujus aſperitatem ipſemet conqueſtus eſt, aſſerens, ſe, ut fortem hominem decet, non propterea ingemiſcere, quod ſic indigna perpeſſus eſſet, ſed mirari hominum adverſus ſe inhumanitatem. Quo in loco, nedum legendi, ſed nec dum videndi quidem ullam habuit facultatem. Mitto *anxietatem mentis*, quâ oportuit illum quotidie agitari, quæ omnem memoriam excutere debuiſſet. Tot doctiſſimos atque ſapientiſſimos viros, in teſtes ſuarum opionum allegavit, tot DoctoresEccleſiaſticos in medium protulit in ſententiam ſuam: Ut ſatis ſuperque ſatis fuiſſet, ſi toto hoc tempore, ſummo in otio, ſumma in quiete, ſapientiæ ſtudiis operam dediſſet. Vox ejus ſvavis, aperta, reſonans erat, quadam cum dignitate, geſtus oratoris, vel ad indignationem exprimendam, vel ad commovendam miſerationem, quam tamen neqve poſtulabat, neque conſequi cupiebat. Stabat impavidus, intrepidus, mortem non contemnens ſolùm, ſed etiam appetens, ut alterum *Catonem* dixiſſes. O virum dignum memoria hominum ſempiterna. Non laudo, ſi quid adverſus inſtituta Eccleſiæ ſentiebat. Doctrinam admiror, rerum plurimarum ſcientiam, eloquentiam, & argutiam reſpondendi. Sed vereor, ne omnia in peſtem ſuam

Digitized by Google

ſuam ſibi fuerint à natura conceſſa.

Datum deinde *ſpatium pœnitendi* biduo. Interim multi ad illum acceſſere viri eruditiſſimi, ut ipſū à ſententia ſua dimoverent. Inter quos *Cardinalis Florentinus* eum adiit, ut ipſum flecteret ad rectam viam. Sed cum pertinacius in erroribus perſeveraret, *per concilium hæreſeos damnatus eſt & igni combuſtus. Jucundâ fronte*, & hilari vultu, ac facie alacri ad exitum ſuum acceſſit. Non ignem expavit, non tormenti genus, non mortem, nullus unqvam Stoicorum fuit tam conſtanti animo tamque forti mortem perpreſſus, quam appetiſſe videretur.

Cum veniſſet ad *locum mortis*, ſe ipſum exuit veſtimentis. Tum procumbens, flexis genubus, *veneratus eſt palum*, ad quem ligatus fuit. (Primum funibus madentibus cum catena, nudus ad palum conſtrictus fuit) Deinde circumpoſita ligna pectus tenus, non minuscula, ſed groſſa, paleis interjectis. Tum flamma adhibitâ, *canere cœpit hymnum*, qvem fumus & ignis interrupit. (Hoc maximum conſtantis animi ſignum, cum lictor ignem poſt tergum, ne id videret, injicere vellet: Huc, inqvit, accede, & in conſpectu accende ignem. Si enim illum timuiſſem, nunqvam ad hunc locum, quem fugiendi facultas erat, acceſſiſſem.)

Hoc modo vir *præter fidem egregius* conſumptus eſt. Vidi hunc exitum, ſingulos actus inſpexi. Sive perfidia ſive pertinacia hoc egerit, certe *ex Philoſophiæ Schola* virum interemtū eſſe deſcripſiſſes. Longam tibi cantilenam narravi, otii cauſa. Nihil enim agens aliquid agere volui & res tibi narrare paululum ſimiles hiſtoriis priſcorum. Nam neque *Mutius* ille tam fidenti animo paſſus eſt membrum uri, quam iſte univerſum corpus. Neque *Socratis* tam ſponte venenum bibit, quàm iſte ignem ſuſcepit. Sed hæc ſatis. Parce verbis meis, ſi longior fui. Res tamen ipſa ampliorem narrationem poſcebat. Sed nolui eſſe nimium loquax. Vale mi jucundiſſime Leonarde. Ex Conſtantia, III. Kl. Junii, quo die Hieronymus pœnas luit. Iterum vale, meq; dilige.

TOMI III. PARS VI.

DE ERRORIBUS CALENDARIORUM ECCLESIASTICORUM.

NOn cum extinctis Huſſo & Hieronymo extinctæ omnes diſputationes de rebus Eccleſiæ. Ut taceamus motus diros longosque, extra Concilium à Bohemis in ſeros annos protractos, in Concilio aliæ ſemper aliæque controverſiæ Eccleſiaſticæ in ſcenam productæ, quæ ad examen revocarentur.

In his locum habet quæſtio *de Callendarii Eccleſiaſtici erroribus, illiusque emendatione.* Tractaverat hoc negotium Petrus de Alliaco, Cardinalis Cameracenſis, proxime ante Conſtantienſe Concilium, Anno 1411. Eaque de re compoſitum opuſculum, A. 1412. Romæ in Concilio generali, à Johanne 23. convocato, licet non admodum diuturno, memorato Pontifici obtulit. In quo Concilio Johannes hoc Cardinalis inſtitutum laudavit, aſt publicationem ejus diſtulit ad finem usque ſchiſmatis inter tres Pontifices tunc exiſtentes. Quod utrumque peculiari edito diplomate roboravit.

Poſtquam igitur in proximo Conſtantienſi Concilio res eo devenerat tandem, ut tres Pontifices eſſent ſede moti, Johannes æque ac Gregorius & Benedictus, Cardinalis ſuperius ſuum negotium reſuſcitandum ac Concilio præſenti proponendum autumavit, prælectis publicè in templo coram Concilio omnibus illis Actis, circa hoc Emendationis negotium ante paucos annos

ſub

ſub Johanne 23. proditis. Quoniam igitur hæc Conſtantienſium controverſiarum pars fuit non poſtrema, hic exhibere par fuit.

Non autem Conſtantiæ hanc rem fuiſſe confectam vel exinde patet, quod *in Concilio Baſileenſi*, decennio fere elapſo, eandem materiam tractaverit *Cardinalis Cuſanus*, novo publicato opuſculo, quod illo ſtatim ſeculo, typographia ſuſcitata, typorum lucem eſt expertum.

PETRI de ALLIACO
Cardinalis Cameracenſis,
Exhortatio ad Concilium Generale Conſtantienſe ſuper Correctione Calendarii, propter ingentes ejus errores.

Delineata proxime ante Conſt. Concilium, ſed repetita Conſtantiæ in Concilio

A. 1417. *menſe Martio*,

& publice in Eccleſia S. Pauli pronunciata.

Ex *MSCto* Vindobonensi, *Parte IV. Act. C. C. f.* 236.

CAP. I.

QVanta diligentiæ cura olim fuerit eccleſiæ Chriſtianæ *de obſervatione Paſchalis, & Quadrageſimalis jejunii*, aliarumque feſtivitatum ſolennium, *Euſebius* in *Eccleſiaſtica hiſtoria* manifeſtavit. Ubi *Libro V.* narrat de Paſchæ *quæſtione* quæ *in provinciis Aſia* exorta eſt, ideò videlicet, quod *XIV. Luna* putarent *Paſcha obſervandum*, quia tunc Judæis agnus præcipitur immolari. Et ita quacunque die *Luna XIV.* veniſſet, ſolvebant jejunia quadrageſimalia: Cum talis conſuetudo in aliis non ſervaretur eccleſiis.

Ob quam cauſam *Conventus Epiſcoporum* & *concilia* per ſingulas quaſque provincias conſtituerunt, ne liceat aliquando, niſi in die Dominica, in qua Dominus ſurrexit à mortuis, Dominicum Paſchæ celebrare myſterium, & in hac ſola diſſolvendum eſſe Paſchæ jejunium.

Exſtat hujus *concilii apud Cæſaream Palæſtinæ* hujusmodi decretum. Habetur & noſtra ratione *concilii* decretum ſimile, *cui Victor Papa præfuiſſe narratur.* Sub quo quanta ſuper hac re controverſia fuerit, diffuſè proſequitur *Euſebius eodem libro.* Et deinde *libro X.* concludit, quod *in Nicena ſynodo* Patres antiquum canonem *de obſervatione Paſchæ* confirmarint. Quam Euſebii hiſtoriam *Iſidorus L. V.* Etymologicorũ brevibus verbis expreſſit, dicens: Quod antiquitus eccleſia Paſcha *XIV. Luna* tum Judæis celebraverit, quocunque die occurreret.

Quem *ritum* ſancti Patres *in Nicena ſynodo* prohibuerunt, conſtituentes, non ſolum Paſchalem diem & *menſem* inquirere; Sed etiam *diem reſurrectionis* obſervare. Et ut *in eodem libro Iſidorus* recitat, *paſchalem cyclum Hypolitus epiſcopus primus conſcripſit*, poſtquam probatiſſimi autores, *Euſebius Cæſarienſis*, *Theophilus Alexandrinus*, *Proſper*, & quoque natione *Aquitanus*, atque *Victorinus*, amplificatis ejusdem feſtivitatis rationibus multiplices circulos ediderunt. Beatiſſimus verò *Cyrillus*, *Alexandrinæ urbis epiſcopus*, ubi debeat Paſcha celebrari ſumma brevitate notavit. Idem etiam *Iſidorus libro prædicto* quinque cyclos paſchales inſeruit, fueruntque plurimi magnæ ſapientiæ viri, qui ſuper his diſertiſſimè ac diligentiſſimè tractaverunt. Ut *Dionyſius Romæ urbis Abbas*, *Bedaq́, Venerabilis*, *Anglicus*, hac occaſione plures de temporibus libros ſcripſit. *Gerlandus* inſuper tabulas edidit, & *Johannes de ſacro Boſto* ac *Robertus Lincolnienſis Epiſcopus*, aliiq; multi *de computo* ſubtilia conſcripſerunt.

His ergo, talibus & tantis tantæq́; auctoritatis viris ob cauſam prædictam *de dierum ac momentorum calculatione*, magis quam de denariorum ac monetarum

tarum computatione olim ſolicita cura fuit & diligentia.

E contra vero proh dolor nunc tanta eſt in his *eccleſiaſticorum miniſtrorum*, & eorum maximè, quibus ſuper horum obſervatione incumbit proviſio, tamque negligens *inertia*, ut jam à multis annis, propter *errores Calendarii*, Paſchalis celebritas, & conſequentes ad eam feſtivitates & obſervantiæ, non ſine gravi ſcandalo eccleſiæ violentiâ & à debitis ſibi locis mutentur, ſicut in ſubſequentibus pleni' declarare propoſui.

Unde propter hoc *præſens compendium* ex variis ac prolixis, ſed veris & probatis diverſorum autorum ſententiis compilare decrevi, ut univerſalem *Epiſcoporum* cœtum, *ego* ipſorum infimus, *tanquam canis venaticus minimus* excitare valeam ad profugandum præfatum ſcandaloſum errorem', erroneumque ſcandalum, & ipſum ab eccleſia unica tanquam feram peſſimam ac monſtrum horribile penitus exſtirpandum.

Accedit autem ad id agendum & ſalubriter providendū opportuna congruitas. Nam ecce *nunc temp' acceptabile*, ecce nunc dies ſalutis, *dies* videlicet *eccleſiaſtica ſaluti perutilis*, *Deoq; ac toti populo Chriſtiano acceptabilis*, *quo*, *ad ultimi Piſani concilii* decretum, *univerſalis* debet *ſynodus* celebrari. Quæ *ad hoc ſpecialiter ordinata extitit*, *ut reformetur eccleſia*, nunc proh dolor miſerabiliter *deformata*.

Igitur inter *difformitates* varias, quarum plurimas alibi notavi neceſſario *reformandas*, hujus *ſingularis difformitatis reformatio ſpecialis* non aliquatenus omittenda.

Ut & hoc evidentius declaretur, præſens opuſculum convenienti ordine *ſex capitulis* diſtinguitur. *Primum* eſt præambula exhortatio, quæ tanquam prologus antecedit. *Secundum* generaliter agit de tribus principalibus Calendarii erroribus. *Tertium* agit ſpecialiter de errore ex mutatione æquinoctiorum & ſolſtitiorum. *Quartum* de erroribus ex mutatione primationis lunæ. *Quintum* de aliis erroribus, qui ex præcedentibus conſequuntur. *Sextum* de Calendarii correctione.

CAP. II.

De tribus principalibus Calendarii erroribus.

SCiendum eſt ergo, quod *Calendarium*, quo utitur eccleſia, principaliter *tres errores continet*, qui eſſent meritò *corrigendi*. Sed hoc non poteſt *auctoritativè* fieri, niſi per *ordinationem* ſeu approbationem ſedis apoſtolicæ, vel *concilii generalis*.

Primus error, qui radix eſt plurium, eſt: Quod hujusmodi *Calendarium non utitur vera anni quantitate*. Cum ponat anni quantitatem CCCLXV. dies & quartam diei integram. Quæ quarta colligitur per quatuor annos, ut *in anno biſſextili* computetur unius dies plus quàm in aliis communibus annis.

Sed conſtat, non ſolùm per *computiſtas*, ſed etiam per *vias Aſtronomiæ*, quod quantitas *anni ſolaris* non eſt tanta, imò minor. Nam *Aſtronomi*, ſcilicet *Ptolomæus & Abbategi*, non ponunt illam quartam diei integram, ſed ſolùm *quinque horas* & aliquas *minutas*, partes unius horæ. In quibus non plenè concordant. Quia *Ptolomæus* ponit 55 minutas & 1. ſecundam. *Abbathei*, 47 minutas & 9 ſecundas. *Alphonſus*, 49 minutas & 16. ſecundas.

Et hæc ultima opinio nunc communior & verior reputatur. Et ſic vera quantitas anni minor eſt quantitate anni noſtri Calendarii de ſexta parte unius horæ & modice plus, ſcilicet de 44 ſecundis vel circiter. Quod dico: Quia hic *non numerantur* ultra *fractiones minores*, propter tædium: Et quia in multo tempore non facerent errorem niſi parvum.

Secundus error ſequitur ex priore, videlicet: Quod *æquinoctia & ſolſtitia*, ac etiam *eccleſiaſtica feſta immobilia*, XXI. fixè ſignata in Calendario, continuè *aſcendendo*, ſicut certum eſt Aſtronomis, & per tabulas & inſtrumenta probatum eſt.

Et hoc accidit ex errore quantitatis

anni ſolaris. De qua, & de hujusmodi *aſcenſu ſolſtitiorum & æquinoctiorum*, plenius ſcripſi in fine *tractatu de legibus & ſortibus*. Ubi oſtendi, primas aſcendere in Calendario circiter per unam diem in cxxxiv. annis.

Unde patet, quod prædicti duo errores corrigerentur, & per conſequens quoad hoc *verificaretur Calendarium* noſtrum, *ſi* in *totidem annis aufferretur una dies*. Et hoc ſatis convenienter fieri poſſet *ceſſando à biſſexto, quarto anno* videlicet, & per cxxxiv annos. Quando primo æquinoctium vernale aſcenderet ad novam literam, in Calendario, tunc ibi ſignaretur æquinoctium. Et ſi ille annus eſſet biſſextilis *ceſſaretur à biſſexto*; ſi verò non, tunc in proximiori anno biſſextili, ſive præcedente ſive ſubſequente, fieret hujusmodi biſſexti ceſſatio. Et annus ille propter jucunditatem hujus verificationis poſſet meritò *annus jubilaus* nominari.

Tertius error, qui accidit ex primatione deſignata per *aureum numerum in cyclo decemnoviali* Calendarii. In qua qvia non ſolùm Aſtronomi & computiſtæ ſciunt, ſed etiam ſimplices & ignari per experientiam cognoſcunt, quod à CC ferè annis *Luna* eſt *prima* ſecundum veritatem *per tres vel quatuor dies, antequam ſignetur in Calendario*. Et ita his temporibus jam multum fallit primatio. Qui error niſi corrigatur, ſemper creſcit amplius in futurum.

Et ratio hujus eſt ſecundum Aſtronomos: Quia in *omnibus 76. annis recedit primatio à loco ſuo in Calendario per 16 minuta unius diei, & 40 ſecundas*, quæ valent 6. horas, 40 minutas horæ. Et hoc eſt propè per quartam unius diei.

Et in omnibus CCCIV annis recedit à loco primationis in Calendario per unum diem & 6. minuta unius diei & 40 ſecundas, quæ valent 2. horas, 40 minuta horæ.

Unde poſt 4256 annos dicetur *luna* ſecundum Calendarium *prima, quando erit plena*. Et 7904 annis erit error unius lunationis integræ, excepto modico, videlicet 38. min. & 30. ſec.

Et hic error poteſt devenire ad 300 lunationes. Et tunc iterum redibit error primus, ut ſequantur alii præfati per ordinem.

Horum autem varietas à quibusdam peritis Aſtronomis declarata eſt. Ideò à Computiſtis, quorum ſcientia Aſtronomiæ ſubalternatur, eſt merito ſupponenda.

CAP. III.

De errore ex mutatione æquinoctiorum & ſolſtitiorum.

AD majorem autem declarationem & certificationem præmiſſorum de *mutatione æquinoctiorum & ſolſtitiorum*, ac etiam *pimationum lunarium*, aliqua ſpecialia notanda ſunt. Et primò quidem ſciendum eſt, quod *ſolſtitia & æquinoctia non* debent intelligi eſſe in Calendario poſita *diebus fixis*, ac ſi ſemper fuiſſent, aut ibi forent in æternum. Cùm certum ſit, *ea aſcendere in Calendario*, ut dictum eſt. Et tamen, ſicut *Beda* narrat, quidam Æquinoctia VIII. Kal. Aprilium, & VIII. Kal. Octobr. Solſtitia VIII. Cal. Julior. & VIII. Kal. Januar. quidam XII. Kal. earundem, notandam eſſe ſanxerunt.

Primæ verò opinionis fuit *Hippocrates*, ut patet in *epiſtola*, quam ſcripſit *Antigono Regi*, & ſimiliter *Plinius L. II. Nat. Hiſt.* Et hanc opinionem aliquamdiu ſecuta eſt *eccleſia primitiva*, ponendo *æquinoctium vernale in die Annunciationis Chriſti, & æquinoctium autumnale in die conceptionis Johannis Baptiſtæ, & ſolſtitium æſtivale in die nativitatis ejusdem, & ſolſtitium hiemale in die Nativitatis Dominicæ.*

Sed tamen ſecundum præciſam veritatem nunquam ſimul eodem anno fuerunt æquinoctia & ſolſtitia in diebus prædictis, ſicut poſſet per ſcientiam Aſtronomiæ demonſtrari. Quia tamen ſatis propè fuerunt, ſufficiebat *Hippocrati*, quantum ad conſiderationem medicinæ, & eâdem ratione aliquando ſufficiebat *eccleſiæ*.

Verùm poſteà ſecundam opinionem ſecuta eſt *eccleſia*, *& mutavit æquinoctia & ſolſtitia* ad XII. Kal. & poſuit æqvinoctium

Digitized by Google

noctium vernale XXI. die Martii, vel quia ibi ſecundum Rabanum fuit æquinoctium in primo anno ſeculi, vel fortè, quia ibi fuit æquinoctium tempore eorum, qui hanc doctrinam tradiderunt, ut dicit *Lincolnienſis*, vel, ut veriſimilius credo, non quia ibi fuerunt *præcisè*, ſed quia erat *propè*. Nam in Nicæno Concilio fuit hæc eccleſiaſtica obſervatio confirmata, & hoc fuit, ſecundum Bedam, anno ab incarnatione Domini CCC XXXII. Quia tunc æquinoctium vernale prope XII. Kal. April. poterat aſcendiſſe, & ultra proceſſiſſe, ut ex dicendis clarius apparebit.

Sed quia *Lincolnienſis* dicit, *Chriſtum natum fuiſſe in ſolſtitio hiemali* ſecundum ſcripturas: Sciendum eſt, quod hoc non eſt dictum quaſi ſit verum ſecundum præciſionem, ſed ſecundum *propinquitatem*. Et hoc quoque declaratur. Quia Ptolomæus anno CXL Chriſti invenit ſolſtitium hiemale, XI. Kal. Januarii, & æquinoctium vernale, XI. Cal. April. ut patet in Almageſto. Cùm ergò ſolſtitia & æquinoctia ſemper aſcendant in Calendario: Patet, quia ſecundum probationem Ptolomæi non potuit eſſe ſolſtitium hiemale VIII. Kal. Januarii in die Nativitatis Dominicæ, ſed oportuit, quod eſſet X. Cal. Januarii. Et ſimiliter in primo annò Nativitatis Domini non potuit eſſe æquinoctium vernale VIII. Kal. April., ſicut crediderunt in eccleſia primitiva. Et longè magis non potuit eſſe, ſicut poſteà poſuerunt, pro XII. Kal. Aprilis, XVI. Kalend. ſecundum hoc, quod Ptolomæus invenit XI. Kal. Nam in CXL. annis, à tempore Nativitatis Chriſti usque ad probationem Ptolomæi, non potuit minui ſolſtitium vel æquinoctiū per 3. dies, neque per 2, & per conſeqvens, multominùs per 4, ſed ſolùm per unum, & parum de alio, ut patet ex ſupradictis. Ideò etiam ſecundum iſtos *Hippocras* non longè fuit à veritate in hac parte. Quoniam ipſe fuit ante Chriſtum, plus quam CCC annis. Et propter hoc ſuo tempore eſſe potuit æquinoctium VIII. Kal. vel ſaltem propè, videlicet VII. Kal.

Inſuper ſecundum iſtos, anno Domini MCCLXVII. fuit ſolſtitium ſub die idus Decembris, & æquinoctium III. Idus Martii. Sed ab hoc loco usque ad locum, ubi tempore Ptolomæi erant, ſunt 9. dies, & à tempore ſuæ probationis usque tunc, fuerunt anni Domini 1127. In quo numero annorum ſunt novies 127. anni. Ideò concludunt ſecundum probationem Ptolomæi, quia hoc tempus 127. annorum ſatis convenit cum annis Chriſti, ut ſemper unus dies in tanto tempore minuatur de quantitate anni, & denotet mutationem ſolſtitii & æquinoctii. Sed hoc non aſſerunt eſſe certum cum præciſione, ſicut nec eſt. Nam, ſicut in *præallegato tractatu* præallegavi, ſolſtitia & æquinoctia in uno anno non aſcendunt circiter XI minutas unius horæ, & ſic in 5 annis 55 minutas. Quare in CXXXI. annis aſcendunt per unum diem, vel loquendo præciſius, circiter in CXXXIV annis, ut prædixi.

Et ut cognoſcamus, quantum aſcenderint æquinoctia & ſolſtitia à tempore nativitatis Chriſti, expedit ſcire, ubi modo ſunt.

Unde ſecundum *tabulas Alphonſi*, quæ à meridie diem incipiunt, *hoc anno M. CCCC XI.* ita ſignificari poſſunt: XI die Martii completa, cum 15 horis, 47 minutis, & 6 ſec. ac 67 tertiis, ſol intrabit arietem. XIII. die Junii completa, cum 4 horis, 8 minutis, 52 ſec. ſol intrabit cancrum. XIV die Septembris completa, cum 16 horis, 19 min. & 37 ſec. ac 12. tertiis, ſol intrabit libram. Die XII. Decembris completa, cum 19 horis, 3 min. & 30 ſec. ac 4 tertiis, ſol intrabit Capricornum.

Unde ex his patet, quod ſecundum vulgarem uſum Calendarii noſtri, incipiendo diem à media nocte, præcedente meridiem diei ſignatæ; Sicut Romani, ut ait *Beda*, à medio noctis in medium, dies ſuos computare maluerunt: Sic inquā computando dicere poſſum᾽, quod *æquinoctium vernale hoc anno* erit die XII. Martii ante meridiem, ſcilicet poſt mediam noctem præcedentem per 3. horas & plus quam trés quartas unius horæ. *Solſtitium æſtivale* erit XIII. die Junii poſt meridiem, per 4 horas

& plus quam ſeptimã partem uni' horæ. *Æquinoctiũ autumnale* erit 3 die Septembris ante meridiem, ſcilicet poſt mediam noctem per quatuor horas, & minus quam tertiam partem unius horæ. *Solſtitium hiemale* erit XIII. die Decembris poſt mediam noctem per 7. horas & minus quam 15. partem unius horæ.

Prædicta verò anno ſequente propter *biſſextum* aſcendunt per unum diem ſeu per unam literam in Calendario. Verbi gratia, ſecundum *Alphonſum*, ſol intrabit arietem 10. die Martii completa, in 21 horis, 45 min. 22 ſec., & 56 tert. Et ſecundum prædictam rationem *æquinoctium vernale* erit XI. die Martii, ante meridiem, videlicet poſt mediam noctem præcedentem per 9 horas, & 2 tertias unius horæ, & plus quàm unam ſextam partem horæ. Aliis, verò annis non biſſextilibus prædicta æquinoctia & ſolſtitia manebunt diu in diebus prædictis ſub literis ſignatis in Calendario, nunc aſcendendo ſimpliciter ad novam literam, ſive benè approximando. Ideò quando ipſa vel aliquod ipſorum aſcenderet abſolutè ad novam literam, expediret providere, quod tunc ponerentur in ſuis debitis locis: Et ſpecialiter *æquinoctium vernale*, propter inventionem veri paſchæ. Et tunc ceſſaretur ab unius biſſexti computatione, ſi eſſet tunc annus biſſextilis, vel ſi non, quòd in anno proximiori biſſextili, ſive præcedente ſive ſeqvente, fieret hujusmodi biſſexti ceſſatio, & deinceps poſt quoslibet 134 annos. Ut ſic fieret noſtri Calendarii correctio juxta modum ſuperius annotatum.

CAP. IV.

De errorre numeri aurei ex mutatione primationis Lunæ.

POſt hæc verò etiam *de errore numeri aurei* ex mutatione primationum lunarium, aliqua ſpecialiter dicenda ſunt. Et licet hujus rei declaratio principaliter ad conſiderationem Aſtronomicam pertineat, tamen per narrationem hiſtoricam poteſt aliqualiter manuduci. Sciendum eſt igitur, quod, ſicut narrat *Suetonius L. 1. de Ro. Cæſ.* JULIUS Cæſar *Calendarium* reformavit. Quia ſicut nunc *per negligentiam Pontificum Chriſtianorum*, ita tunc *vitio gentilium Pontificum* erat corruptum. Et hoc propter defectum intercalationis, vel interpoſitionis dierum. De qua plenè loquitur *Solinus in principio Libri de Memorabilibus mundi.* Hic ergo JULIUS in Aſtronomia edoctus, ſicut notat *Lucanus*, contra quoſdam Aſtronomos in Ægypto *de quantitate anni ſolaris* diſputavit, & ordinem Calendarii, ſicut ſuo tempore potuit, adimplevit.

Ideo dicunt computiſtæ, quod *ipſe numerum aureum in Calendario ordinavit.*

Hoc itaque ſuppoſito, conſiderandi ſunt anni, qui ab hac ordinatione fluxerunt. Sciendum igitur, quod Julius imperavit annis circiter quinque. Cui ſucceſſit Octavianus, nepos ejus, cujus Imperii anno XLII natus eſt Chriſtus, ſecundũ hiſtoriam Eccleſiaſticam & ſcholaſticam, & ut ait Iſidorus. Unde patet, quod anno 43 Octaviani Auguſti, qui incepit, ſecundũ computationem Romanorum, prima die Januarii, quam computationem adhuc *Romana* ſequitur *eccleſia*, Chriſtus in octava die, ſequente ſuam nativitatem, quæ erat initium anni Romani, tunc *dictus eſt, in ſecundo anno à ſua nativitate, licet ſolùm octo dies haberet ætatis.*

Et inde oritur ſecundò, quare *nunc* Romana eccleſia computat annum Domini à nativitate *M CCCC XI* ante Annunciationem. Et illi, qui computant ab incarnatione, dicunt decimum, & tunc undecimum, usq; ad diem Annunciationis, cum tamen annunciatio ſeu incarnatio nativitatem præceſſerit. Hoc enim ideo fit, quia computant XI. anno ab incarnatione completo.

Hanc autem computationem ab incarnatione *Dionyſius Abbas Romanæ Urbis* inſtituit, ut dicit *Beda.* Nam ante *Græci* ipſum ordinem à Diocletiani Principis annis obſervabant, ſicut antea ab Imperatoris temporibus computabant, juxta illud Evangelii: *anno XV. Tiberii Cæſaris.*

Hoc autem ſolùm incidenter dixi, ut appareat, quod JULIUS Cæſar imperavit circiter per XLVII annos ante nativita-

tivitatem Chriſti. Quibus junctis cum annis Domini M CCCC XI, ſeqvitur, quòd in fine Decembris completo, *hoc anno* fluxerunt ab ordinatione numeri aurei circiter M CCCC LVIII.

In quo annorum numero continentur quater trecenti quatuor anni, quibus quaternariis primationes lunæ, ut patet per ea quæ prædicta ſunt, à ſuis locis in Calendario per quatuor dies receſſerunt, & ultra remanent 242. in quibus, adjunctis eis 62 annis futuris, qui 304 perficient, iterum una die aſcendent.

Unde manifeſtè ſequitur, quod anno Domini M CCCC LXXIII. primationes lunares à ſuis recederent locis circiter per quinque dies. Et hæc *chronica computatio* ſatis conſonare videtur cum *aſtronomica veritate.* Quare ſaltem tunc debet *numerus corrigi*, & primationes lunares in ſuis locis veraciter aſſignari. Qvia tunc ſtarent in eadem veritate, quâ fuerunt in ſuâ primæva inſtitutione, ſaltem per CCCIV annos. Poſt quos iterum poſſet *aureus numerus corrigi.* Vel per correctionem erroris poſſet primatio lunæ notari per unum diem aurei numeri, primationem deſignantem. Ut ſic, ubi prius dicebatur *luna prima*, poſtea diceretur *ſecunda.*

Hic autem ſciendum eſt, quod, cùm de primationibus lunæ tractamus, *menſes lunares* propriè *non accipiuntur*, ſecundum Ptolomæum & omnes Aſtronomos, *à viſione novæ lunæ:* Qvia hoc tempus eſt inæqvale, & tamen menſes debent æqvari: Nec accipiuntur *à conjunctione ſolis & lunæ*, ſecundum eorum curſum verum: Qvia etiam hoc tempus eſt inæqvale: Sed conſiderantur *penes conjunctionem ſolis & lunæ, ſecundum eorum curſum medium & æqualem:* Qvia hoc tempus eſt uniforme, & ſecundum Ptolomæum hoc tempus eſt XXIX. dies, 31 minuta unius diei, & 50 ſec. cum aliqvibus minoribus fractionibus, ut ad qvinta. Et huic concordat *Arrazel* in *fundatione tabularum*, niſi qvòd omiſit tertia, qvarta, qvinta Ptolomæi, qvia in maximo tempore parum habent. Undè ſecundum eum qvantitas anni lunaris continet 354 dies, & qvintam & ſextam unius diei. Et ſecundum hoc erit tempus æqvale lunationi 29 dies, 31 minuta diei, & 50 ſec. Qvia iſta temporis qvantitas multiplicata per XII facit qvantitatem anni prædictam. Et qvia hujuſmodi minuta diei & cum dimidio valent horam, ideò prædicta minuta & ſecunda, cum minoribus fractionibus omiſſis, valent XII horas diei cum dimidia, & una fere qvartâ horæ, qvia non deeſt unum integrum minutum horæ.

Unde patet, qvod medium lunationis æqvalis, ubi eſt oppoſitio ſive plenilunium, habet dies 14, tres qvartas diei, cum qvarta parte unius horæ, & medietate unius qvartæ.

Ex qvibus etiam concludi poteſt, qvod XI dies, qvi dicuntur excreſcere in anno ſolari ſuper annum lunarem, propter qvod *epacta* ſeqventis anni ſolaris qvaſi *epiacta* aut *ſuperaugmentata* nominantur, neqvaqvam cum omnimoda præciſione computantur. Sicut clarè patet ex comparatione anni ſolaris ad annum lunarem, ſecundum præciſam qvantitatē ſuperius computatam.

Seqvitur etiam ex præmiſſis, qvod cùm maximus & manifeſtiſſimus ſit error primationis ſecundum Calendarium, neceſſariò oportet, qvod ſit *error in cyclis epactarum.* Qvia per ejusmodi epacta XI dierum majoratur ætas lunæ in principio cujuslibet menſis futuri anni ſuper ætatem ſuam in principio cujuslibet menſis prioris anni.

Et qvia hujuſmodi *errores* contingunt, neceſſe eſt, ut *ætas lunæ vera* aliter quàm hujuſmodi cyclis qværenda ſit.

CAP. V.

De aliis erroribus, qui conſeqvuntur ex prædictis.

SEd ulterius conſiderandum eſt, qualiter ex prædictis erroribus ſeqvuntur *errores alii* multo plurimi *eccleſiæ ſcandaloſi*. Nam totus *ordo ſolennitatum Eccleſiaſticarum confunditur* per falſam æquinoctiorum & erroneas ſignationes primationum in Calendario.

Cujus ratio eſt, quia ſecundum ordinationem

tionem eccleſiæ, in *Nicena ſynodo* conſtitutam, *Paſcha debet celebrari die Dominica poſt X I V. lunam*, quæ invenitur vel in æquinoctio vernali, vel immediatè poſt, *propter conformitatem legis Chriſtianæ ad legem antiquam*, quæ figura fuit novæ legis, & immolatio agni paſchalis figura novæ Paſchæ.

Cum ergò *error* ſit *in fundamento*, ſcil. *in æquinoctiis & lunationibus*: Neceſſe eſt ut *error* ſit *in celebratione Paſchæ*, ut extra locum prædictum multum ante vel poſt, plus quam debeat, celebretur: Et per conſequens, quod *Quadrageſima & omnia feſta mobilia*, ſicut *Pentecoſtes* & *Aſcenſionis & alia hujusmodi*, violentur, & à ſuo loco recedant. Quia omnia hujusmodi cedunt paſchati, & ab eo regulantur.

Et cum omnia iſta *in ſe* ſint *horrenda*, tamen *reſpectu politiæ Chriſtianæ ſcandaloſa* ſunt, tanquam *ſtulta & irriſione digna*. Quia, *propter ignorantiam* vel *negligentiam* iſta corrigendi, ſic diabolo procurante, quod in tempore vero paſchali Chriſtiani abſtinent à carnibus, & in vera quadrageſima quandoque carnes comedunt, & multa alia inconvenientia ſequuntur, ſicut *de ſeptimo* & *rogationibus*, ac aliis hujusmodi obſervantiis eccleſiaſticis, quæ ſuis temporibus non ſervantur. Et non ſolum Computiſtæ & Aſtronomi, ſed omnis homo, qui non vult cervicem erigere ut contradicat veritati, hæc manifeſte cognoſcunt.

Unde Philoſophi infideles, *Arabes*, *Hebræi & Græci*, qui habitant inter Chriſtianos, ſive *in Hiſpania* ſive *in Ægypto*, & aliis partibus Orientis, aut aliis mundi regionibus, *derident Chriſtianorum* & maxime *Prælatorum* ſuorum *ignorantiam*, & abhorrent *ſtultitiam*, quam evidenter conſpiciunt in hac *ordinatione*, ſeu verius *inordinatione* temporum, quibus utuntur in ſolennium obſervatione feſtorum.

Si vero quis quærat, *cur eccleſia tam magnos & manifeſtos tamq; ſcandaloſos errores jamdiu non correxit?* Pro hujus quæſtionis ſolutione ſciendum eſt, primò, quod *Euſebius Caſarienſis* Epiſcopus circulum primationum pro obſervatione paſchali *parum ante ſynodum Nicenam ordinaverat*; Ideo die quo celebrata fuit dicta ſynodus, non potuit hæc mutatio notabilis apparari. Quare ibi ſtatutum eſt, primationes paſchales ſecundum dictum cyclum obſervari. Et *B. Leo Papa*, diſcuſſione ſuper hoc facta, tandem definivit ſententiæ Nicenæ ſynodi adhærere. Sed & *Beda* in *Libr. temp. nititur, quantum* poteſt, hanc ſententiam roborare.

Secundò conſiderandum eſt, quod *Leo Papa* fuit *poſt ſynodum Nicenam ferè* 120. *annis* ſub Martiano Principe, & *Beda circiter per* 369. *annos*. Quapropter tempore ipſorum non potuit lunatio multum recedere à loco ſuo: Cum *CCC IV. annis fiat ſolum mutatio diei unius*, ut dictum eſt. Et ideò iſto tempore adhuc potuit ille cyclus rationabiliter obſervari, etiam propter evitationẽ novæ contentionis & ſcandali in proviſione remedii. Unde & notat *Beda*: *Ideo Patres ſic obſervabant, ut aliud majus periculum propter hoc declinarent.*

Ex his tamen patet, quod jam tempore *LEONIS oriebatur ſcrupuloſa dubitatio ſuper hac re.* Et rurſus augmentabatur tempore *B. Papæ Hilarii*, qui præcepit novum cyclum componere. In quo quia non fuit certitudo, ſicut nec prius, ideò adhæſerunt poſteriores conſuetudini antiquæ. Nam *primitiva eccleſia non multum habuit uſum Aſtronomiæ.* Unde, ſicut dicit *Lincolnienſis*: Quia eccleſia nondum certificata erat de quantitate anni, ideo non mutarunt antiquam doctrinam de inveniendis ſolſtitiis & æquinoctiis: Quamvis ex ea ſequatur error in Calendario. Et *ideò omiſſa fuit correctio hujus erroris* & aliorum prædictorum, tum, *quia tunc non erant tanti ſicut modo ſunt*, & continuè majores fiunt, tum propter longam conſvetudinem in cujus mutatione potuiſſet eſſe contentionis ſcandalum, tum *quia ſcientia Aſtronomiæ prius non multum fuit in uſu Chriſtianorum*, imo eccleſiæ primitivæ fuit aliqualiter odioſa.

De

De Calendarii correctione CAP. VI.

JAm verò quia *eccleſia Dei multos habet Chriſtianos in aſtronomia peritos*, debet diligentiam adhibere, ut ſua *ſynodali auctoritate* prædicti errores, tam manifeſti, & palpabiles, & tam horribiliter ſcandalizantes, omneſque *defectus Calendaris corrigantur.*

Licet autem ſuperius aliqualiter apertus ſit *correctionis modus*, tamen plenior & pretioſior hujus rei certitudo decet per Aſtronomos declarari.

Sciendum eſt ergo, quòd *pro correctione errorum Calendarii* poſſunt *tres modi* ſatis convenienter aſſignari. De quibus merito conſiderandum eſt, quis utilior ſit atque facilior.

Primus eſt, quod *quod ceſſetur a computatione unius biſſexti*: Videlicet in quibuslibet CXXXIV. annis, ſicut prætactnm eſt in II. Capit. Et per hunc modum corrigitur Calendarium, quantum ad curſum ſeu annum ſolarem, ſed non quantum ad lunarem. Nec ſic aureus numerus ſeu primationes lunæ poterunt corrigi & ſtabiliter ſignari in Calendario ſecundum correctionem, quod docet Caput IV.

Secundus modus eſt, quod non toties *ceſſetur ab hujusmodi computatione biſſexti*, ſed ſolum *in quibuslibet CCCIV. annis.* Et per hunc modum corrigitur Calendarium, quantum ad curſum lunæ ſeu cyclum decennovalem vel numerum aureum. Sed quantum ad curſum ſolarem non ſufficienter providetur. tamen aliqualiter, licet non totaliter *corrigitur error de aſcenſu æquinoctiorum & ſolſtitiorum ac feſtorum immobilium* in Calendario ſignatorum: Et ſimiliter correcto, ſcilicet numero, & primationibus lunæ ſignatis in debitis ſuis locis, ſtabunt poſtea in eadem veritate quâ priùs.

Duo vero modi prædicti non poſſunt ſimiliter practicari, vel ad invicem ſe compati, propter differentiam aſcenſus æquinoctiorum & ſolſtitiorum ad aſcenſum primationum lunarium. Et hæc omnia ſunt ex præcedentibus manifeſta.

Tertius autem *modus* non utitur prædicta ceſſatione biſſexti, ſed *per novas tabulas aſtronomicas* fieri docetur, ſicut ſtatim dicetur. Et licet *modus* iſte *magis certus* ſit & *præciſus*, tamen eſſe videtur *magis à communi uſu & conſuetudine eccleſiæ alienus*. Nam aureum numerum tamdiu obſervatum deſtruit, & tabulas novas & inconſuetas introducit; Nec tamen errorem, qui eſt ex aſcenſu feſtorum immobilium, tollendo corrigit, ſicut primus modus, nec ſicut ſecundus ipſum moderando reſtringit.

Hic vero modus ſuper duob? erroribus docet principaliter remedium providere. Et primo de æquinoctiis & ſolſtitiis per tabulas aſtronomicas de introitu ſolis in ſignum. Quia, licet adhuc *non ſit nobis expreſſe certificata vera quantitas anni* cum plena determinatione: Tamen, ſicut dicit *Linconienſis*, abſque verificatione hujus quantitatis anni poteſt cognoſci veraciter dies æquinoctii vel ſolſtitii per inſtrumenta vel tabulas aſtronomicas verificatas.

Secundo veró, quantum ad primationem lunæ poteſt correctionis remedium adhiberi: Quia eas poſſumus cognoſcere ſecundùm veritatem Aſtronomicam, ſi numeremus tempora ſecundum annos & menſes Arabum de quibus *Linconienſis* diffuſè tractavit. Unde primus dies cujuslibet menſis Arabum eſt dies conjunctionis ſolis & lunæ, ſecundum eorum utriusque curſum medium. Ideo ſi hunc diem volumus dicere primum ætatis lunæ, tunc cognitis initiis menſium, cognoſcuntur initia primationum. Vel ſi volumus inchoare primationes noſtras primâ die viſionis lunæ, vel ſecunda vel tertia, incipiemus primationes noſtras à ſecundo, vel tertio, vel qvarto die cujuslibet menſis Arabum. Et procedemus uniformiter in computatione lunationum. Ideò non oportet niſi *recurrere ad tabulas & canones annorum & menſium Arabum.* Et hæc eſt doctrina vulgata apud aſtronomos, Arabes & Latinos.

Tamen, ſicut quidam dicunt, alia via procedere poſſumus cum eadem certitudine, ſed majori auctoritate, videlicet

Digitized by Google

licet *per tabulas Græcorum & maxime Hebræorum.* Et ideò *ſiquis conſideret tabulas eorum, ad occaſum Jeruſalem, plenam in his reperiet veritatem.*

Namque *à principio Hebræi fuerunt peritiſſimi in ſcientia Aſtronomorum.* Et omnes nationes habuerunt hanc ſcientiam & alias ab eisdem. Quia, ſicut recitat *Beda*, *Joſephus* teſtatur, quod Abraham Patriarcha in Aſtronomia edoctus à Chaldæis hanc diſciplinam veracius intellectam, Ægyptiorum genti, cum apud eos exularet, advexit.

Ex quibus patet, quod ad evacationem omnimodam errorum prædictorum neceſſarium eſſet, & eccleſiæ honeſtum & utile, Deo ac toti mundo gratum & acceptabile, *conveniens adhibere remedium*, videlicet, *ut inveniatur unum æquinoctium vernale*, & verificetur primatio, & 14. luna ab æquinoctio ſumatur, ſive eſſet in die æquinoctii ſive poſt. Fieretq; ibi terminus pacis, ut in Dominica ſequente celebraretur paſchalis ſolennitas. *Et poſſent fieri tabulæ de his æquinoctiis & primationibus*, absq; hoc quod numer' aureus, vel aliquod aliud fixum poneretur ſuper Calendarium.

Et ſecundum illas poſſet calendarium in anno & menſibus ordinari *per conſimile artificium, quo utuntur Ebræi.*

Si verò eccleſia pro nunc non vellet calendarium cum præciſione corrigere, nec in ejus correctione uti aliquo trium prædictorum modorum: Quia forte quibusdam videbuntur maxime eſſe difficiles, ſaltem animo deberent providere, ut æquinoctia & ſolſtitia ac etiam primationes lunæ corrigerentur, & locis ſibi debitis in Calenderio ponerentur. Nam ſic usque ad maximum tempus non eſſet in prædictis tantus error, ſicut nunc eſt. Et adhuc contra errorem futurum poſſet remediari faciliter per modum ſuperius in Cap. IV. annotatum. Ut ſic eſſet aliqualiter proviſum contra infidelium *irriſiones* & præcipue *Judæorum.* Magnum enim opprobrium eſt & verecunda irriſio, quod in his rebus ad Dei cultum pertinentibus *artificioſius procedant Judæi quam faciant Chriſtiani.*

Tollat igitur hoc opprobrium rite à populo Chriſtiano, *auferat* ab eccleſia Dei hanc verecundiam apoſtolica celſitudo & *ſacra ſynodalis auctoritas*, ordinando & diſtrictè præcipiendo, ut *tam utile & laudabile opus* celeriter compleatur, ad illius gloriam & honorem qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

Formula libri hujus Johanni 23. in Concilio Romano A. 1412. primũ oblati. Sanctiſſimo Domino noſtro Papæ ac ſacro Sancto generali Concilio.

SUpplicant Veſtræ ſanctitati plures veſtri ac ſanctæ matris eccleſiæ devoti filii, quatenus *tractatum exhortatorium ſuper correctione Calendarii, nuper* divini cultus Zelo ad eorum inſtantiam *compoſitum*, & veſtræ ſanctitati humiliter præſentatum, & inſuper ſubſcriptione munitum conſtitutionis apoſtolicæ, quam pro remedio ad hoc opportuno fieri devotè petunt, dignetur eadem Sanctitas examini ac judicio committere peritorum. Ut poſt exactæ diſcuſſionis limam, tandem, quod reperietur eccleſiæ honeſtum & utile, *ſacri auctoritate concilii roboretur.*

Approbatio Johannis 23.

Ad perpetuam rei memoriam. Quanta diligens cura olim fuerit eccleſiæ de obſervatione paſchali & quadrageſſimalis jejunii, *Eccleſiaſtica* docet *Hiſtoria*. Nunc verò primitiva horum inſtitutio propter varios errores Calendarii, quo Romana utitur eccleſia, adeò corrupta eſt, & proceſſu temporis, niſi debitæ correctionis adhibeatur remedium, amplius corrumpetur, quod Paſchalis celebritas & conſequentes ad eam feſtivitates & obſervantiæ non ſine gravi ſcandalo eccleſiæ violantur, & à debitis ſibi locis mutantur: Prout hæc omnia *tractatus quidam ſuper hoc editus*, ac *Nobis & generali concilio cum* ſupplicatione de remedio opportuno exhibitus, clarius manifeſtat.

Nos igitur, qui, ut noſtro incumbit officio, *pro reformatione eccleſiæ univerſalem ſynodum congregavimus*, eâdem approbante, præmiſſa, quæ divinum reſpici-

ſpiciunt cultum, cum nonnullis aliis, decrevimus, ut *ad prædictorum errorum examen*, ipſorumque correctionem, cum peritorum Aſtronomorum conſilio diligenter intendant, Romanumque Calendarium verificari procurent.

Quia vero hoc opus magna eget diſcuſſionis tempore, nec in communem uſum veniet absque difficultate: Ideo ut citius atque facilius error de Paſchæ inventione aliquatenus corrigatur, matura peritorum *ſacri concilii deliberatione præhabitâ*, hunc modum decrevimus obſervandum: Videlicet, quod æquinoctium vernale & primationes lunæ verificentur, quæ in Calendario a ſuis locis per lapſum temporis continuè aſcendendo mutantur. Nam quia æquinoctia & ſolſtitia quibuslibet annis circiter CXXXIV. primationes verò lunæ quibuslibet annis circiter CCCIX. per unum diem ſic aſcendunt; Hinc eſt, quod æquinoctium vernale, quod olim XXI die Martii ſignavit eccleſia, jam diu ante *hunc annum MCCCCXII.* ad diem XII. ejusdem menſis pervenit, primationes autem lunæ per aureum numerum deſignatæ priora loca ſua diebus quatuor antecedunt, ut, ubi nunc ſignatur luna prima, dici debeat luna quarta. Hic vero Romano more diem à media nocte in medium computamus. His itaqve ſic verificatis & impoſterum proportione verificandis, talis datur regula. Sumatur Luna Aprilis XIV. ſive in æquinoctio ſive poſt occurrerit, & ibi fiat terminus Paſchæ, qui Paſcha dicitur Hebræorum: Die verò Dominica ſequente Paſcha Chriſtianorum celebretur. Ex quo verò ſequitur, qvod qvando nunc aureus numerus verificatus currit per unum, tunc paſchalis terminus eſſe debet in die ſecunda menſis Aprilis. Qvando per duo, in vigeſimo ſecundo Martii: Qvando per tria, decimo Aprilis: Qvando per quatuor, in trigeſimo Martii: Qvando per *V. in* 19. *Martii. Quando per VI. in* 7. *Aprilis:* Qvando per VII. in 27. Martii: Qvando per VIII. in XVI. Martii: Qvando per novem, in qvarto Aprilis: Qvando per decem in vigeſimo qvarto Martii: Qvando per undecim, in decimo tertio Martii: Qvando per dnodecim, in prima Aprilis: Qvando per tredecim, in vigeſimo primo Martii: Qvando per quatuordecim in nona Aprilis: Qvando per quindecim, in vigeſimo nono Martii: Qvando per ſedecim, in decimo octavo Martii: Qvando per ſeptemdecim, in ſexto Aprilis: Qvando per octodecim, in vigeſimo ſexto Martii: Qvando per novendecim, in XV. Martii. Et inde patet qvantum eccleſia in his à veritate diſcordet, à qua, præmiſſo utendo remedio, usqve ad maximum tempus tantum diſcordare non poteſt. His igitur pro fundamento ſuppoſitis, faciliter componi potuerunt tabulæ annis plurimis duraturæ, quæ diem Paſchæ ceterorumqve feſtorum mobilium ad inſtructionem ſimplicium veraciter declarabunt.

Qvapropter hanc *obſervantiam* dignam duximus ubilibet publicari. *Quam* tamen *executioni mandari minimè præcipimus, usq; quo ſedato moderno ſchismate Deus eccleſiæ ſuæ illam quam totis viribus quærimus, dederit unionem: Sacro* approbante Concilio decernentes, ut præſens decretum tunc unanimi conſenſu univerſaliter obſervetur.

PETRUS CARDINALIS CAMERACENSIS.

Scriptum Conſtantiæ in Sacro Concilio. A. 1417. menſe Martii &c. & pronunciatum ad S. Paulum in dicta civitate.

TOMI III. PARS VII.

DE REBUS FLAGELLARIORUM VEL CRUCIFRATRUM,

Inprimis VINCENTII FERRERII.

ITa ſangvinem alii in Concilio profuderant, damnati, aliæ ad cœlum evectæ ac inter ſanctas collocatæ, quando de novo ſangvine humano profuſo in Concilio diſputari cœptum. Nam qvanto tenerior in ſanctas creandas animadverſa Johannis Papæ propenſio, tanto iterum deprehenſa *auſterior* ac crudelior *Flagellantium* atqve *Crucifratrum in proprium ſangvinem injuria.* Hos itaque non viros, ſed immanes leones aut urſos, qvi præ devotione imperita ac nimis rudi in proprium flagellis ſævirent corpus, mitigare atque humaniores reddere Concilium allaboravit. Neqve verò ſangvine & ſuppliciis a *ſangvinea* iſta *religione* avocandos illos eſſe, quin molliſſimis conſiliorum atqve pollicitationum emplaſtris vulnera iſthæc curanda, prudenter àConcilii patrib' judicatum.

Exorta ante Conſtantienſis Concilii ætatem ſexaginta propemodum annis, *ſecta Crucifratrum aut ſeſe flagellantium.* Qvi cum exiſtimarent, in recepta tunc religionis Chriſtianæ forma cultuve ſacro conſcientiam ipſorum nullam invenire poſſe quietem, illis relictis, in *ſangvine* proprio, exemplo Chriſti profuſo, ſed ſua ipſorum manu *flagellis producto*, ſe peccatorum veniam conſecuturos autumabant. Sparſa hæc ſecta illa ætate per totam Europam, magnis etiam & eruditis viris in illorum caſtra præ devotione concedentibus. *Longam ſeriem dogmatum*, qvæ fovebant ac profitebantur hi homines, recenſuit *Theodericus Vrie*, illa tempeſtate vivens, in *Hiſtoria Concilii Conſtantienſis*, qvam dedimus *Tomo I. Parte I.* Videri iſta poterunt, ne hic actum agamus, *Libro III. diſt. 8. f.* 86. & *Lib. 4. diſt. 13. f. 126. ſeqq.* Qvorum etiam Crucifratrum *originem*, *& autores*, nec non *fata* atqve *ſupplicia* commemoravit laudatus *Vrie. Sangerhuſæ* præſertim *in Thuringia*, *Conradus Smed, vel Faber*, cum alio *Begardo* illam doctrinam propalarant. Sed *Begardo Erfurdiæ cremato*, magna illorum caterva multis poſtea annis aucta, in Thuringia ac Miſnia proxime ante Conſtantienſe Conciliū gravem paſſa eſt inquiſitionem, *Sangerhuſæ* & in aliis Thuringiæ oppidis, centenis probe *crucifratribus ad crucem* flammæqve ſupplicium *raptis.* Conſentit cum *Theodorico Vrie* cætaneus illius *Gobelinus Perſona, in Coſmodrom. ætat. 6. cap.* 93. eandem *Crucifratrum fidem* aut religionis formam deſcribens.

Horum patrocinium ſuſcipere haud obſcure viſus & *Vincentius Ferrerius, ordinis Prædicatorum Monachus, Theologus & Orator* celeberrimus, qvi ob devotionem ac religioſitatem ab omnibus prope adoraretur. Cujus conſilio atq; oratione voti compos in Hiſpania factus Sigiſmundus Cæſar, Hiſpanos à Petro de Luna ſ. Benedicto XIII. abſtracturus. Quo de *Tomo II. f.* 522. & 565. Hunc igitur tantum virum à ſocietate Flagellantium avocari non tam artis quam *affectus* erat. Quapropter cum in Conſtantienſi Concilio de his religioſis flagellatoribus in viam reducendis ageretur, viſum, affectibus emolliri citius poſſe Vincentium Ferrerium, quam ferro vinci ac flagris. Blandiſſima hinc atque mitiſſima nata eſt *ad Ferrerium epiſtola Gerſonis.* Simile molle conſilium hoſce flagellatores à flagellis liberandi.

Ceterum alii hi *Crucifratres aut Flagellatores* ab illis *Fratribus crucis*, qui haud diu ante illos, in principio illius ſeculi, circa annum 1309. gregatim confluxerant, hoc, ut ajebant animo, qui mari trajecto terram ſanctam recuperarent, qui mox disjecti ſponte iterum diffluxerunt.

Diverſos etiam hoſce *Crucifratres* fuiſſe a *Cruciferis, ordinis Teutonici viris*, de quibus ſuperius Parte II, actum, quivis intelligit.

CAP.

CAP. I.

JOHANNIS GERSONIS

magni in Conſtantienſi Concilio nominis Viri Humaniſſima EPISTOLA

Ad VINCENTIUM FERRERIUM,

Theologum & Oratorem toto tunc orbe inclytum in Hiſpania degentem,

Sectæ flagellantium haud obſcure patrocinantem,

A. 1417. d. 9. Julii Conſtantiæ ſcripta,

Qua à ſecta eum molliſſime abſtrahere & ad Conſtantienſe Concilium pellicere allaboravit.

In antiqvo Codice hæc eſt inſcriptio:

EPISTOLA miſſa Magiſtro VINCENTIO, Ordinis Prædicatorum, Dei ſeminiverbio ferventiſſimo, contra Se flagellantes, per M. Joh. Gerſon.

NOminatiſſimo Doctori & Prædicatori, Zelanti ſalutem animarum, Magiſtro *Vincentio*, de ordine Fratrum Prædicatorum, fratri meo in Chriſti charitate dilectiſſimo, *Johannes Gerſon*,

Tanta de virtutibus tuis, Doctor egregiè, fama referente, crebrius accepi, tanta ſpecialiter in collatione familiari cum Reverendo Patre Domino *Generali tui ordinis Prædicatorum*, agnovi, ut mihi videaris recte figuratus, ſecundum nomen tuum, per illud Apocalypſeos, quo ſpeculator totius Eccleſiaſtici decurſus, Johannes, ait: *Vidi & ecce equus, & qui ſedebat ſuper illum habebat arcum; & data eſt ei corona, & exiit veniens ut vinceret.* Exiiſti quidem ut *vinceres*, *Vincenti* glorioſè. Sed quales tu vinceres, qua ratione, quibus armis, quo apparatu bellico, qvali arcu, ut tandem ipſe coronatus triumphares? Reſpondit ipſe, cujus es imitator, Paulus, dicens: *Arma militiæ noſtra non eſſe carnalia*, cum reliquis ſimilibus, qualia ipſe noſti melius. Suppetunt hoc loco plurima cordi meo, quæ libentius & forſan utilius verbo & ore ad os qvàm calamo muto referarem tuæ ſapientiæ, niſi quod aliorſum me trahunt occupationes aliæ. Et quia te gravius aſſiduè laboribus intentum protrahere longa ſcriptionis ſerie non viſum eſt ſatis æquum vel modeſtum, hoc unum, quod in votis nedum meis ſed quam plurimorum verſatur, aperiam.

Reddunt tuæ charitati tuoque zelo pacis eccleſiaſticæ hoc teſtimonium inſigne, hoc celeberrimum præconium, tum multi tum nominatim præfatus Magiſter ac Dominus Generalis, quod in inclyto Arragonum regno nunquam fuiſſent concordata pacis capitula, nunquam ſubtractio, quæ tam viriliter & legitime facta eſt ab illo, nimis proh dolor! erga matrem Eccleſiam obdurato Petro de Luna, fuiſſet attentata, ſi non auctoritatis tuæ pondus & conſilii robur addidiſſes. Cujus favoris tam egregii, *nos ipſi ſacro generali concilio præſentes*, deſideratiſſimæ pacis, annis jam ferè XL. miſerabiliter exulantis, fructum & reditum proximum expectamus. *Vincentiũ Ferreriũ pacem Eccleſiaſticã præclare promoviſſe.*

Et o te felicem! o te ter quaterque beatum, *ſi adeſſes præſentialiter*, ſi non auditu ſolo ſed propriis oculis *coram cernere* volueris *propinquam* velut in januis *ſummi Pontificis electionem.* Si videlicet efficaci celeritate, ſepoſitis interim turbis, jucundam *tua præſentia* faciem *huic eidem ſacro concilio* conſpiciendam attuleris, fructum ni fallor ampliorem & te tuiſque moribus digniorem afferes, quam, ſi hoc neglecto, permanſeris in inceptis. Memineris B. Pauli ad Galatas ſcribentis: *Deinde*, ait, poſt *annos XIV. aſcendi Hyeroſolimam cum Barnaba & Tito, & contuli cum illis Evangelium* *Invitatus Vincẽtius adCõciliũ Conſt.* *Exemplo Pauli Hieroſolymã adCõciliũ migrãtis.*

lium, quod prædico in gentibus: Seorſim autem his, qui videbantur aliquid eſſe, ne forte in vanum currerem aut cucurriſſem, Hoc ſatis pro tua re dictum puto.

Et ſiquidem *apud nos altera velut Hieroſolyma:* Sunt Apoſtolorum ſucceſſores, Reverendiſſimi & Deo amabiles Prælati: Sunt legis doctores, cum quibus tuam ipſam prædicationem conferre tam ſalubriter quam humiliter poteris, Ut interim ſileam de alio profectu multiplici ſperato *ſi veneris.*

Flagellatorum ſecta nec probata nec repudiata à Ferrerio.

Crede mihi, Doctor emerite, multi multa loquuntur ſuper prædicationibus tuis, & maxime ſuper illa *ſecta ſe verberantium*: Qualem conſtat præteritis temporibus fuiſſe pluries & in locis variis reprobatam: Quam *nec approbas*, ut teſtantur noti tui, ſed *neceſſicaciter reprobas.*

Jactantur inde varii *rumores* per populos & *apud nos.* Qvorum multa etſi neqve vera neqve credenda cenſeantur ab illis, qvi te, ſicut Perſius loqvitur, intus & in cute norunt: Nihilominus, exemplo Pauli, qvi per revelationem certiſſimus erat, prædicationem ſuam eſſe ſecundum Deum, voluit propter condeſcenſionem ad infirmos, propter autoriſationem inſuper pleniorem per Apoſtolos, deſcendere in Hieruſalem, & collationem habere cum Apoſtolis, ſic agere placeat, nominatiſſime Magiſter ac Domine.

Ac interim bene vale, benevole ſuſceptor hujus literulæ, qvam in procinctu ſcripſi, die, qva ſolennitatem ipſius, qvem prænominavi, Barnabæ, beatiſſimi Pauli conſortis, præveniendo recenſebam, IX *Julii, in vigilia ſacroſancti Sacramenti.*

Porro qvia neſcio, ſi forte non exaudiat hanc exhortationem zeli mei *tua prudens diſcretio, nolens huc accedere de præſenti,* judicavi tecum agere, ſicut mihi in veritate conſcius ſum, qvod in ſimili vellem erga parvitatem meam ſimiliter & ſinceriter agi.

Communicata negotia flagellantiũ per Concilii patres cum Vincentio.

Mittimus, Reverendus Pater prænominatus, & ego, qverelas aliqvorum, qvæ in manus noſtras nedum verbis ſed ſcriptis devenerunt. Et id agimus, non ad damnationem tuam, non ad inculpationem, non ad irritationem, (novit Deus) ſed cautelam ſuper his omnibus ampliorem.

Scio, millies expertus, qvam varia ſæpe qvam falſa de prædicantibus referuntur, partim ex auditorum imperitia, partim ex arroganti qvorundam malitia, contemtu, vel invidia. Scio deniqve, qvi ait: *Da ſapienti occaſionem & feſtinabit accipere.*

Interim bene vale in Domino, qvi tuam in bono viam dirigat, cuſtodiat & confirmet. Amen!

Hic in Codice antiquo Gerſoniano *A.* 1484. *Coloniæ* edito epiſtola hæcce finita. Aſt in editione altera decennio abhinc ſecuta *A.* 1494. adjectum reperitur auctarium, vel *conſenſus Cardinalis Cameracenſis*, his verbis: *Reverende Magiſter & Pater chariſſime. Familiaria colloquia, quæ tecum in Janua & Padua, & quandoq; alibi me habuiſſe recolo, ſermoneſq; tui ſalutares quos audivi, de te omne bonum præcipueq; humilitatem, quæ virtutum omnium fundamentum, præſumere agunt. Ideo cum dilecto fratre & ſocio meo Cancellario Pariſienſi ad præmiſſa te charitativè exhortari perſuaſus ſum. Tuus per omnia Petrus Cardinalis Cameracenſis. Poſt ſcripturam & datam literarum iſtarum fuerunt die Veneris ultimo præterita, uniti ſacro Concilio Domini Caſtellani, qui ſimiliter ad alios fecerunt & publicarunt ſubtractionem à Petro de Luna. Digneris ad pacem regni imo & regnorum laborare, & bene vale. Scriptum 21. Junii, Conſtantiæ. Vale in Domino, qui tuam in bono viam dirigat, cuſtodiat & confirmet. Amen. Tuus ad te devotus Johannes Cancellarius Pariſienſis.*

In utroque verò antiqvo Codice laudato hæc habetur ſubſcriptio, argumentum epiſtolæ complexa:

Epiſtola Magiſtri Johannis Gerſon, ad Sanctum Vincentium Ordinis Prædicatorum miſſa. In qua hortatur, ut Concilium Conſtantienſe ſua perſonali præſentia accedere dignetur, ſectamque ſe flagellantium ut ad tempus deſerat modeſtiſſime inculcat (perſvadet.)

CAP.

CAP. II.

Johannis Gerſonis molle Conſilium De convincenda ſe flagellantium Secta.

A. 1417. d. 18. Julii in Conſtantienſi Concilio proditum.

LEx Chriſti dicitur *lex amoris*, quam Dominus, ſicut dicit Auguſtinus, voluit pauciſſimis Sacramentis eſſe contentam. Et inde culpat eos qui ſervilibus eam premunt oneribus, conformiter ad illud primi Paſtoris Petri *Actor XV. Quid tentatis Deum, imponendo jugum ſuper cervicem diſcipulorum, quod neq; nos neq; Patres noſtri portare potuimus. Sed per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti credimus ſalvari, quemadmodum illi.* Pium verbum omni acceptione dignum.

Chriſtianiſm⁹ non eſt oneroſus.

Lex Chriſti non minus debet *in cultu* ſuo vitare *ſuperſtitiones gentilium* & idolatrarum, præſertim crudeles & horrendas, quam *antiqua lex.* In qua tamen prohibitio fit per expreſſum *Deut. XIV.* ubi dicitur: *Filii eſtote Domini Dei noſtri. Non vos incidetis.* Gloſſa: *Non debetis in aliquo idolatris aſſimilari.* Et in Hebræo habetur: *Non vos lacerabitis.* Hoc autem faciebant *idolatræ*, ſicut habetur 4. *Reg. XVIII.* Ubi dicitur, qvod *incidebant ſe* juxta ritum ſuum cultris & lanceolis, donec profunderent ſangvinem. Compertum ſiquidem eſt & traditum, homicidas illos & Apoſtatas dæmones eſſe *cupidos effuſionis ſangvinis* præſertim *humani.*

Fugit ſuperſtitiones gentilium. Corpus proprium laniare, mos idololatrarũ.

Lex àliqua, qvanto eſt iniqvior & Dæmoniis obſeqventior, tanto ſemper invenitur crudelior & amarior. Patet in illis, qui *filios ſuos & filias immolabant Demoniis.* Hinc Dominus ait per Prophetam: *Servietis Diis alienis, qui non dabunt vobis requiem.*

Chriſtus autem *ex gratia* ſua, ſicut notatur in dicto Petri prius allegato, *voluit nos miſericorditer ſalvare per ſangvinem ſuum ſemel effuſum. Per quem factus eſt nobis a Deo ſapientia juſtitia ſanctificatio & redemtio.*

Lex Chriſti maximam ſortitur virtutem ex *miſericordia & gratia* ſua. Cujus *gratia vaſa* ſunt *ſacramenta* novæ legis, ex virtute operis operati. Et quicqvid avertit a ſacramentis ſuſcipiendis, præſertim à *Sacramento Confeſſionis*, debet rejici fideliter.

Conſtat autem per experientiam, qvod taliter *ſe flagellantes non curant de Sacramento confeſſionis vel pœnitentia ſacramentali*, dicentes: Qvoniam hæc *flagellatio* potior eſt ad delendum peccatum, quam quæcunque confeſſio. Imo eam æquiparant nonnulli vel præponunt *martyrio.* Qvoniam facimus, ultro, inqviunt, fundendo ſangvinem proprium, qvod martyres ab aliis pati cogebantur.

Flagellantium perſvaſio.

Formidandum tamen iſtic eſt, ne apud perſonas clericales & in locis ſacris cauſet hæc pollutio ſangvinis vel *excommunicationem* vel irregularitatem vel contaminationem & prophanationem in eisdem locis ſacris.

Lex Chriſti *prohibet* ſollicite *pœnitentias publicas* dandas eſſe *clericis*, ſacerdotibus & Prælatis, propter reverentiam ſtatus clericalis. Quanto *minus* debent *tales perſonæ ſuſcipere pœnitentias* hujusmodi *publicas.* Sicut ſunt, ut fertur, multi de numero flagellantium ſe, qvi, licet videantur celare ſe, tamen ſatis cognoſcuntur. Similiter diceretur *de perſonis inſignibus in utroq; ſexu*, de ſervanda inſuper verecundia juvencularum & juvenum, illic ſe denudantium, & de non infringenda gravitate virorum, vel autoritate minuenda parentum.

An Clerici poſſint adigi ad pœnitentiam publicam.

Lex Chriſti ſi videatur *flagella* indulgere, juxta illud, *Ecce ego in flagella paratus ſum*: Nihilominus *circumſtantiæ* debent apponi, quibus rationabiliter fiat obſeqvium noſtrum. *Una*, qvod hujusmodi flagellatio fiat judicio ſuperioris imponentis talem pœnitentiam, & qvod ab altero fiat, & moderate & ſine ſcandalo & oſtentatione, ac ſine ſangvine, juxta traditionem *Guilelmi Pariſienſis*, Quemadmodum fit hujusmodi *flagellatio*

An aliqua ratione flagellatio propria ſit admittenda.

Digitized by Google

tio in religionibus approbatis & ab aliquibns devotis perſonis. Sed aliter longe videmus in illis, quos reprobamus, flagellis obſervari.

In quibus regnis Flagellatores deprehenſi.

Lex Chriſti, declarata per eccleſiam, cujus autoritas major eſt in ſua conſvetudine, dicente S. Thoma, quam ſit autoritas unius Doctoris, ſicut Hieronymi vel Auguſtini, ſemper *Sectam flagellantium ſe* reprobavit, poſtquam inſurgere videbatur *in diverſis mundi partibus*. Et hoc de memoria plurium hominum viventium, tam in *Lotharingia* quam in *Almania* & in *Francia*, pluribus in locis, juxta narrationes hominum, & Chronicas Franciæ, ac ſcripturas fide dignas.

De Begardis.

Lex Chriſti prohibuit freqventer multas obſervationes *Begardorum* & *Begardarum*, qvæ in prima ſui introductione prætendebant ſpem magnæ religionis ac multi fructus ſpiritualis in animabus & exempla ſalutis atqve auſteritatis. *Prohibuit* inquam *propter ſequelas* malas & multas, qvæ *ſub hoc prætextu* fieri ſunt inventæ. Non enim eſt malum, qvod ſubſiſtere poſſet, ſi non aliqvam ſpecim haberet in ſe boni. Propterea fallit hæc argumentatio: Proveniunt ex hac ſecta flagellatorum multa bona: Non igitur tollenda vel reprobanda.

Rit' novi per plebem non inducendi temere.

Lex Chriſti nedum ordinat hominem ad Deum, ſed etiam ad proximum & Principem ſeu Prælatum ſuum. Propterea *non debet qualiscunque ritus induci* per populos, qvi poſſit cauſare ſeditionem vel partialitatem vel ſuperſtitionem. Sed debent omnia regulate fieri & ordinate de mandato & ordinatione ſuperioris. Ut nullatenus ordo hierarchicus confundatur. Qvod fieret, ſi qvilibet ad arbitrium ſuum poſſet inſtituere, vel fovere novum ritum, ſine duce, ſine lege ſtabili, ſine ordine, ubi ſunt juvenes & virgines, ſenes cum junioribus, ſimul in unum dives & pauper, & illorum turba magna, de qvibus ait Eccleſiaſtes: *Stultorum infinitus eſt numerus.*

Abunde ſufficit lex divina, ut proprium cultum excogitare non neceſſe.

Lex Chriſti *ſufficienter* data eſt *in præceptis Decalogi*. Qvorum *obſervatio*, facta cum *bona ſimplicitate* &, ut iſta dicitur, *groſſa fide*, ſatis eſt ad ſalutem, præſertim Laicorum & popularium, abſqve nova graviſſimorum onerum impoſitione. Juxta illud Chriſti: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata Dei.*

Nec valet, ſi dicatur: Qvod populares ſuſcipiunt *voluntarie* tales flagellationes, ſine præcepto alio: Dum invenitur, qvod ipſi *divina præcepta* liberius in multis inde *contemnunt*. Eſt enim *contumax humana natura*, qvæ, poſtqvam deſtituta eſt ab originalis juſtitiæ ſtatu, cupidius fertur in illa, qvæ ſunt adinventiones ſuæ, qvam qvæ ſunt divinæ juſſiones. Eſthic unus *ſuperbiæ gradus*, qvem *apud religioſos* ait Bernhardus inveniri, dum plus gaudent in abſtinentia vel oratione particulari, ſpontanee ſumta, qvàm in tota regulari diſciplina.

Lex Chriſti, ſufficienter ab Apoſtolis & ſacris Doctoribus explicata, non invenitur tales *novitates flagellantium ſe* conſtituiſſe, prædicando, vel aliter, ſed potius reprobaſſe, tanqvam ſuſpectiſſimas & periculoſiſſimas, & qvæ vergere poſſunt in ſcandalum Chriſtianorum apud judæos, Saracenos & Paganos, tanqvam lex Chriſti ſit auſtera, crudelis, & in ſangvinibus non in miſerationibus enutrita.

Sub præ[textu] pœ[nitentiæ] latere ſ[...] mala.

Lex Chriſti docet, ex præmiſſis & ſimilibus multis, Prælatos eccleſiæ, Paſtores & Doctores, imo & Principes, qvod *ſectam* hujuſmodi *cruentam & ſangvinolentam*, Gallice *ſanglate*, ſtudeant & laborent deſtruere ſeu compeſcere, tam bonis prædicationibus & bonis ſvaſionibus, qvàm cenſuris, nedum eccleſiaſticis ſed etiam temporalibus, more prædeceſſorũ. Attento, qvod *ſub hoc velamine ac prætextu pœnitentiæ innumera mala fiunt*, ſicut experti teſtantur. Inſurgunt hæreſes, vilipenduntur proprii ſacerdotes, contemnuntur confesſiones & pœnitentiæ ſacramentales, extorqventur doloſis modis pecuniæ, otia, qvæ pigros occidunt, nutriuntur. Silemus de furtis, de ſtupris, & adulteriis, de periculis qvæ ſunt in falſis fratribus, & fraudulentis ſollicitationibus ad omne facinus atqve flagitium. Ita ut bonis & malis hinc inde ſtatera juſta vel

Digitized by Google

vel æqua lance penſatis, mala multo plura quam bona parturire cognoſcatur hæc *ſecta ſe flagellantium*, pridem & pluries jam damnata. Propterea dum repullulat vel excreſcit, toto ſtudio funditus evellenda proterendaque cenſetur.

Caute agendū in extirpandis flagellantibus.

Verum, quomodo *oportet in hoc malo* jam *radicato* & quod latiſſime ſerpit, *procedere? Pedetentim & caute.* Ne, dum quæruntur eradicari zizania flagellatorum hujusmodi, ſimul & evellatur triticum prius ſeminatum boni ſalubrisque verbi Dei.

Notetur igitur ſequela quadruplex infra ſcripta.

Verbo non ferro adverſus illos pugnandum.

Fiat inprimis *exhortatio* vehemens & crebra, *de* & ſuper *autoritate ſacri concilii, dum illud eſt.* Similiter de autoritate Papæ & eccleſiæ Romanæ, quatenus quilibet habeat *promtitudinem animi parere* vel obedire *mandatis* vel inſtitutionibus ſeu conſiliis prædictorum.

Quemadmodum facit *egregius & fervidus Prædicator Magiſter Vincentius.* Sicut patet ex *literis propria manu ſubſcriptis* noviſſime *miſſis Conſtantiam. In quotidianis*, inqvit, *recommendationibus ſacri & univerſalis Concilii Conſtantienſis, quas facio poſt ſermonem, doceo & doceo omnes fideles, ſubmittere omnia facta & verba ac etiam ſcripta determinationi ac etiam correctioni ejusdem ſacri Concilii. Subdendo: Et ſic facio in omnibus factis & dictis ac etiam ſcriptis meis.* Hæc ibidem: Qvæ manifeſtant diſcretam humilitatem & humilem diſcretionem *tanti viri.* Qvæ diſcretio poſita eſt à ſanctis patribus ductrix aurigaqve virtutum. Dum inſtar devoti Bernhardi plus alieno qvam proprio credit judicio.

Porro non eſt formidandum *retractationis*, (quæ forſitan opponetur) *opprobrium.* Sit in exemplo B. Auguſtinus, cujus *retractatio* nec inhonoravit eum, nec autoritatis dictorum ſuorum robur evertit. *Nihil* enim, ut qvidam ait, *efficacius ad docendum quam verbum ſimplex verax & humile, nihil habens fictionis vel ſuperbæ præſumtionis admixtum. Quoniam Deus eſt qui cum ſimplicibus [illegible], dans eis gratiam & virtutem [illegible] laborat in vanum lingua [illegible].*

Fiat oſtenſio, qvemadmodum fuerunt qvandoqve *inchoata pia devotione*, qvæ proceſſu temporis inveniuntur *[illegible]teriores exitus* accipere, vel propter ſcandalum puſillorum, vel propter ſcientiæ defectum, ſicut loqvitur de qvibusdam Apoſtolus. *Teſtimonium*, inqvit, *perhibeo eis, quia zelum Dei habent ſed non ſecundum ſcientiam.*

Blandis ſollicitationibus in viam eſſe reducendos.

Fiat itaqve, ſic docendo, ſic prædicando, qvod *non* ita *reprobabuntur* perſonæ ſingulæ, qvæ præſentibus temporibus flagellaverunt ſe, qvod videantur nunc damnandæ vel penitus execrandæ, dummodo deinde obediant monitioni ſalutari: Inculcando, quemadmodum melior eſt obedientia qvam victimæ. Et qvod juſſione divina *in omni ſacrificio tuo ſal offeres.*

Fiat exhortatio diligens & vehemens ſuper laudibus *patientiæ*, quæ perfectum opus habet: *Præferendo* eam *talibus ultro acceptis flagellationibus.* Juxta quod loquitur Auguſtinus conformiter ad Senecam: *Quod adverſitates ſeculi hujus non tam infligendæ ſunt, quam dum evenerint patienter tolerandæ*, faciendo per patientiam de neceſſitate virtutem. *Non ſum tam demens*, inquit Seneca, *ut ægrotare velim, ſed ſi ægrotandum eſt, patienter tolerabo.* Debebunt proinde numerari diligenter *tribulationes* variæ, nunc temporales nunc ſpirituales, quæ aſſidue nobis dant & ingerunt, velimus nolim', patientiæ materiam: Cujusmodi ſunt, infirmitates, paupertates, vexationes, angariæ, mortes parentum atq; filiorum, bella, rapinæ, incendia, detractiones, contumeliæ, labores manuum in agricolis & mechanicis, tentationes rurſum variorum peccatorum, & foris timores. Et quis cunctas hujusmodi *tribulationes* dinumeret? Quæ *tot & tales* ſunt, *quod non oporteat novas ſuperinducere.* Quoniam *ſatis* eſſet *tolerantia fortis tribulationum* hujusmodi *quotidianarum, pro purgatione magna peccatorum*, præſertim adjuncta contritione & humili confeſſione, in re vel propoſito, tempore & loco. Juxta quod rogabat quidam, *Fiat pars purgationis meæ, purgatorium meum, labor, quo hic per ſingulos dies exerceor.* Et profecto ſic eſt: Plus

Patientia in adverſis ſponte ſubnatis potior quā quæſita flagella.

ali-

aliquando valet pia flagellorum Dei ſub ejus manu tolerantia ſine murmure, ſine reprehenſione divinorum judiciorum, ſine rancore vel odio contra ſuperiores ſuos, vel alios affligentes ſe, juſte vel injuſte, quàm ſi manens iracundus & impatiens nedum flagellaret ſe ipſum ad ſangvinem, ſed laceraret & decerperet membratim ad mortem. Imo ſicut non licet hominem ſe ipſum propria autoritate mutilare vel caſtrare, niſi pro ſanitate totius corporis conſequenda: Sic nec licet, ut videtur, quod a ſe ipſo qvis ſangvinem violenter niſi cauſa eliciat medicinæ corporalis. Alioqun ſimili ratione poſſet ſe homo cauteriſare per ferrum ignitum, quod adhuc nemo poſuit vel conceſſit, niſi forſan idolatræ & falſi Chriſtiani, quales reperiuntur in India, qui ſe putant *baptizari* debere *per ignem.*

Fiat in ſpeciali velut in quadam radice *proviſio* ſolers & exacta circa *ſocietatem* illam multum *numeroſam*, a qua videtur inchoata vel ſaltem multum continuata & obfirmata flagellatio talis.

Unde, cum dicant ſe *ſub obedientia* eſſe, primitus imperandum eſt quod *deſiſtant*, & deſiſtere *ſvadeant* alios, *ſubmoderatione* quæ dicta eſt. Videlicet, niſi, vel quousque ſacrum concilium, vel eccleſia romana mandaverit vel tolerarit hæc fieri. Allegando regulam moralem, qvod, ubi dubitari ſurgit de aliquo actu, an poſſit licite fieri vel omitti, tutius eſt omittere quam facere. Præſertim ubi factio generare cernitur ſcandalum aliorum. Unde eſt illud Apoſtoli: *Si eſca ſcandalizet fratrem meum, non manducabo carnes in æternum.*

Videretur proinde numerus talis coarctandus & ſollicite purgandus, ne ſub eorum multitudine, etiam bonorum, mali & reprobi deliteſcant.

Denique populus, quoniam erigitur *novitatibus*, illæ ſunt illis ingerendæ, *in quibus eſt tuta ſalubrisq; devotio.* Sicut, de miſericordia ſanctorum & recurſu ad eos. Ut, ad angelum proprium cuſtodem: Ad ſanctum, cujus nomen perſona gerit: Ad illam matrem Dei & virginalem, ſponſum ſuum Joſeph: Numerando prærogativas eorum.

Proinde ſi prædicandum fuerit de finali judicio vel Antichriſto, fiat hoc in generali, concludendo, quod in morte quilibet habet ſuum judicium proximum & certum.

Quod ſi quis inducere voluerit *miracula nova* ſuper Antichriſti adventu proximo: Notet, quod *mundus ſeneſcens patitur fantaſias falſorum miraculorum, ſicut homo ſenex fantaſiatur in ſomno.* Propterea ſunt *nunc habenda miracula valde ſuſpecta*, niſi facta prius examinatione diligenti.

Obſervandum præterea ſummopere videtur, apud tales de ſocietate, quod *nullo modo vivant otioſe*, ſi laborare poſſint. Ut ſint exemplar & animatio laborantium.

Ut præterea *nihil agant contentioſe*, & velut ex vituperio & contemptu Prælatorum, majorum & minorum, vel aliquorum, generaliter clericorum, neque in prædicationibus faciendis, neque in confeſſionibus audiendis.

Propterea debent in omni loco, quo primùm veniunt, primitus habere allocutiones & bonum placitum cum Eccleſiaſticis, vel eorum capitibus; Ne ſchisma forſan fiat Laicorum ad clericos, vel contra.

Tandem ſi forte ſenſerit *Doctor insignis Magiſter Vincentius*, non poſſe convenienter ſuper præmiſſis ſalubriter & efficaciter provideri, videtur conſultius, ut ad tempus ſegregaret præſentiam ſuam, effugiens tantam ſocietatem, quod ſi poſſet, *viſitando ſacrum concilium*, vel altera occaſione ſibi ſumta.

Hæc interim notata ſunt velut in quodam incurſu, magis ad rememorandum, quàm docendum. XVIII. Julii Anno M CCCC XVII. Conſtantienſis tempore Concilii.

(o)

TOMI III. PARS VIII.

DE REBUS MATTHÆI GRABON, Dominicani.

A Liæ porro controverſiæ vel compoſitæ vel cœptæ in Concilio ante novi Pontificis Martini V. electionem. In his excellebant *Res Wicleſi & Communionis ſacræ.* Quas in unum cumulum ſub finem congeſſimus. Novæ interea *de ſtatu Monachali lites* ſubortæ. Ita in medium allata *à Monacho Dominicano, Matthæo Grabon, de Monachali religioſitate* quæſtio. Poſtquam enim illa ætate ob inſignes Monaſteriorum abuſus, plures extra Monachale vinculum coire cœperant, in ſocietate amica de communibus opibus viventes, horum ſtudium aut mores tanto motu damnare fuerat annisus laudatus Dominicanus, ut *Monachalem ordinem* ultra modum extolleret. Ex quo igitur hic varios ea de re libellos ediderat, *ſumma* eorum breviter ex illis congeſta *Martino V. Pontifici* in Concilio eſt ad dijudicandum *oblata.* Qui commiſſariis Cardinalibus hoc disquiſitionis munus dedit. Factumque, ut, *Petri de Alliaco* præſertim & *Gerſonis* judicio, Grabonis ſcripta ac dogmata, fidei & religioni Chriſtianæ inimica condemnarentur. Quorum effatis res ſtetit, ut Grabon ad pœnitentiam & ſententiæ revocationem perduceretur. En ergo *de religione vera* litem.

CAP. I.

Concluſiones Fratris Matthæi Grabon, Ordinis Prædicatorum, in ſacro Conſtantienſi Concilio ad examinandum Martino V. oblatæ.

Ex antiquis Codicibus Gerſonianis.

B*Eatiſſime Pater.* Exponitur ſanctitati Veſtræ ex parte viri devoti Oratoris Fratris *Mathæi Grabon,* convent' Wiſmarienſis (forte Vinarięſis) Provinciæ Saxoniæ, *Ordinis Prædicatorum* ac Mersburgenſis Diœceſeos, quod, cum *lector* ipſe exiſtens in conventu Groningenſi, Diœceſeos Trajectenſis, dictæ Provinciæ & Ordinis, videret, *plures perſonas ſexus utriusq; novæ Religionis habitum aſſumentes, & conventicula facientes,* nullum habitum approbatum profitentes, *ſtatuentesq; ſibi ipſis ſuperiores pro libitu voluntatis, & ſub ſimulata devotione populum attrahentes, & multa contra veritatem ſacræ ſcripturæ ac ſacros Canones attentantes, & de Eleemoſynis Chriſti fidelium domos ſumptuoſas ad modum monaſteriorum regularium ædificantes, & ſe invicem in eis includentes, cum obſervatione quorundam rituum* minime per Eccleſiam approbatorum: Cœpit ſuper hoc apud ſemetipſum ardenter cogitare, & *an* hoc ſtantibus Regulis fidei & ſacris canonibus, Eccleſia diſſimulare deberet. Revolvensque diligentius ſacræ ſcripturæ ſanctorumque Doctorum libros & ſacros Canones, quasdam *concluſiones, reprobantes illorum modum vivendi, extraxit* & ſcripturæ commendavit. Quarum una principalis eſt, ex qua aliæ deducũtur exceptis paucis. *Nullus poteſt licite & meritorie, imo nec veraciter, Obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis univerſalia conſilia, conjunctim, extra veras religiones manendo, adimplere.*

Ex quo ſequitur immediate formali conſequentia, articulus ſeu concluſio nona in ordine: *Quod nullus poteſt prædictum paupertatis conſilium meritorie, imo nec veraciter obſervare, niſi fuerit in ſtatu* ſpiritualis perfectionis, ſive *veræ Religionis.*

Et dico notanter de *iſtis tribus conſiliis* ſimpliciter ſeu univerſaliter ſumptis. *Secundum quod* vero, & *in aliquo caſu* poſſunt laudabiliter & meritorie, extra Religiones obſervari. Quando enim aliquis ſecularis dat Eleemoſynam in caſu aliquo, quando ad eã de neceſſi-

tate præcepti non tenetur, implet illud conſilium paupertatis in illo caſu tantum. Et quando continet ſe ab uxoris amplexibus tempore illo, quando illud facere non tenetur, implet *conſilium continentiæ*, in illo caſu, *ſecundum quod* tantum. Quando etiam obedit alicui ſuo Prælato, Curato vel Epiſcopo, in caſu, quando hoc de neceſſitate præcepti non tenetur, obſervat illud *obedientiæ conſilium* in illo caſu. Et iſta poſſunt extra *Religiones viventes* voto vel ſine voto Deo offerre. Unde dicit Sanctus *Thomas*, *ſecunda ſecundæ*, *Quod in ſeculo viventes* aliquid Deo dant, & aliquid ſibi reſervant, & ſecundum hoc Prælatis Eccleſiæ ſubduntur. *Regulares* autem oportet totum Deo quod habent tanquam holocauſtum offerre. Et hoc fit & fieri poteſt tantum per *tria conſilia univerſalia* prædicta. Et ideo dicit ibidem, quod ad *ſeculares* pertinet tantum *particularia vota* offerre; ad *regulares* autem *univerſalia vota*. Unde *particularia* vota dicuntur ſacrificia, more veterum, de cujus ratione fuit, de offertorio Deo oblato partem dare & partem retinere. *Univerſalia* vero vota holocauſtum dicuntur, de cujus ratione fuit totum Deo offerre & nihil retinere, quod pertinet ad ſolos religioſos, ſe & ſua in modum cujuſdam holocauſti Deo dedicantes.

Ex quibus ſequitur *undecima*. Quod *abdicare quenquam omnia propter Chriſtum, extra prædictas religiones manendo*, ſeu, niſi veram aliquam Religionem ingrediatur, *eſt ſibi & ſuis, quorum cura ſibi incumbit, vitam ſubtrahere*. Quod eſt homicidium tot hominum committere quot ejus curæ ſubduntur. Hæc eſt de mente ſancti *Thomæ, ſecunda ſecundæ, Quæſt.* 33. *Art. &c.*

Ex quibus ſequitur, quod *nullus poteſt abdicationem omnium propter Chriſtum facere extra veram Religionem manendo*, ſine peccato mortali. Quia ſubtraheret ſibi vitam.

Ex quibus ſequitur, quod *omnes peccant, qui bona ſua ſimpliciter in Eleemoſynam largiuntur* extra Religionem veram manendo. Quæ eſt *tertia concluſio* in ordine.

Et etiam, quod *peccent qui ſua propria reſignant*, non intrantes Religionem aliquam approbatam. Quæ eſt *decima octava* in ordine; coincidens cum *tertia* immediate præcedenti.

Ex quibus ſequitur *decima*, quod *reputantes, ſe bene facere aſſumendo* prædictum *conſilium paupertatis*, *remanendo in ſtatu ſeculari, mortaliter peccant*. Ratio. Quia talis non eſt aſſumptio ipſius niſi fantaſtica, perverſa & non vera. Ut docet Dominus *Johannes XXII.* in quadam *Extravagante*, *Glorioſam Eccleſiam*, &c. Et ratio idem convincit.

Ex quibus ſequitur, quod *ſeculares, credentes ſe mereri tali abdicatione* (in ſeculo ſcilicet manendo) *vitam æternam, mortaliter peccant.*

Ex quibus ſequitur, quod aliquis ſit voluntariè pauper propter Chriſtum, in ſeculo manens, omnino nihil habendo, nec etiam ipſam voluntatem habendi propria, *includit omni tempore contradictionem* &c. Quia includit, quod ſecularis ſit religioſus, & è contra. Quod eſt omni tempore contradictio.

Ex quibus ſequitur, quod *non effundi omnes opes ſimul ab his qui volunt in ſtatu ſeculari remanere*, reducitur quaſi immediatè ad illud præceptum Decalogi, *Non occides*. Uno caſu tantum dempto, ſecundum expoſitionem ſancti *Thomæ q. XXXIII.* allegantis ad confirmationem dicti ſui Ambroſium, dicentem in *primo de Officiis*: Deus non vult ſimul omnes opes effundi, niſi forte ut Heliſæus, qui mactavit boves ſuos, & pavit pauperes ex eo quod habuit. Ut nulla cura teneretur domeſticâ, ſed ut ſe daret in propheticam diſciplinam. Quod verbum, ſcilicet, *niſi forte ut Heliſæus*, exponit ſanctus *Thomas*: Niſi qvis velit ſtatum ſuum ſcilicet ſecularem mutare per Religionis ingreſſum, & Principem de *extrema neceſſitate liberare*. &c. Et *Johannes in ſumma confeſſionis* ſub aliis verbis: Niſi quis velit ex toto ſeculum relinquere. Et *Magiſter ſententiarum* titulo *de Eleemoſyna* dicit idem. Et loquitur ibi *Ambroſius* de effuſione ſeu abdicatione actu habitorum, ex quibus poſſit homo convenienter vitam tranſigere, ſecundum conditionem ſtatus & perſonæ. Ex

Ex quibus ſequitur, quod dicens pertinaciter, omnia eſſe meritorie abjicienda propter Chriſtum in ſeculo manenti, *hæreticus* eſt dicendus. Excepto uno ſolo caſu, *de liberando Principem de neceſſitate extrema*, per quem &c.

Ex quibus ſequitur, quod *proprietas temporalium rerum eſt ſtatui ſeculari eſſentialiter annexa.*

Et per conſequens Dominus *Papa* ſalva autoritate ſua *non poteſt diſpenſare cum ſecularibus, ut omnibus in ſingulari careant* ſeu nihil in ſingulari habeant.

Ex quibus ſequitur *ſextus Articulus*, reddens præcedentis quinti Articuli rationem. Si enim Dominus Papa poſſet hoc alicui concedere, ſeculari videlicet, poſſet ei concedere propriæ vitæ ſubtractiones &c. Poſſet etiam, quod pro omni tempore contradictionem implicat. Quod Deus, ſecundum ſanctos, facere non poteſt.

Sequitur etiam, quod *religioſus ſine peccato mortali non poteſt abdicare voluntatem habendi communia*, etiam quando actu talia non habet. Quia etiam illud, quod nullus facere poteſt ſine peccato mortali, nullus poteſt illud velle facere. Et religioſus non poteſt abdicare communia, quia ſine illis vivere non poſſet, cum per ſuam profeſſionem renunciaverit omnibus & ſingulis propriis ſingularibus. Sequitur ergo, quod religioſus &c. Quia etiam, teſtante ſancto *Thoma, ſecunda ſecundæ, q. XXXIII. Articulo* &c. nullus debet inconvenienter vivere, tribus caſibus exceptis.

Sequitur, quod *male faciant & peccent, illud abjicientes, de quo ſecundum ſtatum ſuum & conditionem perſonæ poſſint convenienter vivere*, dictis tribus caſibus exceptis &c.

Nullus etiam *corpore validus, extra veram neceſſitatem* exiſtens, *poteſt ſine peccato Chriſti fidelium Eleemoſynas tollere.*

Ex quibus ſequitur, quod prædicta *tria* Salvatoris *cōſilia* ſint ita concatenata, ut ubi *paupertas* veraciter ſeu meritorie invenitur, oportet, quod neceſſario *obedientia & caſtitas* veraciter ſeu meritorie inveniantur. Probatur ita. Quia Papa ſic arguit in *Decretali*. Qui non renunciant propriis non ſunt religioſi. Ergo *propriis renunciantes ſunt religioſi.* Et omnis religioſus eſt neceſſario ſimul cum paupertate ad alia duo conſilia veraciter obligatus &c.

Ordo & Numerus Articulorum & Concluſionum prædictarum.

Articul. I. Proprietas temporalium rerum ſtatui ſeculari eſſentialiter eſt annexa.

Artic. II. Nullus ſine peccato poteſt illud abjicere, quo retento poteſt convenienter vivere ſecundum ſtatum ſuum.

Artic. III. Omnes peccant, qui bona ſua ſimpliciter in Eleemoſynam largiuntur propter Chriſtum.

Artic. IV. Abdicationes omnium propter Chriſtum nullus facere poteſt, extra veras Religiones manendo, ſine peccato mortali. Et dico *veras Religiones*, per ſedem Apoſtolicam *approbatas.*

Artic. V. Papa non poteſt diſpenſare cum ſecularibus, ut omnibus in ſingulari careant.

Artic. VI. Si Papa poſſet alicui concedere hoc, tunc poſſet concedere propriæ vitæ ſubtractionem. Quod eſt contra Præceptū Decalogi *Non occides.*

Artic. VII. Religioſus non poteſt ſine peccato mortali abdicare voluntatem habendi communia, quando actu talia non habet.

Artic. VIII. Quod aliquis ſit voluntarie pauper propter Chriſtum, in ſeculo manens, omnino nihil habendo in ſingulari, nec etiam ipſam voluntatem habendi propria, includit omni tempore contradictionem.

Artic. IX. Nullus poteſt paupertatis conſilium meritorie obſervare, niſi fuerit in ſtatu ſpiritualis perfectionis, ſive veræ Religionis. Dico autem veram Religionem ſecundo modo dictam Religionem.

Artic. X. Reputantes ſe bene facere, aſſumendo paupertatem, quæ eſt Salvatoris conſilium, remanendo in ſtatu ſeculari, peccant mortaliter.

Artic. XI. Abdicare omnia etiam propter Chriſtum, niſi veram approbatam

Digitized by Google

batam religionem ingrediatur, eſt ſibi & ſuis, quorum cura ſibi incumbit, vitam ſubtrahere. Quod eſt homicidium committere tot hominum, quot etiam ejus curæ ſubduntur.

Artic. XII. Credentes ſe mereri vitam æternam tali abdicatione, credunt ſe poſſe mereri vitam æternam mortaliter peccando.

Artic. XIII. Effundi omnes opes ſimul ab his qvi volunt in ſeculo manere, reducitur quaſi immediate ad illud præceptum *Non occides.*

Artic. XIV. Dicens, omnia meritorie eſſe abjicienda propter Chriſtum, remanenti in ſeculo, eſt hæreticus judicandus.

Artic. XV. Nullus poteſt meritorie & ſecundum Deum, obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis conſilia extra veras probatas Religiones manendo adimplere.

Artic. XVI. Tria Salvatoris conſilia ſunt ſic concatenata, ut ubi paupertas meritoria, in quantum eſt Salvatoris conſilium, invenitur, oportet ut neceſſario alia duo, ſcilicet caſtitas & obedientia, inveniantur, quæ à paupertate ſeparari non poſſunt.

Artic. XVII. Matronæ ſeu mulieres communem vitam ducentes, inſimul commorantes, Begutta vulgariter nuncupatæ, quoscunque errores non tenentes aut prædicantes ſeu alias de erroribus vel hæretica ptavitate non ſuſpectæ, *æternæ damnationis ſunt filiæ*, & earum ſtatus eſt prohibitus & damnatus.

Artic. XVIII. Peccant, quia propria ſua reſignant, non intrantes Religionem approbatam. Ratio eſt, ſecundum eum, quia *religioſorum eſt carere proprio*, ſicut *ſecularibus eſt neceſſarium retinere proprium.*

Artic. XIX. Non licet Presbyteris & Clericis communem vitam ducere, niſi in Religione approbata, ſub pœna peccati mortalis.

Artic. XX. Peccant omnes, qui fovent conſilio & auxilio communem vitam ducentes extra Religionem approbatam.

Artic. XXI. Excommunicati ſunt omnes communem vitam ducentes extra Religionem approbatam.

Artic. XXII. Quare ſimiliter excommunicati ſunt illi, qui vitam communem extra Religionem approbatam ducentibus præbent Eleemoſynam. Et qui tales foveat conſilio & auxilio vel defenſione, ſimiliter ſtant & ſunt in ſtatu perpetuæ damnationis. Et niſi de hujusmodi eorum exceſſibus magna contritione pœnituerint, ad vitam æternam non poſſunt pervenire neque ſalvi permanere.

Artic. XXIII. Omnes *vitam communem ducentes* extra Religionem approbatam, ſunt illi, à quibus Salvator noſter præcipit eſſe abſtinendum, & tanqvam à falſis Prophetis attendendum.

Artic. XXIV. Quilibet faciens *contra jura Canonica* peccat mortaliter.

Artic. XXV. Nullus corpore validus absque communi utilitate & neceſſitate poteſt extra veras Religiones ſine peccato Eleemoſynas Chriſti fidelium tollere &c.

CAP. II.

Petri de Alliaco Cardinalis Cameracenſis judicium de cauſa fidei Matthæi Grabon, datum Commiſſario Cardinali, à Martino V. conſtituto.

Reverendiſſime Pater & Domine, Super ſchedula papyrea Sigillo Veſtro ſigillata mihi ad inſtigatoris inſtantiam *in quadam cauſa fidei*, reſpondeo, deliberationem meam iſtam eſſe pro præſenti: Quod coram Reverendiſſima paternitate Veſtra *convocentur Theologi qui ſunt in hoc Sacro Concilio.* Quibus *proponatur materia*, ut communicatis invicem communi deliberatione, ſine contentione *dicat* tandem *unusquisque in publico* id quod ſibi videbitur *conformiter ad ſacram ſcripturam.* Et illic ego *in favorem fidei* volo libenter intereſſe.

Non enim debet talis materia in tenebris vel particulariter terminari, ſed communiter & in luce. Ut quilibet, qui

qui intererit, poſſit vel docere vel doceri dum ſe mutuo quilibet intelliget.

Et *talem modum ſervavi in hoc Concilio in cauſis fidei mihi commiſſis.* Et nihilominus, quia neſcio ſi occurrrerit occaſio quod non poſſem intereſſe in convocatione præmiſſa, dico, quod mihi occurit, ut ſequitur.

Propoſitiones ſive *Concluſiones*, *ſuper quibus fit inquiſitio*, habent *fundamentum* primæ concluſionis *principale* quod eſt *erroneum*, repugnans nedum rationi Theologicæ & morali, ſed etiam obſervationi primitivæ Eccleſiæ, quæ ſcribitur *Actor.* 4. Ubi ſic in forma dicitur: *Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una, nec quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat: Sed nec quiſquam egens erat inter eos.* Conſtat itaque quod *in illa congregatione primitiva fuerunt multi uxorati & alii diverſarum conditionum ſeculares*, qui ſcilicet *non erant aſtricti per votum ad tria conſilia Evangelica, caſtitatis* obedientiæ & paupertatis, quemadmodum ſunt profeſſi Religionum, per Beatum *Baſilium*, *Benedictum*, *& Auguſtinum* ac ſimiles indroductarum. Quas iſte, ponens hujuſmodi concluſiones, appellat *veras religiones, tanquam extra illas non ſit vera Religio, quod falſum eſt*, imo *hæreticum*, ſi ſic per præciſionem intelligatur. Quoniam *Chriſtiana vera eſt Religio etiam apud ſeculares, ut Jacobus in Canonica ſua* notanter expreſſit.

Sunt præterea in dictis propoſitionibus multæ *clauſulæ* appoſitæ ultra prædictum *principalem fundamentalem errorem*: *Quod ſeculares non poſſint vivere ſine proprio*: Quæ continet magnam temeritatem ſcandalum atque proterviam: Et quæ poſſent ſingillatim reprobari. Ut, quod dicere oppoſitum illius, quod aliquæ concluſiones ſuæ continent, ſit hæreticum, quod ſit implicans contradictionem, quod ſit peccatum mortale, quod omnis faciens contra Jura Canonica peccat mortaliter, & ita de ſimilibus.

Eſt igitur *deliberatio mea*, quod propter iſta & ſimilia, quæ tractatus vel libellus, à quo ſunt extractæ concluſiones ſeu poſitiones antedictæ, continet, damnandus eſt ut erroneus & temerarius & ſcandaloſus, & ut dogma falſum ſacræ ſcripturæ contrarium. Et per conſequens quod *tractatus eſt hæreticalis & igni tradendus.*

Cœterum *de compoſitore tractatus* deliberent Domini Juriſtæ, iſtis attentis quid agendum.

In teſtimonium præmiſſorum propria manu ſubſcripſi. Veſter totus, *Petrus Cardinalis Cameracenſis.*

CAP. III.

Johannis Gerſonis Judicium, ſeu Propoſitiones, de dogmatibus Matthæi Grabon in Concilio Conſtantienſi propoſitis, in cauſa fidei de vera Religione & perfectione.

Quibus propoſitionibus tredecim Doctores Majores, quos pro tunc mundus habuit in Theologia de diverſis Univerſitatibus, contra prædictas Aſſertiones adhæſerunt.

REverendiſſimo in Chriſto Patri ac Domino Præſtantisſimo, Domino ANTONIO, *Cardinali Veronenſi*, JOHANNES, *Cancellarius Pariſienſis*, humiliter obedire.

ReverendiſſimePater. Super ſchedula, per Reverendisſimam paternitatem veſtram *ex commiſſione Domini noſtri* mihi transmiſſa, *reſpondeo, conformiter ad reſponſionem* Reverendiſſimi Patris ac Domini mei ac Præceptoris præcipui, Domini *Cardinalis Cameracenſis.* Quam reſponſionem in ſcriptis ego vidi & huic adhæreo, paratus ſi opus fuerit ad declarationem non veriorem ſed forte latiorem. Scriptum *Conſtantiæ* propria manu, *die tertia Aprilis*, *Anni Milleſimi quadringenteſimi Decimi octavi.*

Ad elucidationem veritatis & ad obedientiæ meritum *ſex propopoſitiones* ſequentes cum totidem *Corollariis* offeruntur vobis, Reverentiſſimo Patri Domino *Cardinali Veronenſi*, *Judici in hac parte*, per me Johannem Cancellarium Pariſienſem.

Propoſitio I. Sola Religio Chriſtiana eſt propriè

Digitized by Google

propriè vere & authonomatice *dicenda Religio*, quam Chriſtus obſervavit perfectiſſimo & ſummo modo.

Patet prima pars: Quia extra Religionem Chriſtianam non eſt ſalus. Secundá partem null' poteſt negare Chriſtianus. Quia ſicut eam Chriſtus docuit in Evangelio, ſit & fecit quod cœpit facere & docere.

Propoſitio II. Religio Chriſtiana non obligat ad obſervantiam Conſiliorum neq; cum voto, neq; ſine voto. Patet: Quia jam non eſſent conſilia ſed præcepta.

Propoſitio III. Religio Chriſtiana poteſt abſq; voto, obligante ad conſilia, *perfecte, imo perfectiſſime obſervari.*

Patet de *Chriſto*, qui *non legitur voviſſe conſilia*, qui fuit tamen ſuæ legis perfectiſſimus obſervator.

Patet inſuper de *Apoſtolis & diſcipulis Chriſtianis in primitiva Eccleſia*, quorum multi erant uxorati, multi poſſeſſiones habuerunt, quidam in communi, quidam in proprio. Multi ſubjiciebantur ſolis Prælatis ſuis, Epiſcopis & Curatis.

Conſtar itaque, quod *non erant de Religionibus Baſilii vel Auguſtini.* Quia nondum fuerant inſtitutæ, vel per Eccleſiam approbatæ, nec talibus Regulis ſubdebantur.

Propoſitio IV. Religio Chriſtiana non requirit ad perfectiorem ſui obſervationem tam in præceptis, quam in conſiliis, *quod ſuperaddatur alia religio.* Quales dicuntur *obſervationes inſtitutæ* per ſanctos *Baſilium & Auguſtinum* &c. Et quales *Anshelmus* vocat *Religiones factitias.* Patet ex præcedentibus.

Propoſitio V. Religiones hujusmodi *facticiæ ſatis improprie & abuſive & forſan arroganter dictæ ſunt ſtatus perfectionis.*

Patet, quia ſtat, *homines inperfectiſſimos tales Religiones profiteri. Sic notat Auguſtinus, quod non pejores reperit quam eos, qui in hujusmodi Religionibus defecerunt.*

Sed aliunde declaratur hæc *abuſio* vel uſurpatio *nominis.* Quia ſecundum illos, *qui noviter*, poſt ſanctos Doctores *uſi ſunt tali vocabulo, ſtatu perfectionis*, ille ſtatus non dicit apud Religioſos perfectionem habitam vel *acquiſitam*, ſicut eſt de ſtatu Prælatorum ſed tantummodo dicit perfectioné *acquirendam.* Conſtat autem, quod perfectio acquirenda non eſt jam acquiſita. Et ideo melius nominaretur *via* quædam vel *inſtrumenta* ſeu *diſpoſitiones* ad perfectionem acquirendam, quam diceretur *ſtatus perfectionis.*

Imo & ſicut *hujusmodi ſtatus* ſic dictus dirigit & juvat quosdam ad perfectiorem obſervationem veræ Religionis Chriſtianæ, ſic & *multos impedit* atque *præcipitat, quod tutius fuerat in ſeculo remanſiſſe.* Quia *diſplicet Deo ſtulta & infidelis promiſſio.* Quæ ſcilicet vel *indiſcreto ſumitur vel non obſervatur.*

Propoſitio Sexta. Religio Chriſtiana perfectius poteſt & debet obſervari à Papa, Cardinalibus & Prælatis, *etiamſi nullo voto ſint aſtricti ultra legem Dei, quam ſimplices Religionum factitiarum Profeſſores.* Patet. Quia ſunt in ſtatu perfectionis exercendæ.

Primum Corollarium. Sequitur *primo, Quod acceptio Religionis*, ſicut *Frater Matthæus Jacobita* deſcribit in ſecunda acceptione, ubi vult declarare quid eſt propriè & anthonomatice Religio, Eſt nedum *ſtulta & inſana*, ſed & *hæreticalis, blaſphema*, quando dicit ſic: Alio modo, inquit, *accipitur hoc nomen* Religio *ſecundum quod* à religando *dicitur, prout homo obligat ſe ad ea quæ pertinent eſſentialiter ad ſtatum perfectionis. Et illo modo dicitur anthonomatice tantum de illis, qui ſunt in aliqua de approbatis Regulis proprie dictis profeſſi, cujusmodi ſunt Auguſtini, Baſilii, Benedicti, Franciſci &c.*

Patet Corollarium, ex præcedentibus deducendo ad hoc inconveniens: Qvod Chriſtus & Papa & Prælati non obſervaverunt vel obſervant eſſentialiter ſtatum perfectionis. Quia ſi non profeſſi ſunt Regulas prædictas, ideo nec deberent dici de *vera Religione*, niſi improprie & analogicè, contra primam propoſitionem quæ ſolide fundata eſt. Nec eſt credibile quod Auguſtinus & ſanctus Thomas hoc ſomniaverunt.

Unde, etſi poſſint in religione Chriſtiana aſſignari *duo modi vivendi, ſecularium* videlicet, & illorum, *qui profiten-*

tur

Digitized by Google

tur Religiones factitias, quos communis uſus *Religioſos* appellat: Non tamen ita diſtinguntur iſti mòdi, quin multa quæ conveniunt talibus religioſis, convenient & convenire poſſint verè & meritoriè multis ſecularibus, imo & perfectius, ſicut patet de Prælatis qui ſunt in ſtatu perfectionis exercendæ, tam Majores quàm minores, ſicut ſunt Curati, prout multi tenent contra ſanctum Thomam.

Secundum Corollarium. Sequitur *ſecundo*: Quod *extra Religiones factitias poteſt aliquis*, cum voto ſimplici vel ſine voto, *Chriſtianam Religionem in ſuis præceptis & conſiliis perfecte obſervare*. Et dicere, quod tale votum ſimplex, ſi fieret, eſſet nullum, & pro non voto deberet computari, eſt apertiſſimus *error* & inſanus. Sic tamen *iſte Frater* ponit circa finem & in fine ſui ſcripti ultimi.

Corollarium Tertium. Seqnitur *tertio*: Quod *tota doctrina Fratris iſtius innititur ſtulta & inſana fantaſia*, imò & *blaſphemia*.

Propterea non eſt mirandum, ſi hoc inconvenienti dato multa poſuerit & deducere conatus eſt. Ut, quod implicet contradictionem, aliquem de ſeculo ſervare conſilium paupertatis vel caſtitatis & obedientiæ: Imo quod hoc eſſet mortale peccatum, extra Religiones factitias, quas ſolus vocat veras Religiones; Et quod Papa non poſſet diſpenſare, quod aliquis in ſeculo ſic obſervaret conſilium paupertatis &c. Et, quod dicens oppoſitum, eſt hæreticus.

Nec valet ratio ſua: Quod ſi ſecularis voveret paupertatem, ageret contra illud præceptum *Non occides*. Quoniam multis modis poſſet ſecularis ſicut & religioſus vivere decenter & ſufficienter in communi ſine proprio, imo & nihil habendo, niſi labores manuum ſuarum: Poteſt etiam aliquis de ſeculo, ſicut confitetur, & verum eſt, vovere ſolenniter caſtitatem. Patet in ſacerdotibus. Cur non ſimiliter vovere poſſet obedientiam Prælato ſuo ſeculari, cum ſecularibus vivere in communi?

Corollarium Quartum. Sequitur *quarto*. Quod fautores & defenſores iſtius Fratris ſunt arcendi ſeu repellendi. Et niſi deſiſtere voluerint graviter puniendi.

Ita tamen, quod *non laxetur nimia licentia ad defenſionem Begardorum & Beguttarum*, ſi reperiantur effrenes & diſcoli, & ſcandaloſi in ſacris obſervationibus. Præſertim in contemptum Prælatorum ſuorum ſecularium & Curatorum, juxta mentem *Decretalium contra tales editarum*.

Corollarium Quintum Sequitur *quinto*. Quod Dominus noſter *Papa*, qui *ſecularis eſt*, & ſimiliter ſui *Cardinales & Prælati*, tam majores quam minores, *de ſeculo*, debent celeriter & vehementer operam dare, quod talis *doctrina peſtifera ac blaſphema atq; injurioſa* eis, extirpentur judicialiter & publicè, ne ſerpat in majorem perniciem.

Corollarium Sextum. Sequitur *ſexto*. Quod ſi *autor* talis doctrinæ, cum ſuis fautoribus inveniatur *pertinax* & arrogans, & à longo tempore, tam contra prælatum ſuum quam Magiſtros & Doctores, tam in verbis quam in ſcriptis, debet ſic arreſtari, quod non habeat facultatem redeundi & deteriora perpetrandi. Sicut jam dicitur hoc pluries feciſſe, *recedendo* ſcilicet à Prælato ſuo, & judice, & conſequenter ſemel *ab hoc Concilio*.

Alia ſunt *de validis mendicantibus*, & *de actione contra Jura Canonica*, *quæ dimitto*.

CAP. IV.

Matthæi Grabon revocatio & abjuratio prædictorum ſuorum articulorum & concluſionum.

EGo *Frater Matthæus Grabon*, Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſus, conventus Wiſmarienſ. (ſ. Vinarienſis) Mersburgenſis Diœceſis, Provinciæ Saxoniæ, cognoſcens veram Catholicam & Apoſtolicam ſedem, anathe-

nathematizo & *abjuro omnem hæreſin omnemq́; falſam & erroneam doctrinam*, in quodam meo opuſculo, tractatulo ſeu libello, incipiente: *Suppono me primo, quod non intendo infra ſcripta neq́; quomodolibet alia pertinaciter defendere &c.* & ſic finiente: *Et aliam ſpecificat Johannes Andrea cuj⁹ inventrices ſeu aſſumptrices conſcientiam peccatum reputabant (ut invenitur in Gloſſa utrimq; ſuper dictum Cap.* Et per hæc patet reſponſio ad decimũ.) maxime ad decem & ſeptem concluſiones perverſas ſive aſſertiones, quarum aliæ ſunt hæreticæ, aliæ erroneæ, & aliæ ſcandaloſæ, ac piarum aurium offenſivæ, per me dictas & manutentas, in dicto perverſo opuſculo ſive tractatulo aut libello contentas, de quo hactenus infamatus convictus & ſententialiter condemnatus ſum. Conſentio ſanctæ Romanæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ ſedi, ac corde & ore puris profiteor eandem fidem & doctrinam me tenere & credere, quam ſancta mater Eccleſia tradidit & firmavit. Jurans per ſanctam Trinitatem, & per hæc ſacroſancta Chriſti Evangelia, eos qui contra hanc fidem orthodoxam venient cum dogmatibus ſuis æterno anathemate dignos eſſe. *Promitto* etiam, quod ſi ego ipſe aliquando contra hæc aliquid ſentire, dicere aut prædicare præſumſero, canonum ſeveritati me ſubmitto. Præſenti *abjurationi* per me *lecta* & perlectæ *manu propria me ſubſcripſi*, hancq; meam *confeſſionem & abjurationem* coram Veſtra Reverendiſſima Paternitate, Domine *Cardinalis Aquilegienſis, Judex & commiſſarie*, Reverendisque Patribus Dominis Prælatis Doctoribus & Magiſtris hic præſentibus, ad hoc ſpecialiter vocatis & requiſitis, feci & approbavi, ad futuram rei memoriam, in teſtimonium præmiſſorum.

TOMI III. PARS IX. X. XI.

DE REBUS CISTERCIENSIUM.

MOnachi *Dominicani* litem alia excipit *Ciſtercienſium*. Utrinque fuit quæſtio *de uſu ac poſſeſſione rerum temporalium*, quousq; Monachis aliisque absq; ſalutis diſcrimine vel negari vel indulgeri aut imperari poſſit aut debeat. Quandoquidem igitur hæ res in Concilio ventilatæ *genium illorum temporum* egregie illuſtrant, hic diſſimulare nefas fuit. Tantoque jucundior lectu hæc *de temporalium bonorum uſu dimicatio Monachorum*, *Conſtantiæ congregatorum*, quanto ſuavius pellucet utrinque affectus, ingeniorumque acies & argumentorum vel pondus vel cumulus diſtinctius ſeſe manifeſtant. Conferri poterit ad illuſtrandam hanc liticulam Eccleſiaſtico civilem, Anonymi tractatus alius, Gerſonis nomine inſignitus, *contra Proprietarios.*

TOMI III. PARS IX.

ANONYMI
ORDINIS CISTERCIENSIS
Propoſitio affirmativa
In Conſtantienſi Concilio A. 1417.

Oblata & examinata,

Quod Monachi CISTERCIENSES poſſint propria poſſidere bona.

EX MSCto ACADEMIÆ HELMSTADIENSIS.

In quo *bis diverſa manu olim exarata* comparet.

CAP.

CAP. I.

Quo caſu fas ſit, Monachum poſſidere bona quædam temporalia.

REverendiſſimo in Chriſto Patri ac Domino, Domino CISTERCII, cæteriſque Doctoribus & Prælatis ordinis noſtri Ciſtercii, *in ſacro Concilio generali*, *Anno Domini* 1417. *Conſtantiæ celebrato*, congregatis.

Pro evidente ac neceſſaria ſalute animarum noſtrarum quærimus: *Utrum vel quomodo Abbates vel Monachi ac Moniales ordinis noſtri Ciſtercienſis, exiſtentes proprietarii, nullo modo ſalvari poſſint?* Quia ante ingreſſum religionis fuit eis conſilium abdicare propria, ſicut ait veritas: *Si vis eſſe perfectus &c.* Etiam non videtur differentia quoad hoc *inter perſonam monaſticam*, quæ diceret Prælato ſuo, iſta ſunt veſtra ſeu monaſterii, & poſt mortem meam cedant Monaſterio, & tamen ad uſum fructum reſervaret: Et *inter perſonam ſecularē*, quæ dominium omnium bonorum ſuorum reſignaſſet, & tamen uſum fructum ſibi reſervaſſet. Quod null⁹ credo ſanæ mentis diceret.

Manifeſtum eſt autem, quod *Dominium legale rerum non eſt malum, niſi ſolùm propter uſum malum*, qui inde poteſt ſequi. Quapropter ſancti patres, qui veneno proprietatis rerum materiam ſubtrahere intendebant, in prohibitione Dominii utique uſum prohibuiſſe intelligendi ſunt. Alias multo melius & prudentius feciſſent, quod permiſiſſent perſonis monaſticis retinere dominia talia ſine uſu, quā è contra. Cum nihil differat, quoad ſequelā vitiorum, habere uſum ſine dominio vel cum dominio.

Item, *perſonam monaſticam habere res temporales ad uſum*, citra tamen alienationē, & per totam vitam, vel ad omnem habendi uſum, ad certū tempus, vel ad aliquos certos uſus, ad quos Prælati Monaſteriorū ex regularibus ſtatutis perſonis monaſticis providere habent, & ex antiqua & laudabili conſvetudine providere ſoliti erant, ex quo à ſanctis patribus pro cuſtodia & obſervantia caritatis inſtitutum eſt, quod Monachus actualiter nihil debet poſſidere privatim, quoad determinatam perſonam: Idcirco patribus, loco & officio, & canonica electione illis ſuccedentibus, *licitum & fas eſt interdum diſpenſare.*

Et hoc iſto modo: Quod monachus ſeu *religioſus de ſcitu prælati ſui habet res temporales ad uſum bonum & neceſſarium, quando cogit neceſſitas excuſabilis, aut ſuadet utilitas notabilis.* *Argumentum hujus libelli, ſive concluſio.*

Nec iſtud diſcrepat à dictis ſanctorum Patrum. Nam iſto modo, ſalvo judicio melius ſentientium, videntur loqui & tendere ſanctorum Patrum canones *ſuper proprietatis diſpenſatione.* Quicquid enim canones concedunt religioſo, ſemper *ad uſum* concedunt. Et hoc, quoniam non trahunt *ad noxam.* Quam enim perficiens notabili cauſa incluſionis vel alias poteſt manere in domo ſua cum omni ſubſtantia ſua, ut refert Innocentius, *Extrav.* (*Decretal. l. 4. t. 6.*) *Qui Clerici vel voventes, c. 7. Inſinuante.* Veruntamen dicit in dicto *Capitulo 7. Inſinuante*, quod hoc verbum ſecundum illos, qui tenent hanc opinionem, debet intelligi exponi, i. e. *cum uſu fructu illarum rerum victum & veſtitum habeat in vita ſua*, &, quod ultra, *in commune redigat, aut in uſus pauperum.* Et quod ille uſu fructu ſemper utatur ſub obedientia prælati, & non alias. Nec iſtud diſcrepat à concluſione præmiſſa.

Et quamvis *Johannes de Deo in libello Diſpenſationum, cap. De diſpenſatione Abbatum*, dicit, quod Abbas poteſt diſpenſare, quod Monachus habeat cellam intra ſepta Monaſterii: Hoc tamen *non* intendit fieri *ex voluntate Prælati* ſeu ad ejus voluntatem, *ſed ex evidenti neceſſitate*, aut Communitatis *notabili utilitate.* Nec hoc etiam diſcrepat à concluſione præmiſſa.

Et notetur in Concluſione, *de licentia Prælati.* Quia quicquid religioſus poſſidet, dummodo illud celetur Abbati, nec illud conſtat, proprium ſibi coram Deo & hominibus reputabitur. Exemplum in Anania & Sapphira, & de duobus obulis apud Monachum repertis. De primo in Actis, de ſecundo Grego-

Digitized by Google

Gregorius in Dialogo. Nec ſufficit, ſalvo judicio meliori, quod Prælatus *ſciat in generali*, quod ſubditus ſuus poſſideat temporalia. Quia *quicquid in generali ſcitur, non ſcitur*. Sed requiritur ut ſciat poſſeſſionis ſummam & quantitatem.

Secundo dicitur, *ad uſum*. Notanter, ad excludendum *proprietatem*, quæ conſiſtat *in legali rerum Dominio*, in rerum ſolutione, venditione, teſtamenti diſpoſitione, & ſic de aliis. Quia hæc eſt *proprietas, proprie dicta*, ſuper qua loquitur illa *Decretalis* in fine *Cum ad monaſterium*, *Decretal. l. 3. tit. 35. De ſtatu Monach. c. 6. §. Nec æſtimet Abbas &c.*

Tertio dicitur, *ad uſum bonum*. Ad excludendum *uſum malum*, ſ. uſum fornicandi, adulterandi, comeſſandi, inebriandi, negotiandi cauſa lucri. Quia uſus ille eſt in ſe malus. Et per conſequens ſuper eo non cadit diſpenſatio.

Quarto dicitur, *ad uſum neceſſarium*. Ad excludendum *uſum ſuperfluum*, qui omnibus prohibetur religioſis, 1. *Tim.* 6. *Habentes victum & amictum, his contenti ſimus*. Et cum his Monachus debet eſſe contentus, 12. *q.* 1. *Clericus*.

Quinto dicitur notanter, *quando cogit neceſſitas excuſabilis, aut ſuadet utilitas notabilis*. Quia, ut præmiſſum eſt, diſpenſatio non eſt pro Prælati voluntate, ſed *ex evidenti neceſſitate*. Licet enim ſanctorum Patrum canones dicant, quod *Prælatus rationabiliter diſpenſare poteſt*, nullibi tamen debet, quod dicitur, niſi *quia cogit neceſſitas excuſabilis*, utputa, quando Prælatus miſerit ad ſtudia, aut commiſerit alicui temporalium *adminiſtrationem*, inquam *communem, non privatam*, vel commiſerit alicui curam animarum Monaſterio annexam. Et ex aliquibus infirmitatibus vel certis cauſis. Ita tamen, quod quicquid eis ultra neceſſaria reſtat, quod hoc in commune redigatur, aut in uſus pauperum convertatur, quod eorum conſcientiis committitur.

CAP. II.

Quod vera Monachorum paupertas in animo à cupiditate alieno ſit poſita, non ſpreto rerum uſu.

NOta. Circa principium dictum fuit de profeſſione paupertatis. Et quæritur, *utrum illa abdicatio proprietatis ſit de ſubſtantia profeſſionis vel non?*

Reſpondetur. *S. Thomas* 2. 2*dæ. q.* 184. *art.* 7. dicit quod *abdicatio proprietatis facultatum* dupliciter conſiderari poteſt. Uno modo, *preparatione animi*. Ut ſcilic. homo ſit *paratus animo* ſemper omnia dimittere, *ſi opus fuerit*, vel diſtribuere. Et iſta *paupertas* directe pertinet ad religioſos, & eſt de ſubſtantia profeſſionis. Unde *Auguſtinus in libro De quæſtionibus Evang. dicit*, in abſtinendo, re mendicando, non eſſe juſtitiam, ſed in æqualitate tolerando inopiam. Unde Apoſtolus: *Scio abundare & penuriam pati*. Et alibi, *paupertas propria inopiâ mentis eſt, non qualitate poſſeſſionis*.

Alio modo conſiderari poteſt abdicatio proprietatis rerum, ſecundum quod eſt *in actu*. Et ſic non conſiſtit eſſentialiter perfectio, nec eſt de ſubſtantia profeſſionis eſſentialiter, ſed ſolum *inſtrumentaliter*. Eſt enim *abdicatio rerum* ab extra in actu, *inſtrumentum internæ paupertatis*, ſcil. *animi*, in quo eſſentialiter conſiſtit perfectio. Et contra, uſus & habitus rerum temporalium in actu, eſt occaſionaliter impedimentum perfectionis. Quia ex hoc quod aliquis res temporales poſſidet, allicitur animus ad eorum amorem. Quia difficile eſt, ut ait Philoſophus, *intereſſe concupiſcentiis, & tamen eis non affici*. Et *Auguſtinus* dicit in *Epiſtola ad Paulinum*, quod *diligantur arctius adepta quam concupita*. Aliud enim, velle incorporare, quæ deſunt, aliud eſt incorporata divellere. Illa enim velut extranea repudiantur, iſta vero in terra putrida abſcindentur.

CAP. III.

Quid dicatur proprium in Monachis.

Quid

Digitized by Google

QVid eſt *proprium in Religioſis? Quis religioſus* dicitur *proprietarius?*

Quid ſit proprium in religioſis, à nonnullis dubitatur. Sub correctione tamẽ melius ſentientium videtur dicendum ſecundum *Joh. Andr. in Interpretationibus ſuper regulam juris: Non eſt obligatorium:* Quod illud in Monacho ſit proprium, quod celatur Abbati. Ideo dicit B. Petrus Ananiæ: Cur tentavit Satanas cor tuum, ſcil. mentiri ſpiritui S. & fraudare de pretio agri, Act. VI.

CAP. IV.

De diſpenſatione, ut Monachus poſſideat bona.

ITem *Heinricus Bock* ſuper *Cap. Cum ad Monaſterium* (vid. ſupr.) quærit: *Utrum Abbas poſſit cum ſuo monacho, ut habeat res temporales, diſpenſare?* Diſtinguit: Aut ut habeat & poſſideat *nomine monaſterii*, in uſus ſuos neceſſarios: Et dicit quod *ſic*, allegans *notam Guilelmi de Monte Laudano, de ſtatu Monachorum & Canonicorum regularium, Ne in agro, in fin. gloſſa antepenultima, in Clement. l. 3 t. 10. c. 1.* Aut, ut habeat & poſſideat *nomine proprio.* Et dicit quod *non. Johan. Andr. adhoc, c. cum ad ad Monaſterium, de ſtatu Monach. primo, De regulis juris: Non eſt obligatorium, in Novella, lib. 6.*

CAP. V.

De ſtatuto, à Monachis & Abbatibus facto, pro rerum poſſeſſione & uſu Monachis concedendo.

AD concluſionem *fratris Huberti*, quæ eſt talis: Abbas cum conventu cauſa vitandi murmuris aut ſcandali *fecerunt ſtatutum*, juramento firmatum, ut ſingulis darentur decem floreni pro veſtitu. Solvebat Frater Hubertus: Quod niſi cauſa ſubſit, per quam ſtatutum trahatur ad noxam, Abbas ex propria voluntate non debet negare pecuniam, ſed debet ſervare juramentum, cum poſſit ſervari ſine interitu ſalutis Eccleſiæ. Patet *Decretal. l. 2. t. 24. De jurejurando c. 6. Debitores, & c. 8. Si vero.*

Joh. Andrea in regula præcedente allegat & probat, quod Monachis foret ſtatutum (facere) licitum, primo ex parte cauſæ efficientis, ſecundo materialis, tertio finalis, quarto de materiali non dubitatur.

De primò. Abbas & Monachi cum faciunt licitum Collegium, ſtatuta in Monaſterio facere poſſunt. Concluſio ad jus civile, *Decretal. l. 1. t. 2. De Conſtitutionibus c. 8. Cum acceſſiſſent, & l. 3. tit. 4. De clericis non reſidentibus, c. 14. Cum dilectus.* Ergo eſt licitum ex facientibus.

De ſecundo. Pecunia datur pro veſtibus. Et in eas eſt convertenda. Cum illis ergo cenſetur in eadem ut, *l. 1. Decretal. t. 2. c. 10. Eccleſia.* Sed Monacho debetur victus & amictus, quibus debet eſſe contentus, *12. q. & 2. Clericus.* Ergo licite recipit quod datum eſt pro veſtibus. Inducitur ad illud *Qui clerici vel voventes c. 7. Inſinuante, Decret. l. 4. t. 6. &* quod ibi notatur *2. q. 1. De viduis.* Per quæ patet, quod Monachus in domo quidem ſua cum omnibus bonis ſuis remanere poteſt & illa adminiſtrare & in uſus ſuos convertere, de licentia Abbatis. Et fortius ergo Abbas cum Capitulo vel conventu facere poterit Monachum adminiſtratorem pecuniæ in uſum neceſſarium convertendo. Per argumentum à minori, de quo *Decretal. l. 1. t. 6. De Elect. c. 7. Cum in cunctis.* Et de toto ad partem, *Decr. l. 1. t. 29. De officio & pot. delegati c. 28 Paſtoralis.* Ad illud probatur, quod Monachus de licentia Abbatis poteſt aliqua poſſidere, licet non ut proprium.

Facit ad hoc, *12. q. 1. Non dicatis*, & in *nota.* Nam ibi textus dicit, quod nihil poſſidere poſſent ſine Abbatis licentia. Ergo Abbatis licentiâ poſſunt.

Item conſtat, quod poſſunt habere peculium pro adminiſtratione ſibi injuncta, *de ſtatu Monachorum c. 2.* Si ergo cuilibet Monacho datur adminiſtratio, illius ſententiâ licite eam tenet. Ergo ſententia noſtra non eſt iniqua.

Digitized by Google

Nec propter hoc dicitur habere proprium. Cum in Monacho ſit proprium quod celatur Abbati. Sed hoc non eſt tale.

Sed de cauſa finali, *ad vitandum ſcandalum aut murmurationem, quæ maxime in religioſis vitanda, quos decet eſſe* quietos, 16. q.1.c.12. *Qui vere.* Valuit ergo conſtitutio reſpectu cauſæ prædictæ, cum pro vitando ſcandalo poſſit fieri & omitti, quod alias non liceret. *Decret. l. 5. t. 32. De novi op. c. 2.* Fortiter facit de præbendis. Niſi eſſet, ubi pro bono pacis abſolute permittitur dari Monacho annua penſio. Fortius ergo dari poteſt ad certum uſum neceſſarium, ut in litera conſtitutionis.

Bonum ergo eſt & fuit *ſtatutum*, ſcandalum & murmurationem tollens, quæ ſæpe in Monaſteriis evenit ex veſtium diſtributione, quandoque etiam non diſcreta. Et quæ pro quiete religioſæ converſationis ordinata ſunt, turbari violenter non debent, 26. q. 1. *Cum pie.*

Cum ergo probatum ſit, editum ab Abbate & conventu per ſolum Abbatem tolli non poſſe, ut patet *de Regulis juris, Omnis res:* Concordat *ſolutio*, quod *niſi certa cauſa ſubſit, per quam trahatur ad noxam*, Abbas ex propria voluntate non debet denegare pecuniam, paritate rationis.

Et ſic de aliis, ſcil. vino, carnibus ſeu piſcibus, ad pictantiam pertinentibus, videtur dicendum. Item *Hieronymus de Deo in libello Diſpenſationum, cap. de Diſpenſatione Abatum*, dicit, quod Abbas poteſt diſpenſare quod Monachus habeat cellam intra ſepta monaſterii, 18. *q.* 2. *Nullus & 1. q. ult. c. ult.* ad finem. Quare proficuum eſt quod in retroactis temporibus abbates vel fecerunt conventuum conſenſu tacite, vel expreſſe in rei veritate, vel ſaltem gratioſe cum religioſis eis ſubditis, quod; ipſi & eorum quilibet habeant & poſſideant aliqua pro victu & veſtitu, qui eis debetur, non tamen æqualiter omnibus, ut dicit regula.

Si vero ſunt aliqui *abutentes*, corrigantur & præmoneantur. Si vero non volunt corrigi & emendari, ſic poterit Abbas propter abuſum tollere uſum.

Non tamen ſic poſſidentes de ſcientia, ſcitu & conſenſu Abbatis, tales ſunt dicendi *proprietarii.* Quia ſolùm poſſident *ad uſum* & non ad proprietatem, & poſſident nomine monaſterii & non nomine proprio.

CAP. VI.

De recepta conſuetudine, Monachos Ciſtercienſes poſſidere bona.

ET ſic quaſi in omnibus Monaſteriis noſtri ordinis ſive per *ſtatutum*, ſive per *diſpenſationem*, ut prædictum, conſvetudo inolevit, etiam dudum pacifice obſervata & præſcripta, propriis Prælatis & etiam Dominis Viſitatoribus ſcientibus & conſentientibus. Quæ *conſvetudo non debet leviter tolli.* Maxime, ubi timetur veriſimiliter ſcandalum plurimorum.

Item, eſt præſumendum, quod religioſi viri non foverunt iniquas cauſas, *Extrav.* (*Decret l. 5. t.32. c. 2.*) *De novi operis nunc. Cùm ex injuncto.*

CAP. VII.

Solvitur dubium De Conſilio paupertatis Evangelico.

ITem, *conſilia Dei* ſeu Evangelica ſunt *referenda ad affectus animi interiores, & non ſemper ad actus exteriores*, niſi pro loco & tempore. Ut, *Si quis te percuſſerit in unam maxillam, præbe ei &c.* Hoc Dominus Jeſus non fecit, quando unus ſervorum dedit ei alapam. Item quando fuit contentio inter diſcipulos, quis eorum videretur eſſe major, dixit Dominus Jeſus, *Qui major eſt veſtrum, fiat miniſter veſter.* Non eſt intelligendum, quod debeat Prælatus ſe ſubdere quantum ad actus exteriores religioſis ſuis, niſi pro loco & tempore, in lotione pedum, quando fuit mandatum. Sed debet intelligi, quod *in animo ſibi proponat*, quos regat eſſe meliores æſtimando. Et hoc ne vileſcat ejus autoritas.

CAP. VIII.

Solvitur dubium, de ſpontaneæ paupertatis voto.

ITem *voluntaria paupertas*, qua obligantur religioſi per *votum* ſolenne, ſaltem eorum qui poſſunt habere proprium, in communi intelligi debet, quod religioſus *quoad affectum animi interiorem* paratus eſt ſuſcipere omnem paupertatem, quam votum Deo & Eccleſiæ promiſſum violaret. Nec eſt ſaluti neceſſarium, quod abjiciat actualiter à ſe uſum rerum temporalium. Quemadmodum Apoſtoli & alii fideles in primitiva Eccleſia feciſſe leguntur. Unde notandum quod *S. Auguſtinus* tres feccerat conſtitutiones. Prima erat, *quod Clerici non poterant habere propria.* Sed illa male ſervabatur. Et quia plurimi erant transgreſſores, ideo *revocavit eam, 12. q. 1. c. 10.* Certe ego ſum qui ſtatueram, nullum ordinari clericum, niſi qui vellet mecum manere, aut ſi vellet à propoſito decedere, recte illi tollerem clericatum. Ecce in quo demuto conſilium. Tertio de conſenſu clericorum ſuorum confirmavit primam conſtitutionem, ut in capitulo 11. *Non dicatis vos habere aliquod proprium, ſed ſint vobis omnia communia 12. q. 1.*

Unde ſciendum, quod *Auguſtinus* diſtinguit: *Pro diverſitate locorum & temporum & hominum ſcriptura intelligenda ſunt,* ut ibidem ſequitur in Cap. *Neceſſe eſt.* Et text' eſt: *Neceſſe eſt, quod juxta diverſitates locorum, temporum & hominum, ſcriptura ſint diverſa, quoad cauſas, argumenta & origines &c.*

Hæc ſuper Proprietate habenda ex prima parte de tribus votis monaſticis fratris Henrici de Coſveldia Monachi.

TOMI III. PARS X.

MAGNI MONACHORUM VISITATORIS

ſub Concilio Conſtantienſi exarata Conſtitutio negativa,

Quod Monachi propria non debeant poſſidere bona.

Ex MSCto ACADEMIÆ HELMSTADIENSIS.

CAP. I.

Quod Monachus non poſſit habere proprium aut peculium.

SAcrum Concilium Lateranenſe, *Extrav. (Decretal l. 3. t. 35.) De ſtata Monachorum, cap. 2. Monachi,* religioſis proprietatem ſeu peculium diſtricte prohibet, dicens: *Qui verò peculium habuerit, niſi ab Abbate fuerit ei pro injuncta adminiſtratione permiſſum, à communione removeatur altaris. Et qui in extremis cum peculio inventus fuerit, & digne non pœnituerit, nec oblatio pro eo fiat nec inter fratres accipiat ſepulturam. Quod de univerſis religioſis præcipimus obſervari. Abbas autem, qui diligenter non caverit, officii jacturam ſe noverit incurſurum.* Hæc ibi Innocentius III. Et *Decretal. lib. 3. tit. 35. Cum ad Monaſterium*, ſic dicit: *Prohibemus quoq; diſtricte in virtute ſancta obedientiæ, ſub atteſtatione divini judicii, ne quis Monachorum proprium aliquo modo poſſideat. Sed ſi quid habeat proprii, totum etiam in continenti reſignet. Si verò poſt hæc proprietatem aliquam habere fuerit deprehenſus,* regulari monitione præmiſſa expellatur, nec recipiatur ulterius, *niſi pœniteat ſecundum monaſticam diſciplinam. Quod ſi proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, ipſa cum eo, in ſignum perditionis, extra monaſterium in ſterquilinio ſubterretur. Secundum quod B. Gregorius narrat in Dialogo ſe feciſſe &c.* Vide ibi.

Hic patet, quod Abbas nulli monacho poterit aliquid permitere niſi Offi-

 ciali,

Digitized by Google

ciali, ratione officii ſui diſpenſandi. Ergo dicit *in capitulo 6.* ſupratacto: *Nec aſtimat Abbas, quod ſuper habenda proprietate poſſit cum aliquo Monacho diſpenſare. Quia abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeo annexa eſt regula Monachali, ut contra eam nec ſummus Pontifex poſſit licentiam indulgere.*

Ut hic etiam apparet, quod fallunt, qui dicunt, quod quicquid Abbas permiſerit, hoc non ſit proprium. Niſi Abbas incaute & male permittere poſſet proprium, non de jure, quamvis de facto, utique Papa non prohibet. Dico etiam, quod idem eſt proprium & peculium, jure, quamvis unum ab alio in verbis differat.

Videamus igitur conſcientias noſtras, qua temeritate altari jungamur, qua ſecuritate moriamur. Et, ſi juſtus vix ſalvabitur, proprietarius, Eccleſiæ ſanctæ inobediens, Deo recalcitrans, propriam profeſſionem violans, ubi manebit? Unde Bernhardus: *Monachus habens proprium, Deus negabit ei ſuum proprium, quod eſt miſereri & parcere.* Et beatus *Gregorius* etiam dicit: *Monachus habens commune bonum non valet obulum.* Ratio hujus eſt, quia obulus conſtat ex ſubſtantia, pondere & forma. Quando illa tria adſunt, tunc obulus eſt bonus, videlicet, ſi eſt de ſubſtantia bona, ſi habet ſuum pondus, ſi debitam formam. Monachus autem eſt perſona paupertatem & obedientiam ſub regulari obſervantia, profeſſa. Si modo aliquis illorum trium terminorum verificari non poterit de monacho, monachus non eſt. Igitur habens obulum irreligioſe, non eſt pauper, non valet obulum, quia obulus eſt bonus in ſe, cum conſtat ex ſuis partibus ſibi aſſignatis. Sed monachus non valet tantum. Non enim eſt, quod dicitur. Non enim conſtat ex terminis ſuæ definitionis.

Patet hoc ex etymologia literali hujus, quod eſt *monachus*, *miles Chriſti*, *in tentationum expugnatione obediens*, *ſine contradictione*: *Nihil habens proprium*, *in abſconſione*, *amans Chriſtum pura & ſincera dilectione*, *cuſtos ſui animi in peccatorum ad beſione*, *humilis & patiens in adverſione*, *unanimis in domus Dei habitatione*, *ſimplex & rectus in converſatione.*

Videamus illud capitulum, *Cum ad monaſterium ſupremum*, ubi dicitur, *Ne quis proprium aliquo modo poſſideat.*

Quomodo ergo illi excuſantur, qui hoc quidem tradunt, *ſecundum conſvetudinem aliquorum monaſteriorum* peſſimam adſervandam, ſibi utique aliquo modo *per alium* poſſident proprium. Hic autem dicitur, ne quis proprium aliquo modo poſſideat, iſt eſt, neque per ſe, neqve per curationem. Hi utique ſunt *proprietarii*, velint, nolint. Quia, quamvis dant rei ſubſtantiam cuſtodi, ad cuſtodiam, non tamen reſignant, ſed repetunt, quando volunt. Item dant ſubſtantiam, ſed ſibi reſervant dominium, affectum & ſpem. Cum proprietas plus conſiſtat in affectu & ſpe, quam in re. Quia alias cuſtos rerum eſſet proprietarius. Sed ideo proprietarius non eſt, ratione iſtius ſubſtantiæ, quia ſpes ſibi deeſt, nam altari cuſtodit.

Sed dicit aliqvis: Conſentio, nil horum monachus habere debet ex propria autoritate, habeat ergo *ex Prælati licentia. Reſpondeo.* Quod non poteris de licentia vel indulgentia ejus. Quia ſatis claret ex præallegatis, ubi habens qualicunqve modo, excepta cauſa adminiſtrationis, privandus eſt communione ſacrorum, & ſepultura Eccleſiaſtica, & Abbas, quia permiſit, deponendus eſt. Et hoc non pro re licita, ergo pro illicita.

Quod autem non poteris proprium habere *de Abbatis licentia*, videndum eſt clarius. Concludit enim caput jam præallegatum in hæc verba: *Quod ſuper habenda proprietate*, ubi dicit gloſſa, *Papa, ſi vult, poteſt de monacho facere non monachum. Sed quod habeat proprium & ſit monachus, hoc non poteſt facere, quia paupertas eſt de ſubſtantia monachatus.* Et hoc idem, Um. & Jo. tenent.

Ergo, *quocunq; modo monachus habeat proprium*, *peccat mortaliter*, & eſt removendus a communione. Unde dicitur in *Clementinis, De regularibus*, ſi quis fuiſſet factus monachus cum hac conditione, ut proprium habere poſſet, conditio

Digitized by Google

ditio removebitur, & monachus manebit. Quia ut dicit *Hugo*, quod proprium habere eſt contra ipſius monachi ſubſtantiam. Ergo proprium habere non debet.

Sed diceret aliquis: Textus juris ſonat de his, qvi abdicaverunt proprietatem: Ego autem feci profeſſionem in coṁuni formula, nil ſpecialiter abdicando. *Reſpondeo* ex jam dictis: Quia, ſi intentionem habuiſſes, & conditionem illam expreſſe poſuiſſes, quod velles retinere proprium, nil tibi prodesſet, ad profesſionem admiſſus non fuiſſes. Quia dicit ordinarius Decretalium gloſſator in *capitulo*, *Monachi*, prællegato, quod conditio frangitur, ſi quis taliter profeſſus eſſet, & remanebit monachus.

Sed cariſſimæ, aliqua veſtrarum non temere dicat: Ego nondum feci profeſſionem alicui, ideo mihi proprium habere licet. *Reſpondeo*: Si nondum ſolennem feciſtis profeſſionem, feciſtis utique ſecundum jus commune tacitum, cum ſteteritis per annum & diem ſine reclamatione &c.

Item dicat quis: Etſi non poſſum habere proprium, habeam autem peculium. *Dico*, quod regula ſancti Auguſtini, & beati Benedicti nullam faciunt differentiam inter proprium & peculium, nec etiam rei qvantitatem aſpiciciunt. Qvia etiam, qvod de neceſſitate oportebit habere monachum, & quibus carere non poterit, poſſunt verti in proprium, ſi habentur illicite. In minima quippe re monachus poteſt eſſe proprietarius, videlicet in tabula, graphio. Quia in regula ſancti Benedicti hujusmodi vilia prohibentur haberi, quaſi propria, ubi dicitur *capitulo XXXII. Præcipue hoc vitium radicitus amputetur.* Et ſi in his vilibus ſit proprietas, quid tunc in pecuniis multis, & aliis clenodiis, & rebus diverſis?

Ubi apparet, quod *uſus rerum, quem Abbas poteſt concedere*, debet eſſe rerum *neceſſariarū, non ſuperfluarum.* Nam illi dicitur: Omnia vero neceſſaria a patre *&c.*

Ubi etiam apparet, quod non ſolum tabula & hujusmodi prohibentur, ſed & minora, ſi habeantur indebite. Ubi dicitur, *ſed nil omnino.*

Attendamus etiam, quod illa *neceſſaria, quæ Abbas dederit* aut *permiſerit*, debent eſſe *communia.* Quia, quod non eſt commune, hoc proprium.

Unde colligitur, quod, quicunque magis alicujus rei indiget, & melius uti poterit, cæteris paribus, auferatur ab eo, qui prius habuit, & detur alteri. Alias non eſſent *communia*, ſed propria. Unde ibidem dicitur: *Omnia ſint eis communia.* Alias, ſi non eſſent communia, quamvis eſſent neceſſaria, eſſent tamen propria. Quia proprietas ita bene attenditur in neceſſariis, ſicut in ſuperfluis. Quod per eandem regulam oſtenditur, cum dicitur: *Nil habere proprium, nullam omnino rem.* Et ſequitur: *Sed nil omnino.* Ubi etiam includitur *neceſſarium.*

Sed hoc, quod dicitur, Abbatem nil poſſe concedere niſi neceſſaria, ſciendum, quod *neceſſarium* quoad præſens dictum capitur, ſcilicet, *ſine quo monachus non poteſt ſtare*, vel ſine quo non poteſt honeſte ſtare, ſc. conſideratione qualitatis perſonæ, vel monaſterii, excluſa in omnibus ſuperfluitate & curioſitate. Illa autem cauſula, qua dicitur, quod monachus *nil debet habere ſine licentia*, intelligitur de *licentia voluntaria*, non *compulſa.*

Ex illa autem clauſula, ubi dicitur, *nihil licet habere, quod Abbas non dederit*, vel permiſerit, aliqui inferunt, Ergo, quicquid Abbas dederit vel licentiaverit, *hoc licet.* Hi errant. Arguunt enim falſo in forma. Quia ex negativa nunquam ſequitur affirmativa de forma, maxime univerſalis. Non enim ſequitur: Nil licet habere, quod non dederit aut permiſerit, Ergo quicquid dederit aut permiſerit &c. Sicut hoc notum eſt intelligentibus Logicam.

Sed non eſt nobis hic tranſeundum per viam logicalem, ſed autoritative per viam manifeſtæ aſſertionis. *Falſum eſt*, dico, *quicquid dederit Abbas, aut permiſerit, quod hoc liceat.* Quia quicquid eſt contra ſalutem animarum, hoc nunquam licet. Sicut, ſi mihi permiſerit ea pro quibus volo mihi quotidie præparare pitantias & veſtes ſpeciales,

ſeu

ſeu jocalia, ſeu etiam reditus annuales, Qvæ omnia ſpecialiter prohibita ſunt in ſtatutis Papæ Benedicti XII.

Item, qvicqvid eſt contra ſtatuta papalia, nunqvam eſt licitum, ſicut proprium vel peculium.

Item, Papa non poteſt mihi permittere, qvicqvid vult, & non omne, qvod permiſerit, licet. Ergo minus Abbas.

Et Benedictus cauſulam ponens præſupponit, qvod *Abbas non permittat niſi licita, & neceſſaria*, & *hoc licitum*, dicit, *monachum non debere habere ſine licentia.* Dico ergo, hanc clauſulam regulæ, videlicet, qvicqvid Abbas dederit &c. fore intelligendam de permisſione licita rerum neceſſariarum. Et ſi ſic non intelligeretur, dudum revocatum eſſet a jure, ſcilicet, ubi Abbas prohibetur permittere proprium & peculium. Sed non poteſt hoc revocari contra veritatis regulam, qvæ docet, omnia relinquere & nil posſidere.

Item *monachus* minimam rem habens, & quaſi nil valentem, indebite, non ſolum *proprietarius* eſt, ut ſupra traditum eſt, ſed etiam eſt *fur*, ſi cum illa intentione habet, qvod vellet præciſe Abbatem neſcire. Furtum qvippe non ſolum in majoribus, ſed etiam in minoribus committitur, ut probatur 16 *d. q.* 6. *cap. ult. & de Pœnit. & diſt.* 1. *c.* 16. *Vulgaris.*

Beatus etiam Auguſtinus concordat cum ſupradictis in regula ſua, ubi dicit: *Non dicatis vobis aliquid proprium, ſed omnia ſint vobis communia*, aſſumta in canone ſæpe allegato XII. *q.* 1. *Non dicatis.*

Sed qvare tam ſedulo hi duo legislatores hoc ponunt, prohibentes, *ne quis aliquid dicat ſuum.* Ideo, ut dicunt gloſſatores regulæ beati Auguſtini: Qvicunqve monachus deliberato animo, protervo animo, diceret, *hoc eſt meum*, ille peccaret mortaliter. Unde Ambroſius: *Non ſolum non licet monacho aliquid habere proprium, ſed nec dicto arrogare.* In regula namqve beati Benedicti continetur, qvod *monachus non ſuſcipiatur, niſi omnibus renuncietur.*

Ideo *raditur monacho caput, & moniali abſcinduntur crines.* Qvia raſio coronæ ſignificat temporalium depoſitionem, ut XII. *q.* 1. *C. Domino.*

Dicit ulterius ſanctus Benedictus; *Res, ſi quas habet, prius eroget pauperibus, aut* per ſolennem donationem conferat monaſterio, nil ſibi reſervando ex omnibus, intellige, ex propria deliberatione, non ſub aliqvo compacto. Hoc enim eſſet ſimoniacum. Ergo in illa renunciatione debet permanere. Qvia hæc renunciatio eſt de præſenti & futuro. Unde Bernhardus: Cur noſtra profeſſio hanc prærogativam promeruit, qvod appellatur *ſecundum baptisma.* Et dicit pro ratione: *Æſtimo, quia propter perfectam renunciationem, per quam homo mundo moritur; & denuo regeneratur.* Qvapropter à qvodam ſancto viro eadem virtus in baptiſmo viſa eſt, & ſuper monachum profitentem. Qvia dicit *Heinricus de Gandavo*, qvod, qvando qvis profitetur, tunc à peccato indulgentiam conſeqvitur. Hoc idem vult beatus *Thomas, ſecunda ſecundæ. q. ult.* qvod qvis per ingreſſum religionis conſeqvitur remiſſionem omnium peccatorum. Et hoc intelligitur ſecundum *Heinricum de Gandavo*, ſi intendit ſervare, qvæ in profeſſione promittit, ſcilicet regulam, & ordinem ſuum. Nam ſi non intenderet ſervare ea, qvæ in profeſſione promitteret, ipſo facto ſic promittendo peccaret mortaliter, & non eſſet filius cœleſtis regni, ſed filius Diaboli & Gehennæ ignis. Et tales qvandoqve poſtmodum peſſimi erunt.

Et ſunt aliqvi, qvi damnabiliter dicunt, *quod monachus poterit habere cenſum, vel precariam.* Et ad reprobandum hoc jam ſatis dictum eſt; Qvia debet omnibus abrenunciare: Nam *omne* nihil excludit: Et in illa renunciatione permanere.

Ut ergo magis notum ſit, qvod tales errant, qvi hoc dicunt, utor *canone LIX regulæ* ſancti *Benedicti*, ubi tractat de filiis nobilium, & pauperum, qvomodo ſuſcipiantur, ſic dicens: *De rebus autem ſuis promittant*, ſupple *parentes, ſub jurejurando, quod nunquam per ſe, ſive per ſuſpectam perſonam, vel quolibet modo ei aliquid dent &c.*

Sed adhuc aliqva hic inferunt, oppoſitum hujus intentionis dicentes: *Parentes*

rentes poſſunt facere reſervationem vel cenſum ſpecialem. Et tradunt hoc ex illo, quod dicitur in eodem capitulo, *reſervato ſibi uſu fructuario.* Et dicunt, quod illud pronomen *ſibi* demonſtret *puerum.* Cum utiqve ſecundum verum intentum & expoſitiones regulæ referatur ad *parentes.*

Errant ergo, qvi dicunt, puero poſſe provideri. Quia talis proviſio vel reſervatio, aut eſt proprium aut peculium, quod non licet haberi.

Item regula illa non ſibi ipſi contraria. Sed ſi talem promitteret proviſionẽ contrariaretur ſibi ipſi. Nam dicit, *omnia debent, eſſe communia:* Item, *nec aliquid habere proprium:* Igitur nec *talem proviſionem.* Igitur ſicut *adultus* debet omnia reſignare, nec aliquo modo in tali caſu ſibi ipſi providere: Sic etiam, qui *puer* ingreſſus eſt, & pro quo parentes jurant, qvod nil ſibi dare velint, debet facere. Quia diſcretio non eſſet, ubi morum diverſitas interveniret, quod ille, qui adultus intravit, nihil haberet, & ille qui puer intravit, aliquid ſpecialiter haberet, cum æqualis profeſſio eos ligat.

Item, oſtendam hoc ita eſſe, aliquo modo ex præſenti capitulo ſupradictæ regulæ, Dicitur enim, quod parentes debent jurare, quod nunquam velint per ſe &c. Si *nunquam*, ergo nec in præſenti, nec de futuro. Sed talis proviſio aut eſſet de præſenti aut de futuro. Et additur: *Aliquo modo.* Ubi omnis modus excluditur, qvi puero poſſit aut dare legationem, proviſionem, reſervationem, ubi exprimitur omnis modus. Dicitur enim: *Occaſioni habendi.* Dicitur etiam ibidem, *ut omnis via obſtruatur, per quam puer pejerare poſſet.* Ideò beatus Benedictus non timet periculum pueri in non habendo, ſed in habendo. Et ideo ibidem dicitur: Si parentes pro mercede ſua aliquid dare voluerint monaſterio, reſervato ſibi, ſi ita voluerint, uſu fructuario, ſcilicet temporibus vitæ ſuæ utentes illo.

Eſt ergo intentio ſanctorum patrum, monachales ſcribentium regulas, quod *monachus non debeat habere nec proprium nec peculium*, ſed quicquid habet, hoc debet eſſe, de licentia prælati, & in communi uſu fratrum & ſororum.

CAP. II.

Monacho per Prælatum de neceſſariis debere provideri, ut filio per Patrem.

CUm ergo Monachus nil habere debeat, niſi neceſſaria, & de ſui ſuperioris licentia: Quia omnibus renunciavit, ſi adultus intravit: Si puer, tunc parentes juraverunt, quod nihil vellent ſibi dare: Ideo neceſſarium eſt, quod *Prælatus* ſibi *provideat, quaſi pater filio.* Quia monachus patrem naturalem dimiſit, & ſpiritualem elegit, & ille pater ſpiritualis ſuſcepit eum in filium.

Et *multo ſollicitius* debet ſibi providere, quam pater naturalis filio. Quia plus ſibi ille filius propinquus eſt, quam prius erat patri naturali, ex eo, quod cognatio ſpiritualis ſic ſibi conjungit perſonas, quod ex multis perſonis faciat unum corpus, ratione unius voluntatis & cordis in Deum. *Act. IX. Multitudinis credentium erat cor unum & anima una* 1. q. II. Cap. 1. & 12. q. 1 c. 2.

Alio modo debet eſſe *magis ſollicitus* circa eum. Quia principaliter ipſe præpoſitus animæ ſuæ, imo & anima illius monachi facta eſt quodammodo anima ſua, ita ut etiam pro ea damnetur, ſi minus curioſe circa eam egerit. Unde *IV. Reg. IX. Qui effugerit de manibus veſtris, erit anima ejus pro eo.* Et *Ezech. III. Speculatorem te dedi domui Iſraeli, & audies de ore meo verbum, & annunciabis ei ex me. Si dicente me ad impium: Morte morieris, non annunciaveris neque locutus fueris, ut avertatur à via ſua impia, & vivat, ipſe impius cum impietate ſua morietur. Sangvinem autem ejus de manu tua requiram &c.*

Unde etiam dicit beatus *Benedictus in regula Cap. II. Sciatque Abbas culpæ paſtoris incumbere, quicquid in ovibus paterfamilias minus utilitatis poterit invenire.* &c. Et poſt ſubditur, quaſi in fine: *Et quantum ſub cura ſua fratrum ſe habere ſcierit, agnoſcat pro certo, quia in die judicii ipſarum*

rum omnium animarum eſt redditurus Domino rationem, ſine dubio addita & ſua anima &c.

Sicut ergo pater naturalis ſubtrahens filio hæc, qvæ ſibi dare debet, & filius occaſione illius compulſus fuerit furari, & contigerit, ipſum ſuſpendi, pater reus eſt mortis hujus. Qvia de ejus venit negligentia. Nec excuſat eum aliqvando ignorantia. Qvia non poteſt eſſe paſtoris excuſatio, ſi lupus oves comedat, & paſtor neſcit. *Extravag. De Re juris. Quamvis*, Gloſſa: ſupple, ſi fuerit negligens, *Diſt.* 43. *Epheſiis.* Si autem dedit operam, qvam potuit, imputabitur illi, 47. *d. Quod ad nos.* & *cap. Quod quidam* 1. *q.*1. *Hoc autem.*

Sic etiam paterfamilias, id eſt, pater ſpiritualis ſi ſubtrahit monacho neceſſaria vitæ, & monachus inciderit in *proprietatis crimen*, & ex hoc proculdubio damnabitur, pater ſpiritualis utriusq; facti reus erit. Qvia qvicqvid à membris delinqvitur, in caput redundabit, ubi ſcilicet caput occaſionem dederit, & negligenter ſe habuerit, ut patet ex Regulæ capitulo ſupra poſito.

CAP. III.

Solutum dubium, quaſi ſufficiat Monacho animus & intentio relinquendi bona, etiamſi posſideat.

PORro, qvamvis hæc de proprietatis crimine dicta ſufficiunt, aliqvas tamen *quæſtiones* propter qvorundam Doctorum autoritates ſuper eadem proprietate ſpecialiter inſeram.

Et primo cujuſdam *Pariſienſis Doctoris* eximii ponam reſponſiones, ſic dicentis: *Ad dubium veſtrum libenter, ſi poſſem, reſponderem. Videtur enim mihi grave, condemnare omnes perſonas religioſas, quæ habent, unde ſe ſuſtentent, maxime, ſi habent talem intentionem, quod vellent omnia, quæ eis provenient, dare ad communitatem, dummodo eis daretur victus & amictus, ſola neceſſitas, ſecundum quod cuilibet opus eſſet. Et ſibi non reputant ſe juris proprietatem & dominium habere alicujus rei, ſed omnia eſſe ad mandatum ſuperioris. Credo enim, quod eo ipſo quis faciat contra votum paupertatis, quo in aliqua re ſe juris proprietatem & dominium vult habere. Et hoc puto tunc fieri, quando quis nollet dare aut præſentare, quod habet, ſuperiori, illud requirenti pro neceſſitate communitatis.*

Æſtimo tamen, qvodſi qvis habeat iſtam bonam voluntatem & intentionem, & æſtimationem, omnino adhuc eſſet dubium, an perſona talis religioſa poſſet de licentia & ſcitu ſui ſuperioris uti tali re pro neceſſitate ſua, qvando alii æqve vel magis indigent. Et in hoc placet mihi reſponſio *Gotfridi de Fontibus* dicentis: *Talis perſona non debet talibus uti, niſi ſecundum convenientem & proportionabilem habitudinem, quam habet unus de communitate ad alios, qui ſunt partes ejusdem communitatis. Ut tota communitas ſit quaſi quoddam corpus myſticum. Et ſicut nullum membrum habet jus proprium in cibo, qui ſumitur pro toto corpore & pro omnibus membris proportionabiliter, ſed quaſi in quodam repoſitorio communi cibaria reponuntur, ſcilicet in ſtomacho, & ibi præparantur, ut per virtutem generalem generativam unicuique membro, ſicut conditio exigit, dirigatur: Ita in hoc corpore myſtico nulla perſona habet jus proprietatis in bonis temporalibus, undecunque veniant, nec debet eis uti niſi ſecundum dictam proportionem, & ſtatuatur pro ſtatu alicujus perſonæ determinata, ut ſcilicet ipſe talibus bonis utatur, hoc eſt dicere, quod non utatur eis niſi ſecundum conditionem ſui ſtatus & ſuæ profeſſionis. Si enim procurat de licentia ſui ſuperioris, ut illis bonis utatur lautius pro perſona ſua, quam deceat, ſecundum habitudinem & proportionem, quam habet ad alias perſonas ſuæ communitatis, videtur facere contra votum, & tanquam proprietarius vivere, & non pro talis communitatis conditione. Et facit, quod res communes non in communi rediguntur, nec communiter ſecundum proportionem uniuscujusque repræſentantur. Cum enim habere jus in rebus non quæratur niſi propter uſum, ſic non debet religioſus quærere, quod habeat jus in aliqua re, niſi ut pars communitatis. Ita videtur quod de uſu dicendum. Et videtur*

ſupe-

ſuperior graviter peccare licentiando, & ſubditus ſic utendo. Hoc Gotfridus notatu valde dignum.

Unde notandum, quod vita religioſa comparatur vitæ cœleſti: Quia, ſicut in cœlo omnia ſunt communia, & condividunt cum alio: *Gregorius:* Ibi Angeli & Apoſtoli congaudent de merito omnium inferiorum, ibi omnes inferiores lætabuntur de gloria & corona ſuperiorum: Ex illius enim ſanctæ & perfectæ charitatis unione fiet, ut unusquisque habiturus ſit in alio, qvod non habet in proprio: Unde *Anshelmus: Unusquisque in tantum gaudet de alterius gaudio, quantum de proprio:* Sic in religione omnia debent eſſe communia.

Et ex hoc patet, quod ſtatus religionis & communitatis ſecundum Magiſtrum *Hubertum* eſt ſtatus optimus & valde laudabilis. Quod probatur. Quia non eſt meliorem ſtatum accipere, quam ſtatum naturæ ante peccatum. Et tali ſtatu ſcilicet naturæ, ante peccatum, erant omnia communia. Unde *Iſidorus:* Jus naturæ eſt communis omnium poſſeſſio. Nec gratiæ meliorem ſtatum invenire poteris, quam primitivum ſtatum Eccleſiæ, ſcilicet *tempore Apoſtolorum.* Et ſtatu tali omnia ipſis Apoſtolis erant communia, ſimiliter ipſis credentibus. Unde & recepit originem religio & perfectio vitæ monaſticæ, *Act. IV. Erant illis omnia communia, & diſtribuebatur unicuiq; prout opus erat*, nec quisquam aliquid ſuum dicebat.

Et videtur hoc duraſſe usque *ad tempora Conſtantini*, ut habetur *XII. q. 1. cap. Futurum.*

Item in ſtatu futuræ gloriæ erunt omnia communia, ut jam dictum eſt.

O quam felix eſt ille ſtatus religionis, qvi tales ſtatus, ſcilicet naturæ, gratiæ & gloriæ, imitatur. Et infelix, qui illos non ſequitur.

CAP. IV.

De diſpenſatione ad habendum proprium.

Unde quæritur, *an Prælatus poſſit cum ſubdito religioſo diſpenſare ad habendum proprium.*

Reſpondetur ſecundum *Humbertum*, quod minimè, qnantumcunque etiam autoritatis ſit, nec etiam Papa, ut patet *Extravag.* (*Decretal. l. 3. c. 35.*) *De ſtatu monach. c. 6. ſæpè alleg. cum ad monaſterium §. Nec æſtimat Abbas* &c.

Sed dicis, Monacho de ſui Abbatis licentia licet aliquid poſſidere. Verum eſt. Sed non ut proprium, *XII. q. 1. c. 11. Non dicatis.* Reſpondet *Johannes Pariſienſis Doctor:* Hoc eſt verum, dummodo illud non expendat in propriis uſibus, nec alicui det ſine Abbatis licentia, ſed nomine Abbatis teneat, paratus reſignare, quandocunque voluerit, nec uti ad libitum ſuum, ſecundum *Oſtienſem* ſupradicto cap. *Cum ad monaſterium*, ſuper verba: *Proprietati habenda.* Vel forſan quia periculoſum eſt, intendit Papa docere, quod nec illud fiat, imo tutius eſt abſtinere ſine dubio. Eſt namque res periculoſa, & mali exempli, & cauſa invidiæ. Unde conſulo Abbati, quod, niſi magna, & evidens, urgensve utilis cauſa ſubſit, caveat à tali licentia concedendi.

Concordat *Johannes Teutonicus* Decreti gloſſator. Quod ſi Abbas fecerit, ut ſupra eſt dictum, animarum, ſcil. ſuæ propriæ, & hujus, cui admiſit, periculo ſubjacebit, quia nunquam vel raro talem ſubditum humilem vel obedientem habebit.

CAP. V.

An Monachi poſſint adhibere pronomen meus, mea, meum.

Item quæritur, *an religioſus vel religioſa mortaliter peccet dicendo, liber meus, mea cappa, & ſic in aliis?*

Reſpondeo ſecundum *Humbertum in Epiſtola* ſub *ſermone ad omnes religioſos ſuper regulam beati Auguſtini:* Si dicit ex lapſu linguæ, ſive improviſo, ſive ex levitate, non peccat mortaliter. Si autem ex propoſito, & animo aſſertivo, quod eſt proprie *dicere*, peccat mortaliter

liter. Unde *Auguſtinus in regula*, & aſſumitur in *can. jam ſæpe præfato*, 12.q.1. c.11. *Non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia.* Ergo religioſi nunquam debent dicere, *mea cappa, meus liber, res mea*, ſed ſemper *noſter liber*, *noſtra cappa.* In gloſſa capituli: *Non dicatis.* Sed debent dicere: *Noſtra tunica, noſtra cappa* &c. Et hoc tractum eſt à ſtatu primitivæ Eccleſiæ *Act. IV.* Nec quisquis eorum quæ poſſidebat, ſuum eſſe dicebat. Vendebant enim agros & domos, & ponebant pretia eorum ante pedes Apoſtolorum.

CAP. VI
De diſpenſatione ad rerum uſum.

ITem quæritur: *An cum religioſo poſſit diſpenſari circa habendum uſum alicujus rei*, & ſi non circa proprietatem rei habendam. Reſpondetur ſecundum Magiſtrum *Humbertum*, quod duplex eſt *uſus*, ſcilicet *certus* & *incertus*. *Certus uſus* eſt, qui non poteſt auferri; Incertus eſt, qui in voluntate alterius conſiſtit, ut auferatur, cum ei placuerit. Et circa illum incertum uſum poteſt prælatus diſpenſare ex cauſa rationabili & neceſſaria. Tutius tamen conſulitur, ne fiat, cum ſit valde periculoſum, ut ſupra oſtenſum eſt. Sed *circa certum uſum nullo modo diſpenſare poteſt*. Semper enim debet voluntas religioſi eſſe ſubjecta prælato, ut reſignet, quando voluerit, quia omnis religioſus ſemper debet eſſe paratus omnia reſignare. Alias eſſet *filius perditionis*, *in ſtatu æterna damnationis.* Nam omnis perſona religioſa, quæ non haberet animum reſignandi, etiam quamcunque rem, nec ad communitatem dandi, quando prælatus hoc exegerit ab ea, talis eſſet *perſona proprietaria* & ſemper in peccato mortali, & nullus poſſet illam perſonam abſolvere à peccatis, quam diu ſtat in tali propoſito, libere non reſignando, & ad communem vitam non dando. Et talis quotiescunque celebrat, vel confeſſiones audit vel ſacramenta porrigit, aut communicat, toties *peccat mortaliter.* Et tales perſonæ religioſæ *pejores* ſunt dæmone & inferno, ſi ſic decederent impœnitentes. Quia moriente Chriſto infernus reſtituit aliena, ſed tales nolunt reſtituere nec reſignare. Item talis merito poſſet dici idololatra. Quia fiduciam in pecunia habet, quæ in Deum ſolum, qui perfectè juvare poſſet, eſt habenda. Imo talis quandoque *flagitium Judæ ſuperat*, qui proprietarius non tantum triginta denariis, ut Judas, ſed aliquando uno ſolido ſe damnat. Et inſuper Judas triginta denarios reſtituit, quod iſte proprietarius non facit. O quam injuſte hic proprietarius reſpondeat, qui poſt, modo pro paucis denariis, uni, cui paupertatem promiſit, deludere putat, qui non poteſt nec vult falli, & pretioſius pignus toto mundo, ſcilicet animam propriam, pro temporalibus paucis & vilibus rebus damnat, & ſe gaudiis cœli privat. Certè melius illi eſſet, ſi natus non fuiſſet homo ille. Et talis religioſus indignus eſt miſericordia Dei. Unde Bernhardus ſupra allegato capitulo: *Monacho habenti proprium negabit Deus ſuum proprium, quod eſt, miſereri & parcere.* Ergo quicunque religioſus volens miſericordiam Dei, oportet, ut habeat animum omnia reſignandi, ſine omni conditione, quandocunque Prælatus hoc requirit.

CAP. VII.
De jure Abbatis compellendi Monachos ad vitam communem.

EX quo patet, Quod *omnis prælatus debet habere poteſtatem inducendi ſuos ſubditos ad communem vitam ſervandam.* Et ſubditi in hoc nullo modo debent ei contradicere, nec ſe opponere verbo vel facto.

Ergo omnia peccata, quæ ſubditi & proprietarii committunt, redundant in

in Prælatum, qvi habet poteſtatem compellendi eos adcommunem vitam, cum hoc facere poſſet, & ſic diſſimulat, ut ſupra clare juridice probatum eſt. Alias Prælatus cum ſubditis proprietariis damnabitur.

Unde de hoc dicit *quidam Doctor Carthuſienſis.* Quando prælatus vel prælata ad hoc omni poſſe ſuo non laborat, ut ſubditi in communi vivant, ſe ipſum & ſubditos decipit & damnat. Quia reſiſtere poſſe perverſis & non facere, eſt eis conſentire. 23. *q.* 3. *c.* 8. *Qui poteſt.* Ubi dicit canon in hæc verba.: *Qui poteſt obviare & perturbare perverſos, & non facit, nihil eſt aliud, quam favere eorum impietati. Nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare.* Patet etiam hoc 86. *di. c.* 3. *Culpam facientis* 24. *q.* 3. *c.* 34. *Illud*; Quia negligere, cum poſſis perverſos perturbare, nihil aliud eſt, quam favere & 2. *q.* 7. *c.* 55. *Negligere* 83. *di. c.* 3. *Error* & 86. *di. c.* 8. *Culpam.* Et qui crimina, quæ poteſt emendare, non corrigit, ipſe committit 23. *q.* 8. *c.* 12. *Præterea.* Qui tacet, conſentire videtur.

Et ſic, facientem & conſentientem par pœna conſtringit, 14. *q.* 3. *Omnis.* Illud duriſſimum judicium fiet his, qui præſunt.

Item ſciendum, quod, quicunque habet filium vel filiam in monaſterio, quem vel quam ſcit non ſponte velle omnia ad ſui Prælati juſſionem reſignare, & ad communem vitam dare, illi amplius nihil debet dare, & ſi aliquid ei dederit præter extremam neceſſitatem confortando eum in ſua proprietate & malitia, & pertinacia, ipſo facto peccat mortaliter. Quia ipſe dat occaſionem hujus criminis & damnationis perpetuæ ſecundum juris regulam nota dignam: *Qui occaſionem dat damni, damnum dediſſe videtur.* Ergo nulla eleemoſyna, nec aliquod beneficium eſt talibus proprietariis exhibendum, niſi ut peculii in extrema neceſſitate.

CAP. VIII.

De pœna proprietariorum.

IMo tales *proprietarii* ſunt graviter *puniendi* & perſequendi à ſuis Prælatis, exemplo ſanctorum Patrum, qui fuerunt in religionibus. Unde *in diſt. allegata* dicitur, quod beatus Gregorius in ſterquilinio ſepeliri juſſit proprietarium cum tribus argenteis, quos repertus eſt habuiſſe, & fecit eos ſecum jactare in ſepulchrum, dicendo: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem* &c.

CAP. IX.

Characteres & tituli Proprietariorum.

HIs omnibus conſideratis modernis temporibus, quod plerique in religione videntur ſicut ſtellæ in cœlo rutilare, efficiuntur de numero reproborum maxime propter *vitium proprietatis.* Unde ſecundum Theologos proprietas eſt caritatis telicidium, firmitatis naufragium, religionis exilium, animæ præcipitium, tonſuræ fœdatio, cordis diſtractio, mentis indevotio, negotiandi occaſio, cupiditatis filia, diſſenſionis materia, pacis noverca, idolorum ſervitus.

Unde proprietarius eſt profeſſioni contrarius, perditionis filius, Judæ ſocius, pecuniæ ſervus, Deo inimicus, proximo injurioſus, obediens Diabolo, rebellis magiſtro, gentili infidelior, Judæo iniquior, latrone crudelior, uſurario infamior, fure pejor, ſacrilego, execrabilior. Et ſic miſer manifeſtiori excommunicatione excommunicatus, quia manifeſta excommunicatio ex ſupradictis ſubſecuta eſt.

Singula membra præfata diverſis ſcripturis concurrentibus ſunt probabilia, ſi temporis facultas adeſſet, & materiæ prolixitas ſuppeteret. Singula tamen hæc omiſſa, *cum iterum viſitavero vos, ſupplendo reſerabo.*

Digitized by Google

CAP. X.

Variæ exceptiones de Monaſterii in primis paupertate, ut & conſvetudine, ſolvuntur.

NOtandum ex ſupradictis his, ubi dixi, *Si darenter victus & amictus, & neceſſaria competentia.* Propter hoc coram Deo non eſtis excuſatæ, quia habetis *cenſus annuales*, quos ad libitum veſtrum ipſæ expenditis, una plus, alia minus, unde competenter in communi vivere poſſetis.

Sed ſalva excuſatione dicitis: *Parentes noſtri tali modo non exſolvunt nobis.* Ad quod ego: Si bonarum eſſetis voluntatum, & eisdem parentibus veſtris errores veſtros, quibus usque huc fuisſetis involutæ, & a veritatis ac ſalutis via deviæ, exponeretis, non tantum illos reditus vobis exſolverent, ſed multo plura ſuperadderent. Quod ſi non facerent, merito vos haberetis de eis querulari, quod ipſi vos loco illi, in quo neceſſaria vitæ minime haberetis, fraudulenter obtuliſſent. Utique vobis aut Prælato veſtro conſvetos reditus pro communi bono repetere congrueret, ſi ipſi tunc exſolvere recuſarent. Quia monaſterium in ſuſtentatione veſtrarum omnium deficeret.

Sed adhuc objicitis *pro præbenda certam pecuniæ ſummam* ipſi pro vobis condonatam.

Sed certe meli' eſſet hoc & ſimile tacere, quam in medium ducere. Scilicet, non per oſtium, ſed ſicut fures aliunde & latrones in ovile ovium ſimoniace aſcendere. Quia ſimonia hæreticæ pravitati eſt vicina. Et ideo *pretium* hoc propter vilitatem non eſſe judico nominandum, ſed magis *oblationem* appellandum.

Sed adhuc omnia hæc non excuſent contra proprietatis vitium: Si etiam non aliquem ſciremus denarium, nec corporis neceſſaria ratione penurioſi monaſterii acciperemus, quid tunc nobis eſſet faciendum?

Certe ſanctorum Patrum & Apoſtolorum, quorum ſeqventes eſſe debemus, more, *manuum laboribus inſiſtendo*, non ſolummodo nobis, ſed etiam pauperibus neceſſaria taliter acqvirendo. Idcirco dicit beat' *Benedictus cap. XLIIX. Otioſitas inimica eſt animæ. Et ideo certis temporibus occupare ſe debent fratres labore manuum &c.* Et poſt pauca: *Tunc veri monachi ſunt, ſi labore manuum ſuarum vivunt, ſicut Patres noſtri & Apoſtoli &c.* Et hoc patet pulchre *De conſecrant. diſt. 5. cap. 34. Nunquam.*

Illud in experientia vidi *in conventu quondam ſanctarum fœminarum juxta Baſileam, ubi autoritate Domini legati Papæ confeſſoris functus officio*, ibi nullum denariũ poſſidebant de reditibus certum, ſed manuum laboribus inſiſtentes æque bene convenienter duxerunt vitam. Sic & nos, ſi quippiam nobis ex manuum laboribus acquiri contingeret, ſi vera noſtra probata fuerit religio, ad communitatem tenemur præſentare, ut patet in *c. Nunquam* ſupra allegato. Ubi ponit de ritu monaſteriorum Ægyptiorum.

Nec habent aliqui inter vos allegare *conſvetudinem veſtram.* Quia mala eſt, & non minus quam pernitioſa corruptela eſt vitanda. *d. 8. c. 3. Mala.* Et (cap. 4. 5. 6. 7. 8. 9.) omnia talia. *16. q. 3. c. 5. Licet.* Nam ratio & veritas conſvetudinem ſemper excludunt, ut dicit *Auguſtinus lib. 3. de unico baptiſmate.* Nemo conſvetudinem veritati & rationi præponat, quia *Chriſtus non dixit: Ego ſum conſvetudo, ſed, ego ſum via, veritas, & vita. 8. di. c. 4. Veritate manifeſtata.* Quia ut dicit Cyprianus, *Dei, veritatem non hominum conſvetudinem ſequi oportet, 8. d. c. 9. Si ſolus Chriſtus.* Nam etiam conſvetudo perverſa excuſare nequit. Non levigat crimen, ſed auget, ut *24. q. 1. c. 34. Schiſma.* Et *Extrav.* (Decret. l. 5. t. 3.) *de Simonia c. 48. Non ſatis.*

Cedat ergo talis conſvetudo veſtra, habens tot & tantas rationes & autorites contrarias.

CAP. XI

De diverſa intentione illorum, qui in monaſteria ſe conferunt.

Eſt

EST quippe unum, quod volo voſcire, quod cunctis eſt religionem ingredi cupientibus valde nota dignum, quod dicit Anſelmus: *Quicunq; vult religionem intrare, & in ea proficere, debet principaliter tria ſcire: Quare, Ubi, & Ad quos.*

Ad primum, Quare. Utrum intentio ſit recta, an ſiniſtra.

Quia pleriqve religionem ingrediuntur, ut ſuæ valeant inopiæ ſuccurrere, cum in ſeculo pauperculam gerant vitam, dum de victu & amictu in religione taliter proficerent. Si etiam eſſet illis multa habendi facultas, quam propter Deum renuerunt, hi ſæpius, cum pauperrimi fuerint in ſeculo, vix vel raro ſuis ſuperfluitatibus ſaturari qveunt in monaſterio. Unde dicit Hieronymus in can. 12. *q.* 2. *c.* 71. *Gloria Epiſcopi. Natus in paupere domo, & in tugurio ruſticano, qui vix milio & cibario pane rugientem ventrem ſaturare poterat, nunc etiam ſimilam & mella faſtidit &c.* Unde ſcribit etiam Hieronymus ad Nepotianum: *Nonnulli ſunt ditiores monachi, quam fuerunt ſeculares, & clerici poſſident opes ſub Chriſto paupere, quas ſub locuplete & fallente Diabolo non habuerunt.*

Aliqvi vero intrant religionem inviti, & quaſi a parentibus coacti. Hi inquieti, impatientes, & inobedientes videntur, & cuncta eisdem, ſi etiam melliflua apparent, amara ſunt.

Iſti tamen, ſi poſt demum voluntarie conſenſerint, & profecerint, ſalvabuntur. Quia de neceſſitate virtus efficitur.

Alii intrant, ut prælaturas vel dominia officiorum in religione adipſci queant. Hi male intrant, cum tam apud ſeculares, quam religioſos ad prælaturas aſpirare ſit damnabile. Unde dicit Ambroſius: *Quicunq; deſideraverit primatum in terra, inveniet confuſionem in cœlo, nec inter ſervos Chriſti computabitur, qui de primatu tractaverit, ut XL. diſt.* (1. *q.* 1. *c.* 12.) *Quicunq;.* Etiam ambitioſus ad prælationem, etiamſi ſanctus ſit, reprobatur 1. *q.* 1. *c.* 25. *Principatus.*

Nonnulli etiam intrant propter *diſfortunium, de hujus mundi proſperitate deſperantes.*

Omnes iſti non recta intentione intrant. Sed hi duntaxat, vanitatibus hujus mundi & deliciis, & ſecundum conſilium Chriſti omnibus, quæ poſſident, renunciantes, ut ſuas lucrari valeant animas. Illis omnia etiam dura videntur propter Deum ſvavia.

CAP. XII.

Monaſterium eſſe locum pœnitentiæ & purgatorium.

PErpendamus ergo, quamobrem ad religionem pervenimus, dicendo cum Poeta:

Ad ſtudium quare veniſti, premeditare.

Nonne venimus *propter pœnitere?* Quare ergo *partes pœnitentiæ* ſcilicet *vigilare, jejunare, orare*, & alia ſimilia corpori contraria renuendo abjicimus? Cum verus pœnitens ad omnia dura ſemper ſit paratus.

Si cupimus ad libitum noſtrum dormire, comedere, bibere, & fabulari, in propria voluntate ambulare, ſolatium & omnem commoditatem habere, quid tunc quærimus *in loco pœnitentiæ?*

Nonne hic eſt clibanus, & babilonis fornax, in quibus per dura & aſpera, ac per tribulationes diverſas oportet nos tanquam aurum purgari & probari, quia tanquam aurum in fornace probavit electos ſuos Dominus. Unde *Bernhardus Caſſinenſis ſupra primum capitulum regulæ ubi de monaſterii probatione dia turna &c. Monaſterium eſt fornax, inquit, ſive caminus, in quo projicitur monachus, ut diverſis tribulationibus tentationibus, & aſperitatibus comprobetur, ut demum purior ſit auro, quod tranſit per ignem. Ideo dicitur Monaſterium.* Hæc ille.

Cum ſic pertranſierimus per ignem & aquam, poſt deducemur in refrigerium. Unde dicit Gregorius: *Si quis appetit plena vitia vincere, ſtudeat humiliter purgationis ſuæ flagella tolerare, ut poſt tunc mundior ad judicem veniat, quantum nunc ejus rubiginem ignis tribulationis purgat.*

Oportet utiq; animam purgare, ſive per ignem, ſive per aquam. Unde *Num. XXXI.* Omne quod poteſt tranſire per flammam, igne purgabitur, quicquid autem ignem non poterit ſuſtinere

Digitized by Google

nere, aqua expiationis ſanctificabitur. Attendant, qui volunt evadere ignem purgatorii, quia oportet eos expiari aquis lacrymarum. Imo etiam ignem mundanæ tribulationis ſæpe evadit homo per aquam lacrimoſæ amaritudinis, ut patet ſatis ex ſcripturis. O religioſe. Si non poſſes unum ſuſtinere opprobrioſum, quomodo tunc flagella, & aſperitates ſuſtinebis? Purgatorium futurum evadere putas, & hic tribulationibus & adverſitatibus purgari recuſas? Non ſic itur ad aſtra. Quare dicit *Hieronymus ad Heliodorum: Monachus delicatus es, cariſſime, & hic vis gaudere cum ſeculo, & poſtea regnare cum Chriſto?* De hoc Auguſtinus, *Impoſſibile*, inquit, *eſt quod aliquis fruatur præſentibus bonis & futuris, ut hic ventrem & illic mentem impleat, & à deliciis ad delicias tranſeat, & in cœlo & in terra glorioſus exſtat.* Hæc Auguſtinus.

CAP. XIII.

Monaſterium eſſe ſcholam ſtudiorum & virtutum.

INſuper *cauſa ſtudii & virtutum acquirendarum hoc in loco convenimus, tanquam* in Dominica ſchola congregati. Unde dicit ſanctus Benedictus in prologo regulæ: *Conſtituenda eſt ergo à nobis dominici ſchola ſervitii* &c. In qua quidem ſchola quaſi in loco, à turbine & à pluvia mundanæ perturbationis quieto, virtutes ſunt acquirendæ ſummo cum ſtudio, per quas quaſi Deo participamus. Unde Pſalmus: *Ego dixi, Dii eſtis* &c.

Studeamus ergo ſcalatim aſcendere a fundamento omnium virtutum, ſcilicet *humilitate*, uſque ad ſcalæ ſummitatem & bonitatem, ſummam in hoc mundo perfectionem. Hæc eſt illa ſcala in ſomniis a Jacob viſa, in qua Angeli aſcendebant *Geneſ. XXIIX.* Et ſanctus Benedictus *in regula c. V.* ubi etiam ſubjungit dicens; Non aliud ſine dubio deſcenſus ille, vel aſcenſus à nobis intelligitur quam in exaltatione deſcendere, & humilitate aſcendere. Sic oportet nos aſcendere, & ambulare de virtute in virtutem, donec videamus Deum Deorum, in Sion.

Inſpiciamus itaque undique vitam noſtram, quantum in virtutum ſcala proficimus, aut deficimus, memores ſemper hujus terribiliſſimi dicti *Auguſtini, à me aliàs veſtris auribus incuſſi,* quod ſcribit ad Vincentium: *Ex quo Deo ſervire cœpi, Omnium difficile expertus ſum meliores, quam qui in monaſteriis profecerunt, & difficile expertus ſum pejores, quam qui in monaſteriis defecerunt,* ut patet *diſt. XLVII. &c. Quamlibet.* Unde etiam Bernhardus dicit: *Qui in loco ordinis ſine ordine vivit, ad illum deveniat ordinem, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Hoc quantum ad prius.

CAP. XIV.

Monaſteria require ſolitudinem.

AD ſecundum. Religionem intrans debet conſiderare, *ubi* vult intrare. Utrum *locus* pro regulari obſervantia *aptus* & *quietus.* Quia *ordo noſter ſolitudinem requirit*, non inter parentes & notos, ubi nunquam vel raro quiſpiam proficere valet. Quare dixit Dominus: *Egredere de terra tua & de cognatione tua &c.* ut patet ſupra. Attendant ſuos parentes & notos frequentantes, quomodo proficiunt. Imo quæ aliquando in uno integro anno inſpiritualitate accumularunt, una hora pereunt. Hi non habent conſolationem divinam, quærentes humanam. Non vere cum Propheta renuit conſolari anima mea: *Memor fui Dei mei & delectatus ſum.* Item. *Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumſit me.* Hi autem non ſunt mortui mundo, imo vivunt mundo, ſolum nomen portantes. Quia *monachus* dicitur à monos quod eſt *unus* & ἄχθος *triſtis*, quaſi *unus triſtis.* Sedeat ergo triſtis, vacans officio, quia mortuus eſt mundo, vivit autem Deo. 16. *q.* 1. *c. placuit.* Hi etiam crucem Chriſti tollunt, ſed eum non ſequuntur. Hoc quantum ad ſecundum.

CAP. XV.

De pietate & concordia in Monaſteriis deſiderata.

AD tertium. Intrans religionem conſiderare debet, *ad quos* vult intrare, utrum ſint ſanctæ converſationis, obſervantiæ regularis, quod non ſint ſimoniaci, proprietarii, inobedientes, incontinentes, inter ſe diviſi, litigioſi, clamoſi, ſcurriles, leves, diſſoluti otiis, ac ſtudioſè obſervantes quietem.

Monachus in monaſterio, quaſi paradiſo terreſtri ducit vitam. Unde dicit Hieronym' in quadam ſuarum epiſtolarum: *Monaſterium ubi eſt unio & caritas, eſt paradiſus, & inhabitantes ſunt Angeli Dei.* Ubi autem eſt diviſio & diſſenſio, monaſteriū eſt infernus, & inhabitantes Diaboli ſunt. Nam, ut ait Hieronymus: *Nihil eſt ſimilius actibus Dæmonum quam litigare.* Sed, ut dicit Seneca ad Lucillum, *pacem habeas cum hominibus, bellum autem cum vitiis &c.*

Hæc pauca procul dubio mihi de religione cognita, prout nunc vobis, ut promiſi, transmitto, proh dolor! non quod ego ita facio, ſed vos una mecum admonendo exhortor, ut in his frequenter in cordibus ruminantes proficere poſſimus in vitam æternam, Amen!

TOMI III. PARS XI.

DE ANNUIS PENSIONIBUS MONACHORUM AC MONIALIUM,

Aliisque ſubſidiis, quibus privatim fruantur, DECISIO MEDIA.

Ex MSCto ACADEMIÆ HELMSTADIENSIS.

CAP. I.

Argumenta pro conſvetudine inter Monachos, annuas penſiones, precarias, ſimiliaque ſubſidia obtinendi.

UTrum *conſvetudo, qua quidam religioſi utriusq; ſexus habent precarias, ſeu annuas penſiones, ſeu ſubſidia à parentibus vel amicis, vel propriis laboribus, quibus utuntur ſeorſum, extra conventum, & frequenter, ex licentia ſuperiorum, valeat & ſit licita: Ita, quod tales religioſi ſint ſine periculo animarum ſuarum?*

Et videtur, quod *ſic.*

Primo. Quia hoc Eccleſia Romana ſcit & tolerat, Igitur hoc approbare videtur. Et per conſequens hujusmodi conſvetudo eſt licita.

Secundo ad idem illud *Johannes Andreæ in cap. Cum ad monaſterium in Novella* dicit, quod Romana curia toleret, quod religioſi in Romana curia *loco veſtium* capiant a ſuis prælatis annuam penſionem. Igitur hoc eadem ratione *loco cibi & potus* poſſunt capere. Cum *victus & potus* debeant religioſo miniſtrari per ſuum ſuperiorem, quibus debet eſſe contentus, *XII. q. 1, c. 5. Clericus qui. XVI. q. 1, c. 5. Si cupis.*

Tertiò ad idem, *in eodem cap. in novella* dicit, quod moniales in monaſteriis pauperculis ultra præbendam minus ſufficientem, quæ eis in conventu miniſtratur, poſſunt *meliorare præbendam* ex ſubſidio parentum vel amicorum, vel per proprios labores. Igitur hujusmodi conſvetudo valet.

Item *quarto*, hoc ſolum dicitur proprium, quod celatur coram prælato ſuo. Hic vero in caſu noſtro ſubditus habet licentiam a ſuperioribus ſuis, ut per annuas penſiones, vel precarias, vel ſubſidia parentum vel amicorum, vel per proprios labores poſſint meliorare præbendam minus ſufficientem.

Item *quinto*, neceſſitas non habet legem. Sed ſæpe Prælati non poſſunt providere de bonis monaſterii, minus

ſufficientibus, præſertim prælati mendicantium ordinum, ſuis ſubditis. Igitur oportet, quod prælatus licentiet ſubditos ſuos, ut acquirant neceſſaria provictu & veſtitu. Igitur &c. Alias prælati propter defectum neceſſariorum perirent.

Item *ſexto* inducitur ad illud, *Qui clerici vel voventes. Decret. l.* 4. *t.* 6. *c.* 7. *Inſinuante*, & quod ibi notatur, *& XXVII. q.* 1. *c.* 7. *De viduis*. Per quæ patet, quod monachus in domo ſua cum bonis omnibus quondam ſuis remanere poteſt, & illa adminiſtrare, & in uſus ſuos convertere de Abbatis licentia. Fortius ergo Abbas cum Capitulo poteſt facere monachum adminiſtratorem certæ pecuniæ, in certum neceſſarium convertendæ uſum. Per argumentum *a majore*, de quo *Decret. l.* 1. *t.* 6. *De electione, c.* 7. *Cum in cunctis*. Et de toto ad partem, *De officio deleg. c.* 28. *Paſtoralis*. Nam qui totam cauſam non delegat, certum articulum delegare poteſt, *De appell. c.* 62. *Cum cauſam*, Et *l.* 2. *t.* 27. *De re Jud. c.* 18. *Cum Bertholdus*.

Item *ſeptimo* ad illud, quod monachus de licentia Abbatis poteſt aliquid poſſidere, licet non ut proprium, facit *XII. q.* 1. *c.* 11. *Non dicatis*. Quia ibi dicitur, quod vel ſine licentia Abbatis poteſt poſſidere. Ergo cum licentia ejus poteſt. *Extrav. Decret. l.* 3. *t.* 10. *De his, quæ fiunt a Prelato, c.* 7. *Cum Apoſtolica*, in fine. Unde talis ſpoliatus petit reſtitutionem, *Dec. l.* 1. *t.* 3. *De reſcriptis, c.* 22. *Cum dilecta &c.*

CAP. II.

Argumenta contra conſvetudinem talia habendi ſubſidia privata.

IN oppoſitum, *contra conſvetudinem* videntur eſſe quatuor.

Primo ſtatus monachorum. *Secundo*, ſubjectio eorum ad ſuum ſuperiorem. *Tertio* ſuperioris officium. *Quarto*, regula Monachorum.

Primò, ſtatus monachi non permittit, eum habere proprium, vel aliquid poſſidere, *XII. q.* 1. *Nolo, &c. Non dicatis De ſtatu monachorum c.* 11. *& c. Cum ad monaſterium*. Ergo conſvetudo eſt illicita, quæ facit eum proprietarium. Nec enim, quod una via prohibitum eſt, per aliam eſt concedendum, *De procurat. c. Tua*.

Item, cum ſit ſpeciale, quod monachus poteſt habere peculium ex injuncta ſibi adminiſtratione, *De ſtatu monachorum c.* 11. Et tamen certum, quod ille, licet ſit adminiſtrator, non habet illud, ut proprium, etiamſi Abbas vel Epiſcopus, *De privilegiis, Decr. l.* 5. *t.* 33. *c. Cum olim*. Propter quod concluditur, illi adminiſtratori concedi detentioné tantum. Ex quo ſequitur, quod nullo adminiſtratori etiam detentio etiam per Abbatem concedi poteſt. Facit *De privilegiis c.* 9. *Sane*, Ergo nec ſe ad illud per conſvetudinem obligare poteſt, defraudando legem de hoc privilegio.

Quare circa *ſecundum* conſtat, quod monachi Abbati vel ſuperiori obedire tenentur, *De ſtatu monachorum, Cum ad monaſterium*, 54. *diſt. Abbas*. Et ſicut obedientia in exhibendo ineſt monacho, ſic recipiendo ineſt Abbati, & huic Abbas renunciare non poteſt. Quia monachum manentem ſuum non poteſt abſolvere ab obedientia. *De renunt. cap. Pridem*. Sed illa conſvetudo quodammodo abſolvit, ſi ratione conſvetudinis monachus poteſt tollere *precarias*. Igitur &c.

Item, ſi conceditur hæc conſvetudo pro *veſtibus*, pari ratione, pro *vino* & *piſcibus*, & forte pro *carnibus*. Et ſic ex vi conſvetudinis habebunt monachi præbendas diſtinctas, vel portiones privilegiatas, contra *canonem Decret. l.* 3. *t.* 5. *c.* 19. *Dilectus*, 1. *De prebendis*, & ſimiliter cellas privatas, contra illud *XX. q. ult. Monachi. XII. q.* 1. *Neceſſaria, De ſtatu monachorum*.

Circa *tertium* certum eſt, quod ad Abbatem pertinet tota poteſtas monaſterii, 18. *q.* 5. *Nulla*. Et debet eſſe diſcretus in regimine, *ead. q. c. Si quis Abbas*. Et de omnibus ſolicitudinem gerere debet, per *cap. Cum ad monaſterium*, & ſecundum qvalitatem perſonarum eis providere Quod ſingulis Abbas faciet, ut in uſu, *De prebend. De multa*, infin. exemplo Apoſtolorum, qui non æqua-

Digitized by Google

æqualiter omnibus, ſed ſingulis dividebant, prout ſingulis opus erat *Act. IV.*

Sed ſi ſecundum hanc conſvetudinem annua penſio non ſufficeret pro monacho, vel abundaret plus, qvam monachus indigeret, diſtributoris Abbatis manus eſſent ligatæ. Et ſic illicitum. Cum ſit æquale vitium, negare neceſſaria, & dare ſuperflua, 47. *Si quis, De officio cuſtodis c. prim. & De jure prioratus in Clem. c.* 1.

Ergo conſvetudo eſt iniqua, qvæ auſert Abbatis officium, providendo & diſtribuendo. Et ſic non habet poteſtatem. Quia non ſervat honoris ſtatum, ſed confundit. 23. *q.* 5. *c.* 24. *Si apud.* Etiam ſolvit obedientiam, nec habet juris poſſibilitatem, 22. *q.* 2. *c.* 15. *Faciat.* Nec habet neceſſitatem, cum aliter providere poſſit monachis, ad illud *Diſt.* 1. *c.* 5. *Conſvetudo.* Ubi dicitur qvod lex debeat talis eſſe, quæ congruat religioni, diſciplinæ conveniat, & ſaluti proficiat. Sed hæc conſvetudo facit contrarium.

Quarto, cum regula monachorum ſit approbata per ſedem Apoſtolicam, & confirmata, *De relig. dom.* Si non licet illam alicui mutare, *De confirmatione utili vel inutili c.* 1. & 11. Concluditur ergo, qvod Prælatus hanc conſvetudinem poſſit revocare, qvem ſine interitu ſalutis ſervare non poteſt. Hic vide *Joh. Andr.* in regulá, *Non eſt obligatorium.*

Sed experientia, quæ eſt rerum magiſtra, docet, quod hujusmodi religioſi utriusqve ſexus ſint inqvieti freqventer, inobedientes, nolentes reformari, neqve hujusmodi penſiones annuas ponere ad communitatem, etiam per ſuperiorum juſſum, & ſic proprietarii, & alii luſores & fornicarii, bibuli & crapuloſi, veſtibus pretioſi. Et qvando alii monachi eſuriunt & ſitiunt, ipſi ſunt inebriati, nec paupertatem, nec obedientiam ſervant, nec ſaltem communem menſam tenent. Vide ergo, qvam periculoſus ſit ſtatus *Superiorum* hujusmodi *religioſorum*, qvi hoc ſciunt in ſubditis fieri, & tacent, nec prohibent. Ecce omnes animæ hujusmodi ſubditorum requirentur de manibus ſuperiorum, ſive clauſtralium, ſive provincialium. Vide, qvam periculoſus ſit ſtatus hujusmodi *præbendariorum*, qvi ſubſtantialia ordinis non ſervant, qvia perjuri, qvia nolunt obedire *generali concilio, quod etiá volnit omnes ordines reducere ad communem vitam.* Qvare ſunt extra ſtatú ſalutis: Qvia monachus habens obulum, non valet obulum, & qvi habet proprium, Deus negat ſibi ſuum proprium, quod eſt miſereri & parcere. Et ſic ſcandalizant Eccleſiam & præſertim laicos, incitantes eos contra clerum. Væ illi, per qvem ſcandala fiunt, ſeu veniunt.

CAP. III. *Sententia media.*

AD illam quæſtionem reſpondendo tota quaſi Eccleſia quoad religioſos confunditur.

Quia, ſicut *rationes ante oppoſitum* videntur oſtendere, quando ſubeſt rationalis cauſa, prælatus religioſus cum ſuis ſubditis profeſſis diſpenſare poteſt, ut religioſi profeſſi habeant peculium ſeu precariam. Ut videlicet, quando ſuperior ſubditos nutrire aliter non poteſt in communi, ſed ſubditi poſſunt ſe nutrire diverſimode, unus prædicando, alter docendo & regendo, alter ſcribendo, alter meditando in libris, alter per parentes & amicos & ſubſidio eorum, vel patrimonium ad eum devolutum. Et non eſſent præmiſſi jam ita diligentes in acquirendo pro communi utilitate, ſicuti pro ipſis in ſpeciali.

Rationes vero *in oppoſitum* videntur oſtendere, quod hoc ſit contra ſtatum religioſorum profeſſorum, & quod per hoc reſtringantur ſubſtantialia ordinis, & multa mala ſuperius expreſſa oriantur.

Et quia in cauſa rationabili ſuperior poſſet *diſpenſare*, quando ſubeſt cauſa rationabilis, dummodo ſubditi parati eſſent hujusmodi precarias dare in manus ſuperioris ad communem utilitatem, quando ſuperiori placet, & videtur ſibi opportunum: Et quia, quæ ſit hujusmodi rationabilis cauſa, non eſt concor-

concordia, nec inter Prælatos, nec inter ſubditos, & quod ſubditi ſint parati dimittere hujusmodi precarias omni tempore: Ideo *melius eſt*, quantum poſſibile foret, *raro vel nunquam mittere hujusmodi precarias, niſi ex notoria cauſa & evidenti, propter ſcandala*, & ne ſubſtantialia ordinis per hoc infringantur.

CAP. IV.

Argumenta, quod monachi de propriis viventes ſint in periculo damnationis.

SEquitur alia quæſtio. *Utrum religioſi Prælati utriusq; ſexus non viventes communiter ſed ſingulariter, ſint cum ſubditis in ſtatu ſalutis.*

Et videtur, quod *non.*

Quia de communi deceret vivere communiter, quoad eſum, potum, veſtitum, & ſervare regulam, jejunium, & non comedere carnes, niſi eſſent infirmi, & alia plura obſervare, quæ non obſervant. Ergo ſunt in ſtatu periculoſo magis, quam ſeculares clerici. Quia de quanto ſtatus altior, de tanto caſus periculoſior.

Secundo ad idem. Quia fundant ſe ſuper diſpenſatione invalida, credentes ſe in omnibus diſpenſare. Sed non eſt verum. Quia, ſicut dicit *Johannes Andrea ſuper c. cum ad monaſterium, De ſtatu monachorum, in novella &c.* licet ſummus Pontifex poſſet diſpenſare cum monacho, ut poſſit contrahere matrimonium, ſi cauſa maxima ſubeſſet, ut converſio gentilium, vel pax magis reformanda, tamen, ſi legitima cauſa non ſubeſt, non valet diſpenſatio. Imo, ut dicit idem, non poteſt Papa diſpenſare contra vota, vel ut monachus habeat proprietatem, niſi magna cauſa ſubeſt. Et, ſi diſpenſat ſine magna cauſa, non valet diſpenſatio, & Papa peccat; & utentes eadem diſpenſatione decipiuntur. Hic autem in caſu noſtro Prælati religioſorum, diſpenſant contra vota, ut ſubditi non ſervent paupertatem, imo nec obedientiam, caſtitatem, nec regulare jejunium. Cum ergo nec Papa poſſit quid contra promiſſa Deo facta, nec cauſa legitima & magna ſubeſt: Ergo eorum diſpenſatio non eſt diſpenſatio, ſed ſubditorum & Prælatorum deceptio.

Tertio, talis vita religioſorum tendit ad noxam & ad ſubverſionem totius vitæ religioſæ. Ita ut non ſerventur tria ſubſtantialia ordinis, nec paupertas, nec obedientia, nec caſtitas, & alia regularia. Sed nec ſtatuta, nec leges, nec conſuetudines valent. Sic tendentes ad noxam & ſubverſionem Eccleſiæ quoad magnam portionem ejus magis notabilem, ſcilicet religioſorum. Ergo talis vita eſt damnabilis, & omnino abjicienda à ſtatu Eccleſiæ.

Item *quarto*. Quod omnes regulares fratres indigeant hujusmodi diſpenſatione, ut non communiter vivant, ſed ſingulariter: Et quod tot ſint procuratores in conventu, quot fratres, quilibet rerum ſuarum: Et quod hic ſubſit licita cauſa diſpenſandi quoad ſingulos fratres: Non videtur unquam occurrere. Sed magis ſi quilibet fratrum ea, quæ poſſidet, poneret ante communitatem: Melius & abundantius provideretur quam ſic.

Quinto, interim, quod Prælati examinant, an poſſint conventum decenter nutrire de his, quæ ſinguli fratres poſſunt comportare, & poſſint eos ad hoc compellere, ut omnia, quæ habent, ponant ad communitatem, ſemper ſint culpabiles & inexcuſabiles. Quia tenentur ſubditos ſuos ad communem vitam compellere, Et ſi non poſſunt ad hoc attrahere propter rebellionem vel propter cauſam prætenſam rationabilem, ſaltem aliquos ad communem vitam juvando & ſibi obediendo attrahant, ut ſe & ſibi obedientes excuſabiles faciant. Quod minus offendat, ſi ſaltem aliquos ad communem vitam adducat, faciendo diligentiam, quam torpendo hoc permittat, ſe & plures ſuos ſubditos ad perpetuam damnationem inducendo.

Sexto, Diſpenſatio ſuperioris cum ſubditis in præmiſſis non excuſat nec prodeſt.

Digitized by Google

prodeſt. Nam ſicut præmiſſum eſt, nec ſummus Pontifex ſuper proprietatem vel vota cum religioſis ſine legitima cauſa poteſt diſpenſare. Ergo multo minus alii inferiores Prælati infra Papam diſpenſare poſſunt.

Septimo, Talis vita ſingularis tollit officium ſuperioris in præcipitium, & ſingulis neceſſaria diſtribuendo, & obedientiam inferiorum in præmiſſis ſuperioribus exhibendo, & ſuperflua retinendo. Et æquale vitium eſt in præmiſſis, ut ſuperior vel non neceſſaria ſeu ſuperflue vel diminute provideat, & quod ſubditi in neceſſariis & mediocribus non ſint contenti.

Octavo. *Johannes Andrea in c. Cum ad monaſterium*, ſuper non proprietate dicit: *Nec videtur dici: Quando ſubditus de qualitate & quantitate nihil celat ſuperiori, nec ſine ipſius conſenſu vel ſine ſcientia aliqua recipit vel expendit, paratus totum reddere & dimittere ad juſſum Abbatis. Tamen res periculoſa eſt, & invidia & exempli mali cauſa. Conſulit Oſtienſis Abbati, ut, niſi ex cauſa magna & evidenti, talem licentiam non det monacho, non habenti adminiſtrationem.* Ecce hic loquitur de monacho, cui tam raro debet dari hujusmodi licentia. Hic vero datur omnibus ſubditis licentia, & de omnibus rebus, quæ detinet ſubditus, quæ etiam ad libitum expendit, ſicut placet, nec etiam interrogando ſuperiorem de ſingulis. Quia ſuperior libenter dat hujusmodi licentiam ſine cauſa legitima ſubjectis ſuis, non ſolum ſe ſed & ſubditos decipiendo, ſicut patet ex illa ratione ſuperius poſita. Et etiam hoc non deberet fieri niſi in his ſubditis, qui habent adminiſtrationem, ut ſunt officiales, procuratores, ut patet *De ſtatu monachorum c.* II. Hic vero omnibus ſubditis admittitur hujusmodi adminiſtratio pecuniæ.

Nono, cum ſit duplex *uſus rerum temporalium*: Scilicet *certus*: Qui monachis non poteſt concedi, quia hoc importat proprietatem in ſubditis, quem tamen uſum pro nunc prælati concedunt, de quo vide *Humbertũ ſuper regulam Auguſtini*: Et alius eſt uſus *incertus*, qui monachis poteſt concedi, ſi ſubſit neceſſitas vel *utilitas*, *communis*, non privata, ſecundum N. ad Eugenium Papam Alias diſpenſatio vocatur diſſipatio.

Sed communis utilitas rariſſime occurrit in his diſpenſationibus, ſed ſingularis. Sicut patet in effectu, quo quilibet quærit utilitatem ſuam ſingularem.

Decimo. Cum experientia ſit rerum magiſtra, hujusmodi vita ſingularis generat multas abuſiones, & hujusmodi ſingulariter viventes poſſident aurum & argentum, quibus omnia obediunt, & nec refectorium nec dormitorium viſitant, variam ſupellectilem poſſident, veſtes pretioſas, lectos, famulos & ancillas, concubinas, equos & canes venaticos in locis anguloſis, vel etiam in refectorio lautius ſibi providentes, & ſic de pluribus aliis abuſionibus. Quis enim poterit de hoc dubitare, quin *Prælatus* cum *talibus juvenibus diſpenſans*, & hi, cum quibus ſic diſpenſatur, ſint in ſtatu damnationis, & diſpenſatio cujuscunque Papæ, generalium vel ſingularium ſuperiorum quorumcunque, in nullo eos relevet.

Undecimo, quia tanta eſt inæqualitas in tali vita ſingulari, quod unus abundat, alter deficit, unus ſitit, alter ebrius eſt, unus ſaturatus, alter famelicus eſt. Et ſic de veſtitu, & in omni indigentia humana eorundem. Cum *Auguſtinus* dicat: *Et non dicatis aliquid proprium, ſed vobis omnia communia.* Et ſic ſanctus Franciſcus, Benedictus, Dominicus. Hæc ergo vita ſingularis eſt inæqualis, diabolica, proprietatem in ſe includens, paupertatem excludens, & cetera, quæ ordinis ſunt.

Duodecimo, beat' *Bernhardus in libro de precepto & diſpenſatione* dicit: *Quicquid de ſpiritualibus in ipſa regula traditum eſt, in manu Abbatis nunquam relinquitur Deis reliqua pars, qua in corporalib' obſervantiis, ne ipſa quidem ejus in voluntate ita poſita eſt, ut ejusdem ſerviat voluntati, ſed magis charitati. Neq; enim Abbas ſupra regulam eſt cui ſemel ipſe ſe ſpontanea profeſſione ſubmiſit.* Et ibidem ſtatim: *Super fratrum transgreſſiones, non ſuper Patrum traditiones conſtituitur qui Abbas eligitur,*

mandatorum cultor & vitiorum ultor. Tredecimo. Omnis regularitatis, & omnis rigoris declinatio, ordinarie ex hac diſpenſatione exorta eſt. Quia ſuperiores carnales in ſe nolunt diſplicere ſubditis, æſtimantes, ſe ſine rationabili cauſa poſſe in omni caſu vere, exceptis tribus ſubſtantialibus, diſpenſare. Quod non poſſunt propter multas cauſas ſuperius expreſſas.

CAP. V.

Argumenta, quod monachi de ſubſidiis propriis viventes non verſentur in diſcrimine ſalutis.

IN *oppoſitum* arguitur.

Cum ſint tot Doctores Theologiæ, & utriusque juris, in ordinibus mendicantium, non videtur veroſimile, quod oculis apertis cœci ſcienter errarent: Et ſimiliter multi veri devoti in dictis ordinibus inviti ſuas conſcientias macularent.

Secundo, ſanctus Thomas ait: In qualibet communione neceſſario abſtinere à carnibus, non ponitur, in regula beati Benedicti ut præceptum, ſed ut ſtatutum, quod non habet vim præcepti; ſicut nec alia hujusmodi *ſtatuta*. Ut *Monachus comedens carnem* eo ipſo non peccat mortaliter, nec facit contra votum, niſi comederet ex inobedientia & contemtu. Sed incurrit pœnam, in ſtatutis expreſſam & contentam. Et tamen comedere carnes non licet ſanis ſed infirmis. Sic ſimiliter de *jejunio regulari*, quod non eſt inſtitutum præceptoriè, ſed ſub pœna. Quod quis ſolvens non incurrit culpam, niſi propter præceptum vel contemtum, ſed pœnam. Si ergo non ſervantes hæc duo non peccant, multo minus, qui non ſervant *minora* his duobus.

Tertio, ſedes Apoſtolica ſic diſpenſavit cum ordine *Prædicatorum*, quod *ter in hebdomada comedant carnes*, quia non ſemper prandia certa cum ovis habent, ſed comedunt cibum, quem poſſunt habere, maxime in itinere, & in terris ſuis, quando ſunt extra monaſteria ſua. Et eadem eſt ratio de aliis *Mendicantibus*.

Quarto, cum ſint varii ordines, habentes varias regulas, quis poterit ſcire ſingulorum ordinum regulam, & pertinenter arguere contra exceſſus eorum.

Quinto, ſingulariter vivere non eſt contra paupertatem, obedientiam, caſtitatem. Quia ſic vivere ex licentia & licita cauſa ſtat cum paupertate, obedientia, caſtitate. Ergo, ſic vivere ſingulariter, non ponit, aliquem religioſum eſſe in ſtatu damnationis.

Sexto, Romana curia ſcit & tolerat iſtam vitam: Ergo talem vitam videtur approbare. Conſequentia tenet per iſtam Regulam juris: *Qui tacet.*

CAP. VI. *Sententia media.*

AD iſtam quæſtionem pono aliquas ſcholaſticas concluſiones.

Prima concluſio. Ad iſtam vitam religioſorum ſequuntur multa mala & inordinationes multæ, etiam abuſiones & ſcandala, quibus laici contra religioſos inſurgunt, & eis obloquuntur. Hæc *concluſio* patet ex experientia, quæ eſt rerum magiſtra, & per rationes ante oppoſitum.

Secunda concluſio. Prælatus dans licentiam ſic ſingulariter vivendi ſuis ſubditis & religioſis, & videns hujusmodi abuſiones oriri ex ſua licentia, & non revocat hujusmodi licentiam; nec aliqua ponit remedia contra hujusmodi abuſiones, in quantum melius poteſt, eſt in ſtatu damnationis, & omnium malorum, & culparum, quæ ex tali ſua licentia fiunt, eſt reus, & ſanguis animarum ſubditorum ſuorum de manibus ejus requiretur. Patet hæc *concluſio*, Quia cauſam damni dat, ergo damnum dediſſe videtur, per regulam juris, & per rationes ante oppoſitum motas.

Correlarium hujus concluſionis, quod ſimiliter Papa, vel Generales ordinum mendi-

Digitized by Google

mendicantium', vel Provinciales, vel ſuperiores particulares monachorum, cooperantes ad hujusmodi licentias, ſuper ſingulari vita, ubi tales abuſiones ſequuntur, ſunt in conſimili damnatione, ſicut dicit concluſio. Patet ex eadem radice.

Tertia concluſio. Sive Papa, ſive quicunque alii inferiores Prælati, diſpenſantes cum ſuis inferioribus, ſine legitima cauſa, videntes ex diſpenſationibus ſuis hujusmodi diſſipationes exoriri, & non revocant hujusmodi abuſiones, ſicut melius poſſunt, ſunt in ſtatu damnationis, & omnium malorum, quæ ex ſuis licentiis fiunt, ſunt participes. Patet hæc concluſio ex præmiſſis, & rationibus ante oppoſitum motis. &c.

Correlarium iſtius concluſionis: Omnis diſpenſatio ſuper votis, & proprietate religioſorum, ex quibus præfatæ abuſiones ſequuntur, ſunt diſſipationes, & non validæ diſpenſationes. Quia non fiunt ex rationabilibus cauſis, & non excuſant Prælatos, ſed magis accuſant. Patet ex præmiſſis & rationibus ante oppoſitum.

Quarta concluſio. Nulla tolerantia vel diſpenſatio vel diſſimulatio ſuperiorum in præmiſſis abuſionibus excuſant ſubditos. Patet, quia non fit præſcriptio culpis. Et de quanto diutius animam culpa detinet, de tanto reddit eam infeliciorem.

Quinta concluſio. Prælatus ex legitima cauſa poteſt cum ſuo ſubdito, uno vel pluribus, *diſpenſare*, ut uſum aliquarum rerum habeat ad tempus ad voluntatem ſui Prælati, ita, quod ſubditus nomine Prælati detineat hujusmodi res, ea tamen conditione quod ſit ſemper paratus reſignare hujusmodi res, quandocunque ſuperiori placuerit, & quod non abutatur his rebus. Patet, quia ſubditus ex licentia ſuperioris poteſt eſſe in Studio vel in peregrinatione, vel in Romana curia nomine monaſterii ex legitima cauſa, & peculium ex licentia ſuperioris poteſt detinere.

Et per has concluſiones ſit *reſponſum* ad rationes hinc inde factas. &c.

CAP. VII.

Conſilium cum pio voto monachis & Monialibus datum pro pacanda illorum conſcientia.

ITem ſuper proprietate, qvam proh dolor continuare & palliare nemo poteſt, ſic duximus amicabiliter interloqvendum: Qvod tales devoti inter vos, fratres vel ſorores, qvæ hujusmodi ſalutarē perfectionem religionis libentius ſectarentur, ut merito tenentur, & propter penuriam & paupertatem monaſterii, & alias, impeditæ, offerre debeant ſponſo ſuo Jeſu Chriſto hujusmodi impedimenta, qvibus minus valeant, & promtam ac devotam voluntatem, qvæ ſemper eidem ſuo ſponſo Jeſu Chriſto obedienter colatur, ſubmittant, ut, qvod effectu non valeant, promta tamen voluntate anhelent. Hoc tamen, qvod ab eis Deo inſpirante recte & regulariter poſtulatum eſt, omnibus vobis mandatum eſt. Qvamvis communem vitam, ad qvam tenemini, non tenetis, nihilominus ab obſervatione ipſius, ſi communicatur, nullatenus vos abſolvit.

Qvare volumus & in Domino exhortamur, reqvirimus & monemus, qvatenus nec vos, nec aliqva veſtrum, qvæcunqve etiam *ſororum profeſſarum*, ſaltem ab hujusmodi bona & promta voluntate voluntariæ paupertatis amplectenda, ſitis & ſit, alienæ aut aliena.

Et ut *diſcordia*, qvoad hoc inter vos amoveatur, ſic dignū duximus obſervandum, qvod nulla veſtrum aliqvod proprium ſine ſcitu & conſenſu præpoſiti & prioriſſæ poſſideat, ſed exhibitis & præſentatis ſingulis bonis ſpontanee, & id vobis devote *petentibus*, uſus eorum bonorum ad neceſſaria veſtra, non ſuperflua, ab eisdem benevole concedatur.

Per hoc tamen nulli veſtrum licentiam proprii damus, aut aliqvo modo conſentimus habendi. Sed verius putamus

tamus per hoc *conſcientias alleviendas*, *quousq; omnipotens Deus gratia ſua viſitationis paradiſum ſuum regularibus obſervantiis, quâ re poſſibilitas nondum habetur, dignetur miſericorditer fructificare*. Id vero, quod ſic de licentia ſuperioris, ſicut præmittitur, receperitis, cum debita & magna obedientia, & perfecto Dei timore, in uſus neceſſitatis veſtræ convertatis & percipiatis.

TOMI III. PARS XII. XIII.

DE REBUS WICLEFI.

Longius hoc negotium, qvam ut hæ chartæ capiant. Satis hic fuerit, ſubindicaſſe, per plures annos ante Conſtantienſe Concilium ex libris *Wicleſi* excerptos eſſe *articulos*, eorumqve præcipuos *XLV.* qvi, poſtqvam in Bohemia viderentur tradi ac propagari, non ſolùm Pragæ, ſed & in aliis Academiis, imo in ipſo tandem Romano Concilio A. 1412. ſunt condemnati. Ægre ferens Hus hanc doctrinæ Wicleſi condemnationem, ejus in ſe ſuſcepit defenſionem, continuo ab adverſariis Wicleſi rationem poſtulans condemnati cujusqve articuli. Quod negotium cum ad Conſtantienſe Concilium eſſet delatum, Cardinalibus, Epiſcopis, aliisque Doctoribus, *plenum illorum* 45. *articulorum examen* Concilii decreto eſt commiſſum. Qvi juſſa executuri cenſuras, refutationes, improbationes, condemnationes illorum longis ac diffuſis partim, partim brevioribus ſcriptis, magno ſtudio adornarunt. Qvorum conſenſus publicam dein genuit ac conciliarem iſtorum condemnationem, *A.* 1415. *d.* 4. *Maji*, ſolenniter publicatam, uti ex Actis *Tom. IV.* plenius conſtabit. En ergo *geminam cenſuram Conſtantienſem* magno olim molimine inſtructam, utramqve ex authenticis antiquisſimis *variis Codicibus MSCtis* depromptam.

TOMI III. PARS XII.

THEOLOGORUM CONSTANTIENSIUM BREVIS CENSURA XLV. ARTICULORUM WICLEFI.

A. 1415. in Concilio prodita.

Ex antiquo Codice MSCto ACADEMIÆ LIPSIENSIS.

Hoc in fine poſito argumento: *Condemnatio XLV. articulorum hæreticalium WICLEFI.*

Concluſio I.

Subſtantia panis materialis & ſimiliter ſubſtantia vini manent in ſacramento altaris.

Supra ſcripta concluſio eſt falſa, erronea, & hæretica.

Patet *primò* per illud *Matth. XXVI. Accepit Jeſus panem &c.* & ait: *Hoc eſt corpus meum &c. Et accipiens calicem, dixit: Hic eſt ſangvis meus.* Ubi *B. Ambroſius in libro de Sacramentis*: Iſte panis ante verba conſecrationis panis eſt uſitatus. Ubi autem acceſſerit conſecratio, de pane fit corpus Chriſti.

Patet *ſecundò* per determinationem ſacri concilii Lateranenſis, *Decr. l.* 1. *t.* 1. *De ſumma Trinitate & fide catholica, c. firmiter*, ubi ſic dicit: *Una vera eſt fidelium univerſalis eccleſia, extra quam nullus omnino ſalvatur, in qua idem ipſe ſacerdos & ſacrificium Jeſus Chriſtus, cujus corpus & ſangvis*

ſanguis in ſacramento altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continetur, tranſſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem, potentia divina.

Concluſio II.

Accidentia panis non manent ſine ſubjecto in ſacramento altaris.

HOc eſt falſum & erroneum, & ſapiens hæreſin univerſaliter intellectam. Quia ſi talis qvantitas, quæ fuit qvantitas panis, non manet ſine ſubjecto in ſacramento altaris, erit tunc vel in corpore Chriſti, vel in pane, vel in utroque, vel in aere circumſtanti.

Non primum. Qvia corpus Chriſti non eſt quantum tali quantitate. Eſſet enim tunc monſtruoſum, tum qvia talem formam habet, qvalis in judicio apparebit, ſecundum Magiſtrum in *VII. diſtinc.* 12. *c. Si autem convertitur.*

Nec ſecundum. Quia tunc panis iſte non eſſet converſus in corpus Chriſti, nec transſubſtantiatus, contra *Decretalem De ſumma Trinitate & fide catholica.* Eſſent etiam falſæ iſtæ propoſitiones demonſtrativæ: *Hoc eſt corpus meum, & hic eſt ſangvis meus, Matth. XXVI.* Quod eſt hæreticum.

Nec tertium. Nulla enim ſubſtantia remanet in ſacramento altaris, niſi corpus Chriſti, *De conſ. diſt.* 2, *c. Omnia.* Ubi ſic, & ſunt verba Ambroſii, & recitantur à *Magiſtro in IV. diſt. II. c. Quidam vero. Panem illum, quem ſumimus in miniſterio illum utiq; intelligo. Quia manu ſpiritus ſancti formatus eſt in utero virginis, & igne paſſionis decoctus in ara crucis.* Unde *Joh. VI. Ego ſum panis vivus.* Et *Joh. V. Panis quam ego dabo &c.*

Ex his duabus ſententiis apertè poteſt intelligi, quod panis iſte & iſte non ſunt duo ſed unus.

Nec quartum. Quia aer circumſtans eſt locus illius quanti, vel ultima ſuperficies ejus.

Patet etiam hæreſis iſtius concluſionis: Quia, qui aliter ſentit de ſacramentis eccleſiæ, quàm Romana eccleſia, hæreticus eſt. Romana autem eccleſia ſentit, Accidentia eſſe ſine ſubjecto in ſacramento altaris, *De celebratione miſſarum, Decretal. l.* 3. *t.* 41. *c.* 6. *Cum Marthe. De hæreticis Dec. l.* 5. *t.* 6. *c.* 9. *Ad abolendam.* Ideo, &c.

Concluſio III.

Chriſtus non eſt in eodem ſacramento identicè & realiter in propria præſentia corporali.

Iſta concluſio eſt falſa, erronea & hæretica.

Tum *primò*, probatur, *De conſecrat. diſt.* 2. *c.* 35. *Quia corpus.* Ubi ſic habetur: *Nam inviſibilis ſacerdos viles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſangvinis ſui verbo ſuo ſecreta poteſtate convertit, dicens: Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum. Et Auguſtinus, in libro Sententiarum Proſperi:* Fatemur ante conſecrationem panem eſſe & vinum, quod natura formavit, poſt conſecrationem verò corpus Chriſti eſſe, aliàs, carnem & ſangvinem, qvod benedictio conſecravit.

Tùm *ſecundo.* Quia qui de ſacramento corporis & ſangvinis Domini noſtri Jeſu Chriſti aliter ſentire vel docere non metuunt, qvam ſancta Romana eccleſia prædicat & obſervat, hæretici ſunt cenſendi, *De hæreticis, Ad abolendam.* Sed eccleſia Romana obſervat & docet corpus Chriſti idem eſſe in ſacramento. *De conſecr. diſt.* 2. *c.* 38. *In quibus.* Ubi dicitur, *quod ſancta ſynodus, in urbe Romana congregata ſub Leone, fatetur, quod in ſacramento ſicut corpus Domini verè eſt cibus, ita ſangvis verè eſt potus, & eſt illud idem corpus, de quo dictum eſt: Caro mea verè eſt eſca, & ſangvis meus verè eſt potus, circa quod corpus aquilæ ſunt, quæ alis circumvolant ſpiritalibus. Gloſſa* 1. *Virtutibus.* Unde & *idem corpus Chriſti edimus ut vitæ æternæ poſſimus eſſe participes.* Et ſecundum *Magiſtrum, diſt.* 10. *c. Sunt & alii,* Iſte eſt

error inſaniam transſcendens. Et ſecundum *Richardum diſt. eadem*, ſummè debent omnes catholici deteſtari & perſequ i errorem iſtum peſſimum impiorum, qvi dicunt corpus Chriſti non contineri realiter in ſacramento altaris, ſed tantum ibi eſſe ſicut in ſigno. Quem errorem retractavit *Berengarius* Romæ coram centum & tredecim epiſcopis, ut patet *De conſecr. diſt. 2. c. Nos autem.*

Concluſio IV.

Si epiſcopus vel ſacerdos exiſtat in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non conſecrat, nec baptizat.

ISta propoſitio videtur temeraria & hæretica.

Qvia ex ea ſequeretur, omnem ordinem aut collationem ejus in eccleſiaſtica hierarchia eſſe incertum & dubium. Cum nullus de communi lege ſciat, an epiſcopus ordinatus vel ſacerdos conſecrans aut baptizans ſit in peccato mortali, aut non. Quia non ſcit homo, utrum amore vel odio dignus ſit, *Eccleſ.* 9. *c.* Item apoſtolus 1. *Corinth.* 4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum.*

Prædicta etiam propoſitio repugnare videtur dictis *B. Auguſtini.* Nam loquens de hæreticis in epiſtola contra Parmenionem, dicit: Quod ſicut habent in baptiſmo, quod per eos dari poſſit, ſic in ordinatione jus dandi. Item idem *Auguſtinus*, ut allegatur 1. *q.* 1. *c.* 97. *Quod quidam*, dicit ſic: *Sacramentorum ſanctitatem in perverſis hominibus, ſive qui intus ſunt, ſive qui foris, conſtat, impollutam & inviolabilem permanere.* Item idem *Auguſtinus* ſuper Johannem *tractatu IV.* circa finem, loqvens de collatione baptiſmi, dicit: *Sic non teneo adulterum, non ebrioſum, non homicidam. Quia Columbam attendo, per quam mihi dicitur: Hic eſt, qui baptizat in ſpiritu Joh.* 1.

Præterea præmiſſa propoſitio repugnat illi, quod habetur in legenda de corpore Chriſti, ubi dicitur: *Nihil à bono majis, nihil à malo minus perficitur ſacerdote.*

Item prædicta propoſitio videtur eſſe contra determinationem eccleſiæ. Nam dicitur *De hæreticis*, *Ad abolendum*: Sentiendum eſt de ſacramentis, ſicut Romana ſentit eccleſia. Sed ipſa ſentit, Epiſcopos ordinare & ſacerdotes conſecrare & baptizare, ſive ſint boni ſive mali, ut patet per *diſcurſum primæ concluſionis* per totum.

Concluſio V.

Non eſt fundamentum in Evangelio, quod Chriſtus Miſſam ordinaverit.

ISta concluſio eſt falſa & erronea.

Patet *primò* per illud, quod habetur *Luc. XXII. Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem.*

Item *ſecundo* per illud, quod habetur 1. *Corinth. XI. Ego enim accepi à Domino.* Et infra: *hoc facite in meam commemorationem.* Ubi Ambroſius in libro de ſacramentis: Ipſe Chriſtus iſtius ſacramenti ſacerdos, cujus inſtitutionem ſacroſancta ſervat eccleſia.

Concluſio VI.

Deus debet obedire diabolo.

ISta concluſio eſt falſa, malè ſonans, piarum aurium offenſiva, nec non ſimplicium ad obediendum diabolo inductiva.

Primum patet. Nam ſequitur ex ipſa, quod Deus eſt debitor, & tenetur ex debito, & eſt obligatus diabolo obedire, & per conſequens, quod diabolus licite poſſit ſibi præcipere & imponere legem. Quia ſecundum *Ambroſium de Virginibus L. 2. ſuper* iſto verbo: *de virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do.* *Ubi* exponit: Præceptum in ſubditos fertur, conſilium in amicos. Nam ubi præceptum, ibi lex.

Tum, quia ſecundum rectam jurisdictionem, quam colligit *Gregorius in declaratione regularum fratrum minorum*, non habet imperium par in parem, nec à fortiori ſubditus in ſuperiorem. Et per conſequens in hoc Deus diabolo ſubderetur. Et ſic in hoc caſu in nomine Jeſu non haberet omne genus flecti cœleſtium nec terreſtrium & inferorum, contra Apoſtolum *Phil. II.* Nec eſſet ſibi data omnis poteſtas in cœlo & in terra, *Matth. ultimo.*

Imo etiam ſequeretur, quod Deus poſſet peccare. Quia cum Deus poſſet hoc modo facere quod diabol' præciperet, licite poſſet non facere, quod deberet, & quod facere teneretur.

Secundum patet. Quia ſi Deus debet obedire diabolo, poſſet credere quisque ſimplex, quod, à fortiori, quælibet creatura rationalis.

Concluſio VII.

Niſi homo fuerit debite contritus, omnis confeſſio exterior eſt ſibi ſuperflua & inutilis.

Iſta concluſio videtur falſa, erronea & hæretica.

Tum primo. Quia eſt contra determinationem Doctorum, puta Chryſoſtomi, Auguſtini & Leonis Ex quorum verbis concludit *Magiſter, diſt.* 17. *c. Secundum quod ſacerdotibus*, Indubitanter oportere Deo primum & deinde ſacerdoti offerre confeſſionem, nec aliter poſſe perveniri ad ingreſſum paradiſi, ſi adſit facultas.

Tum ſecundo. Quia eſt contra ſcripturam. Nam *Jacobi* 5. *Cum infirmatur quis ex vobis, inducat presbyteros eccleſiæ. Et ſequitur: Confitemini alter alteri peccata veſtra.* Chriſtus etiam hoc præcepit implicite in figura, cum dixit leproſo mundato: *Vade, oſtende te ſacerdotibus, Matth. VIII.* ut patet in gloſſa.

Tum tertio. Quia eſt contra eccleſiam ſeu contra determinationem eccleſiæ, præcipientis Confeſſionem fieri, & quantum ad illum, cui confitendum, ſcilicet proprio ſacerdoti, & quantum ad *tempus confitendi*, ſcilicet ſemel in anno, ſcilicet in paſchate, & quantum ad *modum*, ſcilicet integrè, cum cordis contritione uni ſacerdoti. *De pæn. & remiſſ. c. Omnis utriusq; ſexus.*

Concluſio VIII.

Si Papa ſit præſcitus & malus, & per conſequens membrum diaboli, non habet poteſtatem ſuper fideles ab aliquo ſibi datam, niſi forte à Cæſare.

Iſta propoſitio eſt falſa & erronea. Quia non minorem poteſtatem habent à Deo ſibi datam ſacerdotes novæ legis quam antiquæ ratione officii, ſive exiſtant in peccato ſive non, ſive etiam ſint præſciti. Quod ſoli Deo, & quibus revelat, notum eſt. Scilicet *Caiphas* malus, & ut præſumitur veriſimiliter præſcitus, quia ejus malitia legitur & non pœnitentia, tamen habuit poteſtatem à Deo ſibi datam ſuper fideles ſynagogæ. Ratione dignitatis Pontificiæ prophetavit, ut patet per textum & gloſſ. *Joh. IX. Cum eſſet Pontifex anni iſtius, prophetavit.* Multò magis Papa ex officio habet poteſtatem à Deo ſibi datam, & non à ſolo Cæſare, etiamſi in peccato mortali exiſtat.

Prout habetur in figura, quando Apoſtoli in cœna Domini reſponderunt Chriſto & dixerunt: Ecce, *gladii duo hic*, & ipſe dixit: *Sufficit, Luc. XXII.* Habes etiam figuram in V. T. *Geneſ.* 1. ubi Deus fecit duo magna luminaria, unum ut præeſſet diei, & alterum nocti.

Item, cum præſcientia Domini ſit viatoribus ignota, de communi lege nullum habuerunt Papam certum & indubitatum, ſi Papa præſcitus nullam haberet poteſtatem ſuper fideles.

Concluſio IX.

Poſt Urbanum VI. non eſt alius recipiendus in Papam, ſed vivendum eſt more Græcorum ſub legibus propriis.

Iſta concluſio eſt falſa, malè ſonans, erronea & contra bonos mores, & hæretica maximè.

Quoad primum probatur primo. Quoniam illud eſt contra determinationem & *proceſſum ſacri Concilii Piſani*, quod quondam univerſalem eccleſiam repræſentabat & vices ejus gerebat, quæ ſpiritu ſancto regitur, & errare non poteſt, in quo electus fuit ſanctæ memoriæ *Alexander V.* & à dicto ſacro concilio ut verus canonicus Papa receptus.

Item ſecundo quoad ſecundam partem: Quoniam nullus debet imitari ſchismaticos & hæreticos ab eccleſia præciſos, maximè in eo, in quo malè agunt ſecundum determinationem eccleſiæ. Sed Græci, ſic vivendo legibus propriis abſque vero & canonico paſtore male agunt ſecundum determinationem eccleſiæ, Igitur &c.

Patet etiam illud tertiò, per autoritates ſacræ ſcripturæ. Primo per illud quod habetur 2. *Corinth. VIII. Nolite jugum ducere cum infidelibus*, gloſſa: id eſt, eos imitari in legibus malis. *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas lucis cum tenebris? Quæ autem communicatio Chriſti cum Belial, aut quæ pars fidelis cum infideli?*

Concluſio X.

Contra ſacram ſcripturam eſt, quod viri eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones.

Iſta concluſio eſt erronea & ſeditioſa. Sacra enim ſcriptura non contradicit. Alias contrarium ſcripturæ ſacræ neceſſario foret falſum. Habetur enim *Actor. IV.* qualiter in multitudine credentium nemo eorum, quæ poſſidebat, dicebat aliquid eſſe ſuum, ſed erant illis omnia communia. Inter quos conſtat quod erant diſcipuli & multi alii viri eccleſiaſtici. Legimus etiam de Chriſto, quod ipſe habuit loculos. Item 1. *Corinth. III.* & ad *Tit. I.* oportet epiſcopum eſſe bene præpoſitum domui ſuæ & eſſe hoſpitalem, quod eſſe non poſſet, niſi domum & hoſpitium poſſideret. Unde *Auguſtinus ad Bonifacium*, ubi loquens de ſe & *Bonifacio* Coepiſcopo ſuo ſic ait: *Si quæ privatim, quæ nobis ſufficiunt, poſſidemus, non ſunt illa noſtra, ſed pauperum, quorum gerimus procurationem.* Item Jeremias ſacerdos, cui præceptum ex parte Domini fuit poſſidere agrum Ananiæ ſacerdotis, *Jerem. XXXII.* gloſſa: Intelligitur ager iſte ſacerdotalis, cujus emtio atque poſſeſſio Jeremiæ defertur.

Item eſt ſeditioſa & incitatoria ſecularium ad recipiendas poſſeſſiones eccleſiaſticorum & clericorum.

Concluſio XI.

Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, niſi prius ſciat ipſum excommunicatum à Deo, & qui excommunicat, fit hæreticus ex hoc, vel excommunicatus.

Iſta concluſio videtur eſſe temeraria. Tum? Quia nullus eſt Dei ſecretarius & conſiliarius, cui infallibiliter innoteſcat aliquem eſſe excommunicatum à Deo, cum Apoſtolus 2. *Cor.* dicat: *nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum.*

Tum ſecundo. Quia Dei excommunicatio eſt gratiæ ſubtractio: Quis eſt, qui per medium infallibile noſcat, Deum alicui gratiam ſubtraxiſſe, ſicut nec gratiam contuliſſe? Quia hoc ſciri non poteſt per medium infallibile, niſi à revelatione, teſte *Alexandro de Halis in Summa Libr. III.*

Tum tertio! Quia quandoque excommunicatur innocens, cum probatur crimen contumaciæ contra ipſum in foro judicii, nec tamen in hoc judex reprehenditur, ſecundum *Richardum.* Unde 3. *q. VII. c. judice*, dicitur, quod bonus judex nihil ex arbitrio ſuo facit & domeſticæ propoſito voluntatis, ſed juxta leges & jura pronunciat, & ſicut audit, ita judicat.

Tum quarto! Quia Ambroſius dicit:

Digitized by Google

cit: *Bonus judex nihil paratum & meditatum de domo refert*, & ſicut audit, ita judicat, & ſicut ſe habet cauſa, ita diſcernit. Sed ſtat, in judicio exteriori contra innocentem & juſtum per malos teſtos deponi & allegari, Igitur &c.

Tum quinto, iſta concluſio eſt ſcandaloſa & pacis turbativa, & pœnarum eccleſiæ, ſcilicet excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti; conculcativa & vilipenſiva, nec patet merenti.

Concluſio XII.

Excommunicans clericum, quia appellat ad regem & Conſilium regium, eo ipſo eſt traditor regis.

ISta propoſitio videtur falſa & perverſa. Nam poteſtas ſpiritualis convenit Epiſcopis in ſuos ſubditos ex ordinatione Dei. Nec in hoc ſubſunt regibus aut Principibus ſecularibus & temporalibus, quia ex officio ſpirituales ſunt, ſpiritualis autem judicat omnia & ipſe à nemine judicatur, ut dicit Apoſtolus 1. *Corinth. II.* Ideo in concilio Chalcedonenſi Imperatores Valentinianus, & Martianus ſacro concilio reliquerunt deciſionem, ipſi vero eorum, quæ deciſa ſunt, ſuſceperunt tuitionem & protectionem, uti patet per Chronica ſummorum Pontificum & Imperatorum.

Concluſio XIII.

Illi, qui dimittunt prædicare, ſive verbum Dei audire, propter excommunicationem Prælati, ſunt excommunicati, & in die judicii traditores Chriſti habebuntur.

ISta concluſio eſt falſa, temeraria, contra bonos mores, & injurioſa.

Probatur primo. Quia pro juſta cauſa juncta cum bona intentione, ordine juris ſervato, Prælatus poteſt præcipere ſub pœna excommunicationis ſuo ſubdito ne prædicet, & ne aliquis eum audiat, maxime propter falſam & erroneam doctrinam. Ergo ſic obediendo & præcipiendo, tales non ſunt excommunicati, nec in die judicii Chriſti traditores habebuntur. Probatur conquentia, quia talis ſic obediens conformat ſe dictis ſacræ ſcripturæ & ſanctorum Doctorum. Videlicet primo illi dicto *Matth. XXIII. Super cathedram Moſis ſedent Scribæ & Phariſæi, Omnia ergo, quæcunq; dixerint vobis, facite.* Et per illud *Heb. XIII. Obedite Præpoſitis veſtris & ſubjacete eis, ipſi enim pervigilant quaſi pro animabus veſtris rationem reddituri.* Et per illud Rom. X. *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur.*

Secundo patet per Doctores. Quoniam ſententia paſtoris juſte vel injuſtè lata, timenda eſt.

Concluſio XIV.

Omnes de ordine mendicantium ſunt hæretici, & dantes eis eleemoſynam ſunt excommunicati.

ISta copulativa concluſio ad primam ſui partem eſt hæretica, ſcandaloſa & ſeditioſa.

Primo ſiquidem. Quia ex ipſa ſequitur, quod Chriſtus & Apoſtoli fuerint hæretici; qvod blaſphemum & omnibus perhorrendum. Chriſtus enim fuit mendicus, ipſo teſtante *pſalmo XLI. Ego enim mendicus & pauper ſum.* Ibi gloſſa: *Loquitur Chriſtus de ſe in perſona ſervi.* Et ſequitur in gloſſa: *mendicus eſt, qui ab alio petit, pauper vero, qui non ſufficit ſibi ipſi.* Idem vero habetur *pſalm. VIII. Et perſecutus eſt hominem inopem & mendicum compunctum mortificare.* Qui quidem pſalmus ſecundum magiſtrum *Nicolaum de Lira* ad literam exponitur de Chriſto à Juda tradito & à Judæis occiſo. Etiam patet per allegationem *B. Petri* exponentis hunc pſalmum ad propoſitum prælibatum. Ubi gloſſa ordinaria: *Perſecu-*

ſecutus eſt, inquit, *hominem inopem & mendicum, id eſt Chriſtum.*

Item ſi omnes religioſi ſunt hæretici, aut ut religioſi & ſuam religionem obſervantes, aut ut non obſervantes, aut in quantum aſſentientes oppoſitis articulorum fidei vel determinationis eccleſiæ. Non *primum*. Quia ut ſic ſunt virtuoſi, vota ſua & religionem obſervando. Nec *ſecundum*. Quia tunc ex ſola transgreſſione voti, regulæ vel ſtatuti, diceretur quis hæreticus. Quod eſt falſum. Nec *tertium*, Quoniam, cum aſſerens hujus concluſionis neſciat aſſenſum, quem habent omnes religioſi, debet dubitare & potius oppoſitum affirmare. Cum ubi non conſtat, ſemper eſt ad meliorem partem interpretandum.

Concluſio XV.

Nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.

ISta concluſio eſt falſa, erronea & temeraria.

Tum primum, Quia contra ejus primam partem eſt ſacra ſcriptura. Nam *Roman. XIII.* dicitur: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubjecta*, Gloſſa: *Non tantum bonis ſed etiam malis.* Et 1. *Petr. V. Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis non tantum bonis modeſtis, ſed etiam diſcolis.* Et *Rom. III. Omni poteſtati reſiſtit qui Dei ordinationi reſiſtit.* Gloſſa: Id eſt, *habenti poteſtatem Dei ordinatione.* Et de poteſtate *bona* ſubdidit, quod patet. Quia eam Deus præfecit rationabiliter. De *malis* etiam, dum boni purgantur per eam, mali verò damnantur.

Et *Saul* cum à Domino eſſet reprobatus, Dei populum judicabat, & ejus judicium converſus populus exſpectabat. Unde David poſt exprobrationem Saulis profitens ipſum Deum, dixit: *Propitius ſit mihi Dominus, non extendam manum meam in Chriſtum Domini.* 4. *Reg. XXIV.*

Et *David*, cum eſſet adulter & homicida, interrogatus à Propheta ſententiam in diviſem cedit, qui ovem pauperis rapuit, dicens judicium mortis viro: Hic ovem reddet, & quadruplum.

Et *Salomon*, cum amore mulierum Deos gentilium coleret, ſicut dicitur 3. *Reg. XI.* univerſus Iſrael ad ejus judicium confluebat.

Tum ſecundo. Quia quoad ejus ſecundam partem de malis Prælatis Judæorum dicebat Dominus: *Quicquid dicunt, facite.* Falſitas etiam patet in *Caipha*, *Hanna*, & aliis in V. T. ſenioribus & Prælatis.

Concluſio. XVI.

Domini temporales poſſunt ad arbitrium ſuum auferre bona temporalia & poſſeſſiones ab eccleſiaſticis habitualiter delinquentibus.

ISta aſſertio videtur favere avaritiæ & hæreſi Juliani apoſtatæ, dicentis: *Chriſtus veſter dixit in Evangelio: Niſi quis renunciaverit omnib' quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Et ſic colorabat avaritiam ſuam, auferendo bona Chriſtianis, ut habetur in Legenda ſanctorum Johannis & Pauli. Sicut & aſſerens iſtam propoſitionem, invitat Dominos temporales ad avaritiam, rapinam & ſacrilegia, contra bonos mores.

Nam *viri eccleſiaſtici poſſunt habere bona temporalia*, ut patet per Gloſſam ſuper illud *Johann. XII. Loculos habens &c.* dicit gloſſa: *Exemplum Domini accipite, converſantis in terra, qualiter habuit loculos, cui angeli miniſtrabant, niſi quia eccleſia ipſius loculos habitura erat.* Ex quo patet, quod licet eis habere temporalia. Et Beda ſuper canticum *Johannis III.* exponens illud verbum Johannis evangeliſtæ: *Nos debemus ſuſcipere hujuſmodi*, ut receptores ſimus veritatis, Gloſſa;

Gloſſa: *Qui poſſumus ſupplere indigentiam eorum. Et ſic qui omnia reliquerit, divitibus ſe comparat. Hoc ideo facit, ut alacriores eos reddat & promitores ad miſerendum pauperibus, vel quia bona omnia eccleſiæ in manu ſua erant.* Ex quibus ſequitur, quod qui auferunt bona temporalia ab eccleſia, non ſolum ipſis eccleſiaſticis poſſeſſionatis nocent, ſed etiam pauperibus, quod eſſet crudele.

Concluſio. XVII.

Populares poſſunt ad ſuum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.

Iſta concluſio eſt falſa, ſcandaloſa, pacis turbativa, contra bonos mores, & erronea.

Patet *primò*, Quoniam ſi ſic, tunc perverteretur ordo politicus & civilis. Quod patet. Quoniam tunc data hypotheſi, ſubditi poſſent exercere in ſuos ſuperiores & Dominos judicium poteſtativæ jurisdictionis. Et ſi ſic, tunc ſequeretur, quod ſubditi eſſent ſuperiores & non inferiores reſpectu Dominorum, quod eſt falſum.

Patet *ſecundò*, Quoniam iſtud eſt contra dictum Chriſti *Matth. X.* dicentis: *Non eſt ſervus ſuper Dominum ſuum.* Item eſt contra dictum apoſtoli 1. *Cor. VI. Arbitrentur*, Et 1. *Petr. II. Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis veſtris non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis.* Item *Epheſ. VI. Servi, obedite Dominis veſtris corporalibus in timore & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut & Chriſto.*

Concluſio. XVIII.

Decimæ ſunt puræ eleemoſynæ. Et parochiani poſſunt propter peccata ſuorum prælatorum ad libitum ipſorum eis auferre iſta corporalia.

Pro prima parte eſt falſa & erronea, & contra determinationem eccleſiæ univerſaliter intellectam.

Ad ſecundam partem eſt falſa, contra bonos mores, & ſeditioſa.

Primum patet. Quia tunc nullæ decimæ ſolvendæ cadent ſub præcepto. Quod eſt contra illud, quod habetur *Malach. III. Decimas inferte in horreum meum.* Et *Levit. ultimo*: *Omnes Decimæ terræ, ſive de frugibus vel de pomis arborum, Domini ſunt* Et *Num. XVIII.* filiis Levi dat Deus *Decimas in poſſeſſione Iſraelis pro miniſterio, quo ſerviunt in tabernaculo fœderis.* Item hoc eſt contra gloſſā ſuper illo: *Decimas & primitias non tardabitis offerre.* Ubi ſic dicitur: Si tardius dare peccatū eſt, quanto magis peccatum eſt non dediſſe. Item eſt contra gloſſam ſuper iſto verbo Chriſti: *Væ vobis Scribis & Phariſæis, qui decimatis mentam & ciminum, & relinquitis*, quæ graviora *ſunt legis. Hoc oportet facere & iſta non omittere.* Ubi ſic ait gloſſa: *Præcipit Dominus omnium rerum decimas propter alimoniam ſacerdotum.*

Item hoc eſt contra decretalem Alexandri IV. de decimis: *Mandamus quatenus parochianos ad ſolvendum decimas monere curetis, & ſi opus fuerit ſub excommunicationis ſententia compellatis.*

Item eſt contra decretalem Innocentii III. in concilio Lateranenſi taliter continentis: *Illæ quippe decimæ neceſſariò ſunt ſolvendæ, quæ debentur lege divina vel conſvetudine approbata.*

Secundum patet. Per iſtam ſecundam partem inducuntur debentes decimas ad non ſolvendum, & incitantur inferiores contra Prælatos & eccleſiam, & facit inferiorem & ſubditum judicem ſuprà ſuperiorem & Prælatum ſuum ſive rectorem, pervertendo jus naturale, divinum & etiam poſitivum.

Concluſio. XIX.

Speciales orationes applicatæ uni perſonæ propter Prælatos vel religioſos, non plus proſunt eidem, quam generales, ceteris paribus.

Iſta

ISta propoſitio eſt falſa & erronea.

Tum, quia ſequitur primò, Quod *oratio B. Gregorii* applicata Gratiano non plus profuiſſet eidem, quàm aliis. Conſequens inconveniens. Quia meritis iſtius eſt reſuſcitatus, & à gehenna pro ſua infidelitate, quam meruerat, præſervatus. Et non valuit ita aliis. Idem de Prælatis, ubi conſenſiſſent ſubdito, ceteris paribus.

Tum *ſecundò* ſequitur, quod in conſimili caſu *oratio B. Stephani* in ſua lapidatione non plus valuiſſet Paulo quam aliis, qui fortè erant diſpoſitiores ad illam, ſecundum præſentem juſtitiam. Conſequens eſt falſum per *B. Auguſtinum in ſermone de B. Stephano*, dicentem: *Quo praceſſit Stephanus, trucidatus lapidibus Pauli, illuc Paulus ſecutus eſt, adjutus orationibus Stephani.*

Sequitur *tertiò*, Subditum, qui ex injuncto Prælati pro aliis orat, non plus ſibi proficere quàm aliis. Quod eſt falſum. Nam ſecundum Gregorium quisquis pro alio intercedere nititur, ſibi potius ex ipſa charitate ſuffragatur.

Sequitur *quartò*, Quod iſte, qui ex injuncto Prælati pro uno defuncto tenetur dicere unam miſſam, & pro alio aliam, ſi dixerit unam pro illis duobus, cuilibet ſolveret illud, ad quod tenetur. Quod eſt falſum.

Sequitur *quintò*, oratio quæ ex injuncto ſufficeret ad plenam liberationem unius animæ de purgatorio, ſufficeret ad liberationem aliorum, ad æqualem pœnam obligatorum.

Sequitur *ſextò*, Eccleſiæ conſvetudinem eſſe erroneam, quæ orationes ad Deum fundit pro ſpecialibus perſonis. Quod non eſt ſanum credere neque pium.

Conclusio XX.

Conferens eleemoſynam Fratribus, eſt excommunicatus eò facto.

ISta aſſertio videtur conſonare hæreſi Diotrephes, qui prohibebat eleemoſynā dare pauperibus fratribus, ut patet in *III. Johannis* in textu & in gloſſa, ubi ſic dicitur: *Qui primatum habet gerere in vobis, Diotrephes non recipit vos.* Et ſequitur paulo poſt quaſi ea non ſufficiant, *Nec ipſe ſuſcipit fratres*, gloſſa: Id eſt, *indigentes. Et eos qui ſuſcipiunt, prohibet.* Gloſſa, *ne impendant curam humanitatis.* Et ſubjungit ibi gloſſa: *Tu autem, ſcilicet, Gaje, perſeverare debes operibus pietatis, quoniam ſcriptum eſt: Beatus, qui colligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberavit eum Dominus, Pſalm. XL.*

Ex hoc ſatis apparet, quod conficere eleemoſynam fratribus, eſt opus pietatis. Et per conſequens, qui hoc facit, non eſt excommunicatus eo facto.

Et confirmatur. Quia mulier Sareptatica, quæ pavit Eliam petentem ab ea aquam & panem, non propter hoc fuit vituperata. Et Dominus Chriſtus dixit diſcipulis ad prædicandum miſſis: *In quamcunq; domum intraveritis & ſuſceperint vos, in eadem manete edentes & bibentes quæ apud iſtos ſunt. Dignus eſt enim operarius mercede ſua Luc. X.* Item *Matth. X. Quicunq; potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipuli, amen, dico vobis, non perdet mercedem diſcipuli, aliàs, ſuam.*

Conclusio XXI.

Si aliquis ingreditur religionem privatam qualemcunque, tàm poſſeſſionatorum quàm mendicantium, redditur ineptior & inhabilior ad obſervationem mandatorum Dei.

ISta concluſio eſt falſa, erronea, contra bonos mores & hæretica.

Et patet *primò*, Quoniam per ingreſſū cujuslibet religionis privatæ, de qua ipſe loquitur, potiſſime Medicantium, quilibet intrans fugit mundum, & per conſequens occaſionem illorum, quæ ſunt in mundo, quæ ſunt peccata, juxta illud 1. *Joh. II. omne, quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut oculorum, aut ſuperbia vitæ, quæ non ſunt ex patre.* Sed intrans religionem aliquam

liquam de ſupradictis, potiſſime mendicantium, per *votum caſtitatis* fugit concupiſcentiam carnis, & *per votum paupertatis* fugit concupiſcentiam oculorum, per *votum obedientiæ* ſuperbiam vitæ, ut patet de ſe. Ergo &c.

Item talis intrans religionem privatâ de ſupradictis, conformat ſe dicto Apoſtoli *Rom. XII. Nolite confirmari huic ſeculo.* Ergo non redditur per ingreſſum religionis ineptior & inhabilior ad ſervandum mandatum Dei.

Item talis etiam intrans religionem privatam, acquirit per hoc ſtatum perfectionis & attingit, juxta illud *Matth. XIX. Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes* &c. Quæ quidem ad votum ſeu conſilium paupertatis pertinent.

Item iſtud etiam eſt contra determinationem eccleſiæ, quæ religiones mendicantium approbavit & confirmavit ac privilegiis diverſis dotavit.

Item iſtud eſt expreſſe contra doctrinam Chriſti, qui conſilia trium votorum prædicavit & docuit. Et ſic arguitur: Chriſtus nihil conſulit, per quod quis redderetur inhabilis & ineptus ad obſervationem mandatorum Dei: Sed ipſe expreſſè docuit & conſuluit ſervare *conſilia* tanquam perfectionis cauſam. Quæ quidem *conſilia* fundamenta ſunt & principia religionum, præcipuè Mendicantium.

Patent omnia ſupradicta per canonem vel textum Evangelii, qui habetur *Matth. XIX.* de juvene, qui Chriſto dixit: *magiſter, quid faciendo vitam æternam poſſidebo? reſpondit Jeſus: Serva mandata.* Dixit ei adoleſcens: *hæc omnia cuſtodivi, quid mihi deeſt?* ait illi Jeſus: *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus, & veni & ſequere me.*

Item: Divitiæ humanæ difficultant hominem ad ingreſſum regni cœlorum, quod per obſervantiam mandatorum acquiritur.

Patet etiam iſtud *Matth. XIX. Quam difficile eſt, divitem intrare regnum cœlorum.* Sed per ingreſſum religionis, potiſſimè Mendicantium, fugiuntur divitiæ mundanæ, Igitur &c.

Item ſequitur, quod *religio Apoſtolica* à Chriſto inſtituta omnibus communis, eſſet cauſa quoad ſuum ingreſſum, quâ aliquis redderetur ineptior & inhabilior ad dominica præcepta ſervanda, Quod eſt manifeſtè falſum.

Item concluſio favet errori *Joviniani, qui pro nihilo ponit tria conſilia*, utputa *obedientiam, paupertatem & caſtitatem.*

Conclusio XXII.

Sancti inſtituentes religiones præfatas, ſic inſtituendo peccaverunt.

Iſta eſt falſa, erronea, hæretica, & piarum aurium offenſiva.

Ex ipſa enim ſequitur, quod inſtituendo, ut aliquis voveat & obſervet Deo obedientiam, paupertatem & caſtitatem, peccat.

Item inſtituendo obſervantiam Evangelii & imitationem vitæ Apoſtolorum, etiam peccarent. Quod eſt blaſphemum.

Imò etiam ſequeretur, quod Chriſtus ſanctus ſanctorum peccavit, inſtituendo religionem evangelicam & Apoſtolorum. Quo nihil blaſphemius eſſe poteſt.

Item ſequeretur, quod Innocentius III. Honorius III. Gregorius IX. Alexander IV. Nicolaus IV. & Clemens V. & alii multi ſummi Pontifices, prædeceſſores & ſucceſſores eorum, approbando & confirmando religiones, ſicut Nicolaus III. [*de Verborum Significat. c. Exiit qui ſeminat Libr. VI.*] Et Clemens, (*in Clementina. Exivi de paradiſo,*) peccaſſent.

Videtur etiam eſſe malè ſonans ex virtute vocabuli *religio*, quæ ſemper ſonat in bonum, eò quòd habet religare virtutibus ſive votis. Et opponitur diſſolutioni, quæ ſemper ſonat in malum. Inde dicitur *religio Chriſtiana*, de qua *Jacob. I. religio munda & immaculata apud Deum patrem*, hæc eſt, *viſitare pupillos & viduas in tribulationibus eorum, & im-*

& immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo. Et ſupra: *Si quis putat, ſe religioſum eſſe, non refrenans linguam ſuam, hujus vana eſt religio.*

Idcircò ironicè Jeſus filius Sirach *Eccleſ.* 37. ſic dicebat: *Cum viro irreligioſo tracta de ſanctitate.* Ubi gloſſa: *Prævidenda eſt Conſiliarii prudentia, religio, & voluntas.*

Conclusio XXIII.

Religioſi viventes in religionibus privatis, non ſunt de religione Chriſtiana.

Iſta eſt falſa & temeraria.

Tum primo. Quia vitæ perfectio ſecundum *Auguſtinum epiſtola LXXXIII.* conſiſtit in amoris elevatione ab infimis, in cordis reformatione, ac libidinum cohibitione in adhærendo Deo & ſummis. Sed in his trib' conſiſtunt religiones privatæ. Quia in *voluntaria paupertate* elevantur ab infimis, dicentes cum apoſtolis: *Ecce, nos reliquimus omnia* &c. Et in ſincera *caſtitate*, quia impetus carnis cohibent & libidines, Quia, ut ait commentator ſuper decimo angelicæ hierarchiæ: Caſtus intellectus, oculis caſtitas, & ſummus amor omnimodæ puritatis, incorruptionis & integritatis; Et in *obedientia*, quæ eſt voluntatis ſubjectio, teſte *Damaſceno, Libr. III.* quæ melior eſt quàm victimæ, & ideò melior, dicit *Gregorius Moralium ultimo*, quia per victimas aliena caro, per obedientiam voluntas propria mactatur. Igitur &c.

Tùm *ſecundò*, Quia cum vera religio ſit, quâ unus Deus colitur, & purgatiſſima pietate cognoſcitur, ſecundum *Auguſtinum De vera religione*: Ubi verius iſta contigit requiri, quam in religionibus privatis, conformibus vitæ Chriſti & apoſtolorum ejus? præſertim, in abdicatione proprietatis, dicente *Nicolao III.* & ponitur *Lib. VI. c. Exivit*, Hæc eſt via perfectionis, quam Chriſtus oſtendens verbo docuit, & exemplo firmavit, & quam militantis eccleſiæ primi fundatores primo ut ab ipſo fonte hauſerant, in volentes perfectè viverè per doctrinæ ac vitæ ipſorum alveos derivaverunt.

Tùm *tertiò*, Quia eccleſiam catholicam errare non contingit, ut habetur in gloſſa ſuper iſto: *Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos.*

Et eccleſia catholica approbat religiones privatas & regulas earundem, ut patet de Auguſtino, Baſilio, Benedicto, & Franciſco, cujus regula incorporatur in 6. *Decretal.* ſub titulo *De verborum ſignif.*

Conclusio XXIV.

Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, non per mendicitatem.

Iſta aſſertio eſt falſa, temeraria & erronea, & ſi intelligatur univerſaliter.

Patet. Repugnat enim gloſſa ſuper illud *Matth. VI. Reſpicite volatilia cœli*, dicit gloſſa, *quod ſancti meritò avibus comparantur, quia cœlum petunt, & quidam ita remoti ſunt à mundo ut jam in terris nihil agant, nil laborent, ſed ſola contemplatione jam in cœlo degant.* Item *Gregorius* ſuper Ezechielem in ſecunda parte, *homil.* 2. dicit, quod contemplatio vitæ eſt, charitatem Dei & proximi vita tota retinere, & ab exteriori accuſatione quieſcere, ſoli Deo conditori inhærere.

Ex his ſequitur, quod *fratres ducentes vitam contemplativam* non tenentur per labores manuum victum acquirere.

Item, vacantes prædicationi evangelii licet de prædicatione evangelii vivere. Unde ſecundum apoſtolum 1. *Cor. IV. Dominus ordinavit his, qui Evangelium nunciant, de evangelio vivere.*

Item, licet eis Chriſtum ſequi, in cujus perſona dicitur per pſalmiſtam: Ego *autem mendicus ſum & pauper, Dominus ſollicitus eſt mei.* Igitur licet mendicando victum acquirere.

Item, eſt contra regulam fratrum minorum, incorporatam in *VI.* Ubi dicitur: Vadant pro eleemoſyna confidenter, nec oportet eos abundare, quia

Dominus

Dominus pro nobis ſe fecit pauperem in hoc mundo.

Item eſt contra Decretalem Nicolas III. Ubi eximuntur à labore.

Concluſio XXV.

Omnes ſunt ſimoniaci, qui obligant ſe orare pro aliis, eis in temporalibus ſubvenientibus.

ISta concluſio ſi univerſaliter intelligatur, eſt falſa, temeraria, contra bonos mores & erronea.

Patet *primò*, Quoniam eſt contra charitatem & recognitionem beneficii accepti.

Item *ſecundò*, Quoniam tales ſubventiones temporales recipiens obligatur ex debito Dominum orare pro conferentibus.

Item iſtud eſt contra doctrinam Chriſti, qui docuit pro beneficio ſpirituali collato recipere temporale beneficium. Patet *Luc. X. Dignus eſt operarius mercede ſua. In quamcunq; civitatem intraveritis, & ſuſceperint vos, manducate quæ apud eos ſunt, & curate infirmos, qui in illa ſunt. Et* Matth. XX. *Voca operarios & redde eis mercedem.*

Item *tertiò* patet per iſtud, quod habetur 2. *Corinth. VI. Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, ſi magnum eſt, ſi nos corporalia veſtra metamus.* Item 1. *Cor. IX. Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Item *Gregorius* ſuper iſto verbo: *dignus eſt operarius, ait: Sumimus enim jam de mercede operarii ipſa alimenta ſuſtentationis.* Et infra: Qua in re conſiderandum eſt, quod uni noſtro operi duæ mercedes debentur, una in via, alia quæ nos in reſurrectione remunerat.

Item Chriſtus exemplo etiam reddere pro temporali ſpirituale docuit, *Luc. XIX.* dum zacheus publicanus eum hoſpitio recepit, Chriſtus ei dixit: *Hodie huic Domui ſalus à Deo facta eſt, venit enim filius hominis quærere & ſalvum facere, quod perierat.*

Concluſio XXVI.

Oratio præſciti nihil valet.

ISta eſt falſa & erronea, ſi univerſaliter intelligatur.

Quia tunc ſequeretur, quod opus bonum, de genere factum in charitate, & ex charitate, non eſſet meritorium alicujus præmii temporalis vel æterni. Contra iſtam regulam vulgatam: *Sicut nullum malum impunitum, ita nullum bonum irremuneratum.* Præterea bona opera facta in mortali peccato ad aliquid valent, ſaltem ad præmium temporale. Igitur, à fortiori, bona facta in gratia & ex charitate. Hæc enim eſt concluſio contra Auguſtinum in ſermone ad Parmenionem ſic dicentem: *Verba quæ populo dicuntur in precibus, etſi à malis dicantur epiſcopis, exaudiuntur tamen, non pro perverſitate Præpoſitorum, ſed pro devotione populorum.* Ideò Jacobus ſuæ canonicæ c. V. ſic inquiebat: *Infirmatur quis ex vobis, inducet Presbyteris eccleſiæ ut orent pro eo, ungentes oleo ſancto, & oratio fidei ſalvabit infirmum.* Ubi conſtat ſecundum Doctores, ſcilicet, *Magiſtrum diſt. XXIV. L. IV. Et Hugonem, de ſacramentis*, quod Jacobus inſtituit ſacramentum unctionis extremæ, vel ſecundum alios Chriſtus inſtituit, ſed Jacobus promulgavit dictum ſacramentum unctionis extremæ, quod datum eſt in præceptum, ſaltem ne contemnatur vel negligatur, ſecundum *Magiſtrum diſt. XXIII.* Quod eſſet difficile ad implendum, imo impoſſibile, niſi ex revelatione divina, cum ſine iſta neſciatur, quis eſt præſcitus aut prædeſtinatus.

Concluſio XXVII.

Omnia de neceſſitate abſoluta eveniunt.

Digitized by Google

ISta propoſitio eſt falſa & erronea. Quia ex ipſa ſequitur *primò*, ſuperflua eſſe præcepta, prohibitiones, leges, conſilia, & monitiones. Omnia iſta ſunt abſurda. Nam de monitione dicit *Auguſtinus in de libero arbitrio:* Qui exiſtimat non eſſe monendum, hominem bene vivere, de numero hominum æſtimandus non eſt. Et ita conformiter de *præceptis, prohibitionibus*, & ſimilibus.

Et conſequentia patet. Quis enim præcipiens prohibet, conſulit, aut monet, ſolem oriri cras, pluviam non eſſe hodiè, & ſic de aliis, quæ neceſſitate abſoluta lege naturæ inevitabili current.

Sequitur *ſecundò*, obliquitates, deformitates & peccata tolli. Quia, teſte Auguſtino, nemo peccat in eo, quod vitare non poteſt. Et, *XXXIV. q.* 1. Nullo modo ad opprobrium malæ voluntatis trahitur, quod conditio neceſſitatis extorſit.

Sequitur *tertiò*, Omnem actum laudabilem, virtuoſum, meritorium, & præmium, & liberum arbitrium excludi. Omnia iſta ſunt abſurda. Nam *de pœnitentia, diſt.* 2. Liberi arbitrii condidit nos Deus, nec ad virtutes nec ad vitia trahimur. Alioquin, ubi neceſſitas eſt, corona non eſt. Et *Tullius de Fato & divinatione, Quæ debent neceſſitate evenire, quæ futura ſunt fati neceſſitatem confirmant.* Et ſequitur ibidem ſtatim: *Illi hominem voluntate libera ſpoliant, neceſſitate fati devinciunt, quod tolerabile non eſt.* Hæ conſequentiæ patent. Quia non laudamur nec vituperamur, meremur aut præmiamur, niſi de his, quæ ſunt in poteſtate noſtra, ad utramq; partem contradictionis flexibilis. Quæ non contingerent, ſi omnia neceſſitate abſoluta evenirent.

Præterea ſicut memoria noſtra non cogit facta eſſe quæ præterierunt, ſic Dei præſcientia non cogit facienda quæ facta ſunt, per *Auguſtinum de libero arbitrio.* Sed propter nihil aliud, teſte *Richardo L. III.* quam propter divinam præſcientiam moventur homines errantes ad concludendum, omnia futura de neceſſitate evenire.

CONCLUSIO XXVIII.

Confirmatio juvenum, clericorum ordinatio, locorum conſecratio, reſervantur Papæ & Epiſcopis propter cupiditatem lucri temporalis & honorum.

ISta eſt injurioſa & erronea.

Infamat enim Prælatos de cupiditate lucri & honorum, contra illud quod dicitur *Exod. XXII. Diis non detrahes*, gloſſa, id eſt *Prælatis.*

Quod etiam ſit falſa, patet, Quia illud, quod eſt de jure divino, & eccleſiaſtico, attribuit cupiditati. De jure enim divino ſoli Epiſcopi poſſunt ſacerdotibus ordines conferre. Nam Dominus habuit diſcipulos quondam in numero duodenario, *Luc. XI.* quosdam in numero ſeptuagenario, *Luc. X.* Primos *Apoſtolos* nominavit, ſuprà quos eccleſiam fundavit, *Epheſ. II. Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum.* Et ipſis primo fuit collata poteſtas imponendi manus & conſecrandi, non autem ſimplicibus diſcipulis, ut patet ex textu & gloſſa *Actor. VIII.* Apoſtolis vero ſuccedunt *Epiſcopi*, & diſcipulis ſimplices *ſacerdotes*, ut habetur *diſt. XXII. c.* 9. Patet ergò, quod poteſtas ordinandi & manus imponendi ſeu confirmandi ſecundum formam eccleſiæ primitivæ *Epiſcopis* approprietur. *Nimia* enim eſſet confuſio in eccleſia, ſi quilibet ſacerdos poſſet ſacros ordines conferre. Et periret ordo hierarchicus, ſi cuilibet presbytero liceret officia eccleſiaſtica hierarchiæ exercere, diſtribuendo honores & officia & gradus eccleſiaſticos.

Item *conſecranda* eſt eccleſia per Epiſcopum, uti patet *De conſecr. diſt.* 1. *c.* 1. Igitur &c.

Conclu-

Digitized by Google

Concluſio XXIX.

Univerſalia ſtudia, collegia, graduationes & Magiſteria in eisdem, ſunt vana gentilitate introducta, & tantum proſunt eccleſiæ ſicut Diabolus.

Iſta concluſio eſt falſa, injurioſa, ſcandaloſa, contra bonos mores, & in fide ſuſpecta.

Patet *primò*, Quoniam illud, quod juſtè & recta intentione ac ſancta in Dei eccleſia pro utilitate reipublicæ eſt introductum, non debet cenſeri quovis modo à ſana mente vana gentilitate introductum.

Sed univerſitates, ſtudia, collegia, graduationes, & magiſteria, ſunt hujusmodi. Igitur. *Major* eſt nota de ſe. Et *minor* probatur: Quoniam non eſt veriſimile, nec etiam credendum, quod eccleſia ſancta univerſitates, ſtudia &c. fundaret & approbaret & privilegiis dotaret, niſi ipſa forent talia, ſicut & fecit. Igitur &c.

Item, Omne illud, quod eſt autoritate eccleſiæ introductum, non eſt vana gentilitate introductum. Sed univerſitates, ſtudia &c. ſunt autoritate eccleſiæ introducta. Igitur &c. *Major* eſt vera de ſe. *Minor* probatur. Quoniam ſtudia, univerſitates &c. autoritate ſedis apoſtolicæ & nullius alterius ſunt introducta &c.

Item per univerſitates & ſtudia, graduationes & magiſteria, & talia collegia valentes & notabiles perſonæ *vitâ & ſcientiis*, maximè ſacræ paginæ, fuerunt dotatæ & in illis educatæ, quarum doctrinis, ſcientia, libris, vitâ, fulget eccleſia ut ſol & Luna. Ut patet inter alios de Doctoribus ſanctis, *Bernhardo, Anshelmo & Thoma de Aquino* & pluribus aliis Doctoribus.

Item iſtud etiam patet per concilium generale Eccleſiæ. *De magiſtris, Decret. l. 5. t. 5. c. 5. Super ſpecula.*

Item *in antiqua lege* fuerunt *Doctores & Magiſtri*, qui non fuerunt vana gentilitate introducti. Patet *Luc. II. Invenerunt Jeſum in templo in medio Doctorum ſedentem, audientem illos & interrogantem.* Item *Johann. III.* de Nicodemo, cui Chriſtus dixit: *Tu es Magiſter in Iſrael, & hoc ignoras?* Super quo *Hieronymus in prologo libri Eccleſiaſtici: Oportet laudare Iſraelis doctrinam & ſapientiam.* Et infrà: *Hortor itaq; venire cum benevolentia & attentione, & ſtudio lectionem facere.*

Item *in lege nova* fuerunt etiam *Doctores*, quos Chriſtus inſtituit, qui non fuerunt vanâ gentilitate introducti. Ut patet *Eph. IV. ipſe Chriſtus dedit quosdam Paſtores & Doctores ad conſummationem ſanctorum & opus miniſterii. Et Act. XIII. Erant autem in eccleſia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ & Doctores, in quibus Barnabas, Simeon, Lucius. Et Saulus* ſive Paulus fuit eccleſiæ univerſalis Doctor, Ergo &c.

Concluſio. XXX.

Excommunicatio Papæ vel alterius Prælati non eſt curanda: Quia eſt cenſura Antichriſti.

Iſta concluſio, quantum ad primam partem ejus, eſt falſa & erronea, & contra determinationem eccleſiæ, ac clavium & juriſdictionis eccleſiaſticæ & gladii ſpiritualis damnabiliter contemtiva. Quoad ſecundam partem eſt falſa & injurioſa & etiam ſcandaloſa.

Primum patet in Decretis Gregorii, *De ſententia excommunicationis, Excommunicatio.*

Item, Quia tunc Paulus optaſſet antichriſti cenſuram, cum optat pſeudoapoſtolis anathema.

Item Apoſtolus præcepit Corinthiis uſum hujus cenſuræ. Unde mandavit turpem fornicatorem extra communionem poni, 1. *Cor. V.*

Item, Princeps ſpiritualis debet uti gladio ſpirituali ad correctionem malorum. Alias fruſtra haberet gladium. Qui quidem gladius eſt poteſtas excommunicandi, & contumaces ab eccleſia præſcindendi.

Digitized by Google

Ceterum *excommunicatio* etymologicè eſt *à communione eccleſiæ ſeperatio*, *XI. q. 2. Nihil.* Quæ prodeſt interdum excommunicato, *ut erubeſcat*, & ne ſacramentis miſceat ſe indignè. Expedit etiam excommunicato: Quia *punitio* ejus tranſit ceteris in exemplum, & ne alios inficiat, *XXIV q. 3. Reſecanda*, Et ſunt verba *B. Hieronymi* ſic dicentis: *Reſecandæ ſunt putridæ carnes, & ſcabioſa ovis acaulis repellenda, ne tota domus, maſſa, corpus, & pecora corrumpantur per eas & intereant. Arrius una ſcintilla fuit, Sed quoniam non ſtatim oppreſſus eſt, per totum orbem flamma ejus propalata eſt.*

Secunda pars patet. Quia per hoc contemnitur eccleſiaſtica cenſura excommunicationis, quæ eſt major imò maxima eccleſiæ pœna.

Eſt etiam injurioſa, excommunicationem papalem attribuere antichriſto, quaſi volens innuere, quod Papa ſit antichriſtus. Ultimus antichriſtus talem cenſuram non poterit exercere, cum non habebit juriſdictionem in eccleſiaſtica hierarchia.

Conclusio XXXI.

Peccant fundantes clauſtra, & ingredientes ſunt viri diabolici.

Iſta concluſio eſt falſa, erronea, & ſapiens hæreſin.

Nam ex iſta ſequitur *primò*, Samuelem Prophetam fuiſſe diabolicum, *ſecundò*, Prophetas fuiſſe diabolicos. *Tertiò*, Johannem Baptiſtam fuiſſe diabolicum. *Quarto*, Chriſtum & Apoſtolos fuiſſe diabolicos. Omnia iſta ſunt nefanda.

Primum patet. Quia religioſorum conventus primus *Samuelis*, qui inſtituit jugiter pſallere coram Deo, ut ait Magiſter in hiſtoriis ſuper illo: *Obvium habebis gregem Prophetarum.*

Secundum patet. Quia religioſorum perſonam geſſerunt *Prophetæ* & eorum filii, ut patet in eodem. Et Hieronymus *in epiſtola* 62. Filii quidam Prophetarum, quos monachos in V. T. legimus, ædificabant ſibi caſulas prope flumina Jordanis, &, urbibus derelictis, polentâ & herbis agreſtibus victitabant.

Tertium patet. Quia *Johannes Baptiſta* in eremo vixit, cui veſtis aſpera, zona pellicea, mel ſylveſtre, omnia virtuti & continentiæ præparata. Unde *Hieronymus epiſtol. XL. ad Euſtachium*, Noſti, Joſephum tales in ſecunda Judaicæ captivitatis hiſtoria deſcripſiſſe. Vitæ Anachoretarum autor Paulus, illuſtrator Anthonius, princeps Johannes Baptiſta.

Quartum patet. Quia filius Dei, cum eſſet dives omnium, factus tamen propter nos egenus, ſacram religionem veraciter inſtituit & authenticavit, quando pauperes elegit divites in fide, ut relictis omnibus eum ſequerentur, *Matth. IV. Venite poſt me.* Et de qua Apoſtoli gloriantur, *Matth. XV.* Ecce, nos reliquimus *omnia & ſecuti ſumus te*, quod eſt apoſtolici faſtigii, ut ait *Hieronymus epiſtola VIII.* Ex hoc fecit Apoſtolos, ait *Chryſoſtomus ſuper Matth. homil. XLVI.*

Magna ergo apparet inſania detrahentium religionibus privatis, imitantibus vitam Chriſti & apoſtolorum religionem, quam Chriſtus diſcipulis tribuit & aliis prædicavit, *Si vis perfectus eſſe, vade & vende.* &c.

Conclusio XXXII.

Ditare clerum eſt contra regulam Chriſti.

Iſta videtur falſa & erronea.

Cum regula Chriſti ſe extendat non ſolum ad contemplatores, ſed etiam activos, ut patet per gloſſam *Luc X.* Ubi comparat Mariam vitæ contemplativæ & Martham activæ. Prælati autem utramque vitam debent exercere, exemplo *Moſis*, qui ingrediebatur tabernaculum, & ibi vitam contemplativam ducebat, & ſæpe egrediebatur, ad populum per vitam activam regendum, ut patet in libris *Levitico & Numerorum.*

Similiter *Johannes Evangeliſta* laudat *Gajum*,

Gajum virum religioſum, *in tertia canonica*, dicens: *Fideliter facis, quicquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos, qui teſtimonium habuerunt charitati tuæ in conſpectu eccleſiæ, quos bene facis, deducens dignè Deo.* Et ſequitur in fine: *Nos ergo debemus ſuſcipere hujuſmodi.* Ubi gloſſa videtur innuere, quod viri eccleſiaſtici tenentur & debent ſuſcipere fratres peregrinos, qui pro nomine Dei profecti ſunt, & eisdem humaniter impendere, providendo de neceſſariis.

Unde, ſicut, Petro præcipiente, ſacerdotes tenentur omni poſcenti reddere rationem de ea, quæ in nobis eſt, fide, 1. *Pet. III.* ad confortandam fidem puſillorum: Sic valde utile eſt ad confortandam charitatem infirmorum, habere divitias, quibus ſuſtententur. Exemplo B. Clementis, qui non ſinebat pauperes, quos unda baptiſmatis renovaverat, publicæ mendicitati fieri ſubjectos, ne donis gentilium coinquinarentur, ut patet in ejus Legenda.

Conclusio. XXXIII.

Silveſter Papa & Conſtantinus Imperator erraverunt eccleſiam dotando.

Iſta concluſio eſt temeraria, ſcandaloſa, in fide ſuſpecta, contra bonos mores & erronea.

Patet. Quia quilibet homo tenetur de jure obſequi Deo, ſive ſervire de bonis fortunæ. Sed quilibet, eccleſiam de bonis fortunæ dotando, ſervit Deo de bonis fortunæ. Ergo &c. *Major* nota eſt de ſe. Et *minor* probatur per illud quod habetur *Matth. X. Qui vos recipit, me recipit:* Loquebatur Chriſtus de apoſtolis: *Et qui me recipit, recipit iſtum, qui me miſit.*

Item Chriſtus, quod eccleſiæ fit, ſibi putat factum fore, *Actor. IX.* de Paulo, qui perſequebatur eccleſiam, cui Chriſtus dixit: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Et infra: *Ego ſum Jeſus Nazareth, quem tu perſequeris.* Igitur, in hoc quod per Conſtantinum & Silveſtrum in dotando eccleſiam factum fuit, non ex hoc ipſi erraverunt, cum Chriſtus ſibi factum fuiſſe reputet. Ut patet etiam per illud *Matth. XV.* Quod *uni ex minimis iſtis feciſtis, mihi feciſtis.*

Item patet per aliud. Quoniam eccleſiam ditare non eſt errare. Patet, Quoniam alias ſequeretur, quod Moſes ex præcepto Dei decimis, primitiis & aliis oblationibus ſynagogam ditando, quæ erat ſignum & figura eccleſiæ, erraſſet, quod eſt manifeſtè falſum.

Item etiam & vir fortiſſimus *Judas*, duodecim millia drachmarum argenti mittendo Hieroſolymam ſacerdotibus, erraſſet.

Item & *Patricius Romanus* ditando de omnibus bonis ſuis eccleſiam in honorem virginis Mariæ, erraſſet, quod eſt falſum. Patet. Quoniam virgo mater Chriſti oblationem acceptavit & miraculo nimis approbavit.

Item Papa Chriſti Vicarius eſt Dominus omnium temporalium, ſicut eſt ſpiritualium, ut patet *XXII. diſt. Omnes.* Ubi iſta: *Deus B. Petro æternæ vitæ clavigero terreni ſimul & cæleſtis imperii jura commiſit.* Dando igitur alicui, quod ſuum eſt, non eſt errare. Patet de ſe.

Item nulli tempore Apoſtolorum ditantes eccleſiam de bonis ſuis, erraverunt, uti patet *Actor. VIII. Neque enim quiſquam egens erat inter illos*, ſupple, Apoſtolos & diſcipulos, in quibus tunc erat eccleſia. Quotquot enim poſſeſſiones agrorum aut domorum habebant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum.

Item Ananias & Sapphira uxor ejus, quia defraudarunt de pretio agri, quod erat multitudinis credentium, ſubitaneâ morte extincti ſunt, *Actor. V.* Ergo, &c.

Conclusio. XXXIV.

Licet alicui Diacono vel Presbytero prædicare verbum Dei absque apoſtolicæ ſedis vel Epiſcopi autoritate.

Iſta

Digitized by Google

ISta concluſio eſt falſa & contra determinationem eccleſiæ, erronea & temeraria.

Unde, *De hæreticis, Decr. l. 5. t. 7. c. 12. Cum ex injuncto*, expreſſè iſta concluſio damnatur; allegando illud apoſtoli *Rom. X. Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* Ubi etiam reſpondens Papa, ut ſatisfaciat illis, qui prætendebant, ſe à Deo inviſibiliter eſſe miſſos, *c. præallegato* ſic dicit: *Non ſufficit cuiquam tantum aſſerere, quod ipſe ſit miſſus à Deo, cum hoc quilibet hæreticus aſſeveret, ſed oportet, quòd adſtruat ſuam inviſibilem miſſionem, vel operatione miraculi vel per ſcriptum teſtimonium ſpeciale. Unde cùm Dominus vellet mittere Moſem in Ægyptum ad filios Iſrael, quod crederent ei, quod mitteretur ab ipſo, dedit ei ſignum, quod converteret virgam in Colubrum, & colubrum iterum reformaret in virgam. Johannes quoq; baptiſta ſuæ miſſionis teſtimonium ſpeciale protulit ex ſcriptura, reſpondens ſic ſacerdotibus & Levitis, qui miſſi ad interrogandum, quis eſſet, & qualiter ſibi baptizandi officium aſſumſiſſet:* Ego vox clamantis &c. Non eſt ergò ei credendum, qui dicit ſe miſſum à Deo, niſi de ſe teſtimonium proferat ſpeciale de ſcripturis vel evidens miraculum operetur. Nam de his, qui miſſi dicuntur à Deo evangeliſta teſtatur, quod ipſi prædicaverunt ubique, Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.

Item ex iſta concluſione, quisque, non obſtante inhibitione ſedis apoſtolicæ, poſſet ſacerdos vel diaconus prædicare, & ſic hæretici non poſſent à prædicatione arceri. Quod temerarium eſt dicere, & eccleſiæ periculum non modicum immineret.

Concluſio. XXXV.

Ingredientes ordinem aut aliquam religionem, eo ipſo ſunt inhabiles ad obſervandum divina præcepta, & per conſequens perveniendi ad regnum cœlorum, niſi apoſtataverint ab eisdem.

ISta concluſio eſt falſa, erronea, & ad malum inductiva.

Tum *primò*, Quia via conſiliorum difficilior eſt viâ præceptorum. Propter quod Chriſtus de conſiliis ait: *Qui poteſt capere, capiat.* Et apoſtolus: *De Virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do.* Et Hieronymus epiſtola XCVI. *Grandis virtus eſt, & ſollicita diligentia, ſervare, quod nactus ſis, in carne non carnaliter vivere, tecum pugnare quotidie, & incluſum hoſtem Argi ut fabulæ ferunt, centum oculis obſervare.* Sed ingredientes religionem ad hujusmodi conſilia ſe obligant, ut patet in tribus votis, & iſta obſervare poſſunt, aliter ſe ad impoſſibile obligarent. Igitur. Et, à fortiori, ad præcepta.

Tùm *ſecundò*, quia *Matth. V. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Inſinuat Chriſtus, per hanc paupertatem fundatam eſſe virtutem & beatitudinem. Sed ingredientes religionem ad hanc ſe obligant ſecundum exigentiam ſui ſtatus propter Chriſtum. Quod melius eſt, quam monaſteria conſtruere & pauperes ſuſtentare, prout ait Hieronymus Epiſtola 40. Qualem vitam habuere credentes Alexandriæ ſub Marco Evangeliſta, ut narrat *Philo*, vir doctus *Libr. I. Eccleſ. hiſt. c. XVI. Primum*, inquit, *omnes renunciabant cunctis facultatibus, & extra urbem egreſſi in hortulis & exiguis agellulis degebant, refugientes imparis propoſiti & vitæ diſſimilis contubernia, ſcientes impedimento eſſe, hoc arduum volentibus iter virtutis incedere.* Multa ſequuntur ibi ſtupenda, quorum nonnulla ſervantur à religionibus privatis.

Tum *Tertiò*, Quia extremæ dementiæ eſt, dicere, ingredientes religionem non poſſe pervenire ad regnum cœlorum, niſi apoſtataverint. Cum ſancti, per eccleſiam approbati & canoniſati, ad ingreſſum eorum invitent. Ut patet in epiſtolis Beatorum Bernhardi, Auguſtini & Hieronymi. Unde *Hieronymus epiſtola 35. Licet parvulus ex collo pendeat infans, licet ſparſo crine & ſciſ-*

ſis

ſis veſtibus, ubera, quibus te nutriverat, mater oſtendat, licet in limine pater jaceat, percalcato patre perge ſiccis oculis ad vexillum crucis. Evola. Solum pietatis genus in hac re eſt, eſſe crudeliſſimum.

Concluſio XXXVI.

Papa cum omnibus clericis ſuis poſſeſſiones habentibus ſunt hæretici, eo quod poſſeſſiones habent, & omnes conſentientes eis Domini ſeculares & ceteri laici.

Iſta falſa videtur & temeraria. Quia non omnes clerici voverunt paupertatem. Nec videtur aliqua regula generalis data à Chriſto, quæ eos obliget, quando ipſi poſſunt ſaltem ut diſpenſatores recipere divitias, dicente *Auguſtino ſuper Johannem, ſermone LXII. Habebat*, inquit, *Dominus loculos, à fidelibus oblata conſervans, ut ſuorum neceſſitatibus & aliis indigentibus ſubveniret*. Et tunc primum eccleſiaſtica pecunia inſtituta eſt, ut intelligeremus, quod præcepit, non eſſe cogitandum de craſtino, non ad hoc feciſſe præceptum, ut nihil pecuniæ ſervaretur à ſanctis, ſed ne Deo propter iſta ſerviatur, & propter inopiæ timorem juſtitia deſeratur.

Unde *S. Paulinus Epiſcopus* non contemſit eccleſiæ facultates, ut patet in ejus legenda.

Similiter *S. Hilarius Arelatenſis Epiſcopus* non ſolum illa, quæ tunc habebat eccleſia, poſſedit, ſed etiam acceptis fidelium munere hæreditatib⁹, ampliavit, ut habetur *XII. q. 1. Expedit.*

Item *B. Ambroſius in Libr. de vita & obed. c. Theodoſius*, dicit, quod Conſtantinus eò, quod hereditatem fidei principibus reliquit, magnum locum meriti apud Deum reperit.

Item, quis præſumeret hæreticare beatiſſimos Sixtum Papam & Laurentium Archidiaconum Romanæ eccleſiæ, qui habuerunt theſauros eccleſiæ, uti patet in eorum legendis.

Item *Levita* erant figuræ cleri novæ legis, & tamen de his dicit Deus Moſi: *Præcipe filiis Iſrael, ut dent Levitis de poſſeſſionibus ſuis, Num. XXXII.* Igitur à ſimili clerus iſte poteſt habere poſſeſſiones, & per conſequens non ſunt hæretici, dummodo alias à fide non devient.

Concluſio XXXVII.

Eccleſia Romana eſt ſynagoga Sathanæ, nec Papa eſt immediatus & proximus Vicarius Chriſti & Apoſtolorum.

Illa concluſio eſt falſa, ſcandaloſa, erronea & hæretica.

Patet *primò* quoad primam partem. Quoniam omne illud, extra quod non eſt ſalus, perveniendi ad vitam æternam, non eſt ſynagoga ſathanæ. Sed eccleſia Romana eſt hujusmodi, Igitur. &c. *Major* nota eſt de ſe. Eſt minor probatur, *De ſumma Trinitate & fide catholica, c. Firmiter.* Ubi ſic dicitur: *Una eſt fidelium eccleſia, extra quam nullus omnino ſalvatur.* Sed iſta eccleſia una, extra quam non eſt ſalus, eſt Romana eccleſia, uti patet *Diſt. 12. c. Non decet. Ubi dicitur: Non decet à capite membra diſcedere, ſed juxta ſcripturæ teſtimonia omnia membra caput ſequantur.* Nulli verò dubium eſt, quin catholica & apoſtolica mater ſit omnium eccleſiarum, à cujus regulis nullatenus convenit deviare. Et ſicut filius hominis venit facere voluntatem patris, ſic & nos oportet implere voluntatem patris, ſic & nos oportet implere voluntatem matris noſtræ, quæ eſt eccleſia, cujus caput Romana conſiſtit eccleſia. Igitur &c.

Item *ſecundo.* Omne illud, cujus de neceſſitate ſalutis oportet regulas inſequi; non eſt ſynagoga ſathanæ. Sed eccleſia Romana eſt hujusmodi. Igitur &c. *Major* nota eſt de ſe. *Minor* probatur *diſt. 26. c. Sacroſancta.* Ubi ſic dicitur: *Sacroſancta Romana & apoſtolica eccleſia non ab apoſtolis, ſed ab ipſo Salvatore noſtro primatum obtinet, B. Petro apoſtolo dixit: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam.*

Secunda pars probatur. Non aliter eſt

eſt ſentiendum, quam quod Romana ſentit eccleſia. Sed ſancta Romana eccleſia ſentit, quod Papa eſt immediatus & proximus Vicarius Chriſti, & apoſtolorum. *Major* patet, *De hæreticis, c. Ad abolendum. Minor* eſt de ſe nota. Maximè cum Papa ſit caput Eccleſiæ Romanæ, quæ eſt caput univerſalis eccleſiæ. Ex jam dictis decretis, & etiam per illud quod habetur *Libr. VI. De pœnis*, Eccleſia Romana omnium eccleſiarum caput eſt & Magiſtra, Et *diſt.* 12. *c.* 1. Romana eccleſia caput eſt omnium eccleſiarum. Item, *Minor* patet per illud quod habetur *Johann. ultimò: Simon Johanna, diligis me plus his?* & dixit Jeſus bis: *paſce agnos meos*, & poſtea: *paſce oves meas*. Cum igitur ex jam dicta *Decretal: Ad abolendam*, univerſalis eccleſia ſentiat, Papam eſſe proximum & immediatum ſucceſſorem Petri, & verum vicarium Chriſti Jeſu, ut patet de ſe, & ex c. præallegato, Igitur prima pars eſt falſa.

Conclusio XXXVIII.

Decretales epiſtolæ ſunt Apocryphæ & ſeductivæ à fide Chriſti, & clerici ſunt ſtulti, qui eas ſtudent.

Illa concluſio habet tres partes. *Prima pars* eſt contra determinationem eccleſiæ, *De conſtitutionibus*. Conſtitutiones ſumorũ Pontificium ſunt ſervandæ. Et convenit dictum *Hilarii Papæ* 25. *q.* 1. *c.* 4. *Nulli fas*, ubi dicitur: *Nulli fas ſit ſine ſtatus ſui periculo, vel divinas conſtitutiones vel apoſtolicæ ſedis decreta temerare.*

Eſt etiam contra dictum Damaſi Papæ, *Violatores, in eodem, c.* 5. Ubi dicitur: *Violatores Canonum voluntarii à ſanctis patribus graviter judicantur, & à ſancto ſpiritu, inſtinctu cujus ac dono ditati ſunt, damnantur, quoniam blaſphemare ſpiritum ſanctum non incongrue videntur.*

Et eſt contra dictum Papæ Hormiſdæ, *in eadem Cauſa, c.* 9. *Prima ſalus*, Ubi dicitur: *Prima ſalus eſt rectæ fidei regulam cuſtodire, & à conſtitutionibus patrum nullatenus deviare.*

Et etiam contra decretalem Adriani Papæ, *ibidem c. XI. Generali*, Uti ſic dicitur: *Generali decreto ſtatuimus, ut execrandum anathema ſit, & velut prævaricator fidei orthodoxæ ſemper apud Deum reus exiſtet, quicunq; regum ſeu Epiſcoporum vel potentum deinceps Romanorum Pontificum decretorum cenſuram in quocunq; crediderit vel permiſerit violandam.*

Ex quibus omnibus patet, quod Decretales non ſunt apocryphæ ſummorum Pontificum.

Secunda pars eſt hæretica. Cum Decretales promoveant & profiteantur Chriſti fidem illæſam, ut, *de ſumma Trinitate, de celebratione miſſæ, de baptiſmo* & de aliis ſacramentis: Inſurgentes hæreſes condemnando. Uti patet Decretalium volumina perlegendo.

Unde *Summus jurium vindex noſtri ævi, Franciſcus de Zabarellis, in ſermone, quem fecit Paduæ de anno Domini MCCCXCII.* pro principio lectionis ſuæ, in laudem hujus ſcientiæ pulchrè ſic inquit: *Quid enim leges, maximè Canonicæ, potiſſima, niſi ut illabefactam & incontaminatam mentem à terreſtri contagione conſervent, ducant in Dei notitiam, dilectionem & inhærentiam. Hæc eſt ſola ſapientia, præcipuè Canonica, quæ ab altiſſimo ante ſecula prodiens & in ſtatu temporum ad creaturarum regimen donata hominibus, hominem glorioſè ſublimat, à luxuq; præſervat, quibus utatur, inſtruit, & quo ordine, temporalibus, religionem ſuadet, ceremoniasq; & earum cultus inſtituit, qualiter urbi quaq; moderatione parentibus, agnatis, cognatis, affinibus, amicis, notisq; & ignotis omnibus per officia pareamus.* Et idem in *ſermone anni ſequentis ſic concludit: Hanc igitur amemus, hanc exquiramus, in ea verſemur. Quoniam cum cetera per partes hominum erudiant, hæc ſecundum omnes numeros perficit, perq; omnes gradus virtutum promptum reddit ac facilem: Quemadmodum Deus colendus, qualiter diligendus proxim', honore quoq; celebrandi parentes, quali fide obſervanda tenenda augendaq; patria, quis divinarum & humanarum ſit ordo rerum, quis modus, quicquid deniq; ſecundum omnes ætatum diſtinctiones hominem deceat. Hæc ſacratiſſima ſapientia Canonica tradit uberri-*

uberrime. In hac enim eſt perfecta virtus & ſapientia. Et quicquid alibi quaritur, hic perfectiſſime invenitur; 3. *diſt.* 9. *Si etenim.*

Tertia pars eſt erronea, blaſphema, & injurioſa, inſurgens contra Innocentium III. Gregorium IX. Bonifacium VIII. Clementem V. & Johañem XXII. præcipientes Univerſitatibus, clericis, Doctoribus & ſcholaribus, tam Tholoſanæ quam Bononienſis, quam etiam Avinionenſis, quatenus eorum decretales aliqui ex ſupra dictis legerent & ſtuderent.

Item patet, Quia decretales, quæ parti morali pro ſui, magnâ parte ſubalternantur, fugant vitia & ſtultitiam, ut ſupra in ſecunda] parte plenè demonſtratum eſt. Et per conſequens ſtudendo in eis clerici non ſunt ſtulti.

Conclusio XXXIX.

Imperator & ſeculares ſeducti ſunt â diabolo, ut eccleſiam dotarent bonis temporalibus.

Iſta propoſitio eſt falſa & erronea.

Quia *Proverbo III.* dicitur: *Honora Dominum de tua ſubſtantia.* Imperator ergò honorando Deum in dotatione ſponſæ Chriſti de ſua ſubſtantia non eſt ſeductus à Diabolo, quoniam fecit quod debuit. Nam teſte Gregorio, tanto quis debet eſſe humilior atque ad ſerviendum Deo promtior, quantò ſe obligatiorem conſpicit.

Tùm *ſecundò.* Quia ratio naturalis dictat, quod Dei miniſter ſuſtentetur de ſubſtantia divitû & potentum, & quod ſeminantibus ſpiritualia debent miniſtrari temporalia, *Corinth. XIII. Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus, non eſt magnum ſi corporalia veſtra metamus.* Et ſuper iſto pſalmi: *Sumite pſalterium & date tympanum*, gloſſa: Id eſt, *ſumite ſpiritualia & date temporalia.* Igitur Imperator & principes ſeculares, aliis ordinatione divina in temporalibus abundantiores, non fuerunt ſeducti.

Tùm *tertiò*, Quia Prælati ſunt diſpenſatores bonorum eccleſiæ, teſte Auguſtino ad Bonifacium. *Si privatim, qua nobis ſufficiunt, poſſidemus, non iſta noſtra ſunt, ſed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus; non proprietatem nobis uſurpatione damnabili vendicando.* Seculares igitur Principes eccleſiam ſic bonis temporalibus ad finem præmiſſum dotantes fecerunt opus pium & meritorium.

Propterea, cum ſine fide ſalvationis implicita vel explicita nulli hominum poterat eſſe ſalus, *Actor. IV.* & in temporis proceſſu fuerit ſecundum magis & minus monſtrata, ſecundum *Alexandrum de in Halis in Summa, Lib. III.*

Et *primo, In natura Deitatis.* Hinc honorari debuit primitiis & primogenitis gregis Abel. Ut ſignificaretur, quod iſte, qui erat principium conditionis & primogenitus filius Dei, eſſet principium reparationis.

Secundò revelabatur *in natura creata*, in qua ſumeret officium redemtionis, offerens oblationem placatiunis pro hominibus ad Deum. Hinc honorari debuit in victimis & ſacrificiis.

Et *tertiò*, quod *in natura humana*, & non angelica expleret officium redemtoris, hinc honorari debuit in decima, in qua deſignatur natura humana, ut patet *Luc. XV.*

Igitur, cum tempore gratiæ omnia de Salvatore completa ſint, debuit honorari in amplioribus à fidelibus Chriſtianis, in bonis temporalibus, maximè Imperatore & Principibus, cum illi magis abundent, juxta dictum Chriſti: *Niſi abundaverit juſtitia veſtra.* Et *Num. XXXVII. Pracipe filiis Iſrael, ut dent Levitis de poſſeſſionibus urbes ad habitandum & ſuburbia pecoribus ac jumentis.* Item. *Levitic. ultimo: Si quis agrum poſſeſſionis ſua dederit Domino, ſanctificatus Domino erit, & poſſeſſio conſecrata, & ad jus ſacerdotum pertinebit.*

Seculares ergò Principes ſic facientes Zelo Dei conformiter egerunt. Igitur ſic agendo non ſunt ſeducti à diabolo.

Digitized by Google

Concluſio XL.

Electio Papæ à Cardinalibus eſt per diabolum introducta.

Iſta concluſſo eſt erronea.

Quia contradicit determinationi Eccleſiæ in concilio Lateranenſi congregato. Ubi ſacro approbante concilio ponitur, quomodo Papa eſt à Cardinalibus eligendus. *De electione, c. Licet.*

Conclusio XLI.

Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam eccleſiam eſſe ſummam inter alias eccleſias.

Iſta concluſio eſt falſa, temeraria & erronea ac hæretica, ſi intelligatur pro tempore præſenti.

Probatur *primò* ſic: Omne illud, quod Chriſtus fundavit & inſtituit tanquam ſummum, in via omnium eccleſiarum, eſt de neceſſitate ſalutis credendum. Sed eccleſia Romana eſt hujusmodi, Igitur. *Major* nota eſt de ſe. Et *minor* probatur *XXII. diſt. c. Omnes*, ubi ſic dicitur: *Omnes cathedras vel eccleſiarum cujuscunq; ordinis, dignitatem inſtituit Romana eccleſia. Illam verò ipſe ſolus Chriſtus fundavit, & ſuprà petram fidei mox naſcentis erexit, qui B. Petro æternæ vitæ clavigero terreni ſimul & cœleſtis imperii jura commiſit.*

Item *ſecundò* ſic: Omne illud, cujus contrarium credere eſt hæreticum, eſt de neceſſitate ſalutis credendum. Sed Romanam eccleſiam ſic credere, eſt hujusmodi, Igitur. *Major* nota eſt de ſe. *Minor* ptobatur, *diſt.* 19. ubi ſic dicitur, *Qui non obedit ſtatutis Romanæ eccleſiæ, hæreticus eſt & excommunicatus.* Hoc eſt dictum ſecundum Johannem ibidem: Si talis dicat vel credat, Romanam Eccleſiam non eſſe caput univerſalis Eccleſiæ, nec poſſe canones condere.

Iſta eadem concluſio. quod ad ſuam falſitatem & condemnationem, patet jam immediate allegatis Decretis in 35. concluſione. Igitur &c.

Item & per decretum, quod habetur 12. *q.* 1. *Romana*, ubi ſic dicitur: Romana eccleſia caput eſt omnium eccleſiarum.

Item: Omne id credendum de neceſſitate ſalutis, ad cujus judicium majores eccleſiæ cauſas, ut principia fidei, oportet referre. Sed illud eſt Petri ſedes, quæ eſt Romana eccleſia, Igitur. *Major* nota eſt de ſe. Et *minor* probatur *De baptiſmo & ejus effectu, c. Majores quærum.* Item 2. *diſt.* decreti, *c. Omnis*, ubi ſic: *Omnis qui Romanæ eccleſiæ privilegia ab ipſo ſummo omnium eccleſiarum capite tradita auferre conatur, hic procul dubio in hæreſin labitur ac eſt hæreticus.*

Conclusio. XLII.

Fatuum eſt credere indulgentiis.

Iſta concluſio eſt erronea, & contra bonos mores.

Ex ipſa enim ſequitur, quod eccleſia in remittendo (hic in MSC. parva lacuna.) Et conſequenter non eſſet verum verbum Chriſti: *Quodcunq; ligaveritis &c.* quod nequaquam intelligitur de reatus culpæ remiſſione ſed etiam de pœnæ diminutione, & quoad epiſcopos de relaxione.

Item ſequeretur, quod ſponſus eccleſiæ univerſalis, & ſponſi particularium eccleſiarum, ſuſcitantes ſemen fratris ſui Chriſti, ejusdem & eorum ſponſo priori non poſſent diſtribuere de bonis ſponſi prioris, ſcilicet meritò paſſionis ejusdem, relictis ad uſum ſponſæ.

Sequeretur etiam, quod non poſſent de bonis ſponſæ & de peculio filiorum & filiarum ejusdem, demta ſupererogatione martyrum confeſſorum & virginum, qui ſunt theſauri eccleſiæ, ſponſæ Chriſti. Quod aſſerere eſt contra leges divinas pariter & humanas.

Con-

CONCLUSIO XLIII.

Auguſtinus, Benedictus, Bernhardus, damnati niſi pœnituerint de hoc, quod habuerunt poſſeſſiones, & inſtituerunt & intraverunt, religiones. Et ſic à Papa, usque ad ſummum religioſum omnes ſunt hæretici.

Iſta concluſio infert blasphemiam contra Chriſti conſilia ſancta.

Nam ſancti prænominati fundaverunt religiones ſuas & inſtituerunt ſecundum vitam apoſtolicam & conſilia Chriſti, religando eos, qui veniunt, ad certas ceremonias & circumſtantias, per quas melius, ſincerius & ſecurius poſſent mandata Dei obſervare unà cum conſiliis.

Patet per diſcurſum regularum ipſorum ſanctorum & per omnes conſtitutiones ab ipſis introductas.

Item, Quare homo debet dici damnatus ex eo, quod offert votum Deo de omnibus bonis ſuis? Sed inſtituentes religiones prædictas & eas intrantes de omnibus ſuis offerunt votum Deo. Nam per votum *caſtitatis* Deo offerunt ſua corpora, juxta illud *Rom. XII. Exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem.* Sed per votum *paupertatis* omnia bona exteriora Deo offerunt, juxta illud *Rom. XV. Obſequii mea oblatio accepta fiat in Hieroſolymis ſanctis.* Per votum, verò *obedientiæ* offerunt Deo ſpiritum contribulatum, de quo pſalmus: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus.*

Quod vero dicit, Papam & religioſos eſſe hæreticos, ex præcedentibus ita patet eſſe abſurdum, quod juxta ſententiam Johannis evangeliſtæ, Ex quo non affert doctrinam evangelicam, & incidit in peccatum grave, non pro eo orandum arbitror, ſed igne conſumendum

CONCLUSIO XLIV *In MSC. non comparet.*

CONCLUSIO XLV.

Omnes religiones indifferenter introductæ ſunt à diabolo.

Iſta concluſio eſt falſa, inſana, ſcandaloſa, temeraria, erronea & hæretica.

Patet *primò* ex ſuperius allegatis in condemnatione XXI. concluſionis.

Item *ſecundo*, Quoniam, ſi ſic, ut dixi in ſupra dicta concluſione, ſequitur quod religio Chriſtiana ſit introducta à diabolo. Quod eſt abſurdum & hæreticum dicere. Cùm conſtat, quod à Chriſto.

Item *tertiò*, Quoniam, ſi ſic, ut dicit antedicta concluſio, ſequitur, quod omne id, quod eſt vitæ æternæ meritorium, eſt introductum à diabolo. Quod eſt abſurdum. Sed ſequela patet, Quoniam ingreſſus religionis Chriſtianæ & religionum approbatarum eſt vitæ æternæ meritorius. Et ibi concurrunt omnia requiſita ad ingreſſum religionis.

Item *quartò*, quoniam, ſi ſic, ſequitur, quod omne id, quod eſt mundum & immaculatum apud Deum, eſt introductum à *diabolo*, ſed id eſt falſum & erroneum. Falſitas conſequentis patet per illud, quod habetur *Jacobi I: Religio munda & immaculata apud Deum & patrem, hæc eſt, viſitare pupillos & viduas &c.* Conſequentia patet de ſe, Igitur &c.

Et hoc principaliter dicitur propter illum terminum, *indifferenter*, in iſta concluſione poſitum.

Explicit Improbatio XLV. articulorum hæreticorum WICLEFI.

(oo)

TOMI III. PARS XIII.

THEOLOGORUM CONSTANTIENSIS CONCILII DIFFUSA CONDEMNATIO XLV. ARTICULORUM WICLEFI.

Ex tribus antiquiſſimis Codicibus MSCtis,

CÆSAREO VINDOBONENSI, Part. II. Act. C. C. f. 151.*b.*

ſh. tit.

Bona collecta in Concilio Conſtantienſi & maſticata ab eodem contra articulos Johannis Hus (Wiclefi) præmiſſos.

Et ACADEMICIS LIPSIENSIBUS, uno *in fol.* altero *in* 4.

In quorum illo hæc inſcriptio: *Compendium de reprobatione articulorum hæreticalium Bohemorum.*

In altero nihil in fronte ſcriptum.

ARTICULUS I.

Subſtantia panis materialis & ſimiliter ſubſtantia vini manent in Sacramento altaris.

ARTIC. II.

Accidentia panis non manent ſine ſubjecto in eodem ſacramento.

ARTIC. III.

Chriſtus non eſt in eodem Sacramento identice & realiter in propria præſentia corporali.

QUia ſancta mater eccleſia ex textib' & ſententiis Evangelicis & Apoſtolicis determinavit clare & expreſſe in capitulo: *Firmiter credimus*, (*Decret. l.* 1. *tit.* 1. *c.* 1.) & ibi dicit, ſe firmiter credere, & ſimpliciter confiteri inter alia, quod ſub ſpeciebus panis & vini corpus & ſangvis Chriſti veraciter continentur, transſubſtantiatis pane in corpus & vino in ſangvinem, poteſtate divina: Transſubſtantiata dico, tali transſubſtantiatione, qua panis & vinum ſecundum corporales eorum ſubſtantias ſic convertuntur ſubſtantialiter, & tranſeunt in veras ſubſtantias corporis & ſangvinis Chriſti, quod nequaquã illæ ſubſtantiæ panis & vini remanent in ſacramento altaris, ſed ſpecies panis & vini ſine ſubjectis, ſub quibus ſicut ſpeciebus peregrinis corpus & ſangvis Chriſti veraciter continentur tanquam *cibus & potus ſacramentalis & myſticus*, quo corpus Chriſti myſticum & ſacramentale in loco peregrinationis ſuæ a Domino hic ſuper terram habet cibari & potari, ſacramentaliter & myſtice, refici, ſuſtentari, oblectari, nutriri, augeri, cum membris ſuis, & ad perfectam ſtaturam ſacramentalem & myſticam perduci.

Quod autem de tali transſubſtantiatione, *in cap. Firmiter credimus* præ allegato, loquatur Eccleſia, & non de quacunque alia noviter ficte excogitata: Patet manifeſte, quia jam per ducentos minus forte duob' annis à tempore *Innocentii III.* qui cum M CCC & XV. Prælatis, Romæ in concilio generali eccleſiaſtice in nomine Domini congregratis, illam prædictam determinationem fecit, (fecerunt) & illam fidem ſimpliciter confeſſus eſt, (confeſſi ſunt) ſcilicet, *quod ſub ſpeciebus panis & vini corpus & ſangvis Chriſti veraciter continentur, transſubſtantiatis pane in corpus, & vino*

Digitized by Google

& vino in ſangvinem poteſtate *divina*: Ab illo inquam tempore Innocentii III. *per ducentos quaſi annos* ſola prædicta transſubſtantiatio catholice famata, credita, tenta, intellecta & accepta eſt per univerſitatem Chriſtianorum, per Romanam Eccleſiam, & per omnes alias inferiores, metropolitanas, cathedrales, collegiatas, parochiales, conventuales &c. Eccleſias, per communitatem Prælatorum, per communitatem ſapientum Eccleſiaſticorum, & ſcholaſticorum fidelium, ſcripta in libris Theologicis & juridicis Doctorum catholicorum. Sola inquam prædicta *transſubſtantiatio* ſic *per ducentos* quaſi *annos* ab Innocentio III. Papa ſamata, *credita*, tenta, intellecta & accepta eſt *in illis verbis* determinationis & confeſſionis Eccleſiæ, ubi dicitur, *quod ſub ſpeciebus panis & vini corpus & ſangvis Chriſti veraciter continentur, transſubſtantiatis pane in corpus & vino in ſangvinem poteſtate divina &c.*

Et plenum eſt ratione, quod ſancta mater Eccleſia ſic determinavit, & ſic confeſſa eſt ſimpliciter, & ſic firmiter credit *ſecundum autoritatem Evangelicam & Apoſtolicam* de transſubſtantiatione panis & vini in corpus & ſangvinem Chriſti. Nam *Chriſtus* ſecundum Evangelium *accepit panem materialem in manus ſuas, & benedixit, fregit & dedit diſcipulis dicens: Accipite, & comedite hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur, Et ſimiliter calicem*, hoc eſt vinum in calice, *& benedixit dicens: Bibite ex hoc omnes, hoc eſt ſangvis meus Novi Teſtamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remisſionem peccatorum.* Et ſicut Chriſtus non confecit ibi, & conſecravit panem materialem, & vinum corporale, cibum & potum de terra, terrenos animales, pro corporib' hujusmodi terrenis & animalibus: Sed ibi de talib' conficit & conſecravit ſacramentalem & myſticum cibum & potum, de cœlo cœleſtem & divinum, ſub peregrinis ſpecieb' panis & vini latentem, pro ſuo ſacramentali myſtico corpore, de cœlo cœleſti & divino, ſacramentaliter & myſtice reficiendo, nutriendo, agendo cum ſuis membris, & in ſtatura ſacramentali myſtica perficiendo: Sic, cum dixit: *Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*: Et ſimiliter: *Hoc eſt ſangvis meus &c.* demonſtrando ibi commendavit, & commendando demonſtravit, cibum & potum ſacramentalem & myſticum, ſub peregrinis ſpeciebus panis & vini ibi latentem, quo myſticum, ſacramentale corpus ſuum cum membris, hic in loco pegrinationis a Deo peregrinans, cibaretur & potaretur ſacramentaliter, myſtice. Hujusmodi autem cibus & potus aptiſſime eſt verum corpus & verus ſangvis Chriſti ſub ſpeciebus peregrinis panis & vini. Et ſicut *vera, naturalis anima Chriſti*, ſupremæ & primæ via perfectionis deificata, eſt ex hoc *ſacramentalis & myſtica anima* ſacramentalis & myſtici corporis Chriſti & membrorum ejus: Sic valde proportionabiliter *verum naturale corpus Chriſti & ſangvis* ſub ſpeciebus peregrinis panis & vini ſunt cibus & potus ac nutrimentum ſacramentale myſticum, illi' myſtici ſacramentalis corporis. Quo quidẽ nutrimento anima illa myſtica in illo myſtico corpore habet conſervari, & habet corpus illud nutrire, augere, & in ſtatura myſtica mediante tali nutrimento perficere: Sicut anima naturalis mediante naturali nutrimento in corpore animalis conſervatur, & illud nutrit & auget, & perficit in ſtatura naturali.

Quia igitur Chriſtus accepit *panem naturalem* in manus ſuas, & benedixit, dicens diſcipulis ſuis: *Accipite & comedite hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*, & ibi ſicut cibum ſacramentalem, myſticum, quem conſecravit & conſecit, ſolum in illis verbis commendavit *accipiendum ad manducandum*: Sic ibi ſolum illum cibum demonſtravit. Et quia ſolum corpus Chriſti verum erat, & ſic hujusmodi ſacramentalis myſticus cibus pro corpore myſtico ſolum: Ergo veram ſubſtantiam ſui corporis veri per pronomen *Hoc* ibi demonſtravit. Et per conſequens cum accepit panem naturalem cujus viſibilis ſpecies remanſit, & benedixit, & dedit diſcipulis ſuis dicens: *Hoc eſt corpus meum*, & ibi ſolam ſubſtantiam corporis ſui demonſtravit,

opor-

oportebat panem ibi eſſe transſubſtantiatum in veram ſubſtantiam corporis Chriſti, tranſubſtantiatione certe tali, quæ ſupra dicta eſt.

Similiter de *vino* reſpectu ſanguinis Chriſti eſt dicendum.

Patet ergo, quam ſupra modum *rationabilis* eſt *fides* & *confeſſio* ſancta matris eccleſiæ *de tali transſubſtantiatione*, cum dicit, confitendo, quod ſub ſpeciebus panis & vini verum corpus & ſanguis Chriſti veraciter continentur, transſubſtantiatis pane & vino in corpus & ſanguinem, poteſtate divina.

Unde & ſic poteſt argui: Vel in ſacramento altaris manet ipſa ſubſtantia panis materialis, vel non.

Si non manet, & tamen ibi remaneat tota ſpecies per ſe ſenſibilis ipſius panis, quæ non poteſt eſſe in aliquo alio ſubjecto, quam in pane: Sequitur, quod talis ſpecies panis ſtetit ibi ſine ſubjecto, & quod ipſa ſubſtantia panis tota *aut* tranſivit in nihilum, quod eſt penitus irrationabile in tali benedictione & conſecratione Chriſti, *aut* tranſivit & converſa eſt totaliter ibi non in aliam rem, quam in verum corpus Chriſti, & in ſacramentalem cibum & myſticum, ſacramentaliter ſub ſpecie panis contentum, ſicut credit fides Eccleſiæ prædicta. Et habetur intentum, quod ibi fiat transſubſtantiatio ſæpe dicta.

Si autem *manet* ibi ſubſtantia panis: Vel ipſa manet ibi ſine ſuppoſito panis, vel manet in ſuppoſito panis.

Si primum, tunc illa ſubſtantia unietur ſuppoſitaliter corpori Chriſti, vel ipſi Chriſto. Sicut ſubſtantia humana ſine humana ſuppoſitatione in Chriſto exiſtens perſonaliter unitur filio Dei, & ejus deitati. Sed hoc conſequens eſt irrationabile & inconveniens. Cum tunc corpus Chriſti, vel ipſe Chriſtus, ſecundum illam ſubſtantiam panis & ejus ſpeciem ex tali unione ſuppoſitali eſſent figurata, quanta, colorata, ſapida, frangibilia, corporaliter comeſtibilia, conſumtibilia, & corruptibilia, ſicut hoſtia non conſecrata. Sicut enim ex unione ſuppoſitali naturæ humanæ ad divinam naturam & filium Dei, filius Dei homo eſt, ſubſtantialiter & accidentaliter diſpoſitus, ſicut habet diſponi verus homo: Sic ibi ex unione ſuppoſitali naturæ panis ad corpus Chriſti & per conſequens ad ipſum Chriſtum, oporteret corpus Chriſti, aut ipſum Chriſtum, eſſe materialem panem, & diſponi ſubſtantialiter & accidentaliter ſicut panis materialis diſponi habet. Quod eſt inconveniens, ut dictum eſt.

Si vero dicitur, quod ſubſtantia panis manet in ſuppoſito panis, tunc ipſum ſuppoſitum vel ſubjectum panis, ibi manens cibus corporalis & animalis, aut eſt tantum figura & umbra corporis Chriſti cibi myſtici & ſpiritualis, *aut* eſt veritas & lux, puta, ipſum corpus Chriſti.

Si primum, ſequitur, quod ſupremum ſacramentum novæ legis, ſcil. altaris, de quo Chriſtus ſecundum adverſarios dixerat: *Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum*, id eſt, *hoc figurat, & figuraliter continet corpus meum*: Et ſimiliter: *Bibite ex hoc omnes, hoc eſt ſanguis meus*, id eſt, *hoc vinum figurat, & figuraliter continet ſanguinem meum*; Sequitur, inquam, quod tale ſacramentum eſſet imperfectior figura & umbra, quam agnus paſchalis veteris legis. Quia agnus Judæorum, exiſtens quid vivum, eſſet potior figura agni Dei & ſimilior quam panis materialis, non vivum, quod eſſet figura panis vitæ. Conſequens autem eſt nimis irrationabile. Cum Chriſtus in ultima cœna per ſacramentum altaris, ſicut per veritatem & lucem, voluit terminare, & fugare à nova lege agnum paſchalem veteris legis, veluti puram figuram & umbram.

Si dicitur ſecundum: Sequitur, quod exile ſuppoſitum panis eſſet plus dignificatum, & plus venerandum, quam pretioſa perſona genitricis Dei, & cujuscunque ſanctorum infra illam. Quod eſt nimis abſurdum. Et tamen conſequentia patet. Quod illud ſuppoſitum panis eſſet vere & realiter corpus Chriſti vivum & glorificatum, & per conſequens, à fortiori, ſuppoſitum Chriſti eſſet idem illud corpus ſuum, Et ſic ſuppoſitum divinum Chriſti, & ſuppo-

Digitized by Google

ſuppoſitum panis eſſet unum & idem numero. Quia unum & idem numero corpus illud Chriſti, & ſic etiam illud exile ſuppoſitum panis, eſſet vere & realiter illa inæſtimabilis ſtola purpurca, puta corpus Chriſti glorificatum, quam ſtolam Chriſtus vexit ad ſedem Deitatis, ſedens ibi in illa ad dextram patris ineffabiliter purpuratus.

Relinquitur ergo ex prædictis fides ſumme rationabilis in hac materia, quod ſub ſpeciebus panis & vini ſanguis & corp' Chriſti veraciter continentur, transſubſtantiatis pane in corpus, & vinò in ſanguinem, transſubſtantiatione ſæpe dicta.

Hæc prædicta tanta, quæ pro præſenti negotio videntur ſuperflua, ideo dixerim, ut occaſione talium oſtendatur *primò* incredulis apoſtatis, quam rationabilis & recta eſt prædicta fides, & determinatio Eccleſiæ circa ſacramentum altaris.

Ut oſtendatur eis *ſecundò*, ſi fides & determinatio Eccleſiæ eſt tam ſupra modum rationabilis & recta, circa transſubſtantiationem prædictam, quæ transſubſtantiatio talibus incredulis videtur nedum ultra omnem aliam materiam difficillima ad credendum, ſed etiam in toto incredibilis: Quod tunc ex hoc excluſa omni diffidentia & dubietate ſecuri & certi ſint, quicquid ſedes Apoſtolica & Romana Eccleſia tenuerit & determinaverit pro fide Catholica, quod hoc ſit fides recta, & quemcunque articulum determinaverit eſſe hæreticum vel erroneum, quod ſit talis.

Nec plus cum errantibus oportet diſputare, quando oſtenſum fuerit, quod ſi hoc tenet pro fide Eccleſia illa, quod hoc ſit fides, & ſi pro errore, quod hoc ſit error. Impoſſibile enim, quod fides Apoſtolica, & Romana eccleſia, in qua Papa vice Chriſti & ſucceſſor Petri ut caput reſidens, & collegium Cardinalium, ut, corpus ſuccedens aliis ſimiliter Apoſtolis, in officiò definiendi & determinandi circa univerſam materiam Catholicam & Eccleſiaſticam & errores contrarios exterminandi: Impoſſibile inquam eſt, quod talis ſedes & talis Romana Eccleſia aliquid determinet, & teneat pro fide Catholica & recta, quod non eſſet fides recta. Aliàs in tali caſu ſedes illa Apoſtolica & Romana Eccleſia eſſet hæretica & erronea, tenens tenaciter non fidem pro fide, aut fidem pro non fide.

Quomodo ergo ipſa eſſet mater & caput omnium Eccleſiarum, in omnibus tanquam magiſtra ſequenda, ad quam in dubiis & arduis eſt recurrendum, quando circa fidem in aliquò dubitatur? Quomodo ipſa non habebit maculam, neque rugam? Quomodo ejus autoritati maximæ debet cedere uſus ſeu conſuetudo? Quomodo ejus Decretales ſunt ejuſdem autoritatis, ſicut decreta in corpore canonum digeſta? &c. Quomodo ei poſt Deum maxime erit obediendum, ideò quia ipſa eſt mater & caput omnium Eccleſiarum, contra quam ſi quis derogando loquitur, hæreticus reputatur? Quomodo ipſa valebit omnes judicare, de ea autem judicare nulli permittitur? Quomodo Chriſtianus, qui ei obedire contemnit, peccatum infidelitatis incurret? Et ita de quampluribus laudabilibus in Corpore canonum de ea digeſtis. *Si appareret erronea & hæretica*, Quomodo ipſa eſſet ſecurum & certum refugium omnium eccleſiarum, & univerſitatis Chriſtianorum viſibile in humanis, ad quod ſecurè haberent confugere in omni materia catholica & eccleſiaſtica? Quale refugium requirunt, & neceſſariò expoſcunt omnes eccleſiæ & Chriſtianorum communitas, cum Chriſtus ſponſus totius ſuæ eccleſiæ tale infinite ſciat, & immenſe faciliter potuit illi ſponſæ ordinaſſe, ipſa tali refugio valde indigente.

Item ut oſtendatur *tertio*, quod illi *primi tres articuli de quadringinta quinq;* ſint hæretici.

Primus. *Subſtantia panis materialis & ſimiliter ſubſtantia vini manent in ſacramento altaris.*

Secundus *Accidentia panis non manent ſine ſubjecto in eodem ſacramento.*

Tertius. *Chriſtus non eſt in eodem ſacramento*

mento identice & realiter, in propria præſentia corporali.

Nam ſupponendo ex quid nominis, & ſignificatione vocabuli, quod ſubſtantia panis materialis dicitur, qua ipſe panis ſubſtantialiter eſt panis materialis, tunc directè eſt contra prædictam transſubſtantiationem per Eccleſiam determinatam, quod ſubſtantia panis materialis remaneat in ſacramento altaris. Tunc enim non transſubſtantiaretur panis in corpus Chriſti prædicta transſubſtantiatione. Et ſimiliter de vino eſt dicendum.

Secundus articulus eſt directè contra transſubſtantiationem prædictam, in principio expoſitam, de qua, ut dictum eſt, loquitur Eccleſia in verbis ſuæ fidei & determinationis (in hac materia.)

Tertius etiam articulus eſt contra eandem determinationem. Nam ſi in ſacramento altaris ſub ſpeciebus panis & vini corpus Chriſti & ſanguis veraciter continentur, ut dicit determinatio: Tunc Chriſtus ſecundum verum corpus ſuum eſt ibi vere, præſentia ſua propria corporali. Et articulus dicit oppoſitum. Igitur &c.

ARTIC. IV.

Si Epiſcopus vel ſacerdos eſt in peccato mortali, non ordinat, non conficit, nec conſecrat, nec baptizat.

ILle articulus eſt hæreticus. Quia contra fidem ſanctorum & Eccleſiæ, & contra ſententiam ſacræ ſcripturæ. Dicit enim B. *Auguſtinus* ſuper Johannem: *Cum baptizat malus, illud, quod datum eſt, unum eſt, nec impar propter impares miniſtros, ſed par & æquale propter hoc Evangelium: Hic eſt qui baptizat.* Et ibidem: *Talis eſt baptiſmus, qualis eſt ille, in cujus poteſtate datur, non qualis eſt ille, per cujus miniſterium datur.* Et ibidem: *Dedit baptiſmum Judas: Et non eſt baptizatum poſt Judam. Dedit Johannes: Et baptizatum eſt poſt Johannem. Quia qui datus eſt a Juda baptiſmus eſt Chriſti, qui à Johanne Johannis erat, non à Juda Johannis. Sed baptiſma Chriſti etiam per manus Judæ datum baptiſmo Johannis recte præponitur. Ideo quos baptiſavit Judas, & Chriſtus. Sic ergo quos baptizat ebrius, homicida, adulter, Chriſtus baptizat. Hæc* Auguſtinus. *Idem* ſuper Johannem: *Ego dico, & nos dicimus omnes, quia juſtos oportet eſſe tanti judicis miniſtros. Sint miniſtri juſti ſi voluerint. Si autem noluerint eſſe juſti, qui in cathedra Moſis ſedent, ſecurum me facit magiſter meus, de quo ſpiritus S. dicit: Hic eſt qui baptizat. Non exhorreat ergo columba, id eſt, Eccleſia miniſterium malorum. Reſpiciat Domini poteſtatem. Quid facit miniſter malus, ubi bonus eſt Dominus? Neq; qui plantat, neq; qui rigat, aliquid eſt, ſed, qui incrementum dat, Deus. Si ſuperbus fuerit miniſter, cum Diabolo computatur. Sed non contaminatur donum Chriſti, quod per ipſum fluit. Purum eſt. Per lapideum canalem tranſit aqua ad areolas, id eſt hortos. In canali lapideo nihil generatur, ſed hortus plurimos fructus affert.* Hæc Auguſtinus.

Item B. *Bernhardus*, Sermone LXVI. ſuper canticum, invehens contra hæreticos quosdam: *Ajunt*, inquit, *& ſucceſſores Apoſtolorum & Apoſtolicos ſe nominant, nullum tamen ſignum ſui apoſtolatus oſtendere valentes, & ita dicunt ſe Eccleſiam. Sed contradicunt ei, qui dicit: Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita.* Et infra: *Jam vero Eccleſiam non cognoſcunt. Non eſt mirum, ſi ordinibus Eccleſiæ detrahant, ſi inſtituta non recipiunt, ſed ſacramenta contemnunt, ſi mandatis non obediunt prælatorum. Peccatores inquiunt ſunt Apoſtolici, Archiepiſcopi, Epiſcopi, presbyteri. Ac per hoc nec dandis nec recipiendis ſacramentis idonei. Numquid iſta duo conveniunt, Epiſcopum eſſe peccatorem? Falſum eſt. Epiſcopus erat Caiphas, & tamen quantus erat peccator, qui in Deum mortis dictabat ſententiam. Si negas, eum eſſe Epiſcopum, arguet te Johannes dans teſtimonium, qui eum in teſtimonium ſui Pontificatus etiam prophetaſſe refert. Apoſtolus erat Judas, & licet avariſſimus ſceleratiſſimus electus a Domino.*

Et

Et tu de illius apoſtolatu dubites, quem Dominus elegit. Nonne, inquit, ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis Diabolus eſt? Audis, electum Apoſtolum extitiſſe Diabolum. Negas, poſſe eſſe Epiſcopum, qui peccator eſt. Super cathedram Moſis ſederunt Scribæ & Phariſæi, & qui non obedierunt eis tanquam Epiſcopis, inobedientiæ rei fuerunt, etiam in ipſum Dominum præcipientem & dicentem: Quæ dicunt, facite. Hæc ille.

Ecce, quam clare conſtat ex fide ſanctorum & ſententia ſcripturæ, & ſic ex fide Eccleſiæ, quod *in peccato mortali exiſtens nihilominus eſt Epiſcopus vel ſacerdos*, baptizans, conſecrans, conficiens, ordinans, præcipiens autoritativè, & Prælative. Nec eſt minus opus officii Epiſcopalis, in peccato mortali in cathedra ſedere, & in eadem prælatice præcipere ſubditis, ubi ſi non obedierint tanquam Epiſcopis, inobedientiæ rei erunt in ipſum Dominum Deum, quam in peccato mortali Epiſcopum baptizare, conſecrare &c. Et, ſi Caiphas dictator ſententiæ mortis in Deum, cum eſſet Pontifex añi illius, prophetavit ſupra modum altam prophetiam, quia Jeſus videlicet moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, ſed ut filios Dei, qui erant diſperſi congregaret in unum, ut dicitur *Joh. XII.* Quomodo obſtabit, *criminoſum*, cum ſit Epiſcopus vel ſacerdos, *baptizare* vel conficere &c. Cum officium Epiſcopale vel ſacerdotale non ſit gratia gratum faciens, ſecũdum quamqvis meritorie ad vitam æternam operari haberet opera ſacerdotalia vel Epiſcopalia, ſicut patet 1. *Corinth. XII. & XIII.* Sed donum gratis datum, ſecundum quod quis poteſt & habet juridice, legitime, canonice & idonee, etiamſi non habuerit charitatem, facere & exercere opera Epiſcopalia & ſacerdotalia, utputa ordinare, conſecrare, baptizare, abſolvere, ligare &c. Sicut etiam filii, filiæ, vel alii cognati parentum vel cognatorum mortuorum hæreditatem relinquentium, juridice, legitime, canonice & idonee, etiamſi charitatem non habuerũt, in hæreditate ſuccedunt, ſicut patet *Num. XXVII.* Erat enim hoc filiis Iſrael ſancitum lege perpetua, ſicut præcepit Dominus Moſi, ut dicitur ibidem. Hæreſis ergo eſt, quod non ordinet, conſecret, conficiat, vel baptizet Epiſcopus vel Sacerdos, ſi fuerit in peccato mortali.

Artic. V.

Non eſt fundatum in Evangelio, quod Chriſtus miſſam ordinaverit.

Contra articulum iſtum hæreticum eſt fides Eccleſiæ, ſecundum textum Evangelii. Nam ſecundum Evangelium Chriſtus ipſemet miſſam celebravit, dum ſecundum tres Evangeliſtas, Matthæum, Marcum & Lucam, gratias agens confecit & conſecravit ſacrificium altaris, non minus illud Deo offerens quam paſcha, illud cum diſcipulis manducans. De quo paſchate ipſe *Luc. XXII.* dicebat: *Deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiscum antequam patiar.* Et cum in figura illius ſacrificii Melchiſedech ſacerdos Dei altiſſimi panem & vinum obtulit: Chriſtus igitur ſecundum Evangelium gratias agens ſacrificium confecit altaris. Illud ſacrificium Deo obtulit, ſe & diſcipulos eodem cibavit & potavit, & hymnum cum diſcipulis poſt hanc menſam dixit.

Etiam, ad ſacrificium veteris legis offerendum ſacerdotes fuerunt conſecrati, quibus ſolis licebat ſacrificium in domo Domini ſacrificare & offerre. Quanto magis Chriſtus ad hoc venerabile ſacrificium corporis & ſangvinis ſui conficiendum & ſacrificandum ſacerdotes novæ legis conſecravit & conſtituit, dum dixit *Luc. XXII. Hoc facite in meam commemorationem.* Præcipiens in hoc, quod ſimiliter miſſam celebrarent, ſicut ipſe, verbis Deum laudando, & muneribus ſacrificii honorando. Igitur fundatum eſt in Evangelio,

gelio, quod Chriſtus miſſam ordinaverit.

Item ſecundum Evangelium ſacerdos novæ legis debet orare: *Pater noſter*, & ſacrificare ſacrificium corporis & ſangvinis Chriſti. Cum *Matth. VI.* dicatur: *Sic orabitis: Paſter noſter, qui es in cœlis &c. Et Luc.* 22. Præcipitur ſacerdotibus: *Hoc facite in meam commemorationem*, ſcilicet Sacramentum altaris ſacrificando.

Et quia in primitiva Eccleſia pro celebratione miſſæ ſufficiebat orare *Pater noſter*, & ſacrificare ſacramentum altaris. Sicut ſecundum veras hiſtorias refertur, ſanctum Petrum, primum poſt Chriſtum Pontificem novæ legis, miſſam celebraſſe primam, dicendo ſolum *Pater noſter* in partibus orientis.

Item celeberrimum & ſolenniſſimum Eccleſiaſticum & ſacerdotale officium ac opus eſt, celebrare miſſam: Tum, quia à ſupremo Pontifice usque ad infimum ſacerdotem nullum aliud opus & officiú Eccleſiaſticum & ſacerdotale tantum adornatur & ſolenniſatur exterioribus ceremoniis, ritu, ornatu, & variatione corporali, & interiori mentis attentione, pietate, devotione, reverentia, tripudio, & ſolennitate: Tum quia in nullo alio officio Eccleſiaſtico & opere ſacerdotali tam mira ſolennitate & celebritate, & tam admirabili Eccleſiaſtica pulchritudine & ſubtilitilitate complicantur, ſimul *verba* orationis, & *munera* ſacrificationis: *Verba*, quibus laudetur, extollatur & exhilaretur Deus, *Munera*, quibus honoretur, glorificetur, oblectetur, & lætificetur Deus: *Verba*, quibus corpus Eccleſiæ & membra ejus commendantur Deo, *Munera* quibus conciliantur Deo: *Verba*, quibus corpus Eccleſiæ & membra ejus eriguntur in Deum, *Munera*, quibus reficiuntur, nutriuntur, augentur, & ſecundum myſticam ſtaturam perficiuntur in Deo: *Verba*, in quibus currit oratio *Pater noſter*, cum aliis, præſtantiſſimi lectio Evangelii, cum aliis, validiſſima conſecratio ſacramenti altaris, Celeberrima *munera*, ubi verum corpus & verus ſangvis Chriſti cum ſuis membris offeruntur Deo in ſacrificium ſanctificans, ubi etiam myſticum corpus Chriſti cum ſuis membris offertur Deo in ſacrificium ſanctificatum.

Et quis poſſet omnia magnalia hujus venerabilis officii & operis Eccleſiaſtici ac ſacerdotalis edicere!

Cum autem dicat Chriſtus *Joh. XIV. Paracletus ſpiritus S. quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*: Quomodo igitur Chriſtus per illum ſpiritum, quem & ipſe à patre miſit diſcipulis, Joh. XV. non docuit diſcipulos ſuis temporibus illud ineffabile opus ſacerdotale, opus ſcil. miſſæ? Et per conſequens, ſi Chriſtus ſecundum Evangelium docuit per Spiritum S. de opere miſſæ, ipſe ſecundum idem Evangelium ordinavit illud opus ineffabile.

Igitur hæreſis eſt, quod non ſit fundatum in evangelio, quod Chriſtus miſſam ordinaverit. Igitur &c.

ARTIC. VI.

Deus debet obedire Diabolo.

QVamvis autem ſcribatur ſic *Joſue X. Tunc locutus eſt Joſua Domino in die, qua tradidit Amoræum in conſpectu filiorum Iſrael, dixitq́, coram eis: Sol contra Gabaam ne movearis, & luna contra vallem Ahialon, ſteteruntq́, ſol & luna, donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. Nonne ſcriptum eſt in libro juſtorum? Stetit itaq, ſol in medio cœli, & non feſtinavit occumbere ſpacio unius diei. Non fuit antea & poſtea tam* longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſrael.

Ex hoc textu adverſarii dicunt: Si Deus obedivit voci hominis, quid repugnat, quod obediat Diabolo? Et quia Deus non obediret Diabolo, niſi deceret obedire Deum Diabolo & per conſequens niſi deberet: Igitur Deus debet obedire diabolo. Sed ſi hoc eſſet verum tunc omnino debebunt homines obedire Diabolo, & voluntati ejus. Et cum non

non velit, niſi iniqua & injuſta & perverſa, propter omnimodam perverſitatem ſuam, igitur homines debebunt obedire Diabolo in iniquis injuſtis & perverſis. Cum autem ſit abſurdum, eò, quod tunc contra Evangelium poſſit homo ſervire duobis Dominis, obediendo Deo, ſicut debet, & obediendo Diabolo, ſicut debet, juxta adverſarium: Quanto incomparabiliter magis abſurdum, quod Deus debet obedire Diabolo.

De hoc autem, quod dicitur, *ſtetit itaq; ſol &c. obediente Domino voci hominis*, poteſt intelligi: Sol ſtetit &c. obediente Domino, id eſt, faciente Domino obedire voci hominis. Sicut in ſimili dicit Apoſtolus *Rom. VIII. Nam quid oremus, neſcimus, ipſe autem ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Poſtulat, id eſt, poſtulare facit.

Unde, quia textus dicit ſic: *Tunc locutus Joſua Domino in die, qua tradidit Amoraum in conſpectu filiorum Iſrael dixitq; coram eis: Sol contra Gabaon, ne movearis* &c. Ubi juxta tenorem verborum Joſuæ non Domino ſed ſoli ad obediendum præcepit: Et quia ſol non potuit Joſuæ in hoc obedire, niſi Deo divina ſua potentia miraculoſè faciente, ſicque locutus eſt Joſua Domino petitorie, dixitque præceptoriè ſoli: Sol ne movearis: Et quia non potuit ſol obedire niſi hoc Domino faciente: Stetit itaq; ſol in medio cœli &c. obediente Domino, id eſt, faciente obedire voci Joſuæ (hominis)

Et dato, quod Deus obedivit voci hominis, id eſt, paruit, potentiâ divina efficere, quod non ſibi ſed ſoli præceptum fuit, ubi etiam non Deo, ſed ſoli voce hominis præcipiebatur, ubi etiam Deus paruit, non, ut ſubditus, ſed faciens ut Dominus, potentia ſua divina miraculoſè operante, quod ſoli mandabatur, faciens hoc miraculum Deus in teſtimonium juſtitiæ ſervi ſui Joſuæ. Unde in textu dicitur: Nonne *ſcriptum eſt hoc in libro juſtorum.* Abſit tamen abſurdiſſimum verbum, ut Deus debeat obedire Diabolo. Cum tunc Deus deberet parere, vel ut ſubditus, faciendo, quod diabolus ſibi imperaret, vel deberet parere, ut Dominus, potentia ſua miraculoſè faciendo, quod diabolus alteri imperaret, ſua perverſa voluntate faciendo: Dico, eo modo, quo diabolus perverſitate ſua illud præciperet faciendum. Abſit hoc à Deo ſimpliciter bono, quod acquieſcat & conſentiat in aliquo voluntati diaboli, in omnibus iniquæ.

Non obſtante, quod Chriſtus Deus permiſit diabolo, *circa ſe ipſum* Chriſtum in triplici tentatione, *circa Job*, circa ingreſſionem in porcos, & ita de aliis, exercere ſuam impiam voluntatem. Unde, cum Marci V. dicitur, *Et deprecabantur eum*, ſcilicet Chriſtum, *ſpiritus* ſcilicet immundi, *dicentes: Mitte nos in porcos, ut in eos introeamus. Et conceſſit eis Jeſus ſtatim*; Conceſſit, id eſt, permiſit. Etiam dicens eis, *ite*, Matth. 9. Non voluntati impiæ ipſorum conſenſit. Conſentiens enim & faciens pari pœna plectendi ſunt. Qui autem voluntati impiæ obedit, eidem obediendo conſentit.

ARTIC. VII.

Niſi homo fuerit debite contritus, omnis confeſſio exterior eſt ſibi ſuperflua & inutilis.

Iſte articulus hæreticus eſt contra rationem veræ contritionis de peccatis, ſaltem mortalibus, conſciis, nondum confeſſis. Talis enim vera contritio requirit propoſitum ſatisfaciendi, non ſecundum proprium judicium & arbitrium, ſed ſecundum arbitrium & judicium judicis Eccleſiaſtici, in foro conſcientiæ loco Dei conſtituti, ſcilicet ſacerdotis. Ad hoc autem judicium & arbitrium celebrandum requiritur exterior confeſſio. Igitur debita contritio non excludit exteriorem confeſſionem ſacramentalem, ſacerdoti faciendam, tanquam inutilem & ſuperfluam: ſed eam expoſtulat, ut ſalutarem & neceſſariam, ad ſatisfaciendum, debito juris ordine, in judiciali

ſoro conſcientiæ, ubi ſacerdos eſt judex Eccleſiaſticus, juxta ordinationem legislatoris Chriſti dicentis ſacerdotibus: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt*, Joh. XX. Item, *quæcunq; ligaveritis ſupra terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunq; ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Matth. XVIII.*

Item iſte articulus eſt dogma hæreticum contra vim ſacramenti pœnitentiæ. Nam ſi ad contritionem debitam eſt inutilis & ſuperflua confeſſio exterior ſacramentalis ſacerdoti in foro conſcientiæ, & quia debet fieri non ſine tali, ſed ad talem applicatio ſacramenti pœnitentiæ: Igitur debita contritio excluderet poſt ſe applicationem ſacramenti pœnitentiæ, ſicut inutilem & ſuperfluam. Quod eſt abominabilis hæreſis, & nimium deceptoria. Tanta enim eſt vis & pretioſitas ſacramenti pœnitentiæ, ut ſi homo attritus & nondum contritus, accedit ad ſacerdotem confitendo peccatum ſuum, & ſacerdos abſolvendo applicat ſibi ſacramentum pœnitentiæ, & confitens non ponit obicem virtuti ſacramenti pœnitentiæ, ex virtute talis ſacramenti conſequitur gratiam contritionis, quam alias non conſequeretur. Salutare igitur & ſecurum eſt refugium transgreſſoribus per exteriorem confeſſionem ſacerdoti confugere ad venerabile ſacramentum pœnitentiæ. Ubi dum peccator non ponit obicem, virtute ſacramenti conſequitur gratiam contritionis, & aliàs vix in attritione maneret.

Item per quodlibet mortale peccatum homo incurrit ad minimum excommunicationem minorem, quæ excludit à perceptione ſacramentorum Eccleſiæ. Et per crimen hæreſis & per nonnulla alia incurrit excommunicationem majorem, quæ eſt ſeparatio à communione fidelium.

Sed dato, quod per debitam contritionem peccator reſuſcitaretur à morte animæ ad vitam, adhuc tamen manent vincula minoris excommunicationis vel majoris. Quarum *ſolutio* reſervatur à Deo ſuo ſacerdoti, & ligatio, ne poteſtas ſacerdotalis ligandi & ſolvendi, remittendi & tenendi peccata, id eſt vincula peccatorum à Deo ordinata & tradita, contemneretur, ſed honoraretur. Quod clare figuratum (ſignatum) eſt. Quia cum Chriſtus ipſemet ſuſcitaret Lazarum in ſepulchro de morte ad vitam ſine adminiculo diſcipulorum, eis tamen commiſit ſolvere viventem Lazarum, adhuc ſecundum manus & pedes inſtitis ligatum.

Propter quod, ſicut valde cautum eſt, libenter confugere per exteriorem confeſſionem ad ſacerdotem, ut per ſacramentum pœnitentiæ, cui non ponit obicem, gratiam contritionis conſequatur, ubi aliàs habet gratiam contritionis, quod illa virtute ſacramenti ſibi augeatur: Sic valde cautum eſt, libenter per exteriorem confeſſionem ad ſacerdotem confugere, ut per poteſtatem ſolvendi ſolvat vincula minoris excommunicationis, ſi quam contraxit, etiam neſcius. Delicta enim quis intelligat? Et ſi in nullis talibus vinculis eſt, incertus autem eſt, per abſolutionem certificatur.

Articulus ergò hic ſeptimus diabolicum & hæreticum dogma eſt, contra ſalutarem & Evangelicam Chriſti ordinationem. Quâ ordinavit & dogmatizavit evangelicè circa ſuſcitationem Lazari, quod etiam debite contriti poſt contritionem petant ſolvi à vinculis per ſacerdotes, ut tactum eſt.

Item dato, quod ſicut ſacerdotes veteris legis non habuerunt poteſtatem mundandi lepram corporalem, ſed habuerunt poteſtatem ſententiandi aliquem mundatum vel mundum à lepra, cui ſententiæ ſtandum erat, quod ſic ſacerdotes novæ legis haberent ſolum poteſtatem ſententiandi aliquem mundatum vel mundum à lepra ſpirituali, & ſuis vinculis, cui ſententiæ ſtandum eſt ex ordinatione Dei dicentis: *Quæ ſolveritis &c. Et quorum remiſeritis* &c. Et non haberent poteſtatem mundandi à lepra ſpirituali: Quamvis in rei veritate ſacerdotes per applicationem ſacramenti pœnitentiæm, miniſterialiter, per applicationem virtutis illius ſacramenti

menti, poſſint mundare, ſicut per applicationem ignis aliquis poteſt ſtramen vel lignum incendere, non virtute ſua, ſed virtute ignis: Dato tamen illo, & cum quis incidit in peccatum mortale, redditur inhabilis ad percipiendum ſacramenta Eccleſiæ, nec quisquam in cauſa propria debet eſſe ſui ipſius judex, ſi liceat ſibi poſt admiſſionem criminis accedere ad ſacramentum eccleſiæ, vel ſi debeat abſtinere. Imo, cum hæc ſit cauſa ſolum Eccleſiaſtica, [Evangelica] igitur ad judicem Eccleſiaſticum, ad ſacerdotem ſcilicet alium à ſe, debet recurrere, & illius ſententiam, ſi mundus vel immundus eſt, ſi liceat ſibi accedere vel non liceat, debet audire, & illi ſtare.

Et huic ſalutari, catholicæ, & Evangelicæ doctrinæ contrariatur illud perverſum dogma, articulus hic ſeptimus.

Item iſte articulus obviat ſalutari decreto ſedis Apoſtolicæ, & ſanctæ Dei Eccleſiæ, *Omnis utriusq; ſexus.* Ubi ſalubriter inſtituitur & docetur, quod quilibet Chriſtianus adultus ſemel in anno proprio ſacerdoti circa feſtum paſchæ confiteatur. *De pœnit. & remiſſ.*

ARTICULUS VIII.

Si Papa ſit præſcitus & malus, per & conſequens membrum diaboli, non habet poteſtatem ſuper fideles ab aliquo ſibi datam, niſi forte à Cæſare.

ISte articulus oſtenditur eſſe hæreticus per illa, quæ contra quartum articulum dicta ſunt. Nonne Caiphas præſcitus & malus habuit poteſtatem pontificalem ſuper fideles à Deo datam, cum omnis poteſtas ſit à Deo, *Rom. XIII.* Similiter & *Judas Iſcarioth*, cujus epiſcopatum accepit Matthias. Nonne *Saul* præſcitus & malus habuit poteſtatem Regiam à Deo ſibi datam ſuper fideles? Quem *David* fidelis teſtatur Chriſtum Domini. Nonne *Imperatores Romani* tempore Chriſti & Apoſtolorum præſciti & mali, habuerunt poteſtatem imperatoriam ſuper fideles? Cum & Chriſtus dixit: *Date quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Et ipſemet pro ſe & Petro, primo vicario ſuo ſupremo, dignatus eſt dare didrachma Regi ſeculari. Et *Petrus* & *Paulus* & ceteri docuerunt & præceperunt fidelibus, obedire poteſtatibus Regum infidelium.

Et cum plenitudo poteſtatis Eccleſiaſticæ vicariè loco Chriſti præſidendi Eccleſiæ Dei in terris, exiſtens, à Deo ſit non minus, non gratia gratum faciens, ſed donum gratis datum: Sicut, eſſe Apoſtolum, eſſe Prophetam, Evangeliſtam, ſunt dona gratis data, non gratiæ gratum facientes, ut patet 1. *Cor. XII. & XIII.* Igitur illa plenitudo poteſtatis Eccleſiaſticæ non habet in ſe vim excludendi per modum formæ & habitus peccatum mortale, cum ſola gratia gratum faciens habeat in ſe talem vim. Quomodo ergo non eſt poſſibile, quod illa ſtet in Papa cum peccato mortali, vel Papa exiſtente præſcito? Et quia talis plenitudo poteſtatis eſt major, quam poteſtas ſecularis imperatoria, hæreſis eſt quòd ſit à tali Imperatore. Et ſecunda hæreſis eſt, quod non ſit ab alio data, quam Imperatore tali terreno, cum ſit à Deo; *Rom. XIII.*

Igitur hæretica eſt illa conditionalis: Si Papa eſt præſcitus & malus, & per conſequens membrum diaboli, non habet poteſtatem ſuper fideles ab aliquo ſibi datam, niſi forte à Cæſare. Sicut enim ſuper cathedram Moſis ſederunt Scribæ & Phariſæi, præſciti & mali, & tamen quæcunque dixerunt & præceperunt, obediendum erat: Sic ſecundum illud Evangelium poſſibile eſt, malum & præſcitum ſedere ſuper cathedram Petri Apoſtolorum Principis, qui erit Papa præſcitus & malus, habens proteſtatem à Deo ſuper fideles, cum Chriſtus Deus ſecundum Evangelium illud præcipiat fidelibus, obedire ſuis præceptis &c.

Articu-

Digitized by Google

Articulus IX.

Poſt Urbanum VI. non eſt aliquis recipiendus in Papam, ſed vivendum eſt more Græcorum ſub legibus propriis.

ISte articulus eſt erroneus, dogmatizans, quod poſt Urbanum VI. Chriſtianus populus non debeat ſedem Apoſtolicam, & Romanam eccleſiam, ubi Papa eſt caput, & collegium cardinalium corpus illius Eccleſiæ, non debeat, inquam, reſpicere per obedientiam. Cum tamen ibi vel nullibi alias ſuper terram ſint claves regni cœlorum, Petro & collegio reſiduorum Apoſtolorum & ſucceſſoribus traditæ. Ut quæcunque ſolverint aut ligaverint ſuper terram, ſint ſecundum hoc ſoluta & ligata in cœlis: Et quorumcunque remiſerint aut retinuerint peccata, ſint ſecundum hoc remiſſa & retenta.

Vel ſi non ſunt ibi tales validiſſimæ & maximæ claves cœlorum regni in terris, dent alibi, adverſarii, hæretici, apertos, viſibiles in humanis clavigeros talium clavium. Et nequaquam dabunt, contra fidem omnium Chriſti Eccleſiarum, in terris viſibiliter in humanis congregatarum. Quæ fides ex inſtinctu Spiritus ſancti tenet, claves illas ſemper fuiſſe & eſſe in tali Romana Eccleſia, in corpore illo myſtico, quod manet in continuo unum & idem in numero quoad formam myſticam & Eccleſiaſticam, a tempore Apoſtolorum usque in præſens & deinceps. Perverſus ergo eſt articulus prædictus, quo populus Chriſtianus induceretur ad inobedientiam reſpectu illius ſedis & illius Eccleſiæ Romanæ, & illarum clavium regni cœlorum.

Item univerſitas ovium myſticarum Chriſtiani populi, converſans viſibiliter in humanis, indiget & requirit in ſuis ſuppoſitis per orbem terrarum diffuſis illuminari viſibiliter in humanis, informari, certificari, regi, dirigi, & univerſaliter paſci, in univerſa & tota materia, & vita Catholica, Eccleſiaſtica, & Chriſtiana. Et per conſequens requirit & indiget aliquo certo & ſecuro ſibi refugio, viſibili in humanis, in quo ſit ſufficiens & abundans principium formale illuminandi, dirigendi, certificandi &c. ipſam primam univerſitatem totam in univerſa materia & vita Eccleſiaſtica, catholica, & Chriſtiana. Ad quod etiam refugium recurrendum eſt de univerſis partibus Chriſtianitatis in difficilibus, & ambiguis, ſicut Spiritus S. docet *Deuter. XXII.* Alias infiniti ſeminarentur errores in Eccleſia Dei. Ibi tres vel plures dicerent ſe congregatos in nomine Chriſti, & ſententiarent, unam partem contradictionis tenendam. Et alii ſimiliter aliam. Vel illi unum contrarium, alii aliud contrarium: Et tertii medium. Et hodie illi ſentiarent hoc pro fide tenendum, cras alii aliud, juxta capita ſua & ſeductionem diaboli. Et nemo poſſet viſibiliter in humanis, nec haberet talia corrigere, & talibus occurrere malis, quæ ſunt multo pejora, quam furta, latrocinia, adulteria & cætera ſecularia, in regnis ſecularibus currentia.

Oportet ergo & ſecundum Scripturam ſacram *Deut. XVII.* & ſecundum Evangelium, dicens *Matth. V. Vos eſtis ſal terræ, vos eſtis lux mundi,* item; *Quæcunq; ſolveritis, & quæcunq; ligaveritis, & Quorum remiſeritis peccata &c.* item, *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit:* Oportet inquam ſecundum ſcripturas tales, ſapienter ſimul comportatas, & ſecundum rationem, eſſe unum, certum & ſecurum refugium viſibile in humanis, ad quod univerſitas Chriſtiani populi de univerſis mundi partibus habet recurrere ſecure, & reſpicere in difficilibus & ambiguis in fundamento fidei, & in univerſa, & tota materia catholica & Eccleſiaſtica. Et quid potius erat tale, quam ſedes Apoſtolica & Romana Eccleſia, ubi Papa & collegium Cardinalium cathedram Petri & aliorum tenent Apoſtolorum.

Hoc autem tenet & credit univerſitas & communitas Chriſtiani populi & omnes Eccleſiæ metropolitanæ, cathedrales, collegiatæ &c.

Hoc

Hoc etiam ſententiat Scriptura ſacra *Matth. XVI.* ubi Chriſtus a Petro & aliis Apoſtolis quærens ſententiam veram de fundamento fidei Chriſtianæ, ſententiis vanis hominum rejectis, quærens inquam Chriſtus ab eis: *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Et reſpondens Petrus, ſicut capitalis definitor, ait, *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*: Quæ ſententia eſt fundamentum fidei, quam Chriſtus approbavit, dicens: *Beatus es Simon bar Jona &c.* Cum ergo quæſivit à Petro & Collegio aliorum Apoſtolorum ſententiam definitivam in fundamento fidei, quam & approbavit, non ex carne & ſangvine ſed a Deo revelatam: Et quia Papa & collegium Cardinalium ſedent in cathedra & autoritate definiendi & ſententiandi, in cathedra dico Petri & collegii Apoſtolorum: Igitur illa Romana Eccleſia eſt illud ſecurum & certum refugium viſibile in huwnis, de quo dictum eſt.

Et per conſequens impius error eſt articulus prædictus, qui ſvadet, quantum in eo eſt, quod populus Chriſtianus poſt Urbanum VI. non curet ſedem Apoſtolicam & Romanam Eccleſiam, ubi Papa eſt caput, & collegium Cardinalium corpus: Sed qvod vivant ſub legibus propriis more Græcorum. Qui ergo erunt legiſlatores talium propriarum legum? Et qui habebunt autoritatem puniendi transgreſſores? Nulli dabuntur, ſed fiet in Eccleſia Dei confuſio ſupra modum &c.

ARTIC. X.

Contra ſcripturam ſacram eſt, quod viri Eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones.

ISte articulus eſt contra legem divinam. Nam ſecundum legem divinam clerus veteris legis habebat XLVIII. civitates cum ſuburbiis ſuis, *Joſua XXI.* habebat omnes decimas Iſraelis in poſſeſſionem, *Num.* 18. habebat ſacrificia & oblationes Domini, primitias frumenti, vini & olei, lanarum partem ex tonſione ovium, *Deut.* 18. Similiter poſſeſſio conſecrata, ut ager, animal, homo, ſive quicquid talium fuerit, ad jus pertinet ſacerdotum *Levit. ult.* Nec populus Chriſtianus minus debet offerre domino ſacrificia, oblationes, conſecrare agros, poſſeſſiones & ſimilia, domino dare decimas, quàm Judaica gens, ſed magis. Nec *clericatus novæ legis* eſt minus idoneus habere ſacrificia, oblationes, decimas Domini, poſſeſſiones conſecratas, minus potens, minus ſapiens, minus bonus adminiſtrare & diſpenſare, *quam clericatus veteris legis*, imo magis. Nam & Epiſcopum oportet eſſe hoſpitalem, & ſuæ domui bene eſſe præpoſitum, & ſimiliter Diaconos filiis ſuis bene præeſſe & ſuis domibus, dicit Apoſtolus 1. *Tim. III.*

Nec eſt modicus honor Chriſti, poſtquam ſua Eccleſia per bellum fortiſſimum glorioſorũ martyrum, ſpatio quaſi trecentorum annorum durans, mundum cum ſuis poſſeſſionibus & divitiis ſubjugavit & quietavit, quod tunc, ſicut antea Chriſtus & ejus ſacerdotes fuerunt humiles in ignominia, caſti in angaria, pauperes in penuria, per trecentos fere annos illius belli cum mundo, quod ſic certe illo laudabili novo modo, Epiſcopi & ſacerdotes eſſent humiles in gloria, caſti in deliciis, pauperes in divitiis, ſicut & fuerunt ſanctus Sylveſter, ſanctus Gregorius, & plurimi alii ſancti Papæ, Epiſcopi & ſacerdotes. Sic enim ad magnum honorem ſancti Wenceslai martyris & Patroni noſtri legitur, & canitur, quod ipſe fuerit humilis in gloria, caſtus in deliciis, & pauper in divitiis. Eſt igitur articulus prædictus hæreticus.

ARTIC. XI.

Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, niſi prius ſciat eum excommunicatum a Deo. Et qui ſic excommunicat, fit hæreticus ex hoc, vel excommunicatus.

ISte articulus hæreticus nititur primo evertere ordinem Evangelicum. Nam Evangelium non dicit prælatis in perſona Apoſtolorum: *Quæcunq; prius ſciveritis ligata in cœlis, ligabitis ſuper terram*: Sed e converſo dicit: *Quæcunq; ligaveritis ſuper terram, ligata & in cœlis.* Unde venerabilis *Hugo de Sancto Victore parte* 14. Sententiam Petri non præcedit ſed ſubſequitur ſententia cœli.

Secundo iſte articulus prætendit reprehendere Chriſtum in autorizando Prælatos de excommunicatione & in certificando. Nam ubi Chriſtus quoad hoc dixit: *Quæcunq; ſuper terram ligaveritis*, etiam excommunicatione, erunt ligata in cœlis, debuit ſecundum illum errorem ad autoriſandum & certificandum Prælatos de activa eorum excommunicatione ſic dixiſſe: *Quæcunq; prius ſciveritis ligata in cœlis, ligabitis ſuper terram.*

Tertio ille articulus imponit Chriſto quod ipſe Prælatos Eccleſiæ induceret in periculum hæreſis, & excommunicationis paſſivæ, ubi ipſi non, ſecundum verba hujus articuli, fulminarent excommunicationem, ſed nude, ut autoriſati & certificati ſunt per verba Chriſti dicentis: *Quæcunq; alligaveritis ſuper terram*, fulminarent excommunicationem in illos, quos reputarent excommunicandos ſecundum rectum judicium Eccleſiaſticum.

Item tunc ſecundum illum articulnm prælati, etiam facientes debitam ſuam totam diligentiam, eſſent inſufficienter nimis & inefficiaciter autorizati & certificati de canonica & legitima excommunicatione excommunicandorum, per verba Chriſti, dicentis, autoritative & certificative, *Matth. XIIX. Amen dico vobis: Quæcunq; ligaveritis ſuper terram erunt ligata & in cœlis.* Patet autem conſequentia. Nam prælati, facientes ſuam totam debitam diligentiam, de quocunque, per eos debito excommunicari, dicerent: Ego non habeo à Deo revelationem per internam inſpirationem, nec per exterius ſignum, nec per explicatam de illo Scripturam Sacram, nec certam & ſecuram rationem, vel alias undecunq; manifeſtam ſecuram probationem, quod Deus illum excommunicaverit excommunicatione majori, de qua eſt hic ſermo: Non obſtante etiam, quod ille meruerit tali excommunicatione excommunicari ex admiſſo per eum crimine mihi notorio & bene conſcio, ut judici Eccleſiaſtico. Quia ſi homo, judex Eccleſiaſticus, poteſt rationabiliter ex gratia vel cauſa rationabili ad tempus differre, cum pœna excommunicationis, vel alia, legitime pro admiſſo crimine inferenda, vel poteſt eam rationabiter non infligere, quanto magis Deus? Cum ergo prælatus a Deo non ſit certificatus aliquo prædictorum modorum circa quemcunque, qui etiam notorie ipſi judici prælato admiſit crimen, pro quo ſententiâ excommunicationis puniri deberet juxta Evangelium, ſi Deus illum punivit ſententia excommunicationis, vel pœnam adhuc differt inferre, dato, per adverſarium, quod Deus prius tempore excommunicat quàm prælatus: Igitur ſecundum articulum prædictnm prælati nusquam deberent excommunicare aliquem, quem etiam ſibi ipſis notorie ſcirent admiſiſſe crimen pœna excommunicationis puniendum. Quia ſic aliquem excommunicarent, neſcientes prius eum excommunicatum a Deo. Ubi ex hoc, ſecundum illum articulum, fierent hæretici vel excommunicati.

Articulus ergo ille eſt nimium hæreticus contra verba Chriſti, quæ ſufficientiſſime autoriſant & certificant prælatos, ut quoscunq; prælati per ſententiam excomunicationis excommunicarint ſuper terram, quod tales erunt excommunicati & in cœlis, ſic, quod in cœlis approbabitur vim ligationis habere, ſive juſta fuerit, ſive injuſta. Sicut baptizatio in nomine trinitatis à Sancta Trinitate approbatur vim mundationis habere, etiamſi ebrius, adulter, vel homicida baptizet. Quia Chriſtus ibi baptizat & certificat. Similiter hic Chriſtus excommunicat. Ergo nullum eſt periculum hæreſis vel excommunicationis ipſis prælatis ex hoc, quod excommunicant aliquem, quem non

non prius ſciunt excommunicatum a Deo. Et ſimiliter in hoc, quod Chriſtus non dicit: *Quæcunq; fuerunt ligata in cœlis, alligabitis & ſuper terram*, ſed e converſo: *Quæcunq; ligabitis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis*, certificat ipſe Dominus, quod ſententia excommunicationis Dei in cœlis non præcedit temporaliter ſententiam excommunicationis prælati in terris, ſed eam ſequitur concomitanter. Nam nec ſimpliciter dicit Chriſtus: *Quæcunq; alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis*, ſed interponit conjunctionem *&*, dicendo, erunt ligata & in cœlis. Expreſſe per hoc ſignificans, quod ad ſententiam excommunicationis prælati in terris præcedentem ſubſequenter copulatur ſententia excommunicationis in cœlis. Alias non daretur pertinens ratio, quare ita ponderoſe Chriſtus per verbum *erunt*, de futuro, & per conjunctionem *&* dicit ad præcedens: *Erunt ligata & in cœlis*.

Et plenum eſt ratione, quod ſententia excommunicationis in cœlis non præcedat temporaliter ſententiam excommunicationis Prælati in terris, ſed quod eam ſequatur concomitanter. Nam ſi ſententia in cœlis præcederet temporaliter ſententiam in terris ipſius Prælati, tunc interim nec ipſe excommunicatus, nec Prælatus, nec alii in terris ſcirent de illa eis abſcondita in cœlis. Ad nihil ergo eſſet utilis illa interim ſententia excommunicationis. Cum nec excommunicatus teneretur ſe ſecundum illam ſegregare à perceptione ſacramentorum & communione fidelium, nec alii tenerentur eum vitare. Cum nec divinitus nec humanitus conſtaret eis de illa ſententia.

Oportet autem ſententiam cœli ſubſequi concomitanter ſententiam Prælati in terris. Niſi enim ſententia in cœlis approbaret vim alligationis ſententiæ in terris, ſententia in terris eſſet nulla & nullius valoris.

Sic itaque Chriſtus per juramentum ſuum dicens prælatis Eccleſiæ: *Amen dico vobis, quæcunq; alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis*, certificat ipſe *primo*, quod ſententia excommunicationis in cœlis non præcedat temporaliter ſententiam Prælati in terris, ſed ſubſequatur concomitanter, in approbationem & confirmationem ſententiæ Prælati. Certificat *ſecundo*, quod prælati non habent prius ſcire, quod aliquis ſit excommunicatus à Deo, antequam ipſum excommunicent. *Tertio* autorizat & certificat Chriſtus, ut quicunque à judicibus ſuis Eccleſiaſticis in foro Eccleſiæ per ſententiam excommunicationis alligantur in terris, quod illi ſint ligati quoad talem ſententiam in cœlis, ſive tales demeruerint illam pœnam, ſive non, & ſive ſententia ſit juſta, ſive injuſta. Alioquin eſſet nimia perplexitas Chriſti fidelibus circa excommunicationis ſententiam, cum de uno ſicut de alio quocunque verterent in incertum, & ponerent in dubium, ſi ſententia judicis illum ligat, vel non, & ſi debeant parere vel non, illi ſententiæ. Veruntamen pœna excommunicationis juſto excommunicato non nocet: Sed dum eam patienter fert, non improbans ſed humiliter approbans juramentum Chriſti, dicentis: *Amen dico vobis, quæcunq; alligaveritis ſuper terram*, &c. ad magnum meritum cedit illi. Sicut paſſio Chriſti injuſtiſſime illata ad permaximum ceſſit meritum. Sed væ judici, qui injuſtam fert ſententiam, & non ſervat diligentiam circa debitum ordinem juris & judicii Eccleſiaſtici. *Quarto* certificat Chriſtus, quod prælati ex hoc non ſint hæretici vel excommunicati, quod aliqvem excommunicant, quem non prius ſciunt excommunicatum à Deo &c.

Artic. XII.

Prælatus excommunicans clericum, qui appellavit ad Regem, & ad conſilium regni, eo ipſo traditor eſt Regis & regni.

ERror & ſcandalum ipſius articuli ſic patet. Nam clericus per prælatum ſuum evocatus ad judicium, coram ſe in foro eccleſiaſtico, ſub excommunicationis pœna tenetur ſtare in eodem foro coram illo prælato ſub eadem pœna, niſi clericus ille legitime apellaret ad judicem ſuperiorem. Nec licet tali clerico appellare à judice & foro Eccleſiaſtico ad judicem & forum temporale. Cum hoc eſſet appellare à majori ad minus. Sicut enim ſe habet ſpiritus ad corpus & regio ſpiritus ad regionem corporis, ſic proportionabiliter judex Eccleſiaſticus ad judicem terrenum, & forus eccleſiaſticus ad temporalem. Spiritualis namque poteſtas terrenam poteſtatem inſtituere habet, ut ſit, & judicare, ſi bona non fuerit. Sicut dicit venerabilis *Hugo de ſancto Victore*, & ſententiat hoc idem *Alexander de Halis* & alii Doctores & ſacri canones. Et probant per illud 1. *Corinth. II. Spiritualis judicat omnia, & ipſe à nemine judicatur.* Ubi igitur Prælatus evocat clericum ſub pœna excommunicationis ad judicium in foro eccleſiaſtico, & clericus contumaciter rebellat venire vel ſtare ad judicium, & per indebitam & illicitam appellationem ad terrenum judicem & forum ſecularem nititur colorare & defendere ſuam contumaciam, inobedientiam & rebellionem, ibi prælatus habet legitimam cauſam clericum ſic appellantem excommunicandi. Error eſt ergo ſcandaloſus, quod prælatus eo ipſo ſit traditor Regis & regni, quia clericum in tali cauſa ad concilium regni & Regem appellantem indebite & illicite, pro coloranda & defendenda ſua inobedientia contumacia & rebellione, excommunicat, legitimam pœnam ex legitima cauſa inferendo.

Artic. XIII.

Illi, qui dimittunt prædicare ſive audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, ſunt excommunicati, & in die judicii traditores Chriſti habebuntur.

Iſte articulus eſt ſcandaloſus, qui juxta materiam catholicam doctrinalem & regulativam habet principalem uſitatam ſignificationem & ſententiam erroneam. Et in hoc eſt articulus erroneus. Principalis & uſitatus ſenſus illius articuli eſt, quod illi indifferenter, quicunque fuerint, qui dimittunt prædicare vel audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, in hoc vel ex hoc ſunt excommunicati, & in die judicii traditores Chriſti habebuntur. Et in hoc ſenſu principali & uſitato etiam apud ſimplices, qui eum in tali ſenſu acciperent, ubi eis pro dogmate ſcriberetur aut prædicaretur, in hoc certe ſenſu eſt ille articulus erroneus. Abſit enim, quod fideles ſacerdotes, propter prohibitionem Papæ vel Epiſcopi, ſub pœnæ excommunicationis lata ſententia ſeu legitima & rationabili cauſa factam, pro loco & tempore dimittentes prædicare verbum Dei, ſint in hoc vel ex hoc habendi pro traditoribus Chriſti in die judicii. Cum & illi magni prædicatores Paulus & Silas vetiti ſunt à ſpiritu S. loqui verbum in Aſia, *Act. XVI.*

Abſit ſimiliter, quod fideles laici propter ſimilem prohibitionem pro tempore & loco, quando & ubi errores ſeminarentur, aut vehemens ſuſpicio eſſet de ſeminatione colorata errorum & hæreſium, dimittentes audire verbum Dei, eſſent in hoc & ex hoc excommunicati & habendi pro traditoribus Chriſti.

Alium ſenſum ſecundarium & ſophiſticum habet ille articulus, ut, poſito caſu, quod eſſent *duo ſacerdotes, Petrus & Paulus*, qui eſſent præſciti & excommunicati propter occultam hæreſin, quam tenerent, & quod iidem propter excommunicationem ipſorum, quam timerent coram hominibus publicè pati, dimitterent prædicare verbum Dei, tunc arguitur ſic: In tali caſu Petrus & Paulus

& Paulus ſunt iſti, qui dimittunt prædicare verbum propter excommunicationem hominum, Igitur illi, qui dimittunt prædicare verbum propter excommunicationem hominum, ſunt excommunicati, & in die judicii traditores Chriſti habebuntur. Conſequentia eſt bona. Et antecedens eſt valde poſſibile, & forte verum non repugnans alicui veritati catholicæ. Igitur & conſequens.

Et ſimiliter poteſt poni caſus de *duobus laicis*, quod tales eſſent præſciti & excommunicati à jure, & propter apertam excommunicationem (Epiſcoporum) ipſorum dimitterent pro loco & tempore audire verbum Dei, tunc poteſt argui, ſicut argutum eſt de presbyteris.

Ubi juxta tales caſus & talia argumenta articulus ille habet unum ſecundarium & ſophiſticum ſenſum, iſtum ſcilicet, quod illi *quatuor, duo ſacerdotes* & *duo laici*, juxta caſum poſitum dimittunt prædicare & audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, & illi ſunt excommunicati, & habebuntur traditores Chriſti in die judicii. Et talis ſenſus eſt ſatis poſſibilis, non repugnans alicui veritati catholicæ.

Veruntamen ſicut caſus ille vel ali' poſit' non oſtendit veritatem illi' articuli, etiam quoad illum ſenſum ſecundarium & ſophiſticum, ſic non tollit, quin articulus iſte ſit erroneus in ſenſu ſuo principali ex communi uſu accepto. Nam ſecundum rectam regulam juris *verba ex communi uſu ſunt accipienda.* Sed nedum apud Theologos & fideles, ſed etiam apud Philoſophos & gentiles, circa materiam doctrinalem & regulativam verba affirmativa, indefinite pro ſingularibus vel individuis rebus prolata, ex communi uſu accipiuntur indifferenter, non plus pro uno, quam pro alio, ſed pro omnibus ſingularibus. Etiam verba talia ex communi uſu accipiuntur, non ut prædicatum per accidens ſed per ſe convenit ſubjecto.

Ergo ex communi uſu principalis & verus ſenſus verborum eſt ille: Illi indifferenter, qvicunqve fuerint, qui dimittunt prædicare vel audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, in hoc & ſecundum hoc ſunt excommunicati, & traditores Chriſti habebuntur in die judicii. Et tunc ſenſus eſt impoſſibilis, erroneus, veritati catholicæ contrarius, ut ſupra patuit. Non obſtante, quod ſupradictus ſecundarius ſenſus & ſophiſticus, non ex communi uſu circa materiam doctrinalem & regulativam acceptus, ſit poſſibilis non contrarius per ſe veritati catholicæ. Nec talis ſenſus ſecundarius & ſophiſticus excludit, quin articulus ille in ſe ſit ſcandaloſus & ſcandalum. Quia certe circa catholicam, doctrinalem & regulativam materiam de dimiſſione pro loco & tempore prædicationis vel auditionis verbi Dei, propter legitimam ſub pœna excommunicationis prohibitionem hominum prælatorum, eſt articulus in ſe dictum minus rectum, præbens occaſionem delinqvendi. Igitur per definitionem ſcandali eſt ipſe ſcandalum in ſe. Qvia in ſe ſic prolatus & affirmatus in prædicatione, ubi ſolum verbum Dei deberet prædicare, præberet ipſe occaſionem ſimplicibus credendi erronee: Qvod qvicunqve ſacerdotes propter excommunicationem & prohibitionem prælatorum hominum dimitterent prædicare verbum Dei, & quicunque propter talem eandem prohibitionem dimitterent audire verbum Dei, quod omnes tales in hoc & ex hoc eſſent excommunicati & habendi in die judicii traditores Chriſti. Igitur articulus ille in ſe eſt ſcandaloſus, & ſcandalum, & in ſenſu ſuo principali ex uſu communi verborum eſt ipſe erroneus. Igitur. &c.

Articulus XIV.

Licet alicui diacono vel prebytero prædicare verbum Dei abſq; autoritate ſedis Apoſtolicæ, vel Epiſcopi Catholici.

Digitized by Google

QUamvis S. Paulus ad Galat. I. dicat, *ſe Apoſtolum non ab hominibus, neq; per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum, & Deum Patrem:* Dicat etiam ad Gal. II. *Mihi, qui videbantur eſſe aliquid, nihil contulerunt, ſed e contra, cum vidiſſent, quod creditum eſſet mihi Evangelium praputii, ſicut Petro circumciſionis. Qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatu circumciſionis, operatus eſt etiam mihi inter gentes. Et cum cognoviſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Jacobus, Cephas & Johannes, qui videbantur columna eſſe, dextras dederunt mihi & Barnaba ſocietatis, ut nos inter gentes, illi autem circumciſionem. Tantum, ut pauperum memores eſſemus. Quod & ſedulus fui hoc ipſum facere.* In quibus verbis oſtendit S. Paulus, ſe Apoſtolum miſſum prædicare Evangelium in gentibus, non à Petro, vel Apoſtolo, vel Epiſcopo, puro homine, ſed Deo Patre & Chriſto, per ſe autorizante gratia prædicationis ipſum Paulum ad prædicandum absque miniſteriali autoriſatione Petri vel alterius puri hominis ibi cooperante: Verumtamen, quod ex communi uſu verba præſentis temporis ſunt accipienda & referenda ad illud præſens tempus, in quo ipſa verba ſunt aut dicuntur, & per conſequens verba hujus articuli ſunt referenda ad tempus noſtrum modò currens, ad talem ſenſum, quod liceat temporibus noſtris alicui diacono vel presbytero prædicare verbum Dei absque autoritate ſedis Apoſtolicæ, vel Epiſcopi catholici. Et licet Chriſtus poſſet talia verba verificare, ſicut & ſimilia verificare potuit, in primitiva Eccleſia tempore maximorum poſt Chriſtum prædicatorum: Tamen, ſicut Chriſtus potuit ante baptiſationem in aqua dare aliquibus Spiritum S. ſicut & quibusdam fecit, ſancta tamen & rationabili lege neceſſitavit homines, ut baptizarentur in aqua, etiamſi aliqui ante tale baptiſma accepiſſent Spiritum S. lavantem & mundantem a culpa & pœna. Quod clare patuit *Actor. X.* ubi S. Petrus quibusdam reſpondit, dicens*: Num quis aquam his prohibere poteſt, ut non baptizentur hi, qui Spiritum S. acceperunt, ſicut & nos*, & miſit eos baptizari in nomine Jeſu Chriſti? Ecce quod illi jam Spiritum S. acceperant, loquentes lingvis & magnificantes Deum, & tamen ex ſalutari lege Chriſti neceſſitabantur de poſt in aqua baptizari. Sicut enim Deus in creatione mundi inſtituit, aquam eſſe tanquam matrem, ex qua per generationem naturalem exirent natatilia, reptilia, & volatilia animalia terrena: Sic Chriſtus in recreatione mundi ſanctificavit aquam eſſe tanquam matrem, ex qua per generationem ſpiritualem exirent animalia cœleſtia, ad imaginem & ſimilitudinem Dei per gratiam gratam facientem formata.

Sed reſpondendo, Licet in primitiva Eccleſia Chriſtus per ſe absque autoriſatione Petri vel alterius puri hominis autoriſaverit ad evangelizandum illum præclarum prædicatorem Paulum, ipſe tamen Chriſtus conſimiliter, ſicut de baptiſmo jam dictum eſt, per Spiritum S. & per Eccleſiam ſuam ſanctam & ſedem Apoſtolicam legitime & ſalubriter neceſſitavit, & limitavit, quod nulli diacono aut presbytero liceat prædicare verbum Dei absque autoritate ſedis Apoſtolicæ, vel Epiſcopi catholici. Nam in capitulo, *Cum ex injuncto*, & in capitulo, *Excommunicatus*, *Libro quinto*, ſub excommunicationis pœna mandatur, quod nullus præſumat prædicare absq; autoritate, a ſede Apoſtolica, vel Epiſcopo loci ſuſcepta. Sic enim ſcribitur: *Cum igitur ordo doctorum, id eſt prædicatorum, ſit quaſi præcipuus in Eccleſia, non debet ſibi quisquam indifferenter prædicandi officium uſurpare. Nam ſecundum Apoſtolum, quomodo prædicabunt, niſi mittantur. Et veritas ipſa præcepit Apoſtolis dicens: Rogate Dominum meſſis, ut mittat operarios, i. e. prædicatores, in meſſem ſuam. Sed quia nonnulli, ſub ſpecie pietatis virtutem ejus, juxta quod ait Apoſtolus, abnegantes, autoritatem ſibi vendicant prædicandi, omnes, qui prohibiti ſunt, vel non miſſi ſunt, ſi præter autoritatem, ab Apoſtolica ſede vel catholico Epiſcopo loci ſuſceptam, publice vel private prædicationis officium uſurpare præſumſerint, excommunicationis vinculo innodentur*

Digitized by Google

innodentur, & niſi quanto citius reſipuerint, alia competenti pœna plectantur. Ecce iſta conſtitutio a tempore Innocentii III. usque hodie per ſanctam Romanam Eccleſiam tenta eſt firmiter, & tenetur, pro rationabili, juſta, & ſancta.

Sed quis niſi infidelis diceret, ſanctam Romanam Eccleſiam per tot annorum ſpatia usque hodie erraſſe, irrationabile pro rationabili, injuſtum pro juſto, execrabile pro ſancto tenendo, aſſerendo, & per patentem ſcripturam textus Decretalium per omnes Eccleſias cathedrales, & univerſam Eccleſiam diffuſam dogmatizando. Item à tempore illo usque hodie non eſt repertus aliquis ſanctus aut fidelis, & approbatus Doctor Eccleſiaſticus, qui huic conſtitutioni tanquam minus rationabili vel minus juſtæ fuiſſet auſus contradicere. Cum autem conſtitutio illa à tempore illo usque hodie fere ad ducentos annos fuit & eſt tenta per ſanctam Romanam & univerſalem Eccleſiam pro rationabili, juſta & ſancta, & pro tali dogmatizata: Si conſtitutio illa fuiſſet & eſſet irrationabilis & injuſta, tunc dogmatizatio illa fuiſſet infidelis & erronea in univerſa Eccleſia per tot annorum ſpatia. Quomodo ergo per iſta ſpatia portæ inferi non prævaluiſſent contra Eccleſiam Chriſti in terris, cum publicè & ſine reprehenſione per iſta tempora cucurriſſet in tota eccleſia tale dogma infidele & erroneum, nullo fideli doctore & eccleſiaſtico, de hæreſi vel errore pernicioſo inſuſpecto, in contrarium ſe ponente, nec ipſa univerſali Eccleſia, nec aliqua eccleſia metropolitana vel cathedrali. Quæ ſunt inconvenientia.

Sancta igitur & juſta & rationabilis & ſalutaris eſt illa conſtitutio, & per conſequens articulus præſens illi contrarius eſt erroneus & ſcandaloſus. Erroneus, quia illi catholicæ conſtitutioni & aſſertioni contradicit. Scandaloſus vero, quia dictum minus rectum, præbens occaſionem delinquendi. Qvia præbens occaſionem erroneæ credendi ſimplicibus, quod ſcilicet cum Papa vel Epiſcopus ſub pœna excommunicationis prohiberent rationabiliter ſacerdotibus, prætendentibus ſpeciem pietatis & profectum populi, quibus populus eſt ſecundum famam popularem affectus, ne prædicarent pro loco & tempore, vel ſimpliciter, quod talibus ſacerdotibus etiam ſine autoritate ſedis Apoſtolicæ & Epiſcopi loci, imò & contra illorum prohibitionem, prædicare verbum Dei nedum liceat, ſed expediat. Quia ſimplices dicerent, tales miſſos interna miſſione Spritus S. Propter hoc dicit Innocentius ſupra: *Quod ſi aliquis argute diceret, ſe miſſum interna miſſione, quæ longe nobilior eſt miſſione exteriori, ſicut divina miſſio, miſſione humana*, Reſpondet inquam Innocentius, quod *talis probet & oſtendat hoc efficaciter apertis miraculis, vel per Scripturam ſacram ſibi ſingulare ad hoc teſtimonium reddentem.* Primum fecit Moſes, qui in teſtimonium ſuæ miſſionis virgam convertit in colubrũ & iterum virgam reformavit, colubrum in virgam convertendo. Secundum fecit *Johannes Baptiſta*, qui in teſtimonium ſuæ miſſionis protulit de ſe ſcripturam, dicens: *Ego vox clamantis in deſerto, dirigite viam Domini ſicut Eſaias prophetavit.* Sic & talis, qui dicit, ſe miſſum interna miſſione, probare debet altero illorum modorum, coram ſede Apoſtolica aut Epiſcopo loci. Et ubi probaret hoc clare, haberet conſenſum ſedis Apoſtolicæ vel Epiſcopi loci, & ſic autoritate à ſede apoſtolica, vel Epiſcopo catholico ſuſcepta, licite prædicaret. Quod ſi non probaverit, nec autoritatem à ſede Apoſtolica vel Epiſcopi loci ad prædicandum habuerit, ſancte & rationabiliter per cenſuram Eccleſiaſticam eſt prohibendus vel puniendus, alioquin quilibet hæreticus diaconus vel presbyter diceret, ſe interna miſſione miſſum ad ſuam hæreſin prædicandam. Et Spiritus S. rector Eccleſiæ contra illud dogma erroneum & ſcandaloſum, utpote, quod liceat alicui diacono vel ſacerdoti prædicare abſque autoritate ſedis Apoſtolicæ, ſic providit, ut etiam de Paulo & Barnaba diceret hominibus: *Segregate mihi Barnabam &*

Pau-

Paulum in opus, ad quod aſſumſi eos, ſcilicet in opus prædicationis. Actor. XIII. Et ipſe Paulus ad Galat. I. fatetur, ſe poſt annos tres a ſua converſione veniſſe Hieroſolymam, videre Petrum, & manſiſſe cum eo diebus quindecim. Non dicit Paulus, ſe veniſſe Hieroſolymum videre Mariam matrem Dei, ſed Petrum. Quod non in illa, ſed in Petro erat plenitudo Eccleſiaſticæ poteſtatis & autoritatis capitalis & fontalis ſuper terram.

Quod ſi forte diceret adverſarii, quod in conſecratione diaconi & ſacerdotis dicitur: *Ite in orbem univerſum & prædicate &c.* Igitur ibi mittuntur, & talis miſſio ſufficit. Reſpondetur, quod illa verba dicuntur in vim conſecrationis, & repetuntur, non in vim præceptionis, præcipiendo univerſis diaconis, & ſacerdotibus, quod irent ad prædicandum in univerſum orbem. Unde, ſi ibi quilibet diaconus aut ſacerdos conſecratus ſufficienter mitteretur in univerſum orbem, tunc cuilibet tali liceret prædicare, quando vellet, & ubicunq; vellet, & haberet ad hoc jus ex illa miſſione. Ex hoc autem fierent infinitæ perturbationes & confuſiones in Eccleſia Dei. Nam ſi quilibet haberet ſufficienter jus & licentiam prædicandi, ubicunque vellet, & quando vellet, tunc uno volente prædicare in loco & in uno tempore, alius ſuperveniret, imò tertius, quartus &c. dicens: Ego habeo ſufficiens jus, & licitum eſt mihi; Ego volo nunc & hic prædicare. Et ita diceret quicunque de quocunque loco & tempore, & nullus haberet aliquem talem ab eo, ad quod haberet plenum jus & ſufficientiam licentiæ, repellere. Ecce quam innumerabilis eſſet illa confuſio & perturbatio, absque eo, quod etiam ſine æſtimatione errores & hæreſes ſeminarentur per tales prædicationes. Erroneus eſt igitur & ſcandoloſus articulus prædictus. Igitur &c.

ARTIC. XV.

Nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.

Iſte articulus eſt hæreticus, ſicut patet ex his, quæ dicta ſunt contra quartum articulum. *Saul* enim fuit Rex & Dominus civilis, & *Caiphas* Pontifex, & *Scribæ* & *Phariſæi prælati*, & *Judas* Epiſcopus, cum fuerint in peccato mortali. Igitur &c.

ARTICULUS XVI.

Domini temporales poſſunt ad arbitrium ſuum auferre bona temporalia ab Eccleſia, *poſſeſſionatis habitualiter delinquentibus, id eſt, ex habitu, non ſolo actu delinquentibus.*

Ut autem clarius intelligi poſſit, quomodo Scriptura S. cum ſenſu ſuo huic hæretico errori contrarietur, præſupponendum eſt ad præſens, quod, ſicut Dominus Deus dignatur hic in terris habere regnum ſuum Eccleſiaſticum, quod ipſe vocat regnum cœlorum *Matth. XXIII.* & *XXV.* cujus ipſe quodam ſpirituali, ſed ineffabili modo dicitur Rex, qualiter non eſt, nec dicitur, Rex infidelium paganorum: Ita ipſe conſimili ſpeciali quodam modo dignatur habere pro tali regno pro neceſſitate & corona talis regni quædam temporalia bona, per conſecrationem & ſanctificationem proportionabiliter ſublimata ſuper alia temporalia non conſecrata, ſicut illud regnum ſuum Eccleſiaſticum ſibi conſecratum ſuper alia regna non Eccleſiaſtica eſt dignificatum. Et illa bona conſecrata, quæ dicuntur *bona eccleſiæ*, ſunt hic ſpecialiter bona Dei, bona regalia illius Regis magni, ſunt bona divini juris illius ſummi Domini.

Sacrilegium igitur eſt ſubtrahere talia bona eccleſiaſtica illi Domino, & ſuo divino juri, auferendo ea àb Eccleſia. Con-

Conſecrantur autem & ſanctificantur talia bona temporalia Domino, inſtitutione, poſſeſſione, per verbum Dei principaliter, active, & per orationem Eccleſiæ miniſterialiter, impetrative. Sicut in ſimili dicit Apoſtolus de ſanctificatione cibi per verbum & orationem 1. *Tim. IV.*

Secundum hoc patet ergo manifeſte, quod error prædictus obviat directe Sacræ Scripturæ. Nam *Levit. ultimo dicitur: Omne quod Domino conſecratur, ſive homo fuerit, ſive animal, ſive ager, non vendentur, nec redimi poterit quicquid fuerit ſemel conſecratum, ſanctum ſanctorum erit Domino, & omnis oblatio, qua offertur, non redimetur, ſed morte morietur.* Et in eodem capitulo dicitur poſt alia: *Poſſeſſio conſecrata ad jus pertinet ſacerdotum.*

Quia igitur bona temporalia Eccleſiæ ſunt ſanctificata Domino, minus poſſunt temporales Domini talia ad arbitrium ſuum auferre ab Eccleſia, clero delinquente, quàm ruſtici poſſent ad arbitrium ſuum auferre bona regalia à corona terreni regni, miniſtris ipſius Regis delinquentibus. Chriſtus enim Dominus Deus eſt Rex, habens regnum Eccleſiaſtaſticum, ut dictum eſt, ſuper terram, ad cujus regni coronam pertinent bona temporalia Domino conſecrata. Propter quod Domini temporales non poſſunt juxta arbitrium ſuum illa auferre ab Eccleſia, etiam delinquentibus miniſtris illius Regis, puta clericis. Aliàs liceret illis temporalibus Dominis ſubtrahere illa Domino Deo, & ſuo divino juri. Quod eſt abſurdum. Et cum ſervi talis Domini, ſcilicet clerici, ſunt officiales & miniſtri Eccleſiaſtici in illo regno, poſſeſſio conſecrata pertinet ad jus talium, ſcilicet ſacerdotum, & non pertinet ad jus temporalium Dominorum. Quia tales non ſunt miniſtri & officiales eccleſiaſtici, ut patet 2. *Paral. XXVI.* ubi *Uſias* Rex Judæ, cum volebat in ſanctuario adolere incenſum, tenens in manu ſua thuribulum, orta eſt lepra in fronte ejus, coram ſacerdotibus. Qui hoc videntes feſtinanter eum expulerunt. Qui etiam eidem Regi ante dixerunt: *Non eſt officii tui, Uſia, adolere incenſum, ſed ſacerdotum.*

Quia igitur temporales Domini non ſunt illius magni Regis miniſtri & officiales Eccleſiaſtici, ſed temporales: Non ad jus eorum pertinet conſecrata *poſſeſſio* bonorum temporalium Eccleſiæ, ſed ad jus ſacerdotum. Et per conſequens adminiſtratio ac *diſpenſatio* talium bonorum temporalium Eccleſiæ ſuæ, ad officiales & miniſtros Eccleſiaſticos pertinet, non Dominos temporales.

Propterea etiam ſicut poteſtas regalis terrena non habet *judicare* poteſtatem ſacerdotalem Eccleſiaſticam, ſed e contra: Sicut corpus non eſt inſtitutum dirigere ſpiritum, ſed e contra: Sic bona temporalia Eccleſiæ ſacerdotalia & Eccleſiaſtica non habent ſubſervire bonis temporalibus, regalibus, terrenis, ſed potius e converſo.

Item talis eſt *differentia poſſeſſionis conſecrata* ad poſſeſſionem non conſecratam, qualis eſt vaſis conſecrati ad officium & miniſterium divinum & Eccleſiaſticum in eo peragendum ad vas non conſecratum. Licet enim vas non conſecratum poſſit pertinere ad jus Domini temporalis ab bibendum & comedendum ex eo: Non tamen vas conſecratum. Unde *Balthaſar Rex Babilonis* eadem nocte interfectus eſt, & à Daniele graviter præcorreptus, ipſo Daniele ſibi dicente inter alia pro una cauſa: *Quia vaſa Domini allata ſunt coram te, & tu & optimates tui & uxores & concubinæ tuæ vinum bibiſtis in eis*, ut ex hiſtoria patet *Dan. V.* Sic poſſeſſio non conſecrata ad jus Domini temporalis pertinere poteſt, non autem conſecrata.

Præterea Petrus, univerſalis & manſvetus Paſtor Eccleſiæ & ovium Chriſti, dum alios peccatores infirmos umbra ſua ſanaret, Ananiam & Saphiram conjuges & ſanos vocis flatu extinxit & interfecit, qui vendito agro fraudaverant de pretio agri, partem pro toto pretio mentiendo ad pedes Apoſtolorum ponentes. Ubi inter alia Petrus dixit: *Anania, non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Et Saphiræ: *Quia convenit*

venit vobis mentiri ſpiritui Domini? Quibus viciſſim auditis exſpirarunt, ſicut patet *Act. V.*

In qua hiſtoria oſtenditur *primo*, quod bona temporalia Eccleſiaſtica ſunt bona Dei & non hominum, quomodo Anania & Saphira mentiti ſunt Deo, & non hominibus.

Secundo, quod qui fraudat de bonis Eccleſiaſticis, injuriatur Deo & non hominibus, iterum eo modo, quo Ananias & Saphira Deo & non hominibus mentiti ſunt.

Tertio patet ex iſto facto, quam gravis eſt culpa fraudare de bonis Eccleſiæ, & quam gravem iram Dei fraudantes incurrant.

Artic. XVII.

Populares poſſunt ad ſuum arbitrium dominos delinquentes corrigere.

Contra iſtam hæreſin eſt, quod ſcribitur 1. *Reg. XXIV. Surrexit David, & præcidit oram chlamidis Saul ſilenter, poſt hac percuſſit cor ſuum David, eo quod abſcidiſſet oram chlamidis Saul, dixitq; ad viros ſuos, propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo, Chriſto Domini, ut mittam manum meam in eum, qui Chriſtus Domini eſt.* Et infra: *Propitius ſit mihi Dominus, ut non mittam manum meam in Chriſtum Domini. Et confregit David viros ſuos ſermonibus iſtis, & non permiſit eos, ut conſurgerent in Saul.* Et notorium eſt, quod Saul iniquiſſime perſequebatur David & ſervos ſuos, graviter valde contra Deum & proximum delinquens.

Item 1. *Reg. XXVI.* dixit David Abiſai: *Ne interficias eum,* ſcilicet Saulem. *Quis enim extendet manum ſuam in Chriſtum Domini, & innocens erit?* Et dixit David: *Vivit Dominus &c. propitius ſit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Chriſtum.*

Item contra hanc hæreſin eſt ſententia Chriſti, *Matth. XXVI. dicentis: Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Cum ergo populares non habeant gladium ſuper Reges, Principes, & Dominos ſuos, ſed e contra: Et quia hoc poſſumus, quod jure & licite poſſumus: Non poſſunt ergo populares ad arbitrium ſuum corrigere Dominos delinquentes, ſed ubi hoc attentarent, acciperent gladium, uſurparent ſibi poteſtatem correctivam & punitivam in Dominos poteſtate tali ſuperiores. Gladio etiam perirent, quia peccarent mortaliter in tali uſurpatione iniquâ alienæ poteſtatis, & correctionis. Unde & gladio divinæ ſententiæ morerentur in anima, & rei fierent ſecundæ mortis æternæ.

Item, cum Apoſtolus Paulus dicat *Rom. XIII. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Et ad *Epheſ. VI. Servi obedite Dominis carnalibus cum omni timore & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placeatis, ſed ut ſervi Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo.* Et ad *Coloſſ. III. Servi obedite per omnia Dominis carnalibus, non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, in ſimplicitate cordis timentes Deum.* Et Petrus Princeps Apoſtolorum 1. Pet. 2. dicit: *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi tanquam præcellenti, ſive ducibus tanquam ab eo miſſis ad vindictam maleficorum, laudem vero bonorum.* Et infra: *Deum timete, Regem honorificate. Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis.*

Hæc ergo & alia oſtendunt, eſſe errorem hæreticum, quod populares poſſunt ad arbitrium ſuum Dominos delinquentes corrigere.

Quamvis enim eccleſia præſens, exiſtens regnum cœlorum in terris, in quo eſt compoſitio ex corpore & capite illius regni ſuper terram, cujus etiam *Eccleſia de per ſe ſunt claves Papales*, Petro & ſucceſſoribus traditæ, ac aliæ claves inferiores, *Petri* vero & aliarum perſonarum papalium ſunt *de per accidens* claves illæ ſupremæ, ſemper ſuper

ſuper terram remanentes in regno illo, cum Chriſtus Petro dixit: *Dabo tibi claves regni cœlorum*, inſinuans, quod *illæ claves de per ſe* ſunt *illius regni, de per accidens* autem Petri *capitis illius regni*: De per accidens, quoad perſonam ſuam. *Licet*, inquam, Eccleſia, propterea, quia de per ſe illas ſupremas claves & omnes inferiores habeat per ſe, perſona autem papæ non de per ſe ſed de per accidens, & ſic longè inferius quam Eccleſia easdem papales claves habet, *poſſit ipſa eccleſia perſonam Papæ in caſu hæreſis deponere, degradare, ſeculari brachio tradere*, & ſimiliter Imperium perſonam Imperatoris, tam enormiter delinquentem, poſſit deponere & aliis pœnis corrigere, & ſimiliter regnum perſonam Regis, ducatus perſonam Ducis &c: Abſit *tamen*, quod *populares*, qui reſpectu Dominorum habent ſubjici & non principari, tales, principatu conſiliativo, & judicativa poteſtate cognoſcendi & definiendi, taceo tunc, quod *proprio arbitrio*, Dominos delinquentes corrigere poſſint, *poſſe licito*. Quod ſolum eſt *poſſe*. *Poſſe* enim illicitum non eſt *poſſe*, ſed *impoſſe*, ſi ita loqui *poſſumus*,

Articulus XVIII.

Decimæ ſunt puræ Eleemoſynæ, & parochiani poſſunt propter peccata ſuorum prælatorum ad libitum ſuum eas auferre.

Quamvis autem genus humanum, quod erat drachma decima perdita, & quod reducendum eſt in patriam cœleſtem, ſicut decima pars addita ad novem choros Angelorum, debeat proinde ſecundum ejus divinum jus decimare in regno ejus Eccleſiaſtico ſuper terram, ut talis decima pars cedat ad ſortem Domini, & pertineat ad jus ſacerdotum, de ſorte Domini exiſtentium, eo quod Dominus ipſe eſt hæreditas eorum, *Deutr. XVIII.* & ſimiliter *Num. XVIII.* ubi dixit Dominus ad Aaron: *Ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Iſrael, Filiis autem Levi dedi omnes poſſeſſiones in decimas, in poſſeſſionem* &c. Articulus *tamen* hæreticus præſcriptus ordinationem Dei hanc legitimam & ratione plenam nititur exterminare.

Quapropter ad oſtendendum, eſſe ordinationem illam Dei legitimam, & ad confutandam prædictam hæreſin, aliqua Scripturæ loca de multis commemorabimus.

Levit. ultimo dicitur: *Omnes decimæ terræ, ſive de frugibus, ſive de pomis arborum, Domini ſunt, & illi ſanctificantur.* Item *Exod. XXII. Decimas tuas & primitias non tardabis offerre.* Item *Gen.* 14. *Abraham ex omnibus dedit decimas Regi Salem, qui erat ſacerdos Dei altiſſimi, & benedixit Abrahæ.* Item *Num. XVIII.*, ut prius tactum eſt: *Filiis Levi omnes decimas Iſraelis dedi in poſſeſſionem pro miniſterio, quo ſerviant mihi in tabernaculo fœderis.* Et infra: *Præcipe Levitis, atq; denuncia: Cum acceperitis à filiis Iſrael decimas, quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino decimam partem decimæ, ut reputetur vobis in oblationem primitiarum. Et infra omnia, Quæ offertis ex decimis & in donaria Domini ſeparabitis, optima & electa erunt, dicesq; ad eos*, ſcilicet filios Levi, *ſi præclara & meliora quæq; obtuleritis ex decimis, reputabitur vobis, quaſi de horreo & torculari primitias dederitis. Et comedetis eas in omnibus locis veſtris tam vos, quam familiæ veſtræ, quia pretium pro miniſterio quo ſervitis in tabernaculo teſtimonii.* Item *Mal. III. Inferte omnem decimam in horreum meum, ut ſit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc dicit Dominus, ſi non aperuere vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem usq; ad abundantiam, & increpabo pro vobis devorantem, & non corrumpet fructum terræ veſtræ, nec erit ſterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum.* Item ad Ebr. VII. Et quidem de filiis Levi: *Sacerdotium accipientes mandatum habent decimas ſumere à populo, ſecundum legem*, id eſt à fratribus ſuis. *Matth. XXIII. Væ vobis, Scribæ & Phariſæi, hypocritæ, qui decimatis mentham, & anethum & cyminum, & linquitis quæ gravio-*

Digitized by Google

graviora ſunt legis, judicium & miſericordiam, & fidem. Hoc oportuit facere, & illa non omittere.

Ex his & aliis clare patet, quod *decima* ſint divini juris, ſint oblationes Deo ſanctificatæ, non ad libitum hominum, ſed ex præcepto & lege divina, ad jus & poſſeſſionem cleri pertinentes, per mandatum Dei à manu & poteſtate laicali ſeparatæ in uſus & neceſſaria cleri.

Sunt itaque decimæ *oblationes*, quæ ſecundum legem divinam ſunt ad honorem Deo offerendæ, & ſorti ſuæ, puta clero, non ut indigentiori & abjectiori, ſed ut majori ac digniori in hac parte tribuendæ, ut poſſeſſio ejus ſibi debita, juſte & divini juris titulo, & ut pretium juſtum pro miniſterio in ſanctuario Domini.

Sed quis, niſi inſenſatus, diceret, quod *pura eleemoſyna*, alicui data, ut eleemoſynario, eſſet ejus juſtum pretium? Pro miniſterio? Deberetur ſibi, ut poſſeſſio ejus, juſto juris titulo? Daretur ei ut majori ac digniori? Daretur in ſua quantitate, & menſura? Non ad libitum hominis, ſed ſub pœna mortis æternæ, ad præceptum Dei, & ſecundum legem divinam? Quis deniq; diceret, quod licitum eſt ei, cui juſto titulo debetur in poſſeſſionem, auferre?

Nec *populus Chriſtianus* tenetur minus decimas Deo, quam *Judaicus*, ſed & magis. Nec *clerus novæ legis* non eſt magis extraneus, ſed potius magis idoneus habere decimas Dei in poſſeſſionem juſto titulo & in pretium, quàm *clerus veteris legis.*

Nimis ergo erroneum eſt, contra Scripturam ſacram credere, quod decimæ ſunt puræ eleemoſynæ, & quod manus laicalis ſacrilegium non committeret, dum illas divino juri ſubtraheret, & ſorti Dei, puta clero, auferret, *etiam dum clerus* contra Deum & contra manum laicalem *peccaret.* Non enim ſacerdos ex hoc, quod ſic peccaret, cadit à jure decimarum, ſicut nec *Rex*, nec *baro*, nec *miles*, ſic peccans cadit à jure tributorum, ſicut ſupra patet contra articulum quintum decimum.

Hanc etiam hæreſin expreſſe confutat venerabilis *Hugo de ſacramentis lib* 2. parte 9. ſic inquiens: *Decimas quoquomodo uſurpare aut retinere ſine ſacrilegii culpa non poſſunt, niſi ii ſoli, ad quorum ſuſtentationem divina ordinatione conſtitutæ ſunt. Hac ergo differentia eſt inter decimas & cæteras Eccleſiæ poſſeſſiones, quod decimæ ex inſtitutione & poſſeſſione ad ſacra pertinent, cætera autem poſſeſſiones Eccleſiæ ad ſacra pertinent ſola poſſeſſione. Alia ergo poſſeſſiones Eccleſiæ ad alienos poſſeſſores ſine commutatione rationabili transferri non poſſunt. Decima autem ab alienis omnino poſſideri non poſſunt. Illa ergo non poſſunt auferri, iſtea transferri. In illis Sacrilegium eſt ſi auferantur, in iſtis ſi transferantur.* Hæc ille. Igitur &c.

Artic. XIX.

Speciales orationes applicatæ uni perſonæ per prælatos, vel religioſos, non plus eidem proſunt, quam generales cæteris paribus.

Contra iſtum articulum hæreticum ſunt plures ſcripturæ, & aliquas de multis hic inducemus. Nam *Levit. IV.* docetur, quod *pro peccato ſacerdotis* ſpecialis fiat oblatio, *pro peccato populi per ignorantiam* fiat ſpecialis oblatio. Et ſemper exponitur, qualis oblatio. Et ibi additur; *Et rogante pro eis ſacerdote propitius erit eis Dominus. Pro peccato principis per ignorantiam fiat ſpecialis oblatio.* Et ſemper exponitur ibi qualis oblatio, & additur ibi: *Rogabitq;* ſcilicet ſacerdos *pro eo*, puta Principe, *& pro peccato ejus, & dimittetur ei.* Pro peccato animæ communis de populo terræ, &c. & additur: *Rogabitq; pro eo ſacerdos, & pro peccato illius, & dimittetur ei.* Item *Levit. V.* poſt alia ſimilia ſic ſcribitur: *Anima, quæ peccaverit, & contempto Domino negaverit depoſitum proximo ſuo, quod fidei ejus creditum fuerat, vel vi aliquid extorſerit, aut calumniam fecerit, ſive rem perditam invenerit, & inficiens inſuper pejeraverit, & quolibet aliude*

Digitized by Google

ud e talibus fecerit, in quibus peccare ſolent homines, convictus delicti reddet omnia, quæ per fraudem voluerit obtinere, integra, & quintam inſuper partem reddat Domino, cui damnum intulerat. Pro peccato autem ſuo offerat arietem immaculatum de grege, & dabit eum ſacerdoti juxta æſtimationem menſuramq; delicti, qui rogabit pro eo coram Domino, & dimittetur illi pro ſingulis, quæ faciendo peccavit.

Ecce hic lege divina præcipitur, quod uni perſonæ *ſpeciales* applicentur per ſacerdotem *orationes*. Quæ niſi plus eidem prodeſſent, quam *generales*, cæteris paribus, in vanum ſuperflue orarent ſecundum illum articulum. Et per conſequens nocive hoc fieret.

Et ſimiliter ſpecialis oblatio alia pro principe, & peccato ejus, pro ſacerdote alia, pro communi anima de populo alia, ſimiliter nocive fierent. Directe eſt hoc contra veritatem textus allegati. Igitur hæreſis eſt articulus prædictus.

Item ſimiliter dicit Apoſtolus 2. *Timoth. I. Obſecro igitur, primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate, Hoc enim perbonum eſt, acceptum coram Deo Salvatore noſtro, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Item *Jacobi ultimo: Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum & allevabit eum Dominus, &, ſi in peccatis ſit, dimittetur ei.*

Item ſummus Pontifex *Chriſtus* teſtatur huic catholicæ ſententiæ, contra articulum prædictum, dicens: *Oravi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Luc. XX.* Imo *Matth.* 17. ſic ait Dominus: *Audiſtis, quod dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos, & benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt. Si enim diligitis vos, qui vos diligunt, quam mercedem habetis? Nonne publicani hoc faciunt &c. Eſtote ergo perfecti, ſicut & pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Ubi patet, quod Chriſtus vult, quod ſicut diligentes nos non tantum generaliter diligimus, ſed & ſpecialiter, ſic & inimicos ſpecialiter debemus diligere, & ſpecialiter pro eis orare, non ſolum generaliter.

Et quia in hoc perfectiores ſumus, quod in ſpeciali pro inimicis oramus, eos propter Deum diligendo, quàm ubi oraremus ſolùm generaliter pro proximis, indifferenter, amicis & inimicis: Ergo *ſpecialis oratio* cæteris paribus *applicata uni perſonæ*, ſicut eſt perfectior quoad unum orantem, quam generalis reſpectu inimici, ſic cæteris paribus apta eſt plus prodeſſe, quam generalis alicui perſonæ applicata. Et niſi hoc eſſet, nunquam ſacri textus prælegati & alii ſimiles, ſicut ſpeciales oblationes, ſic ſpeciales, imò ſingulares orationes perſonis applicari commendaſſent.

Nec *uſus eccleſiæ* ſanctæ Dei, ſanctæ Romanæ, & omnium aliarum Eccleſiarum catholicarum hoc ita ſollicite frequentarent.

Sed quia, ut etiam gentiles Philoſophi ſciunt, res habet *eſſe perfectius & completius* ſecundum propriam ſpeciem, quam ſecundum genus tantum: Ut Petrus habet eſſe perfectius & completius ſecundum quod eſt homo, quam quod eſt animal, cum bos ita bene ſit animal ſicut Petrus, & non perfectius & magis Petro quam bovi conveniat eſſe animal: Sic ceteris paribus *ſpeciales orationes* alicui perſonæ applicatæ per prælatos vel religioſos, habent majorem vim prodeſſendi perſonæ cui applicantur, quam generales.

Si enim in regnis terrenis, ut docet experientia, aliquis de communitate per officialem Regis Regi precibus commendatus ſpecialiter & ſingulariter, in hoc plus eſſet commendatus, & talis ſpecialis & ſingularis commendatio eſſet plus proficua, & plus gaudioſa cæteris paribus, quam ubi ſolum generali commendatione in communitate

nitate cum aliis commendaret: Quanto magis apud illum Regem cœleſtem eſt hoc ita. Ubi quis per officialem Regis, per Prælatum, qui gerit perſonam eccleſiæ, vel per aliquam communitatem Eccleſiaſticam, precibus ſpecialiter & ſingulariter ſibi commendatur.

Et ſicut in ordine prædicamentali non ſolum genera ſed etiam ſpecies & individua: Sic etiam in ordine orandi pro perſonis ſunt nonſolum orationes generales, ſed etiam ſpeciales & ſingulares faciendæ. Nonne eximius Propheta dicit David: *Miſerere mei Deus.* Et ſicut ſpecies per differentiam abundat à genere, ut dicunt Metaphyſici & dialectici, ſic ſpecialis oratio, alicui perſonæ per prælatum, vel religioſos applicata cæteris paribus abundat à generali oratione, per differentiam, qua ad perſonam illam ſpecificatur.

Artic. XX.

Conferens eleemoſynam Fratribus, eſt excommunicatus eo facto.

Iſte articulus eſt non tam erroneus, quam inſanus.

Nam, poſito per adverſarium, conceſſo, eſſe Fratrem, Prædicatorem, Minorem, Auguſtinenſem, vel carmelitam vel Servitam, [Eremitam] malum, & criminoſum & vitæ Chriſtianæ contrarium: Si tunc aliquis ſtudioſe ſvaderet alicui tali Fratri, quod ſtatus talis malus eſſet, & induceret Fratrem, quod eum dimitteret, numquid non talis ſecundum adverſarium conferret magnam ſpiritualem eleemoſynam fratri? Et quomodo ille adverſarius diceret, quod ſic conferens eleemoſynam eo facto eſſet excommunicatus? Niſi forte, quia adverſarius ille ſententiat, quod non eſt conferenda fratribus, niſi talis jam in caſu poſito eleemoſyna. Et indubitanter, qui fratribus iſtam adverſarii impiiſſimam eleemoſynam conferret, ſvadendo eis, quod à ſua religione & ſuo ordine apoſtatarent & ad hoc induceret, indubitanter ad minimum minori excommunicatione eſſet eo facto excommunicatus. Sed abſit, quod ille, qui conferret ſpiritualem vel temporalem eleemoſynam talibus fratribus, illa intentione, ut profeſſionem ſuam melius vel magis fulcire vel quomodolibet adniti, in obedientia, caſtitate, & voluntaria paupertate, deducerent & conſervarent, ſervatis eorum licitis & expedientibus ceremoniis, religionibus, ritibus & moribus, obſervantiis, & ut orationis & meritis fratrum talium & communitatis eorum fieret particeps, quod talis inquam, in hoc facto, eo ipſe eſſet excommunicatus. Abſit hoc nedum à ſententia, ſed ab apparentia mentium piarum. Item abſit, quod talis eo facto eſſet excommunicatus, qui fratribus etiam delinquentibus conferret eleemoſynam, ut eos in vita naturali, animali & humana recrearet vel ſalvaret. Cum & Deus præcepit in lege Moſis, *Deutr. XXII. Non videbis bovem fratris tui aut ovem errantem & præteribis, ſed reduces fratri tuo, etſi non eſt propinquus frater tuus, nec noſti eum, duces in domum tuam, & erunt apud te, quam diu quærat ea frater tuus, & recipiat.* Et infra: *Si videris aſinum fratris tui cecidiſſe in via, aut bovem, non deſpicies, ſed ſublevabis eum.* Si igitur debemus ſubvenire vitæ beſtiarum, quanto magis vitæ naturali hominum, *non obſtante malitia in homine.* Quia vitam naturalem humanam non degradat à dignitate naturali ſuper vita beſtiarum.

Sed forte, quia adverſarius aſſerit, quod ordo & religio ſpecialis, quos fratres profeſſi ſunt, ſunt contrarii religioni Chriſtianæ & legi Evangelii, & proinde, qui fratribus conferret eleemoſynam ad promovendum vel juvandum eos in ſuo ordine & religione, quod eo facto eſſet excommunicatus, quia peccaret mortaliter ſecundum illum adverſarium: Ideo ad impugnandum hanc aſſertionem hæreticam transeamus ad XXI. articulum.

Arti-

Digitized by Google

Artic. XXI.

Si aliquis ingreditur religionem privatam, qualemcunque, tam poſſeſſionatorum, quam mendicantium, redditur ineptior & inhabilior ad obſervantiam mandatorum Dei.

Contra iſtum articulum hæreticum *primò* eſt oſtendendum, quod *licitum* ſit & *expediens*, eſſe religiones privatas in nova lege, quæ ſint ſicut quædam ſpecies, vel *partes* in modo religionis Chriſtianæ.

Et pro illo arguitur ſic. In *veteri lege* licitum fuit & expediens, fuiſſe religiones privatas quaſi quaſdam ſpecies vel partes in modo religionis Judaicæ. Ibi fuit *privata religio Phariſæorum*, quam dicit Paulus Apoſtolus *Actor. XXVI.* certiſſimam ſectam religionis Judaicæ. De qua fuerunt Paulus, Nicodemus, Gamaliel, & cæteri multi venerabiles Judæi. Unde Apoſtolus *Act. XXIII. Viri fratres! Ego Phariſæus* ſum, filius Phariſæorum, licet inter Phariſæos currebat hæreſis, quæ dicebatur Phariſæorum.

Quam etiam religionem Chriſtus, ſicut & *ordinem Scribarum*, approbat, cum dicit: *Super cathedram Moſis ſedent Scribæ & Phariſæi*, non religionem Phariſaicam improbando ſed mala facta eorum, hypocriſin & ſimilia. Unde Chriſt' *Mat. XIII.* exprobrando malitiam Scribis & Phariſæis, non dicit abſolute: *Væ vobis Scribæ & Phariſæi*, ſed addit: Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ! Reprehendendo non ordinem ſed malitiam ſcribarum, nec privatam religionem Phariſæorum.

Et poterunt *hujus ſectæ* fuiſſe plures *magis ſpeciales religiones Phariſaicæ*, variæ ſcilicet, arctæ & ſeparatæ vitæ, ut ita dicamus, *Judaicæ*.

Nonne religio Judaica Nazaræorum & lex fuit quædam privata religio approbata à Deo? Cujus approbatio & diffuſa inſtitutio patet *Num. IV.*

Nonne & *ipſa Judaica religio* fuit ſignaculo circumciſionis, veſtitu, victu, ceremoniis plurimis, ritibus, cultibus, judiciis & cæteris talibus varie circumſtantionata ex Dei approbatione? Quibus populus Judaicus ad legem timoris ſervandam ducebatur, ſtringebatur & tenebatur. Circumſtantiæ igitur illæ, ſcilicet in veſtitu, ſignato in fimbriis, in victu ſpeciali, in ceremoniis, &c. fuerunt licitæ & expedientes, ad legem timoris ſervandam. Quia autem *lex nova lex amoris*, vigens in obedientia contra vitæ ſuperbiam, in caſtitate contra carnis concupiſcentiam, in paupertate ſpiritus contra oculorum concupiſcentiam: Talis certe lex, ut ſic perfectius in his tribus verbis viget, & ut ſic completius & plenius adhuc fulcita, adjuta, & promota, non minus, ſed & multo magis, quam lex vetus, lex timoris, apta eſt fulciri, promoveri, adjuvari, limitatis & regularibus, veſtitu, cibo, abſtinentia, vigilia, orationibus, pſalmodia, ceremoniis, ritibus, carentia proprietatum, & ſic de aliis. Igitur, ſi in veteri lege licebat, & expediebat, eſſe privatas religiones, quæ erant ſicut ſpecies vel partes in modo religionis Judaicæ, quanto magis licitum eſt & expediens in nova lege eſſe religiones privatas, quæ ſint ſicut ſpecies vel partes in modo religionis Chriſtianæ. Ut religio Chriſtiana pro complemento ſuæ pulchritudinis ſit circumamicta varietate privatarum religionum. Sicut & eccleſia Chriſtiana pulchra Eccleſiarum varietate eſt intexta, ſcil. Romanæ, patriarchalium, metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum, Parochialium &c. Sicut enim teſtante Chriſto *in cathedra Moſis* præſidebant *duplices prælati ſpirituales* in Judaiſmo, Scribæ, appropriate quoad ordinem, *Phariſæi*, quoad religionem: *Scribæ*, in negotiis Eccleſiaſticis, *Phariſæi* in religioſis: Sic, à fortiori, in cathedra Chriſti debent præſidere duplices prælati ſpirituales in Chriſtianiſmo, alii *quoad ordinem* appropriatè in negotiis Eccleſiaſticis, alii *quoad religionem* in factis religioſis. *Primi*, ſicut Papa, Patriarchæ, Archiepiſcopi,

piſcopi, Epiſcopi &c. *ſecundi*, Patres, Abbates, præpoſiti, priores &c.

Propter quod ſicut reſpectu *primorum* eſt magna & nimis pulchra varietas Eccleſiarum, Romanæ Eccleſiæ, parochialium &c. ut tactum eſt: Sic reſpectu *ſecundorum* debet eſſe multum pulchra varietas diverſarum & privatarum religionum. Et primo *duplicium religionum*, una *poſſeſſionatarum*, absque proprietate, ſive exproprietariè de bonis communibus communiter poſſeſſis viventium; Alia *religio mendicantium*, ſine poſſeſſionibus, exproprietariè viventium.

Et utraque religio in ſuas ſpecies vel partes in modo pulchrè debet eſſe diſtincta. Quemadmodum ponuntur *Ciſtercienſes, Benedictini*, *Præmonſtratenſes*, *Canonici regulares*, & ceteri de religione *poſſeſſionatorum*. *Minores vero*, *Prædicatores*, *Auguſtinenſes*, & ceteri de religione *Mendicantium*.

Si enim ſeſſio in cathedra Moſis duplicium prælatorum ſpiritualium, ut Pontificum & Phariſæorum, in Judaismo, juxta illud: *Super cathedram Moſis ſederunt Scribæ & Phariſæi* Matth. 23. & item: *Collegerunt Pontifices & Phariſæi concilium*, *Joh. XII.* Si, inquam, ſeſſio illa fuerit figura ſeſſionis in cathedra Chriſti duplicium prælatorum ſpiritualium in Chriſtianismo, eo, quod omnia talia contingebant illis in figura, ſicut & alia, de quibus 1. *Corinth. X.* Ergo multo magis in Chriſtianismo, quam in Judaismo, oportet eſſe duplices prælatos ſpirituales, *primos* appropriate *ſuper negotiis Eccleſiaſticis*, *ſecundos*, ſuper *factis religioſis*: *Primos* ſecundum ordinem clericalem à laicis appropriate ſeparatos: *Secundos*, ſecundum religionem ſpiritualem à ſecularibus appropriate diviſos: *Primos*, habentes appropriatè regere & præcipere in divinis juribus: *Secundos*, habentes appropriate regere & præcipere in Deificis moribus: *Primos*, ſicut ſpirituales rectores generales ſpiritualium & ſecularium in Eccleſiaſticis juribus: *Secundos*, veluti rectores ſpeciales ſpiritualium in ſpiritualibus moribus.

Quapropter ſicut tactum eſt, quomodo *reſpectu primorum prælatorum* in Chriſtianismo eſt permagna varietas pulchra Eccleſiarum, ita *reſpectu ſecundorum prælatorum* oportet eſſe aliquam pulchram varietatem religionum præfatarum.

Et pulchre primâ diviſione ponitur *duplex privata religio*, ut tactum, quæ aliquantas *ſubdiviſiones* recipiunt. Ut ſic generalis religio Chriſtiana perfectum complementũ habeat in illis ſpeciebus.

Quapropter etiam ſicut hæreticum eſſet dicere, quod in Judaismo non licebat nec expediebat pro regulari diſciplina Nazaræis, quod quasdam corporales ceremonias, *Num. VI.* pro eisdem deſcriptas, & obſervantias ſpeciales cuſtodirent: Ita hæreticum eſt dicere, quod in Chriſtianismo non poteſt licere & expedire pro quadam communitate ſpeciali quorundam ſpiritualium & pro regulari eorum diſciplina ſpecialis habitus in colore & figura, ſpecialis victus, ſpecialis abſtinentia, vigilia, taciturnitas, cantus, horæ, & ita de aliis, tali intentione inventis & inſtitutis, ut communitatem illam, & perſonas ejusdem communitatis juvent & promoveant, ſive ut ſigna, ſive ut res, ad cuſtodiendum arctius, quadam ſpeciali regularique neceſſitate & diſciplina, novam legem amoris Dei & proximi, vigentem in obedientia contra vitæ ſuperbiam, in caſtitate contra carnis concupiſcentiam, & in paupertate ſpiritus contra concupiſcentiam oculorum.

Et quid neceſſe eſt nos multum diſcurrere pro valido argumento, quod religiones privatæ, memoratæ ſuperius & aliæ, ſint laudabiles & utiles in religione Chriſtiana? Et quod catholicum eſt, tales eſſe bonas & ſanctas? Ecce validum & ſecurum habemus argumentum, fidem ſcilicet Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, capitis omnium Eccleſiarum in terris, quæ firmiter credit, tales religiones eſſe ſanctas & juſtas, ſicut & eadem eſſe tales approbavit & confirmavit. Hoc ergo argumentum eſt nobis valde ſufficiens ad hæreſis confutationem contrariæ, dicentis: *Si aliquis ingreditur religionem privatam quam-*

quamcunq; , tam poſſeſſionatorū , quam mendicantium , redditur ineptior & inhabilior ad obſervantiam mandatorum Dei.

Hoc idem argumentum eſt nobis æqueſufficiens ad confutandum XXII. XXIII. XXXI. XXXV. XLIV. XLV. articulos, &c.

ARTIC. XXII.

Sancti inſtituentes religiones privatas ſic inſtituendo peccarunt.

ARTIC. XXIII.

Religioſi viventes in religionibus privatis non ſunt de religione Chriſtiana.

ARTIC. XXXI.

Peccant fundantes clauſtra, & ingredientes ſunt viri diabolici.

ARTIC. XXXV.

Ingrediens religionem, aut aliquem ordinem, eo ipſo inhabilis eſt ad obſervandum divina præcepta, nec per conſequens perveniendi ad regnum cœlorum, niſi apoſtataverit.

ARTIC. XLIV.

Auguſtinus, Bernhardus, Benedictus, damnati ſunt, niſi pœnituerint de hoc, quod habuerunt poſſeſſiones, & inſtituerunt & intraverunt religiones, & ſic a Papa usq; ad infimum religioſum omnes ſunt hæretici.

ARTIC. XLV.

Omnes religiones indifferenter introductæ ſunt a diabolo.

CONtra omnes hos articulos hic enumeratos, & quemlibet eorum eſt argumentum validum, præclara ſcilicet fides prædicta ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ.

Contra iſtos etiam eſt ſententia Chriſti *Matth. XXIII.* ſub allegoria Scribarum & Phariſæorum in cathedra Moſis ſedentium in Judaiſmo, præcipientis obedire duobus generibus prælatorum ſpiritualium in Chriſtianiſmo. Quorum generum unū per *ſcribas*, aliud per *Phariſæos* allegorice figuravit & dixit. Sicut per Abraham, habentem duos filios, unum de libera, alium de ancilla, allegorice duo Teſtamenta dicta ſunt, Gal. 4. Quorum generum Prælatorum unum appropriate præſidet in juribus Eccleſiaſticis, aliud in moribus religioſis. Et ſicut reſpectu primi generis prælatorum multifariam Eccleſiæ in Chriſtianiſmo ſunt diſtinctæ: Ita reſpectu ſecundi generis præſidentium pulchra varietate privatæ religiones in eodem Chriſtianiſmo ſancte & juſte ſunt diviſæ.

Contra eosdem etiam eſt veritas catholica, iſta videlicet: In Chriſtianiſmo licitum eſt, eſſe aliquam communitatem ſpecialem ſpiritualem, *bona communia in communi habentem*, etiam pro regulari ſpeciali diſciplina ſuorum ſuppoſitorum ſpecialem veſtitum in colore & in figura, ſpecialem victum, ſpecialem abſtinentiam, ſpeciale ſilentium, vigilias ſpeciales, cantus ſpeciales, ceremonias & obſervantias corporales in Eccleſia, & in dormitorio, oratorio, refectorio &c. Speciale votum obedientiæ, caſtitatis, voluntariæ paupertatis, tali intentione inventa, inſtituta, accepta, pro quadam ſpeciali religione profeſſa, ut communitatem illam ſpecialem & perſonas ejus cauſa communitatis juvent & promoveant, ſive ut

ſigna, ſive ut res, ſive ut ſigna & res ſimul, ad cuſtodiendum arctius, ſolicitius, libentius, expeditius, indiſtractius, perfectius, & liberius novam legem amoris Dei & proximi, de quanto lex illa potiſſimum in valle miſeriæ viget in obedientia contra laſciviam, & in voluntaria paupertate contra avaritiam.

Et conſimiliter licitum eſt, eſſe quandam ſpecialem communitatem ſpiritualem *poſſeſſione bonorum temporalium carentem*, in membris ſuis ſine proprietate ſicut & priorem viventem, ſpecialem veſtitum, ceremonias & obſervantias corporales, & cætera talia pro ſpeciali religione profeſſa cuſtodientem, tali intentione, quæ jam ſupra dicta eſt.

Si enim licitum eſt, in Chriſtianismo eſſe quaſdam *communitates ſpeciales ſecularium*, ſartorum, ſutorum, fabrorum &c. Quomodo non erit licitum, in eodem Chriſtianismo eſſe quaſdam prædictas *duplices communitates ſpiritualium?*

Et cum omnia mihi licent, ut dicit Apoſtolus, 1. *Cor. VI.* quomodo ſpecialem communitatem ſpiritualium habere ſpecialem veſtitum & victum, & ita de aliis ſuperius expresſis, & ſubintellectis, in monaſteriis, pro obſervandis approbatis, & non habere ſingula talia & omnia ſimul in uno volucro, ſicut in communitatibus pro obſervandis habentur, non erit licitum? Cum hoc in ſe nec mortalis nec venialis peccati includat rationem.

Qualem enim *rationem* cujuſcunque *peccati* includit, ipſum probatum & examinatum *vovere* obedientiam alicui prælato alicujus communitatis ſpecialis? Cum dixerit Chriſtus: *Super cathedram Moſis ſederunt ſcribæ & Phariſæi, quæcunque dixerint, facite.*

Vovere caſtitatem, voluntariam paupertatem, & eodem voto ſe adſtringere ad ſigna & res, ad habitus & privationes, & ceremonias, obſervantias &c. pro obedientia, caſtitate, paupertate, ad implendam dilectionem Dei & proximi expeditius: Et dicere, quod talia ſigna & res non poſſint juvare & promovere ad jam dicta bona gratuita, eſt nimia deliratio. Dicere etiam, quod intentio ſupra dicta ſit impoſſibilis, illicita & irrationabilis, eſt nimis impius error.

Veritas ergo catholica, aliqualiter ſuperius confuſe commemorata, articulos prædictos plena ratione confutat.

Irrefragabile etiam *teſtimonium* inſuſpectorum teſtium *ſanctorum*, qui potius elegiſſent mori, quam deliberato animo falſum pro vero, vel incertum pro certo aſſerere. Sicut fuerunt Beatus *Benedictus, S. Martinus, Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius, Gregorius, Bernhardus, Dominicus, Franciſcus, S. Thomas de Aquino*: Et ita de aliis ſanctis innumeris & ſapientibus, qui teſtati, religiones privatas in Chriſtianismo eſſe pias & ſanctas, confutat validisſime articulos prædictos, & eos oſtendit hæretice eſſe erroneos. Et ſuperfluum eſſet hic teſtimonia aliorum recitare.

Artic. XXIV.

Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, non per mendicitatem.

Iſtum articulum etiam condemnat fides ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, & Romanæ Eccleſiæ, quæ firmiter credit, licere & expedire fratribus Minoribus, Prædicatoribus &c. Victum per mendicitatem quærere, ut altisſima paupertas eorum abundet in divitiis ſimplicitatis eorum, ſicut Apoſtolus 2. *Cor. VIII.* dicit, factum eſſe in Eccleſiis Macedoniæ, in quibus talis gratia data eſt, quam notam facit Corinthiis.

Quæ enim altior eſt paupertas, quam carere & indigere victu & amictu voluntarie quantum expedienter fieri poteſt: Et in tali carentia & indigentia eosdem quærere actu licito, ſecundum ſeque abjectisſimo, ſimplicisſimo, & ſecundum pasſionem verecundiæ pœnalisſimo ad inquirendum & conſequendum victum & amictum. Cum aut mendicitas vel mendicatio ſit actus licitus quærendi & conſequendi victum

victum & amictum, & ſit in genere ſuo præ omnibus aliis licitis actibus quærendi & conſequendi victum & amictum abjectiſſimus, ſimpliciſſimus & maxime pœnalis, ſecundum paſſionem gravem verecundiæ, non corrupti, ſed vi laudabilis pudicitiæ vigentes.

Dum ergo fratres mendicantes ex voto & ſecundum religionem ſuam ad honorem Dei pro ſalute ſua, & in ædificationem proximorum, ſic militant contra oculorum concupiſcentiam, ut victu & etiam amictu, in quantum licite fieri & expedienter poſſit, voluntarie careant, eis indigeant, & eadem conſequi quærant licito actu in genere abjectiſſimo, ſimpliciſſimo, & paſſione verecundiæ duriſſimo ipſi animo, ad quærendum & conſequendum hujusmodi victum & amictum, qualis eſt actus mendicitas vel mendicatio: Quis niſi infidelis negaret, quod talium fratrum in hoc facto altiſſima paupertas abundet in divitiis ſimplicitatis eorum? Sic ſancti Franciſci, S. Dominici, & aliorum verorum fratrum de religionibus mendicantium, in tali facto altiſſima eorum paupertas abundavit in divitiis ſimplicitatis eorum.

Sancta ergo *ſedes Apoſtolica* hoc vigilanter & fideliter attendens *approbavit*, & confirmavit *ſpeciales religiones fratrum*, ut ſecundum religionem ſuam ex voto ad honorem Dei, pro ſalute ſua, & in ædificationem Eccleſiæ & proximorum, in communitatibus & ordinibus ſuis ſic militarent contra oculorum concupiſcentiam, ut jam dictum eſt. Ubi eorum altiſſima paupertas ſupra deſcripta abundaret in divitiis ſimplicitatis eorum per actum & factum licitum, abjectiſſimum, in genere ſuo ſimpliciſſimum, & in animo amariſſimum ad quærendum & conſequendum victum & amictum, ſcilicet per mendicitatem, ſeu mendicationem.

Sancta ergo & recta eſt fides ſanctæ ſedis Apoſtolicæ & Romanæ Eccleſiæ, quæ fides credit, fratribus licere & expedire ex voto & ſecundum religionem ſuam ad honorem Dei pro ſalute ſua, & in ædificationem Eccleſiæ & proximorum, militando contra concupiſcentiam oculorum, non per laborem manuū, ſed per mendicitatem victum & amictum quærere. Et per conſequens contrarium hujus eſt infidelis error, quod videlicet fratres per laborem manuum non per mendicitatem debeant victum quærere.

Ubi autem adverſarii garriunt in contrarium, dicentes: Quod ſcriptum eſt *Deut. XIV. Et omnino indigens & mendicus non erit inter vos*; Ex quo videtur, quod fratribus non liceat, nec expediat mendicare. *Reſpondetur*, Quod hoc dictum non prohibeat ſimpliciter, eſſe indigentes & mendicos inter Judæos. Nam ſcriptum eſt *Deut. XVI. Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ, idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum tuam fratri egeno & pauperi.* Nam & *Lazarus* in domo divitis mendicus erat. Et, qui *cæcus* erat natus, quem Chriſtus illuminavit, mendicus erat, *Joh.IX.* Et *claudus* ex utero matris ſuæ, quem Petrus verbo ſanavit, ponebatur quotidie ad portam templi, quæ dicitur ſpecioſa, ut peteret eleemoſynam *Act.III.*

Omnino ergo egenus & mendicus poteſt dici, cujus indigentia neceſſitatis non relevaretur, nec mendicatio petitum tale conſequeretur. Sicque *non erit omnino egennus & mendicus inter vos, ut benedicat tibi Dominus*, dicit ſanctus Moſes.

Ex hoc autem non ſequitur, quod non liceat & expediat, fratres per mendicitatem victum quærere.

Allegant illi adverſarii adhuc aliud Sapientis, qui dicit *Proverb. III. Mendicantem paupertatem & divitias ne dederis mihi, ſed tantum victui meo tribue neceſſaria.* Poteſt dici, quod ibi Sapiens loquatur in perſona communis hominis vel communium hominum, communem vitam humanam ducentium, quibus in tali & ſecundum talem communem ſtatum humanitus vivendi non expedit eſſe pauperes, vel habere divitias, ex cauſis ibi per Sapientem expreſſis. Sed quid hoc contra Chriſtum, beatam virginem Mariam, ſanctos Apoſtolos, & innumeros ſanctos paupertatem glorioſe tolerantes, amplectentes & tenentes?

Articulus XXV.

Omnes ſunt Simoniaci, qui ſe obligant orare pro aliis, eis in temporalibus ſubvenientibus.

Contra hunc errorem primo oſtenditur, quod licitum ſit ſe obligare ad orandum pro aliis. Nam & *Chriſtus* ſic ſe obligavit, cum promittens diceret diſcipulis *Joh. XIV. Si diligitis me, mandata mea ſervate, & ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis.*

Item licitum eſt pro ſubventionibus in temporalibus obligare ad retribuendum ſpiritualia. Sic enim *Chriſtus* obligavit ſe pro ſubventione in temporalibus ad retribuendum ſpiritualia, cum promittens diceret *Luc. VI. Date, & dabitur vobis: Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum.* Unde & hanc promiſſionem & obligationem juramento confirmavit *Matth. X.* dicens: *Quicunq; potum dederit uni ex minimis iſtis, calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine diſcipuli, Amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.*

Ex iſtis clare patet, quod licitum eſt ſecundum Evangelium obligare *ſe* ad orandum pro aliis in temporalibus ſubvenientibus: Sicut pro ſtipendiantibus quodammodo *oratores divinos*, vel ſicut pro ſubſervientibus (ſubvenientibus) in ſubventione in temporalibus pro mercede orationis ad Deum. Ita quod ſubvenientes in temporalibus ſint ſicut quidam ſtipendiantes ipſos oratores ad orandum pro eis ad Deum, vel ſint ſicut miniſtri oratores, ſervientes eis ſubventoribus in temporalibus, pro mercede, quæ eſt oratio pro eis ad Deum. Sicut dans potum uni ex minimis iſtis, quos Chriſtus monſtravit, calicem aquæ frigidæ in nomine diſcipuli, in hoc ſervit pro mercede beatitudinis, ſecundum Evangelium.

Ex quibus patet ulterius manifeſte, quod hoc eſt hæreſis, ut pote quod ſit ſimonia obligare ſe orare pro aliis in temporalibus ſubvenientibus, cum ſecundum Evangelium hoc ſit licitum, puta, obligare ſe orare pro aliis in temporalibus ſubvenientibus.

Ex quo ulterius patet, quod erroneus eſt articulus jam dictus. Cum multi probi, religioſi, & communitates religioſorum obligant ſe orare pro aliis, in temporalibus eis ſubvenientibus, debito ordine recipientes ab aliis ſubventiones in temporalibus, ad hunc finem, ut pro eis orent; Non perverſo ordine orantes ad Deum pro aliis, ad hunc finem, quod ſubventiones in temporalibus ab eis recipiant. Sicut in ſimili dicit *B. Auguſtinus: Comedamus ut prædicemus, non prædicemus ut comedamus.*

Artic. XXVI.

Oratio præſciti nulli valet.

Contra hanc hæreſin eſt, quod ſcribitur *Matth. XVIII.* de præſcito & oratione ejus, ubi dicitur: *Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi pro eo, quod rogaſti me &c.* Et infra: *Et iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoad usq; redderet univerſum debitum: Sic & pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unusquisq; fratri ſuo de cordibus veſtris.* Ubi patet, quod præſcitus oravit humiliter in fide & caritate, dicendo: *Patientiam habe in me, Domine, & omnia reddam tibi. Et miſertus Dominus ſervi illius dimiſit eum, & debitum dimiſit ei.* Oratio ſua multum ei valuit, qua impetravit dimiſſionem omnis præcedentis debiti.

Et abſit, quod gladius præſciti Imperatoris, Regis, Principis, vel alterius temporalis Domini increduli alicui non valeat, cum talis non ſine cauſa gladium portet. *Dei enim miniſter eſt,* vindex in iram ei, qui malum agit. *Rom. XIII.* Et ibidem: *Dei miniſter eſt tibi in bonum.* Bonum fac & habebis laudem ex poteſtate talis Principis. Abſit igitur, inquam, quod talis præſciti poteſtas & gladius alicui valeat, & præſciti oratio, ex caritate & ſecundum gratiam gratum facientem facta, nulli valeret.

ret. Cum ſecundum talem orationem charitativam, & grate Deo factam, quæ in hoc eſt juſtitia & opus juſtitiæ, ipſe orans ſit dignus & meritus beatitudinis, quæ eſt merces juſtitiæ, quam ex illo opere juſtitiæ conſequeretur, ſi non ex poſt per peccatum mortale illam dignitatem gratuitam, & gratuitum illud meritum deperderet. Etiam talis charitativa oratio excludit peccatum mortale ſibi in ſubjecto incompaſſibile. Poteſtas autem imperatoria, regia, etiam ipſius increduli, non reddit eum dignum & meritum beatitudinis, nec talis poteſtas peccatum mortale a ſubjecto in quo eſt excludit.

Etiam illa hæreſis eſt contra illud, quod ſcribitur *Apoc. III. Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Ubi patet, quod præſcitus oratione charitativa poteſt tenere per ſpem coronam beatitudinis, quam deperdit poſtea per peccatum finalis impœnitentiæ, & per alia. Et per conſequens oratio præſciti multum valet.

Imo oratio præſciti ſacerdotis, in perſona Eccleſiæ, quam gerit, facta, etiam extra charitatem, ex officio ſacerdotali, de ſe canonico & legitimo ad orandum pro populo non charitative de ſe ex officio multum valet, juxta illud *Levit. IV. Anima, quæ peccaverit per ignorantiam, & fecerit unum ex his, quæ lege Domini prohibentur, & peccati rea intellexerit iniquitatem ſuam, offeret arietem immaculatum de gregibus ſacerdoti, juxta menſuram æſtimationemq; peccati, qui orabit pro ea; quia neſciens fecit, & dimittetur ei quia per errorem deliquit in Dominum.* Et ibidem *Levit. IV.* fit repetitio pluries, quod ſacerdos rogabit pro Principe & peccato ejus, pro populo & peccato ejus, pro anima communi de populo & peccato ejus, & remittetur ei.

Ecce, quomodo oratio ſacerdotis valuit pro dimisſione peccatorum. Numquid autem credimus, omnes ſacerdotes veteris legis, taliter orantes ex officio pro peccato Principis, populi, vel animæ communis, fuiſſe prædeſtinatos & nullos præſcitos. Et ſi oportuiſſet ſolius prædeſtinati ſacerdotis oratio quid valuiſſe pro dimiſſione peccati, & cum Princeps, populus, vel anima communis de populo Judaico, de quolibet eorum ſacerdote fuerunt penitus invicti, ſi eſſet præſcitus vel prædeſtinatus, fuisſent penitus incerti, ſi oratio ejus valuiſſet ad dimisſionem peccati. Nunc autem, quia Dominus certificavit illos per legem ſuam, ut facta oblatione legali per eosdem, & oratione per ſacerdotem, quod peccatum eis dimittatur: Igitur indifferens fuit, ſive per præſcitum vel prædeſtinatum ſacerdotem talis oratio pro eisdem fieret. Igitur articulus eſt hæreticus.

Artic. XXVII.

Omnia de necesſitate abſoluta eveniunt.

Iſte articulus eſt nimis periculoſa hæreſis, contra Scripturam Sacram, contra rationem, disſuadens conciliari, negans dignitatem meriti, excuſans totam culpam demeriti, inducens ab una parte deſperationem, & alia parte præſumtionem, negans contra ſenſum, experientiam, rationem, & ſcripturam Sacram, omnem reſiſtentiam, & omne impedimentum.

Nam juxta illam hæreſin nihil potuit evenire, niſi quod eveniebat. Nec quicquam poteſt vel poterit evenire, niſi quod evenit, vel eveniet. Nec poteſt, potuit, vel poterit quicquam boni vel mali contigiſſe vel contingere, niſi de facto contingat, contigit, vel continget. Nec potuit quicquam boni vel mali, quod fuit, non fuiſſe, aut quod eſt, non eſſe, aut quod erit, non fieri, vel in futurum eſſe. Scriptura autem ſacra manifeſte ſententiat contrarium.

Nam Chriſtus dixit Petro *Matth. XXVI. Converte gladium tuum in locum ſuum. Omnes enim, qui accipiunt gladium, gladio peribunt. An putas, quod non poſſim rogare patrem meum, & exhibebit mihi plus, quam duodecim legiones Angelorum, quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quod ſic oportet fieri.* In his

verbis Chriſtus reprehendit Petrum, quaſi diceret: Tu unicus impotens, fragilis homo, conaris per gladium prohibere, ne captiver in mortem, non habes licentiam ad hoc. Neſcis, quod unus Angelus Domini percusſit in caſtris Aſſyriorum 180. millia, *Eſa. XXXVII.* Aut es infidelis, male & infideliter ſentiens de me, & de patre meo? Quod non poſſim rogare patrem meum, & quod ipſe ad rogatum meum exhibebit mihi, nedum unum talem Angelum, ſed plus, quam 12. legiones Angelorum, ad defendendum me.

Ecce, quod Petrus male ſenſisſet, ſi putaſſet, quod Chriſtus non poſſet rogare Patrem, & quod Pater ad rogatum ſuum exhibuiſſet ſibi plus, quam 12 legiones Angelorum. Sicut in ſimili dicitur in Pſalmo: Et male locuti ſunt de Deo: Dixerunt: *Num quid poterit Deus parare menſam in deſerto?*

Cum ergo Chriſtus potuit rogare patrem, ut Pater ſibi exhiberet ad defenſam plus, quam 12. legiones Angelorum, & non eſt ita factum: Potuit igitur fieri, quod non fiebat. Quod eſt contra Articulum prædictum, & ejus ſententiam hæreticam.

Sed hic dicunt adverſarii, hæretici, quod Chriſtus non potuit rogare, nec Pater exhibere, ſed, potuiſſet, ſi voluisſet. Et ita debet intelligi, quod Chriſtus potuit, i. e. potuit ſi voluiſſet.

Et ita gloſſant alias ſcripturas, quæ contra eos allegantur, dicentes, quod Deus non ſimpliciter poteſt facere, quod non facit, ſed ſub conditione, ut, ſi vellet, poſſet.

Sed contra iſtam hæreticam gloſſam arguitur. Quia tunc etiam poteſt dici, quod Deus poteſt ſe annihilare & deſtruere, & poteſt ſe æternaliter damnare ſeu condemnare. Et ſic de aliis talibus ſumme hæreticis dictis.

Patet tamen contrarium. Quia qua ratione concedunt, quod Chriſtus potuiſſet rogare patrem, &c. Ad talem ſenſum ſolum, quod Chriſtus potuiſſet, ſi voluiſſet: Sic etiam ad conſimilem ſenſum habent concedere, quod Deus poſſet ſe annihilare & deſtruere, id eſt, poſſet, ſi vellet. Et ſic ego poſſum me facere omnipotentem Deum, hoc eſt, poſſem, ſi vellet Deus.

Hæretica eſt ergo illa gloſſa interimens catholicam Chriſti intentionem, & ſententiam, quantum in ea eſſet, & inducens locutiones contra Deum ſumme blaſphemas.

Ideo contra illum articulum hæreticum adhuc aliquæ aliæ Scripturæ inducantur. Scribitur autem *Marci XIV.* quod & Chriſtus dixit: *Abba, Pater, omnia tibi posſibilia ſunt, transfer calicem à me hunc. Sed non quod ego volo, ſed quod tu vis pater.* Ecce, quod Chriſtus præmiſit: *Pater, tibi omnia posſibilia ſunt*, & addit: *Transfer calicem hunc à me.* Vel igitur fuit patri poſſibile transferre calicem illum à Chriſto, vel non. Si *ſic*, & cum pater non tranſtulit, ſequitur quod pater aliquid poteſt facere, quod non facit. Et habetur intentum contra illum articulum, & ſententiam ejus hæreticam. Si *non*, tunc Chriſtus impertinenter & ſtulte oratione ſua ad patrem, poſtquam dixerat: *Pater omnia tibi posſibilia ſunt*, ſubintuliſſet: *Transfer à me calicem hunc*, eo, quod transferre calicem illum à Chriſto, non fuit nec potuit eſſe unum de posſibilibus Patri, juxta adverſarios. Conſequens autem eſt hæreticum nimis & blaſphemum. Igitur & articulus prædictus.

Item ſanctus *Johannes Baptiſta* Phariſæis & Sadducæis, qui venerant ad eum circa Jordanem, ubi baptizabat, inter alia dixit: *Et ne velitis dicere inter vos: Patrem habemus Abraham. Dico vobis, quod Deus poteſt de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Ubi ſecundum beatum *Chryſoſtomum Johannes* demonſtravit lapides, qui de medio alveo Jordanis fuerunt exportati, dum filii Iſraelis per illum tranſierunt. Cum autem hoc Deus non fecerit, igitur poteſt facere, quod non facit, neque faciet vel fecit.

Item ad *Hebr. XI.* dicit Apoſtolus: *Fide obtulit Abraham Iſaac, cum tentaretur & unigenitum offerebat, qui ſuſceperat repromisſiones, ad quem dictum eſt, quod in Iſaac vocabitur tibi ſemen. Arbitrans, quod & à mortuis ſuſcitare eum potens eſt Deus.* Ecce quod Abraham fide arbitratus eſt, quod Deus potens eſt ſuſcitare à mortuis

tuis *filium ſuum Iſaac* ad procreationem ſeminis, quem Abraham voluit omnino occidere. Cum autem Deus illum non ſuſcitavit à mortuis, igitur potens eſt Deus facere, quod non facit.

Item 1. *Cor. IX.* dicit Apoſtolus: *Numquid non habemus poteſtatem, ſororem mulierem circumducere, ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas? Aut ſolus ego & Barnabas non habemus poteſtatem hoc operandi &c.* Et infra: *Sed non ſumus uſi hac poteſtate.* Ecce, quod Apoſtolus habuit à Deo poteſtatem faciendi, quod non fecit. Potuit ergo de poteſtate illa aliquid fieri vel evenire, quod non evenit. Et ſic non omnia de neceſſitate abſoluta eveniunt, quæcunque eveniunt.

Item *Apoc. III. dicitur: Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Ecce, quod aliquis poteſt habere coronam beatitudinis, & poteſt eandem non habere. Quomodo alias diceretur conſultivè, *Tene quod habes*, & adderetur comminative: *Ne alius recipiat coronam tuam*, niſi & poſſet coronam beatitudinis adipiſci, & poſſet ad eam non pervenire. Niſi etiam, quod unus tenet per ſpem, poſſet alteri dari per rem, primo deperdente, quod ſibi debetur, ut illud finaliter in re teneret, & poſſideret coronam, ſcilicet omnium ſanctorum, quæ eſt Deus, Trinitas.

Item 2. *Reg. XXIV.* Trium optio dabatur David a Domino per Prophetam Gad, quod elegeret unum ex illis, quodcunq; vellet, ut Deus aut faciat ſibi annis ſeptem pati famem in terra Iſrael, aut tribus menſibus fugere adverſarios perſequentes, aut tribus diebus habere peſtilentiam in terra. Ecce quodlibet illorum trium fuit poſſibile evenire. Alias ita ſtultum fuiſſet dicere: *Horum trium* prænominatorum *datur tibi optio, Elige unum, quod volueris, ex his ut Deus faciat tibi.* Sicut ſtultum fuiſſet dicere: Horum trium à Domino datur tibi optio, aut, quod tu David ſis Deus omnipotens, aut quod tu annihiles Deum, aut quod peſtilentia trium dierum ſit in terra tua. Elige unum quod volueris. Quia igitur quodlibet illorum trium in optione David poſitorum fuit poſſibile evenire, & ſolum tertium evenit: Igitur eſt poſſibile evenire, quod non evenit. Et poſſibile eſt non evenire, quod evenit. Et per conſequens articulus cum ſua ſententia eſt hæreticus.

Patet igitur ex his & aliis multis *ſcripturis*, quod nimis periculoſa hæreſis eſt contra ſcripturam ſacram iſte articulus.

Quomodo autem *ratio* obviet illi articulo, poteſt aliqualiter ſic patere. Accipiamus unum, qui non timet Deum. Et arguitur ſic: Iſte juſte debet timere Deum, juxta illud *Eccleſiaſt. ultimo: Deum time, & mandata ejus obſerva*, hoc eſt, *omnis homo.* Tunc ſic: Iſte juſte debet timere Deum: Igitur rationabile eſt, quod timeat Deum: Et ab alia parte, quia ille non timet Deum, igitur, ſecundum articulum, non eſt poſſibile, quod ille timeat Deum. Et ex conſequenti, ſi non eſt poſſibile, non eſt rationabile quod iſte timeat Deum. Et ſic erit rationabile, quod ille timeat Deum, & non erit rationabile, quod ille timeat Deum. Ecce expreſſa formalis contradictio. Hanc ergo contradictionem oportet concedere adverſarios, vel dicere, quod ſolum timentes & diligentes Deum, & nulli alii tenentur & debent juſto debito timere & diligere Deum, vel quod aliquis juſto debito tenetur & debet timere & diligere Deum, & tamen non eſt rationabile, quod eum timeat & diligat, vel quod ſit rationabile, ſed nullo modo poſſibile quod ille Deum timeat & diligat, vel qvod ſit poſſibile, quod ille Deum timeat ac diligat, & tamen ſi ille Deum timet & & diligit, Deus annihilabitur, quia ad impoſſibile ſimpliciter ſequitur de neceſſitate quodlibet, & quia per adverſarium eſt ſimpliciter impoſſibile, quod ille timet & diligit Deum, demonſtrando eum, qui non timet & diligit Deum: Eligant adverſarii quodcunque iſtorum prædictorum, & *ratio* manifeſte eis eſt contraria, ſimiliter & pia *fides.*

Quomodo ergo iſte articulus disſvadet conciliari, manifeſtum eſt. Quia datis

Digitized by Google

datis quibuscunque duobus contradictoriis, inter quæ quis vellet conciliari unum illorum, juxta illum articulum, eſt ſimpliciter neceſſarium, ſicut Deum eſſe, & aliud eſt ſimpliciter impoſſibile, ſicut nihil eſſe. Igitur, quam ſtultum eſſet conſulere ſuper hoc, aut quod Deus ſit, aut quod nihil ſit, tam ſtultum eſſet conſulere ſuper hoc, aut quod hoc contradictorum illorum eveniat, aut quod illud. Et ita de quibuscunque ſignatis contradictoriis.

Quomodo autem ille articulus neget dignitatem meriti, quo quis habet mereri beatitudinem, ut meritus vel dignus eſt beatitudine, patet ſic: Nam homini data eſt duplex naturalis libertas, libertas contradictionis, & libertas finalis ordinationis, contra duplicem neceſſitatem, ſcilicet coactionis ab extrinſeco, & naturalis impulſionis ac inclinationis ab intrinſeco.

Libertas contradictionis eſt data homini contra neceſſitatem coactionis ab extrinſeco, ut homo non ab extrinſeco aliqua neceſſitatione coactus ſit, bene vel male velle, ſed libere, contradictoriè, ut bene velit, gratia Dei aſſiſtente, aut non bene velit, gratia deſiſtente.

Libertas etiam *finalis ordinationis* eſt data homini contra neceſſitatem naturalis inclinationis. Ut homo non ab intrinſeco ſit neceſſitatus ad tendendum, pergendum, & ingrediendum ad finem ſuum, qui eſt beatitudo patriæ: Sicut res merè naturales neceſſitate naturalis inclinationis ſunt ab intrinſeca neceſſitate ad tendendum, pergendum, & ingrediendum in fines ſuos: Sed quod homo libere, absque neceſſitate, aut gratia Dei adjuvante, præveniente & ſubſequente, tendat, pergat & ingrediatur in beatitudinem, aut quod gratia tali abſente tendat, pergat & cadat in æternam miſeriam. Dignitas ergo meriti in creatura rationabili eſt in tali duplici libertate ſua, ut absq; neceſſitatione, ab extrinſeco, vel intrinſeco, bene velit, pergat & ingrediatur verſus beatitudinem, gratia Dei adjuvante, præveniente & ſubſequente.

Et quia ille articulus hoc negat, ergo negat dignitatem meriti in creatura rationabili.

Quomodo autem infideliter excuſet totam culpam demeriti, ſic maniſeſtum eſt. Quia ſive peccator omittat bonum ſeu committat malum, ſemper juxta illum articulum a tota culpa excuſatur. Nam ſi Chriſtus in die judicii omittentibus bonum dicet: Quare non timuiſtis nec dilexiſtis Deum? Sicut Dominus præcipit vobis: Poſſet quilibet ſecundum iſtum articulem reſpondere: Nullo modo plus de omnipotentia tua potui hoc facere, quàm quod ego fuiſſem Deus, ſimpliciter infinite diligens, laudans & honorans, te, ac Patrem tuum ac ſpiritum S. tuum. Si ergo vis mihi primum imputare, imputa mihi & ſecundum. Cum autem ſecundum non potes mihi imputare, neque igitur primum imputa mihi. Quia, quam impoſſibile fuit & eſt ſecundum, ita & primum. Et per conſequens, quam non rationabile fuit ſecundum, tam non rationabile fuit & eſt primum, quod te Deum timuiſſem, dilexiſſem. Et ita de omnibus omisſionibus. Quomodo ergo Chriſtus in die judicii dicet ſervo nequam, negligenti: *De ore tuo te judico, ſerve nequam.* Et infra: *Quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, & ego veniens cum uſuris exegiſſem utiq; illam*, de quo *Luc. XIX.*

Similiter de peccato commiſſionis diceret ſecundum illum articulum: Ego de omnipotentia tua & omni posſibilite excogitabili non potui illud, quod mihi improperas, declinare. Igitur, ſicut non potes mihi imputare, quod non feciſti me Deum omnipotentem ad diligendum, laudandum & honorandum te ſimpliciter, infinite, ſic nec hoc, quod non declinavi peccatum commiſſionis. Et ſicut ulterius non potes mihi imputare, quod non declinavi malum commisſionis, vel a malo commisſionis: Ita non potes mihi imputare, quod illud feci. Sicut enim bonum facere eſt una pars juſtitiæ, & declinare à malo alia pars: Sic facere malum eſt una pars injuſtitiæ, & non declinare a malo, alia

alia pars injuriæ. Igitur, qua ratione Chriſtus unum imputare non poſſet, eadem ratione nec aliud.

Quomodo vero articulus iſte ab una parte inducat deſperationem, ab alia parte præſumtionem: Ecce nos, qui deteſtamur illum articulum, neſcientes, ſi præſciti vel prædeſtinati, ſumus omnino ſecuri & certi, quod Deus poteſt nos ſalvare. Et ſic ſecuri poſſumus eum pro ſalute æterna invocare, omni prorſus dubietate & diffidentia & incertitudine procul mota. Plena ſecuritate & tota certitudine ſecuri & certi ſumus, quod Deus ſimpliciter & omnino infinite potens eſt, ſciens, benevolus, & voluntarius ſalvare nos, dummodo non poſuerimus voluntarium obicem ex noſtra ſola & in noſtra voluntate naturaliter libera, duplici libertate, contradictionis & finalis ordinationis. Scimus enim, quod potens eſt Deus omnia facere ſuperabundanter, quam petimus aut intelligimus *Eph. III.* Et per conſequens, quod ſuperabundanter plus poteſt facere, quam nos poſſumus deſiderare, cogitare, æſtimare, apprehendere, aut intelligere. Sed quis noſtrum non poſſet deſiderare pro ſe æternam beatitudinem, cogitare, æſtimare, apprehendere aut intelligere?

Miſeri autem qui iſtum colunt articulum, dum in vita præſenti in toto incerti ſunt ſi ſalvabuntur. Conſequenter incerti ſunt juxta ſuum articulum omnino, quod Deus de omnipotentia ſua poſſit eos ſalvare. Qua ergo ſpe hoc attendentes poſſunt Deum invocare pro ſalute æterna, de quo nullam habent certitudinem, nec de quo poſſunt vere credere, quod ipſe omnipotentia ſua aliquo modo poſſit, comparatione improprie dicta, libentius velle illos in cœlo ſalvare, quam ſe ipſum in inferno damnare.

Articulus ergo ille ab una parte ſuis cultoribus inducit diſperationem, totam veram ſpem excludens ab eis, ab alia vero parte præſumtionem inducit. Dum enim illi cultores apud ſe dicunt: Ex mihi dubio vel incerto, aut ſuppoſitione, ego de neceſſitate ſalvabor, & ex neceſſitate ego curro & curram, nunc per deviam, nunc per rectam viam, ad ſalutem, nec potero aliquo modo nunc malum declinare, nunc bonum non amplecti. Igitur vivam, ſicut Deus ab una parte de neceſſitate permiſerit, & ab alia parte, ſicut de neceſſitate voluerit.

Ecce quomodo articulus hic ab alia parte ſuis veneratoribus præſumtionem inducit. Quomodo denique articulus ille negat contra ſenſum, experientiam, rationem & ſcripturam, omne impedimentum, omnem reſiſtentiam.

Nam quod *reſiſtentia* ſit in rebus, teſtatur Scriptura *Act. VII.* ubi dicitur: *Duri cervice, & incircumciſi cordibus & auribus, ſemper ſpiritui S. reſiſtitis, ſicut patres veſtri & vos.* Quod autem ſenſus & experientia percipiant ac ratio dictet *reſiſtentiam* & impedimentum in rebus, teſtatur communitas ſapientum & communitas ſimplicium.

Quod vero articulus iſte hoc neget, patet ſic: Nam ex *quid nominis* non eſſet reſiſtentia nec impedimentum, ſi penitus nullam rem nec ullum modum rei impediret, tolleret, privaret, vel negaret per negationem à parte rei evenire, quæ res, vel qui modus poſſibilis eſſet eſſe vel evenire. Sed quia juxta articulum & ſententiam ejus nequaquam aliqua res, vel aliquis modus, poſſibilis exiſtere vel evenire, poteſt impediri, tolli, privari, vel negari, ut non eſſet vel non eveniret: Igitur articulus talis negat omnem reſiſtentiam, & omne impedimentum in rebus. Et licet mens divina exiſtens, ſimpliciter infinite communis, univerſalis, ac multiformis, prima cauſa rerum omnium poſſibilium, ſit immenſus ſed omnino ſimplex & indiviſibilis locus earum mentalis, ubi de neceſſitate abſoluta in æternitate ſimul mentaliter & idealiter & intelligibiliter omnia ſunt ſimpliciter infinita, in multitudine poſſibilia, immenſa pulchritudine: Licet etiam effectualitas ſecundum rationem communis & communicabilis omnibus poſſibilib⁹, ſit quidam locus intelligibilis, in quo poſſibilia habent currere & exiſtere effectualiter extra mentem divinam

vinam, non æternaliter ſimul, nec perpetuitate, nec temporaliter ſimul, neq; aliqua menſura durandi, neque etiam pulchritudine immenſa. Unde & hic locus infinite minor & minus vigoroſus eſt ad continendum poſſibilia, quam prior, qui eſt mens divina. Propter quod nullæ duæ poſſibiles contrariæ vel contradictoriæ veritates & infinite ab invicem diſtantes poſſunt habere ſimultaneam exiſtentiam in hoc loco, ſecundum proprias eorum rationes exiſtendi extra mentem divinam. Ibi autem neceſſario ſimul ſunt in *nunc æternitatis* ſecundum eorũ proprias rationes mentales & ideales, idealiter & mentaliter eſſendi & rutilandi infinite pulchre in illo immenſo ſpeculo mentali. Propter quod etiam hic locus ſecundus eſt impoſſibilis recipere in ſe ſimul in eadem menſura durandi, vel per quorumcunque ſeculorum ſucceſſionem omnia collectim poſſibilia in exiſtentiam effectualem, extra mentem divinam. Mens autem illa hæc neceſſario omnia ſimul complectitur in ſe in eodem *nunc æternitatis* in exiſtentiá mentalem, idealem. Propter quod tertio oportet, quod poſſibilia, quæ habent exiſtentiam effectualem in hoc loco ſecundo, habeant talem exiſtentiam contingentem, non abſolute neceſſariam. Alioquin poſſibilia eis oppoſita, & eis incompoſſibilia in tali loco, non poſſent aliquo modo extra mentem divinam in talem locum à Deo conſtitui. Imo, ſi poſſibilia haberent extra mentem divinam exiſtentiam abſolute neceſſariam, tunc eorũ neceſſitas exiſtendi effectualiter eſſet tanta, ſicut neceſſitas eſſendi Deum. Cum eorum neceſſitas eſſendi, non eſſet minus ſimpliciter abſolute neceſſitas, quam neceſſitas eſſendi Deum. Et per conſequens exiſtentia effectualis cujuſcunque poſſibilis, eſſet præciſe tam immenſe tanta, in gradu, & ſecundum gradum neceſſitatis ſuæ, quanta eſſet exiſtentia Dei ſecundum gradum & in gradu ſuæ neceſſitatis eſſendi.

Igitur, licet prædicta de duobus jam dictis locis intelligibilibus ſic ſe habeant, tamen prædictus articulus in verbis & ſententia ſua locum ſecundum in amplitudine continendi æquare contendit loco primo, & quemlibet abjectiſſimum effectum in effectuali ſua exiſtentia æquare exiſtentiæ divinæ, ut jam tactdm eſt.

Neget etiam omnipotentiam Dei circa poſſibilia. Cum ſecundum articulum hunc nequaquam poſſet Deus cogitare, velle, diſponere, facere & ordinare, circa quodcunque exiliſſimum, magnum vel parvum effectum, quam de facto fit. Nec poſſet aliquomodo dare, diſponere, facere vel deſtruere, niſi, ſicut omnis neceſſitatus in facto dat, diſponit, facit, &c. Cum tamen, parvuli Principes & Reges terræ plurimum verecundarentur, cum eis diceretur, quod ſic ex toto exhauriant omnem ſuam potentiam, quod nequaquam poſſint amplius vel minus, alias vel aliter, dimittere, facere, dare, diſponere, præcipere, coërcere, humiliare, punire &c. quam de facto faciunt.

Portat etiam articulus ille in dorſo ſuo omnia inconvenientia, ſuperius contra ipſum deducta, & multo inæſtimabiliter abominabiliora. Propter quod merito articulus iſte eſt hæreſis hæreſium, error errorum, ſicut ſuperbia, in qua ſola concipitur, gignitur, fovetur, & defenditur. Eſt mater vitiorum & vanitas vanitatum. Veruntamen cultores hujus hæreſis nituntur ipſam quibusdam pretioſis coloribus ſacrarum Scripturarum perſucare. Allegant namque quod ſcribitur *Matth. XIIX. Neceſſe eſt, ut veniant ſcandala.* Non minus autem, ſed æque neceſſe, ut veniant indifferentia ad bonum & malum, & veniant bona per ſe.

Item *Luc. XVII. Impoſſibile eſt, ut non veniant ſcandala, væ autem illi, per quem veniunt.*

Item, quia ſcribitur *Lucæ ultimo: Nonne hæc oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam.* Et infra: *Hæc ſunt verba, quæ locutus ſum ad vos, cum adhuc eſſem vobiſcum. Quoniam neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moſis, & Prophetis, & Pſalmis de me.*

Ecce oportunitas & *neceſſitas* ſine addito ponuntur, pro oportunitate & neceſſitate abſoluta, Igitur abſolute oportuit

tuit & neceſſe fuit, Chriſtum ſic pati.

Item *Gen. IX.* Quod Angelus, vel Dominus in Angelo, dixit ad Loth: *Feſtina, & ſalvare ibi. Quia non potero facere aliqua, donec ingrediaris illuc.* Ubi iterum innuitur neceſſitas abſoluta ſecundum illos.

Hæc & alia adducunt illi adverſarii. Sed ſalva ſolutione meliori & correctione, dicitur hic: Quod, ſicut *triplex eſt entitas, & ens*:

Utpote, omnino ſimpliciter entitas & ens: Quomodo ſolus Deus eſt ens & entitas.

Secundum eſt ens & entitas, partim ſimpliciter & partim ſecundum quid. Incomparabiliter tamen eſt plus ſecundum quid ens & entitas reſpectu Dei, quam ſit ens & entitas ſimpliciter reſpectu accidentis.

Tertium eſt pure & omnino ſecundum quid ens & entitas, ut accidens in ſubſtantia creata. Veluti, gratia exempli, albedo in lapide. Talis enim non eſt in ſe ens & entitas plus, quam ſit forma & entitas lapidis. Cum autem ſit omnino & pure ſecundum quid entitas lapidis, eo, quod lapis à ſua albedine, nec eſt hoc ens, ſcilicet ipſe lapis, nec aliud ens ab ipſo lapide, ut notum, ſed ſolum aliquale & alicujusmodi ens, utpote album ens: Et ita de aliis accidentibus: Igitur albedo & alia accidentia ſolum ſecundum quid ſunt entia & entitates.

Sic *triplex* eſt *neceſſitas* & *neceſſe*.

Primum, omnino ſimpliciter. Sic neceſſe & neceſſitas eſt, eſſe Deum.

Secundum eſt neceſſe & neceſſitas partim ſimpliciter & partim ſecundum quid, incomparabiliter tamen plus ſecundum quid quam ſimpliciter. Sic neceſſe erat & neceſſitas, Chriſtum pati. Sic etiam eſt neceſſe & neceſſitas ut veniant ſcandala. Non enim poſſet mundus purgari, & mundari à ſcandalis, niſi venirent ſcandala. Nec poſſent Dei operarii in terris glorioſe ſcandala declinare, niſi evenirent. Nec poſſet rutilare decor Dei juſtitiæ vindicativæ & punitivæ ſcandalorum, niſi evenirent. Propter hoc & alia ſecundo modo neceſſaria neceſſe eſt ſcandala evenire, neceſſitate ſecundo modo dicta.

Tertium eſt neceſſe omnino ſecundum quid. Sicut dicimus: Ego neceſſe habeo ire ad amicum meum, qui modo venit. Sic dixit ille: Villam emi, & neceſſe habeo exire, ut videam illam *Luc. XIV.*

Sic etiam eſt dictum *triplex impoſſibile.*

Impoſſibile ſimpliciter omnino. Sic impoſſibile eſt, Deum non eſſe.

Impoſſibile partim ſimpliciter, & partim ſecundum quid. Sic dictum eſt *Luc. XVII. Impoſſibile, ut non veniant ſcandala.*

Tertium impoſſibile ſolum ſecundum quid, & impoſſibilitas. Sic dixit ille *Luc. XIV. Uxorem duxi, non poſſum venire.* Sic ſolemus dicere: Impoſſibile eſt, quod ille fiat amicus meus &c.

Optime ergo ſic diſtinguitur *ens & entitas* ſecundum *triplicem gradum*, ſummum, medium & infimum. *Summum*, ſecundum quem res eſt omnino ſimpliciter ens & entitas: *Medium*, ſecundum quem eſt partim ſimpliciter, & partim ſecundum quid, infinite tamen plus ſecundum quid, quam ſimpliciter, ens & entitas. *Infimum*, ſecundum quod res omnino & ſolum ſecundum quid eſt ens & entitas.

Sic conſimiliter optime ſecundum conſimiles *tres gradus*, ſupremum, medium & infimum, dicitur *neceſſe & neceſſitas.*

Et ex oppoſito, *impoſſibile, impoſſibilitas.*

Et ſicut ens medii gradus & entitas dicitur ſine additione *ens & entitas*, non tamen dicitur ens & entitas omnino ſimpliciter vel abſolute: Sic dicitur ſine additione *neceſſe*, penes ſecundum gradum neceſſitatis, quod tamen non dicitur ſimpliciter & abſolute neceſſe, Et ſuo modo de *impoſſibili*, ſecundo modo dicto.

Imo ſicut *ens & entitas tertii gradus* ſine aliqua additione dicitur ens & entitas, ut cum dicitur albedo dicitur ens & entitas, & ſic de aliis: Nequaquam tamen illud ens tertii gradus dicitur ens & entitas ſimpliciter, ſed ſolum ſecundum quid: Sic *neceſſe & neceſſitas tertii gradus* ſine additione dicitur

tur circa aliquid neceſſe & neceſſitas: Nequaquam tamen circa quodcunque dicitur neceſſe & neceſſitas, ſimpliciter, ſed ſecundum quid.

Et ita de *impoſſibili* & *impoſſibilitate tertii gradus.*

Et juxta hæc dicta patet, quod adverſarii ex ſcripturis ſacris quibuscunque, non poſſunt habere qualemcunque colorem pro illa hæreſi & opinione irreligioſiſſima, quæ digna eſt, non verbis, ſermonibus, & diſputationibus, ſed verberibus, plagis & tormentis à ſuis cultoribus extorqueri. Nam quantumcunque & qualitercunque atrociter percuterentur, urerentur, trucidarentur, non haberent quovis modo cauſari contra affligentes, dicentibus illis: Quod ſic juxta tuam opinionem omnino oportet nos tecum facere. Neque aliquo modo poſſumus aliter de omnipotentia Dei, ubi etiam libenter vellemus aliud. Aut ergo ceſſa ab opinione, aut omnino non imputa nobis injuriam erga te, quicquid tibi fecerimus.

Ultimo tamen hic in confutationem hujus hæreſis, dicimus, quod, ſicut infinita dilectio Dei, qua diligit creaturas, non imponit eis infinitam amabilitatem, ſic infallibilis ſcientia Dei, qua præſcit futura, non imponit eis abſolutam neceſſitatem. Sed ſicut æternitas Dei creat impermanentiſſimam durationem, ſubitam, inſtantaneam: Sic abſoluta Dei neceſſitas creat ſummam ad utrumlibet contingentiam, &c

ARTIC. XXVIII.

Confirmatio juvenum, clericorum ordinatio, locorum conſecratio, reſervantur Papæ & Epiſcopis propter cupiditatem lucri temporalis & honoris.

ISte articulus eſt contra fidem ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ firmiter credit, autoritates illas Papæ & Epiſcopis juſte & ſancte reſervatas.

Confirmatio namque *juvenum* reſervata eſt Papæ & Epiſcopis ex ſententia textus ſcripturæ *Act. VIII.* ubi dicitur: *Cum autem audiſſent apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quia recepit Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Johannem, qui cum veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum S. Nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati erant tantum in nomine Jeſu. Tunc imponebant manus ſuper eos, & accipebant Spiritum Sanctum.* Ecce, quod *impoſitio manuum*, quæ eſt confirmatio poſt baptiſmum, fuit reſervata Epiſcopis, Apoſtolis, & non conceſſa inferioribus diſcipulis.

Sicuti Philippus, qui non fuit Philippus Apoſtolus, ſicut patet ex textu *Act. IIX.* ſed inferior diſcipulus, cum convertiſſet multos in civitate Samariæ, & baptizaret viros & mulieres in nomine Jeſu, non impoſuit eis manns in confirmationem eorum, ſed à collegio Apoſtolorum mittebantur Petrus & Johannes, Epiſcopi & Apoſtoli, ad imponendum manus, & confirmandum baptizatos per talem manuum impoſitionem. Ubi tunc dabatur Spiritus S. in ſignis viſibilibus. Reſervata ergo fuit confirmatio baptizatorum Epiſcopis & non communicata inferioribus ſacerdotibus. Alias ille Philippus qui baptizaverat, confirmaſſet baptizatos per impoſitionem manuum, & non fuiſſet neceſſe deſcendere ad hoc faciendum Epiſcopos, Apoſtolos, majoresq; ſacerdotes.

Similiter *ordinatio clericorum*, & præſertim in majoribus ordinibus, rationabiliter eſt reſervata Epiſcopis ex autoritate ſcripturæ. Sic enim ſcribit Apoſtolus *ad Titum* 1. *Hujus rei gratia reliqui te, certe ut ea, quæ deſint, corrigas, ut conſtituas per civitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui.* Ecce Tito ſicut capiti & ſuperiori & non aliis presbyteris certe tradidit Apoſtolus autoritatem ordinandi ibi presbyteros & conſequenter Diaconos &c.

Hoc idem etiam figuratum eſt *Num. III.* ubi dicitur: *Omnes levitæ, quos nu-*

meraverunt

meraverunt Moſes & Aaron juxta praeceptum Domini per familias ſuas in genere maſculino à Menſe uno, & ſupra, fuerunt duodecim millia. Ecce, quod ibi tacetur de filiis Aaron minoribus ſacerdotibus, ſed de ipſo Aaron Pontifice fit mentio in numeratione & ordinatione levitarum.

Unde & *Act. VI.* multitudo diſcipulorum per Apoſtolos convocata, & allocuta, elegit Stephanum, & alios ſex, & hos ſeptem ſtatuerunt ante conſpectum eorum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus ipſi Apoſtoli, non alii inferiores diſcipuli, conſtituentes & ordinantes eos Levitas.

Propter quod & Apoſtolus Timotheo, ſcilicet Pontifici & Principi ſacerdotum, & non aliis ſacerdotibus ſecum exiſtentibus ſcribit: *Manus cito nemini impoſueris.* Cum & eidem, & non aliis inferioribus presbyteris ibidem ſcripſiſſet; *Adverſus presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus.* 1. *Tim. V.*

Ecce quod confirmatio juvenum, & clericorum ordinatio per impoſitionem manuum Epiſcopis eſt reſervata, non inferioribus presbyteris conceſſa, licet dicatur Abbatibus aliquando concedi, ordinare clericos in minoribus ordinibus.

Et rationabile eſt, quod illorum duorum ſacramentorum, ſcilicet confirmationis & ordinationis clericorum, præſertim in majori ordine, adminiſtratio, eſt reſervata Epiſcopis, Pontificibus, & Principibus ſacerdotum, & non inferioribus presbyteris. Nam ſicut caput eſt ſupra manum, ſic Epiſcopus, qui appropriate in Epiſcopum conſecratur, per unctionem in capite ſacro oleo, alte & capitaliter transſcendit dignitate pontificali inferiorem ſimplicem ſacerdotem, qui in talem conſecratur unctus in manibus appropriate ſacro oleo.

Unde & *Levit. XXI.* ponitur magna differentia Pontificis ab aliis inferioribus ſacerdotibus. *Primo* enim præmittitur, quod ſacerdotes & inferiores debent eſſe ſancti legaliter, & cavere à contaminatione. ſecundum legem. Quia ſacerdos talis dicitur ibidem conſecratus Deo ſuo, & panes propoſitionis offert. De Pontifice autem dicitur ibi: *Pontifex*, id eſt, ſacerdos maximus, *inter fratres ſuos ſupra cujus caput fuſum eſt unctionis oleum, & cujus manus in ſacerdotium conſecrata ſunt, veſtibusq; eſt ſanctis veſtitus, caput ſuum non diſcooperiet, veſtimenta non ſcindet, & ad omnem mortuum non ingredietur omnino, ſuper patreq; & matre ſua non contaminabitur. Et cetera multa.* Quibus oſtenditur dignificatus ſuper alios ſacerdotes, non Pontifices, legendo in capitulo illo ea, quæ ad eum & ſtatum ſuum pertinent, & ea, quæ ad ſtatum aliorum ſacerdotum.

Item, quia in adminiſtratione confirmationis appropriate datur Spiritus Sanctus, ſicut patet *Act. IIX.* & ſupra allegatum fuit: Similiter in adminiſtratione ordinis, præſertim quoad ordinationem ſacerdotum, etiam datur appropriatè Spiritus S. juxta illud *Joh. XX.* quo dixit Jeſus diſcipulis ſuis: *Pax vobis, ſicut miſit me pater, & ego mittam vos; Hac cum dixiſſet, inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum S. Quibus remiſeritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Ideo ſic Apoſtoli ordinantes Levitas *Act. VI.* orantes impoſuerunt eis manus. Ad impoſitionem autem manuum per Apoſtolos Sanctus Spiritus dabatur in ſignis viſibilibus. Unde *Act. IIX.* dicitur: *Cum conſpexiſſet autem Simon, quod per impoſitionem manuum Apoſtolorum daretur Spiritus S. obtulit eis pecunias.*

In adminiſtratione autem aliorum quinque ſacramentorum appropriatè datur aliquid infinite minus, quam Spiritus S. Ut *in baptizatione* datur appropriate creata gratia baptiſmatis. In *pœnitentia*, creata gratia remiſſionis peccatorum. In *euchariſtia* corpus & ſanguis Chriſti, & creata gratia unionis in corpore Chriſti myſtico. Et ita de aliis duobus ſacramentis Eccleſiæ, *conjugio & extrema unctione.* Idcirco, quia Epiſcopi alte in dignitate transcendunt alios ſimplices ſacerdotes, & in adminiſtratione illorum duorum ſacramentorum, confirmationis & ordinis, datur

appropriate Spiritus S. In adminiſtratione autem aliorum confertur appropriate infinite minus donum gratuitum: Rationabiliter illorum duorum ſacramentorum Eccleſiæ, ſcilicet confirmationis & ordinis, ſolis Epiſcopis adminiſtratio autoritative reſervata eſt, aliorum vero quinque adminiſtratio ſacramentorum aliis inferioribus eſt communicata.

Item ſi inferiores ſacerdotes indifferenter ex ſacerdotio haberent autoritatem & poteſtatem legitimam conſecrandi ſacerdotes, diaconos, &c. & conſecrandi Eccleſias, & res ſacras, pro altaribus &c. Sicut habent poteſtatem conſecrandi & conficiendi ſacramentum Euchariſtiæ: Quot quæſo, & quales non fierent ſacerdotes & levitæ? Quæ etiam domus & habitacula non conſecrarentur? Quæ etiam vaſa vel veſtes non conſecrarentur pro vaſis & rebus ſacris? Et fieret ſupra modum nimia confuſio in clericis, inhonoratio & inhoneſta tractatio ſacrorum vaſorum, & conſecratarum rerum.

Ideo propter hoc & non propter lucrum, & temporalem honorem reſervata ſunt hæc principibus ſacerdotum. Quorum ſicut eſt ordinare, & inſtituere ordinem cleri, à Pontifice per ſimplicem ſacerdotem usque ad infimum clericum deſcendendo: Sic & eorum rationabiliter eſt conſecrare vaſa ſacra, loca ſacra, res ſacras, in tali miniſterio clericatus requiſita.

Erroneus eſt ergo articulus ſupra dictus.

Articulus XXIX.

Univerſitates, ſtudia, collegia, graduationes & magiſteria in eisdem, ſunt vana gentilitas, vel vana gentilitate introducta, & tantum proſunt Eccleſiæ ſicut Diabolus.

Iſte articulus erroneus, & hæreticus dehoneſtat ſanctam ſedem Apoſtolicam, ſanctam Romanam Eccleſiam, autoriſantes, inſtituentes, approbantes, & confirmantes talia, ſicut utilia & neceſſaria Eccleſiæ: Firmiter credentes talia prodeſſe plurimum Eccleſiæ Dei.

Quis, niſi inſenſatus, diceret, quod artificia ſecundum artes mechanicas, ubi ſunt ſupremi, medii & infimi: *Primi*, ſicut architectonici & principes, quorum videlicet eſt ſolum regere, & dirigere, in arte inſtituere ac inſtruere; *Medii*, qui habent veluti partim regere & dirigere, inſtituere ac inſtruere: *Infimi*, quorum eſt ſolum dirigi, inſtrui, regi: Quis, inquam, diceret, talia artificia, ſutorum, ſartorum, piſtorum, textorum, carpentariorum, lapicidarum, fabrorum &c. non eſſe perutilia Dei Eccleſiæ, vana gentilitate, ſed non ordinatione Dei inſtituta pro utilitate & bono Eccleſiæ?

Nonne ſcriptum eſt *Exod. XXX. Locutus eſt Dominus ad Moſen dicens: Ecce vocavi ex nomine Bezalael, filium Uri filii Churis de tribu Juda, & implevi eum ſpiritu Dei, ſapientia & intelligentia & ſcientia in omni arte, ad excogitandum fabre, quicquid fieri poteſt ex auro & argento & in ære, marmore, gemmis, & diverſitate lignorum. Dedi quoq; ei ſocium Aholiabum, filium Achiſamach e tribu Danis, & in corde omnis eruditi poſui ſapientiam, ut faciant cuncta, quæ præcepi eis, tabernaculum fœderis & arcam teſtimonii, propitiatorium & cuncta vaſa tabernaculi, &c.*

Nonne etiam ſcriptum eſt 3. *Reg. VIII.* dicente Salomone in hæc verba: *Voluitq; David pater meus ædificare domum nomini Domini Dei Iſraelis. Et ait Dominus ad Davidem Patrem meum: Quod cogitaſti in corde tuo ædificare domum nomini meo, benefeciſti hoc ipſum mente tractans. Veruntamen tu non ædificabis domum, ſed filius tuus, qui egredietur de renibus tuis, ipſe ædificabit domum nomini meo. Confirmavit Dominus ſermonem ſuum, quem locutus eſt. Stetiq; pro David patre meo, & ſedi ſupra thronum Iſrael, ſicut locutus eſt Dominus, & ædificavi domum Domini nomini Dei mei Iſrael.*

Ecce, quod Salomon ex intentione & inſpiratione & informatione Dei

di ficavit domum nomini Domini Dei Iſrael.

Scibitur autem 3. *Reg. VI.* de eodem Salomone ſic: *Elegit Rex Salomon operarios de omni Iſrael.* Et infra: *Fuerunt itaq; Salomoni LXX. millia eorum, qui onera portabant, & LXXX. millia latorum in monte, abſq; præpoſitis, qui præerant ſingulis operibus, numero trium millium trecentorum, præcipientium populo, & his, qui faciebant opus.* Ecce iterum, quod ex inſpiratione & ordinatione Dei in artificio mechanico operandi templum, & quæ ad ipſum pertinent, fuerint ſupremi, medii, & infimi: Sicut in artificiis completo ordine, ſecundum tres gradus, ſupremum, medium & infimum, aſcendendi una via, & deſcendendi aliâ viâ, ſolent rationabiliter eſſe.

Si igitur ex ordinatione Dei in artibus mechanicis ad profectum Eccleſiæ debent eſſe artificia, & communitates artificum, ut ſunt ſupremi, medii & infirmi, quanto magis in artibus ſeptem liberalibus, Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Muſica, Arithmetica, Geometria, Aſtronomia. Cum tales prioribus ſint digniores ſecundum ſe, & nobiliores, immediatius, dignius, & nobilibus ſubſervientes ad opera & negotia Eccleſiaſtica & divina.

Debent enim perfecti lectores, pronunciatores, ſermocinatores & prædicatores verbi Dei, eſſe boni Grammatici, Rhetores & Dialectici. Ut ſermonem Dei ſecundum *Grammaticam*, infimo genere ſermocinandi, congrue erga conceptum loquentis, ſecundum *Rhetoricam* autem, medio genere ſermocinandi, diſerte erga affectum audientium: Secundum *Dialecticam* verò, ſupremo genere ſermocinandi, humanitus, diſerte, diſcrete, & recte erga veritatem rei ſignificatæ, artificioſe & eleganter exprimant.

Perfecti *Cantores* canticorum Dei debent eſſe boni *Muſici*, modulationes vocum cognoſcentes, ut, triplices conſonantias cum tonis & ſemitoniis, terternos modos, quibus omnis cantilena pulchra varietate contexitur, octavos uſuales, cum differentiis & ſine differentiis &c.

Et plurimum ad intelligentiam ſcripturæ ſacræ & praxin *Arithmetica*, de cognoſcendis & practicandis proprietatibus numerorum, in ſcripturis magno myſterio poſitorum, eſt neceſſaria.

Geometria ſimiliter neceſſaria eſt ad cognoſcendum & practicandum myſteria figurarum de arca, de templo, de tabernaculo, de altari, de propitiatorio &c. & de aliis ſecundum figuras Geometricas Bibliæ in ſcripturis.

Aſtronomia eſt neceſſaria ad cognoſcendum & practicandum myſteria, in ſcripturis ſacris tropice & allegorice dicta, per cœlos & ſydera, per motus, ſitus, adſpectus, & alias aſtronomicas proprietates eorundem, & ad debitam obſervationem intervallorum, feſtorum mobilium, annorum biſſextilium, annorum ſolarium & lunarium. Et ita de aliis. Longum eſſet talibus immorari.

Ex ordinatione ergo & diſpoſitione Dei ad magnum profectum Eccleſiæ debent eſſe communitates artificum in artibus liberalibus. Ubi ſunt *ſupremi*, qui dicuntur *magiſtri in artibus* liberalibus. Quorum eſt veluti ſolum regere, dirigere, inſtituere & inſtruere in tali artificio *medios*, qui dicuntur *ſcholares & ſtudentes* in eisdem.

Item, cum in ſcripturis divinis ſæpe fiat locutio tropica per res naturales, ſecundum earum proprietates, neceſſaria eſt notitia *Philoſophiæ naturalis*, qua res naturales ſecundum earum proprietates dignoſci habent. Propter quod neceſſarium etiam eſt eſſe communitates, in quibus ſunt Philoſophi naturales, ſupremi, medii & infimi gradus. Primi veluti Magiſtri, medii Baccalarii, infimi ſcholares.

Sic ſimiliter, quia eſt *Philoſophia moralis* de humanis moribus, bonis & malis, & de virtutibus humanis & vitiis contrariis, talis eſt neceſſaria ad divinam ſapientiam, in qua divini mores & virtutes, & contrarii mores & vitia dignoſcuntur: Oportet iterum eſſe communitatem hominum, ubi ſunt ſupremi, veluti rectores & doctores, tum alii

alii medii & alii infimi, circa talem moralem philoſophiam.

Item quia ſunt tres humanæ ſcientiæ communes, Sophiſtica, Dialectica, & Metaphyſica, eò, quod quæcunque veritas humanitus noſcibilis poteſt primo communiter ſecundum apparentiam æſtimari, poteſt ſecundo communiter ſecundum probabilitatem credi, poteſt tertio ſecundum realitatem intelligi & ſciri ſuperartificialiter & ſcientifice: Igitur ſunt *tres communes ſcientiæ*, ſic communiter æſtimandi, credendi & intelligendi.

Prima igitur ex communibus principiis eſt veluti de ſola apparentia in communi quarumcunque rerum humanitus cognoſcibilium. *Secunda* veluti de parte apparentia & partim exiſtentia quarumcunque rerum talium. *Tertia* veluti de mera exiſtentia rerum ſuperhumanitus cognoſcibilium.

Prima eſt, ſecundum quam res veluti remotisſimæ in ſola apparentia humanitus communiter apprehenduntur. *Secunda*, ſecundum quam res veluti partim remotæ & partim propinquæ in apparentia partim & in exiſtentia partim, humanitus partim apprehenduntur, & partim percipiuntur. *Tertia*, ſecundum quam res veluti de prope tantum ſecundum exiſtentiam ſcientifice communiter cognoſcuntur & humanitus.

Et quemadmodum cortex eſt extremum, teſta medium, & granum intimum, ſic *Sophiſtica* eſt communis ſcientia humana, ſecundum quam quæcunque res communiter humanitus veluti in extremo ſui artificialiter apprehendi poteſt. *Dialectica* eſt autem ſcientia communis humana, ſecundum quam res communiter humanitus veluti in medio ſui ſcientifice percipi poteſt. *Metaphyſica* vero eſt ſcientia communis humana, ſecundum quam res in intimo ſui humanitus communiter & ſapienter dignoſci poteſt.

Sophiſtria diſputat *de principiis* ſcientiarum apparenter, *Dialectica* probabiliter, *Metaphyſica* veraciter.

Sophiſtria ex ſuis principiis *de quibuscunq;* rebus diſputat apparenter in communi, *dialectica* probabiliter, *metaphyſica* veraciter.

Sophiſtria facit in communi exiſtimationem, circa rei apparentiam, *Dialectica* fidem, circa rei probabilitatem, *metaphyſica* ex ſuis principiis certitudinem, circa rei veritatem.

Sophiſtica ſecundum ſua principia manet circa apparentiam ad extra circumſtantem. *Dialectica* attingit ad exteriorem ſpeciem in re. *Metaphyſica* ex communibus principiis penetrat humanitus ad intimam quidditatem rei, humanitus noſcibilem.

Cum autem Scriptura S. cum remotè à veritate exiſtentibus ſoleat diſputare, gradatim eos trahendo, ut *primo* ſecundum apparentiam capiant exiſtimationem de veritate, *ſecundo* ſecundum probabilitatem capiant fidem de veritate, *tertio* ſecundum realitatem capiant intelligentiam veritatis: Quod videtur aliqualiter figuratum *Marc. IIX.* ubi Chriſtus exſpuens in oculos cujusdam cœci impoſitis manibus ſuis interrogavit eum, ſi quid videret, & ille exſpiciens ait: Video homines veluti arbores ambulantes: Deinde iterum impoſuit manus ſuper oculos ejus, & cœpit videre. Et reſtitutus eſt ita, ut clare videret omnia. Quia igitur, ut inquam, ſic eſt de ſcriptura & ſapientia divina, oportet tres communes ſcientias humanas, metaphyſicam, dialecticam, & ſophiſtriam, in hoc ſubſervire, ut ipſa divina ſcientia & Scriptura, per miniſterium harum trium, cum hominibus in valle miſeriæ de veritate ſalubriter æſtimanda, credenda & intelligenda diſputet gradatim, apparenter, probabiliter, & veraciter, pulchro ordine, homines ab infimo gradu per medium ad ſupremum hujus viæ tali diſputatione deducendo, ut videlicet homines primo ſecundum apparentiam æſtiment, ſecundo ſecundum probabilitatem credant, & ultimo perfectiores in valle hujus miſeriæ ſecundum realitatem intelligant hujusmodi veritatem.

Propter quod rationabile & expediens eſt, eſſe *communitates artificum vel* *ſciolo-*

ſciolorum in hujusmodi tribus ſcientiis communibus humanis. In quibus communitatibus ſunt quidam veluti ſupremi, alii medii, tertii infimi.

Primi ex quid nominis tenent gradum *magiſterii*, ſecundi gradum *baccalarii*, *tertii* gradum *ſcholarium* vel ſtudentium ſimplicium.

Et quia ſeptem *artes liberales* non poſſunt perfecte humanitus haberi absque his tribus ſcientiis communibus, neque illæ ſeptem cum his tribus absque humana naturali & morali philoſophia: Rationabiliter & expedienter ordinatum eſt, ut una ſit communitas artificum & ſciolorum in his omnibus ſimul artibus & ſcientiis.

Quæ communitas in *univerſitatibus ſtudiorum* ſolet vocari *facultas artium*. In qua communitate & facultate ſicut alii ſupremi, qui ſummum gradum autoritatis & magiſterii teneant in omnibus illis ſcientiis & artibus ſimul, alii medium, alii infimum. Ut, quemadmodum in corpore humano eſt ſecundum debitam ordinationem triplex regio, ſuprema capitis, media manuum, & infima pedum, ſic in corpore illius communitatis debito ordine ſit triplex regio, *ſuprema*, ubi *Magiſtri* in cathedra magiſtrali præſideant in docendo, & non ſubſideant in diſcendo; *Media*, ubi Baccalarii partim ſubſideant & partim præſideant; *Infima*, ubi ſcholares ſimplices tantum ſubſideant in diſcendo.

Præterea quia ars & *ſcientia medicinalis* humanitus tollendi & propellendi infirmitates corporales, & ſanitatem inducendi & conſervandi, eſt ſecundum ſe magis eligibilis; quam quæcunque ars humana, repellendi nuditatem, & famem corporalem, conquirendi, habendi & conſervandi victum & amictum, quam quæcunque ars liberalis humana de ſeptem prædictis, quam tres ſcientiæ communes, quam philoſophia moralis & naturalis: Quid enim omnes illæ utilitatis, commodi vel gratiæ conferre poſſent illi, qui ſanitate corporali humanitus recuperabili deſtitutus, & infirmitate corporali etiam humanitus curabili adeo fatigaretur, impediretur, anxiaretur, torqueretur, ſenſatis pœnis & doloribus cruciaretur, ut potius vellet carere vita, & ſenſu corporali, & conſequenter omnibus ſcientiis & artibus prædictis, cum earum utilitatibus, commoditatibus, & gratiis, quibus non poſſet ab illa miſeria curari, quam ſine ſpe curationis illos cruciatus & dolores in vita corporali tam pœnaliter, & tam anxie deberet diu continuando ſentire: Igitur rationabile & expediens eſt, eſſe communitatem artificum & ſciolorum in tali arte in ſcientia *Medicinæ*, Phyſicæ & chirurgiæ. Quæ communitas ſecundum talem ſuam artem & ſcientiam eſt altior & dignior, quam communitas artificum & ſciolorum immediate ante hanc poſita ſuperius.

In qua etiam ſecunda communitate debent eſſe ſicut prius alii ſupremi, ut *Doctores medicinæ*, alii medii, ut *baccalarii*, & alii infimi, ut *ſimplices in Medicina* ſcholares.

Quia vero ulterius, niſi *legibus* & juribus genus humanum morbo & languore naturæ ſauciatum regatur, dirigatur, ſtringatur, boni promoveantur & mali prohibeantur & coerceantur, quæ poteſt eſſe utilitas, commoditas, gratia, & pax in artibus mechanicis vel liberalibus, in tribus ſcientiis communibus, in moralibus vel naturalibus ſcientiis humanis, in tota arte medicinæ prædicta? Et niſi cognoſcantur & ſciantur *leges* & *jura*, non poteſt ſecundum eas genus humanum ratione utens dirigi, regi &c. Etiam non poſſent homines ſecundum eas regere, dirigere, nec alii recte obedienter regi, dirigi &c.

Quia etiam ſecundum perfectum gradualem ordinem triplices ſunt leges & jura, in eccleſia: *Infima*, veluti totaliter humanæ; *Media*, partim humanæ & partim divinæ; *Suprema*, veluti totaliter divinæ: Igitur ſecundum hoc oportet eſſe in eccleſia triplices ſcientias legum & jurium, infimam, mediam, & ſupremum.

Et ex conſequenti oportet eſſe communitatem ſciolorũ docendi & diſcendi. *In infima* ſcientia legum & jurium veluti-

luti totaliter humanorum, quæ vocatur communitas *legiſtarum*. Ubi etiam oportet eſſe in communitate illa, ſicut prius, aliquos ſupremos, qui dicuntur *Domini legum*, medios, & ſimplices in legibus ſcholares.

Oportet ſecundo eſſe communitatem ſcholarium *ſecundum mediam ſcientiam*, legis & juris, partim humanæ & partim divinæ, quæ vocatur communitas *canoniſtarum*. Ubi ſupremi dicuntur *Doctores decretorum vel canonum*, medii *Baccalarii*, infimi ſimplices ſcholares vel *ſtudentes in jure canonico*.

Oportet tertio eſſe *ſupremam communitatem* ſcholarium, ſecundum ſupremam ſcientiam legis & juris, & totaliter divinæ. Ubi etiam ſicut prius, oportet ſecundum debitum gradualem ordinem docendi in ſcholis & diſcendi illam ſcientiam juris & legis totaliter divinæ, eſſe alios in autoritate docendi ſupremos, veluti architectonicos principes in illa communitate, ad docendum non ſubjectos ad diſcendum ibidem, qui vocantur *Profeſſores Theologiæ*, alios medios, partim principantes in docendo, & partim ſubjectos in diſcendo, qui dicuntur *Baccalarii in Theologia*. Tertios infimos ſolum ſubjectos ad diſcendum in illa communitate, qui dicuntur *ſimplices ſcholares in Theologia*.

Quia autem beneficium juris & legis etiam penitus humanæ, eſt majus quàm beneficium medicinæ: Niſi enim eſſet beneficium illius juris & legis, quis poſſet gaudere de vita, de ſanitate, de pace, de quacunque gratia, cujuſcunque artis vel ſcientiæ humanæ: Meritò igitur ſcientia juris & legis humanæ præponitur arti medicinæ. Et per conſequens communitas Juriſtarum & Legiſtarum communitati Medicorum præponitur, & Doctores Doctoribus, Baccalarii Baccalariis &c.

Sic ſimiliter, quia beneficium juris & legis partim divinæ & partim humanæ eſt multo majus, quam beneficium juris & legis penitus humanæ: Igitur communitas ſciolorum ſecunda priori merito antefertur.

Beneficium vero legis totaliter divinæ longe priora duo beneficia in dignitate antecedit. Igitur etiam *Communitas Theologorum* communitatem Juriſtarum præcedit.

Et patet, quomodo quintuplices jam dictæ communitates ſciolorum docendi & diſcendi, non mechanicæ, ſed liberæ, non Eccleſiaſticæ ſed ſcholaſticæ, ſunt gradualiter ſecundum dignitates ſuas ordinatæ, ut ultima, ſcilicet quinta, ſit ſuprema, prima infima, & aliæ tres ſecundum quod tactum eſt, gradualiter ſint mediæ.

Et cum illæ quinque communitates inter ſe in hoc conveniant, quod ſunt communitates ſciolorum, ſtudioſæ, docendi & diſcendi, non mechanicæ ſed liberæ, ſcholaſticæ, & in hoc ab omnibus aliis communitatibus artificum & ſciolorum docendi & diſcendi differant: Patet quam rationabilis & ſancta eſt ordinatio, quod ſicut quinque ſenſus particulares vel ſpeciales in uno ſenſu communi in corpore conveniunt, quod ſic illæ quinque veluti particulares & ſpeciales communitates ſciolorum docendi & diſcendi, non mechanicæ ſed liberæ, non eccleſiaſticæ ſed ſcholaſticæ, conveniant in una communi eis communitate ſciolorum ſic docendi & diſcendi.

Quæ communitas dicitur *univerſitas ſtudii*, ex talibus quinque communitatibus vel *facultatibus* quaſi materialiter reſultans.

Patet etiam, quam rationabilis & ſancta eſt ordinatio, quod in talibus univerſitatibus ſint *graduationes & magiſteria*. Ut ſit debitus gradualis ordo in tota univerſali communitate & ſpecialibus facultatibus talium ſciolorum ſecundum triplices gradus perfecte deſcendendi & aſcendendi, ſummus, medius & infimus.

Patet etiam, quam rationabile & ſanctum eſt, quod in talibus univerſitatibus ſint *collegia*, ubi ſint veluti *ſtipendiati*, ab una parte aliqui ad docendum, alii veluti pro talibus laboribus factis præmiati, alii ad ſtudendum, docendum vel diſcendum adjuti & ſufficienter ſuffulti.

Non ergo talia ſunt vana gentilitas, vel vana gentilitate introducta in Eccle-

Eccleſiam, ſed diſpoſitione & ordinatione Dei & ſuæ Eccleſiæ, juxta autoritates & ſententias Scripturæ, quarum aliquæ ſuperius adductæ fuerunt. Diabolicus ergo, inſulſus, & erroneus eſt ille articulus his contradicens.

Artic. XXX.

Excommunicatio Papæ vel cujuslibet Prælati non eſt curanda. Quia eſt cenſura AntiChriſti.

ISte articulus eſt hæreticus contra Scripturam Sacram, cenſuram Chriſti & ſuæ Eccleſiæ appellans cenſuram AntiChriſti, dogmatizans populum contemnere cenſuras illas Chriſti, & Eccleſiæ Prælatis non obedire.

Quod excommunicatio Papæ & Prælatorum ſit cenſura Chriſti & Eccleſiæ, patet *Matth. XIIX. & Joh. IV.*

Matth. XIIX. dicitur: *Si peccaverit in te frater tuus &c. Si te non audierit, adhibe adhuc tecum unum vel duos, ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum. Quod ſi non audiverit eos, dic Eccleſiæ*, id eſt, *judici Eccleſiaſtico*, qui ut perſona communis myſtice gerit in ſe perſonam totius Eccleſiæ, cujus eſt judex Eccleſiaſticus.

Etenim quod in tali reſidet capitalis & facialis poteſtas & autoritas judicandi eccleſiaſtice: Igitur, quod coram illo, in quantum talis eſt, dicitur, ante caput vel ante faciem Eccleſiæ dicitur. Et per conſequens, quod illi, ut tali, dicitur, hoc certe ut capiti & faciei eccleſiæ, quoad capitalem & facialem poteſtatem & autoritatem Eccleſiaſticam judiciariam, dicitur. Et per conſequens, ubi ſic capiti & faciei Eccleſiæ dicitur, ipſi Eccleſiæ dicitur.

Et non eſt intelligendum ſicut hæretici volunt, uno modo, quod dicatur *Eccleſia*, id eſt, *congregationi fidelium* prædeſtinatorum, ad hoc convocatorum. Quis enim in terris poſſet ſine ſpeciali revelatione Dei unum fidelem prædeſtinatum demonſtrare, quod ipſe talis eſſet. Taceo tunc de pluribus & de multis.

Nec etiam *alio modo*, quod dicatur *Eccleſia*, id eſt *multitudini & congregationi omnium*, qui ſunt de eccleſia, ad hoc convocatæ. Quando enim hoc fieri poſſet? Quomodo etiam agricolæ, ſartores, ſutores &c. poſſunt eſſe judices in cauſis Eccleſiaſticis & ſpiritualibus, altis, difficilibus & arduis? Cum Reges & Principes ſeculares rationabiliter eos non admittant, ſed prohibeant tales eſſe judices in altis & arduis cauſis, civilibus & ſecularibus. Alias enim in regno cœlorum Chriſti ſuper terram & in regnis terrenis, fierent infinitæ confuſiones, intolerabiles.

Si autem eccleſiam in ſuo capitali judice, & in hoc ipſo Eccleſiam non audiverit, dicit Chriſtus: *Sit tibi ſicut ethnicus & publicanus.*

Quomodo autē talis inobediēs debeat fidelibus eſſe ſicut ethnicus & publican⁹, ſignificatur *Joh. IV.* ubi mulier Samaritana dixit ad Chriſtum: *Quomodo tu, Judæus cum ſis, libere à me poſcis? Quæ ſum mulier Samaritana. Non enim converſantur Judæi cum Samaritanis.* Debet ergo ille inobediens Eccleſiæ, eſſe Eccleſiæ judici & fidelibus ſicut ethnicus & publicanus, ſic, quod non converſentur ſibi. Ita quod ſeparatus à communione fidelium, & in eccleſiaſticis, & civilibus, ut qui eſt inobediens & rebellis Eccleſiæ in capite & in facie ejus, contemnens eam audire, excludi merito debet à perceptione ſacramentorum & fidelium communione, & ab Eccleſia & membris ejus contemni & vitari, ut membrum præciſum, publice mortuum & infectum debet ſic contemni & vitari. *Una de cauſa*, ut ſic punitus, confuſus & damnificatus ad cor & pœnitentiam ac obedientiam redeat; *Alia de cauſa*, ne alia membra inficiantur lepra ſuæ inobedientiæ, contumaciæ, & rebellionis, in facie Eccleſiæ publica. Et ne judices Eccleſiaſtici Eccleſiam vel membra ponant in dubium vel incertum: Quod poſtquam judex Eccleſiaſticus in eum, cujus eſt judex talis, fulminat ſententiam illam, & cenſuram excommunicationis, quod tunc

Digitized by Google

tunc talis liget, & cum eum à tali ſolverit, quod tunc ſolutus ſit: Ideo Chriſtus, Matthæi, ubi ſupra, poſtquam dictavit, & promulgavit, & inſtituit cenſuram excommunicationis, cum juramento aſſecuravit, & ligationem per ſententiam & vinculum excommunicationis ab omnibus talibus Eccleſiaſticis judicibus eſſe validam, & ſimiliter ſolutionem, dicens: *Amen dico vobis: Quæcunq; alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis. Et quæcunq; ſolveritis ſuper terram erunt ſoluta & in cœlis.*

Nec hoc dixit ſolis Apoſtolis, ſed & omnibus ſucceſſoribus, judicibus in foro Eccleſiæ. Cum non ſolum tempore Apoſtolorum, ſed continue poſt, usque ad finem ſeculi, Eccleſia debet habere judices Eccleſiaſticos, qui hujusmodi autoritatem & poteſtatem habeant ligandi & ſolvendi, ligandi inobedientes & rebelles, & ſolvendi redeuntes & pœnitentes. Aliàs regnum cœlorum Chriſti in terris eſſet longe minus proviſum, quam regna humana & terrena, judices ligatores & ſolutores in foro civili & ſeculari. Et regnum illud cœlorum non haberet ſecum in terris viſibiliter in humanis converſantes judices in foro Eccleſiaſtico ſpirituali.

Et ne dicerent Chriſti fideles: *Ecce Prælati & judices Eccleſiaſtici, qui nituntur excommunicare, male vivunt & turpiter, aperte, & ad experientiam: Igitur non tenetur audire eos cum excommunicationibus eorum, ubi alios excommunicant, & mandant nobis eos vitare*: Hoc tollit Chriſtus *Matth. XXIII.* figuraliter & allegorice de judicibus Eccleſiaſticis Judaismi dicens: *Super cathedram Moſis ſederunt ſcribæ & Phariſæi, omnia ergo, quæcunq; dixerint vobis, ut ſervetis, ſervate & facite, ſed ſecundum opera illorum nolite facere.* Ecce Chriſtus non ſolum dixit: Omnia quæ *tales*, etiam *mali in operibus*, dixerint: Nec ſolùm dicit, Quæcunque *tales* dixerunt: Sed ſic ſimul, *omnia quæcunq; dixerint, ſervate & facite.* Innuens per hoc, quod talibus in omnibus dictis & præceptis eſt obediendum. Niſi *purum bonum* non prohibuerint, explicite vel implicite, nec *purum* facere *malum* præceperint.

Et ne iterum reputent fideles, *modicum eſſe, ubi præceptis talium paruerint, vel ubi non audierint*: Ideo Chriſtus in contrario oſtendens, hoc eſſe magni pendendum, dixit etiam *inferioribus LXXII. diſcipulis: Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit. Qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me Luc. X.*

Planum eſt ergo ex his, quod articulus hic triceſimus eſt hæreticus, blaſphemus, cenſuram Chriſti & Eccleſiæ aſſerens cenſuram Anti Chriſti, & dogmatizans, quod populus vilipendat magnam juſtamque cenſuram excommunicationis, & mandata Prælatorum, ubi Evangelium expreſſe oppoſitum docet. Igitur &c.

ARTIC. XXXI.

Peccant fundantes clauſtra, & ingredientes ſunt viri diabolici.

Contra iſtum articulum ſatis eſt dictum ſuperius circa articulum viceſimum primum. Et licet non ſit homo qui non peccet, 3. Reg. 8. licet etiam contingat aliquos eſſe viros diabolicos, qui ingrediuntur clauſtra: Tamen articulus ille non ad talem acceptionem ſophiſticam, ſed ſecundum communem uſum verborum in hac materia erroneus, ſententians, quod peccatum & illicitum ſit fundare clauſtra, & diabolicum ſit talia ingredi. Et hoc eſt erroneum & hæreticum contra fidem ſanctæ Romanæ & univerſalis Eccleſiæ.

Numquid non eſt bonum & licitum in Eccleſia Dei fundare quædam loca ſpecialia ad cuſtodiendum legem amoris Dei & proximi, arctius, ſollicitius, expeditius, indiſtractius, perfectius, & liberius: Et ad militandum iſtis eiſdem modis in *obedientia* contra vitæ ſuperbiam

Digitized by Google

perbiam, in *caſtitate* contra laſciviam, in *voluntaria paupertate* contra oculorum concupiſcentiam?

Numquid etiam non eſt bonum & expediens, *viros ac mulieres* intrare hujusmodi loca, ad hoc ipſum quod jam dictum eſt, faciendum? Sed fundare clauſtra tali intentione eſt fundare talia ſpecialia loca. Et ingredi clauſtra tali intentione eſt ingredi talia ſpecialia loca ad tales laudabiles & ſanctos fines jam tactos. Sicut quilibet ſentire & experiri habet, qui etiam habet minimam experientiam ſpiritualem.

Unde manifeſtum eſt, quod hæretici articulum prædictum in ſenſu erroneo & hæretico pertinaciter dogmatizantes & tenentes contra fidem ſanctæ Romanæ & univerſalis Eccleſiæ, & plurimarum ſanctarum communitatum, ſapientum Eccleſiaſticorum & ſcholaſticorum, ſunt inſenſati, nec minimum ſenſum verum, ſpiritualem habentes, quo ſentire & experiri poſſent ſpecies bonas prædictorum duplicium bonorum, de fundatione clauſtrorum, & ingreſſione.

Et non mirum. Nam, qui unum hæreticum articulum pertinaciter tenet, eo ipſo totalis ejus credulitas circa materiam catholicam eſt hæretica. Et ſic talis à fundamento religionis Chriſtianæ in vera fide catholica conſiſtente ſecundum ejus totalem hæreticam credulitatem eſt evulſus.

Artic. XXXII.

Ditare clerum eſt contra regulam Chriſti.

Contra illum articulum hæreticum ſunt illa, quæ contra articulū decimum ſcripta ſunt. Si enim clerus veteris legis, plus novæ legis, ut ibi dictum eſt, debent ſecundum legem Dei habere decimas, ſacrificia, oblationes, poſſeſſiones Domino conſecratas. Et in hoc ditatur clerus ſecundum legem Dei. Qui tamen *clerus* debet eſſe *pauper in divitiis*, & non velle dives fieri: Sed in paupertate ſpiritus illas Eccleſiæ & cleri divitias ſalubriter adminiſtrare, & diſpenſare.

Et cum hæreſis ſit, quod regula Chriſti ſit contra legem Dei, ideo articulus iſte eſt hæreticus. Igitur &c.

Artic. XXXIII.

Sylveſter Papa, & Conſtantinus Imperator, erraverunt Eccleſiam dotando.

Iſte articulus erroneus confutatur, ſicut decimus, & ſicut præcedens. Et confutatur per fidem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & omnium Eccleſiarum inferiorum per fidem communitatum ſapientum Eccleſiaſticorum & communitatum ſapientum Scholaſticorum in Eccleſia.

Et abſit, quod unquam aliquis ſanctorum & approbatorum Doctorum in ſcriptis ſuis authenticis inſeruiſſet, ſanctum Sylveſtrum in facto illo erraſſe. Sed ſibi, & ſequacibus, poſſeſſionem bonorum Eccleſiæ cuſtodientibus, omnem reverentiam detulerunt & honorem.

Artic. XXXIV.

Omnes de ordine mendicantium ſunt hæretici, & dantes eis eleemoſynam ſunt excommunicati.

Iſte articulus eſt non tam hæreticus, quam inſanus. Ut patet ex dictis contra articulum viceſimum primum, & alios ibi memoratos.

Artic. XXXV.

Ingrediens religionem, aut aliquem ordinem, eo ipſo inhabilis eſt ad ſervandum divina præcepta, & per conſequens perveniendi ad regnum cælorum, niſi apoſtataverint ab eisdem.

Iſte articulus eſt hæreticus, ſicut præcedens ſuperius ſatis confutatus eſt.

Et ſi hic articulus eſt verus, tunc etiam verum erit, quod Chriſtus recedens à ſeculo, ingrediens eremum, ibi jejunans quadraginta noctibus, exiſtens cum beſtiis, ibi poſt eſuriens & tentatus à Diabolo, fuiſſet eo ipſo inhabilis ad ſervandum divina præcepta, & per conſequens perveniendi ad regnum cœlorum. Sed cum hoc ſit blaſphema hæreſis, igitur articulus iſte jam prædictus eſt hæreticus. Igitur &c.

Artic. XXXVI.

Papa cum omnibus clericis ſuis, poſſeſſionem habentibus, ſunt hæretici, eo quod poſſeſſionem habent, & omnes conſentientes eis, ſcilicet Domini ſeculares & laici ceteri.

Iſte articulus hæreticus ſententiat, quod Chriſtus cum ſuo collegio Apoſtolorum fuiſſent hæretici, quia poſſederunt bona mobilia, pecunias ſcilicet in communi. Et talem poſſeſſionem in communi habuerunt, ſicut patet *Joh. XII.* ubi dicitur de Juda Iſcharioth: *Quia fur erat, loculos habens, ea, quæ mittebantur*, ſcilicet Chriſto, & ſuo collegio, *portabat, & poſſidebat*. Poſſidebat igitur Chriſtus Papa, & clerus, ſuum collegium Apoſtolorum, pecunias, in communi, de quibus procurabantur, Juda collectore, portatore & procuratore exiſtente.

Et ſimiliter Apoſtoli, & cæteri diſcipuli poſt miſſionem Spiritus Sancti fuiſſent hæretici, quia poſſederunt pretia poſſeſſionum venditarum. Nec ibi quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia, neque quiſquam egenus erat inter eos, ut dicitur *Act. IV.*

Et quid refert quoad occaſionem avaritiæ, laſciviæ & ſuperbiæ, poſſidere pecunias, vel poſſidere res immobiles? Cum nonnunquam, imo frequenter, & avari, laſcivi & ſuperbi, plus ſtudent poſſidere pecunias, aurum & argentum, quam poſſeſſiones imobiles, cum per illas res mobiles citi' & facilius poſſint conſulere ſuæ avaritiæ, laſciviæ & pompæ, quàm per res immobiles.

Quod autem Apoſtoli non tenebant poſſeſſiones immobiles in primitiva Eccleſia, agros, & vineas, prata &c. una cauſa fuit tacta ſuperius, contra decimum articulum.

Etiam alia cauſa, quia debebant mundum peragrare ad diſſeminandum & dilatandum fidem Chriſti, & non in certis locis & limitibus permanere, ſicut hodie Epiſcopi, plebani, religioſi, collegia, monaſteria &c.

Artic. XXXVII.

Eccleſia Romana eſt Synagoga Sathanæ, nec Papa eſt immediatus & proximus vicarius Chriſti & Apoſtolorum.

Iſta hæreſis ſuperius confutata eſt in dictis contra articulum nonum.

Et licet perſona Papæ, & ille, vel aliæ perſonæ cardinalium poſſent eſſe vitioſæ criminaliter, in quibus regnaret Diabolus, & eos defœdaret, abſit tamen, quod Eccleſia Romana, cujus Papa eſt caput, collegium vero Cardinalium corpus, abſit, inquam, quod illa ſit ſynagoga Sathanæ. Talis enim, ut alibi dictum eſt cum declaratione, eſt compoſitum myſticum, ex parte formali & materiali. Pars formalis eſt myſtica forma, ſeu myſticum formale principium, officio & miniſterio viſibiliter in humanis illuminandi, informandi, certificandi & dirigendi univerſitatem Chriſtianorum in univerſa materia Catholica & Eccleſiaſtica. Et talis forma ſe habet ſicut anima in animali & ejus corpore.

Et quemadmodum in anima animalis ab una parte eſt ſenſus communis, non partialiter & particulariter, ſed totaliter & univerſaliter ſentiendi univerſam & totam materiam per ſe & per accidens

accidens ſenſibilium, ab alia parte ſunt ſenſus particulares, partialiter & particulariter ſentiendi talem totam materiam: Sic in illo principio formali, myſtico, eſt ab una parte veluti ſenſus communis, autoritas & poteſtas Evangelica officialis, non partialiter cognoſcendi & definiendi in univerſa & tota materia catholica & Eccleſiaſtica, & etiam civili & ſeculari, de quanto illi ſubalternatur, & in illam materiam ut per ſe finem ordinatur, ab alia verò ſunt veluti ſenſus particulares, autoritates ſpeciales & particulares in univerſa illa materia cognoſcendi &c.

Et ſicut ibi in anima non eſt ſenſus communis ſine particularibus: Nec è contra: Sic nec autoritas illa univerſalis ſine particularibus. Et ſicut ibi anima non eſt principaliter forma capitis nec reſidui corporis in compoſito naturali univerſali, ſed principaliter forma totius compoſiti ex capite membris & reſiduo corpore: Sic hic forma illa myſtica prædicta non eſt ſolùm & principaliter capitis Eccleſiaſtici in myſtico compoſito, nec reſidui corporis, ſed totius compoſiti ex capite Papa, & reſiduo corpore collegio Cardinalium.

Et ſicut in animali ſenſus communis eſt in capite, ſenſus autem particulares in aliis inferioribus organis ſenſitivis & in reſiduo corpore: Sic hic autoritas tota & univerſalis Eccleſiaſtica eſt informative in capite Papa, autoritates autẽ primæ poſt illam, minus generales, in cardinalib' & collegio Cardinalium.

Et ſicut ibi manet continue idem compoſitum in numero, quoad formam naturalem, & animalem, manente eadem anima, licet partes materiales poſſent advenire & defluere: Sic hic manet continue à tempore Chriſti & Apoſtolorum idem in nnmero, quoad formam, compoſitum myſticum & Eccleſiaſticum, defluentibus & advenientibus partibus materialibus, ut perſonis Paparum & Cardinalium, manente continue illa eadem forma myſtica, illo myſtico formali principio prædicto, quod ita oportet continue & ſemper remanere idem, ſicut continue & ſemper oportet remanere eaſdem claves regni cœlorum. Et ſicut ibi poſſet manere compoſitum animale acephalum, ſic hic contingit idem compoſitum remanere in numero quoad illam formam aliquando acephalum, id eſt, ſine perſona Papæ, quæ eſſet materialiter caput in illo compoſito reſpectu talis formæ myſticæ.

Et ſicut ibi in compoſito animali rationali, peccatum non poteſt imputari ex parte partis pure materialis, ut ex parte corporis circumſcripta anima, ſed ex parte partis formalis, puta ex parte animæ: Sic hic illi compoſito myſtico, quod eſt illa prædicta Romana Eccleſia, non poteſt imputari peccatum ex parte partis pure materialis, ut ex parte perſonæ Papæ, & perſonarum Cardinalium circumſcripta illa forma myſtica: Sed ex parte illius formæ myſticæ imputari deberet. Nunc autem, quia talis non poteſt peccare, tamen, quia ipſa eſt eadem forma, quæ myſtice performavit compoſitum myſticum ex capite Chriſto, dum viſibiliter in humanis in terris præſedit, & ex collegio Apoſtolorum, quæ etiam poſt performavit compoſitum myſticum, ubi dictus Petrus erat caput, & collegium reſiduorum Apoſtolorum corpus: Igitur, ſicut ibi non potuit peccare, ſic nec hodie. Tum etiam, quia talis forma eſt principium ſolum dirigendi, & non deviandi: Igitur peccare non poteſt. Propter quod talis *Eccleſia Romana* appellatur *ſancta*, non habens rugam, neque maculam.

Et ſicut univerſitas Chriſtianorum, viſibiter in humanis converſans, indiget valde & requirit habere viſibile in humanis compoſitum myſticum, & refugium, in quo ſit talis forma myſtica, & tale formale myſticum principium, ſupra jam deſcriptum: Et Chriſtus infinitus amator illius univerſitatis poteſt tale compoſitum & refugium ſecurum & certum illi ſuæ ſponſæ, valde & maxime de tali indigenti, & tale requirenti, dare infinite facilius & delectabilius, quam quiſquam ex nobis poſſet digitum, oculum, vel aliud membrum movere: Sic luce clarius eſt, communitati Chriſti fidelium eſſe tale myſticum

cum

Digitized by Google

cum compoſitum tale ſecurum refugium, & certum, in quo ſit tale formale principium myſticum prædictum, in quo Chriſtus exiſtens myſtica anima totius corporis Eccleſiæ reſidet, ſicut anima animalis reſidet in viribus ſui corporis, & in principuis præcipue, & communitas illa ad tale compoſitum & tale refugium ſecure confugit in univerſa & tota materia Catholica & Chriſtiana, cum forma illa myſtica, illud formale myſticum principium, & myſtica anima, puta Chriſtus, non poſſit in dirigendo deviare vel deficere. Quomodo enim, ſecundum beatum Auguſtinum, ille vel ali' ſecure crederet etiam Evangelio, niſi certus eſſet, quia ſecure credit Eccleſia, quæ regnum credendi, & credentium recte in Chriſto. Quomodo autem ſic certus eſſet, niſi credulitate explicita vel implicita ſecuritatem haberet, quod in tota illa Eccleſia per orbem terrarum diffuſa eſt quædam ſumma ſumma, capitalis, compentioſa Eccleſia, in qua eſt ſummus principatus, ſumma plenaque autoritas & poteſtas viſibiliter in humanis, cognoſcendi & definiendi, approbandi, docendi, aſſecurandi univerſaliter, quid credendum, quidve diſcredendum: Et quod talis capitalis Eccleſia per ſe, vel etiam cum aliis in partem ſollicitudinis vocatis, aſſecuravit, & aſſecurat tota Scriptura Sacra, & habet ſecurare de tota materia credendi.

Et ſicut beatus *Petrus* non fuit immediatus & proximus vicarius Chriſti in vita & gratuita virtute gratum facientе: Cum beata virgo *Maria* ſecum in terris vivens fuit incomparabiliter altioris vitæ, & virtutis gratuitæ gratam facientis: Sed ipſe S. Petrus fuit immediatus & proximus vicarius Chriſti, in ſuprema & altiſſima autoritate & poteſtate Eccleſiaſtica. Quæ non fuit gratia gratum faciens, caritative gratum faciendi, & meritorie regendi, dirigendi, paſcendi, oves Chriſti per orbem, ſed erat gratia gratis data, poteſtas & autoritas Eccleſiaſtica, & officialis, legitima, & canonica regendi, paſcendi & dirigendi univerſas oves Chriſti in terris, in univerſa materia catholica & Eccleſiaſtica. Regendi, dico, paſcendi, dirigendi &c. canonice, juridice & legitime.

In hoc certe ſummo principatu, & ſumma autoritate, poteſtate & dignitate, ſic legitime, canonice, principandi, fuit ſanctus Petrus immediatus & proximus vicarius ſummi principis Chriſti. Cum ſibi & non ſanctæ Mariæ fuit dictum: *Tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcunque ligaris ſuper terra, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolveris &c.* Et item fuit ſibi, non partialiter & particulariter, ſed indefinite & indifferenter dictum: *Paſce Oves meas*, Non particulariter *illas*, vel *iſtas*, ſed indifferenter *has*, *illas*, & *iſtas*.

Et quia talem principatum oportet continue remanere in terris pro regimine regni cœlorum ſuper terram, qui Papæ & nulli alteri ineſt, juxta ſecuram credulitatem communitatis Chriſtianorum, communitatis omnium Eccleſiarum in terris, communitatis ſapientum Eccleſiaſticorum, communitatis ſapientum Scholaſticorum: Igitur Papa eſt proximus & immediatus vicarius ſummi Principis Chriſti, ſecundum illum principatum ſummum in terris ſicut fuit ſanctus Petrus.

Multa alia ſunt alibi cum declaratione circa has materias ſcripta. Sed hæc ad præſens hic ſufficiant ad confutationem præſentis articuli hæretici & erronei.

Artic. XXXVIII.

Decretales Epiſtolæ ſunt apocryphæ, & ſeducunt a fide Chriſti, & clerici ſunt ſtulti, qui eas ſtudent.

Iſte articulus juxta communem uſum accipendi verba ejus, oſtenditur eſſe hæreticus & erroneus ex aliquibus dictis contra articulum XXIX.

Nam cum in regno cœlorum ſuper terram, quod eſt præſens Eccleſia, circa homines divinos, & homines humanos, ejusdem regni oporteat eſſe ab una

parte

parte extrema jus & legem velut totaliter divinam, & ab alia parte extrema jus & legem totaliter humanam: Igitur ibi oportet eſſe de medio jus legemque, partim divinam & partim humanam &c.

Et ſicut *Lex Divina* & ſcientia ejus traditur textualiter in libris ſcripturæ divinæ, & *Lex totaliter humana* traditur textualiter cum ſcientia ſua in textibus legalibus, ſicut in *Codice*, in *Inſtitutis*, in *Digeſtis &c.* Sic jus & *Lex media* cum ſcientia ſua traditur textualiter in *Epiſtolis decretalibus*, à ſede Apoſtolica & Romana Eccleſia aliis Eccleſiis & univerſitati Eccleſiarum ſuper terram miſſis.

Articulus igitur præſens, dogmatizans indefinite & indifferenter de epiſtolis Decretalibus hujusmodi, quod ſint apocryphæ, & ſeducant à fide Chriſti, & clerici ſint ſtulti, qui eas ſtudent, eſt hæreticus & inſanus.

Præterea *Act. XV.* ſcribitur ſic: *Quidam deſcendentes de Judæa docebant fratres, quod, niſi circumcidamini, ſecundum morem Moſis non poteſtis ſalvari. Facta ergo ſeditione non minima Paulo & Barnabæ adverſus illos, conſtitutum fuit, ut aſcenderent Paulus & Barnabas, & quidam alii ex illis ad Apoſtolos & presbyteros in Hieruſalem, ſuper hac quæſtione. Quam quæſtionem Apoſtoli & ſeniores fratres ibidem definiverunt.* Ecce, quod ad definitionem & decretum Apoſtolorum & Seniorum in Hieruſalem mittebantur ab una parte Paulus & Barnabas Apoſtoli, & ab alia parte quidam alii, ubi etiam Apoſtoli & Seniores in Hieruſalem per epiſtolam decretalem materiam illius quæſtionis definierunt.

Et quia ſedes Apoſtolica & Romana Eccleſia habent eandem autoritatem, & easdem claves regni cœlorum, in univerſa materia Catholica & Eccleſiaſtica cognoſcendi & definiendi, quæ vera & Catholica ſint, quæ falſa & erronea, quæ bona & eligenda, quæ mala & fugienda, quæ facienda & dimittenda, quas habuerunt Apoſtoli, presbyteri & Seniores tunc in Hieruſalem: Igitur ſicut illi autoritate & clavibus illis habuerunt cognoſcere & definite, & per Decretales epiſtolas cognita, definita, & decreta mittere: Sic ſedes Apoſtolica & Romana Eccleſia.

Fideles igitur & catholicæ ſunt *epiſtolæ decretales* illius ſedis, & omni, qua decet, reverentia accipiendæ.

Item *Act. XV.* dicitur, quod Paulus perambulabat Syriam & Ciliciam, confirmans Eccleſias, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum & Seniorum. Et *Act. XVI.* dicitur de ipſo, cum aliis, quod cum pertranſiret civitates, tradebant iis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis & Senioribus, qui erant Hieroſolymis.

Sciebat enim Paulus cum aliis per aſſertionem Chriſti *Matth. V. & XVI. XVIII. & Luc. X.* & in aliis locis, quod *Apoſtoli* cum Senioribus in Hieruſalem tunc ex principio formali myſtico, & Eccleſiaſtico, communi, & univerſali, illuminandi officialiter & viſibiliter in humanis dirigendi, regendi, certificandi, paſcendi, &c. & ex clavibus regni cœlorum univerſaliter cognoſcendi & definiendi in univerſa materia illius regni cœlorum, eſſent *Eccleſiaſticum & officiale ſal terræ*, lux mundi, & civitas poſita ſupra montem, quæ abſcondi non poteſt, & quæcunque ligaverint ſuper terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque ſolverint ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis, & quorum remiſerint peccata, remittuntur eis, & quorum retinuerint, retenta erunt: Et quod haberent paſcere oves Eccleſiæ, Petrus, univerſali poteſtate paſcendi, & alii ſecum, primis poſt illam min' generalibus poteſtatibus; Et qui illos audiret, Chriſtum audiret, & qui illos ſperneret, Chriſtum ſperneret.

Cum igitur illud idem principium formale, & eædem claves ſint apud ſedem ſanctam Apoſtolicam, & ſanctam Romanam Eccleſiam: Igitur ſicut cuſtodienda erant dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis & Senioribus in Hieruſalem: Sic &, quæ fuerint decreta à ſede Apoſtolica & Romana Eccleſia.

Non ergo niſi inſanus hæreticus diceret, quod indefinite & indifferenter Decretales epiſtolæ ſint apocryphæ, id eſt, nullius autoritatis, & non authenticæ, &c. Ut dicitur in articulo.

præſides, & judices ſeculi non poſſent humanitus expedite reſiſtere adverſariis, protegere bonos, compeſcere malos, cenſuras ſeculares exercere, officium & ſtatum ſuum tenere in foro ſeculari, niſi talibus & ſimilibus temporalibus adjacentibus eſſent ſuffulti & adjuti: Sic etiam, ut poteſtates, Prælati, & judices Eccleſiaſtici in foro Eccleſiæ.

Unde, cum paſtores & judices Eccleſiaſtici, habentes cenſuras Eccleſiaſticas, ſint paſtores & judices, nedum clericorum in cauſis temporalibus & ſpiritualibus, ſed etiam in cauſis Eccleſiaſticis, imo & in temporalibus, de quando ſubalternantur & ordinantur in cauſas ſpirituales, ſunt judices Eccleſiaſtici, nedum laicorũ popularium, ſed & Dominorum ſecularium: Quomodo poſſent tales Eccleſiaſtici judices & prælati, induſtria humana non in eis ſupervacua, quantum fieri debet, ſed & poteſt, humanitus expedite judicare, & proceſſibus judiciariis cum debita cenſurarum Eccleſiaſticarum appoſitione procedere contra inobedientes, contumaces, rebelles, & nocivos clericos & laicos, ad ſuum forum Eccleſiaſticum pertinentes, armatos vi, fraude, potentia, & cæteris hujusmodi, ſi non eſſent ſupra dictis temporalibus, & eis ſimilibus ſuffulti & ſubadjuti.

Ad experientiam enim videtur, quod ubi paſtores & judices Eccleſiaſtici in talibus deficiunt, quod ibi modicum, vel nihil poſſunt facere, veritate & rigore ſui judicii, contra rebelles, majores & minores. Nec Deus ſemper vult facere miracula, ut *miraculoſe divinitus* fiat talis veritas & rigor Eccleſiaſtici judicii, ſed & *induſtrioſe, humanitus*: Ne induſtria, curſus humanus, & naturæ curſus ſint fruſtra, ad faciendum per homines, judices Eccleſiaſticos, humanitus converſantes, veritatem illam & rigorem Eccleſiaſtici judicii, etiam contra potentes & magnos, ubi neceſſum fuerit, & expediens, ſubminiſtrantibus & ſubſervientibus temporalibus bonis, ad hoc ipſum expeditius faciendum à Deo ordinatis.

Alia cauſa. Quia, cum paſtores Eccleſiaſtici debent plus intendere, & providere ovibus Chriſti pauperibus, quam alii: Et cum tales indigeant alimentis & tegumentis corporalibus: Ubi deficiunt, ibi patres & paſtores illi debent intendere & providere præ aliis: Rationabile igitur & neceſſum eſt, paſtores Eccleſiaſticos habere temporalia bona talia Eccleſiæ, de quibus præ aliis, ſicut magis præcipui patres, paſtores & rectores, ovibus, filiis, & ſubditis indigentibus provideant in alimentis & tegumentis.

Alia cauſa, ut perſonæ ſpirituales & Eccleſiaſticæ talibus temporalibus bonis ſint ſtipendiatæ, appretiatæ, & ſubminiſtratæ, ut pro ſecularibus apud Deum interveniant orationibus, oblationibus, ſacrificiis, ſervitiis, & miniſteriis Eccleſiaſticis, & ita de conſimilibus. Talibus igitur & aliis ſimilibus piis & ſanctis intentionibus Imperator & Domini temporales juſti & pii dotarunt Eccleſiam de bonis temporalibus.

Artic. XL.

Electio Papæ a Cardinalibus per Diabolum eſt introducta.

Iſte articulus probatur hæreticus & erroneus ex iis, quæ contra nonum & 37. articulos ſunt dicta.

Nam, cum collegium Cardinalium ſit ſupremæ Eccleſiæ in terris, ſcilicet Romanæ, collegium & capitulum, ſi ſic habet dici, ſit etiam veluti corpus in illa Eccleſia Romana, & in illo compoſito myſtico, ubi & perſona Papæ eſt caput, in quo etiam corpore, dum illud compoſitum ad tempus ſit acephalum, reſervatur forma myſtica & Eccleſiaſtica illius myſtici compoſiti, quod eſt illa Eccleſia Romana: Etiam id Collegium eſt proximum capiti illius Eccleſiæ: Propterea cum electio Papæ pertineat ad homines aliquos, & ad communitatem aliquam hominum, cum in hominibus, & in communitatibus hominum ſit naturaliter, non fruſtra & ſupervacue, vis electiva humanitus principum Eccleſiaſticorum, & ſecularium, primorum &

Digitized by Google

& ſecundorum, cum eis in principando viſibiliter in humanis converſantium, & poſſunt meritorie & fructuoſe eligere, aſſiſtente eis gratia Spiritus Sancti, ſuper ipſos ad hoc invocata & impetrata, & demeritorie deſiſtente tali gratia, ubi Deus primam electionem juſtiſſime poteſt velle, ſecundam autem juſtiſſime permittere: Et etiam, quia autoritas & poteſtas legitima, canonica & juridica, Papam eligendi humanitus ex tali autoritate canonice, legitime & juridice, etſi non charitative & gratum facienter, ex tali autoritate, quæ eſt ſolum gratia gratis data: Talis, inquam autoritas rationabiliter habet eſſe in quibusdam hominibus, & quadam communitate hominum, ſicut & aliæ autoritates canonicæ & legitimæ a c officiariæ, ſeculares & Eccleſiaſticæ, rationabiliter ex Dei ordinatione hominibus inſunt: Et quia univerſitas Chriſtianorum non poſſet ſimul congregari ad electionem, nec Principum & Prælatorum, Eccleſiaſticorum & ſecularium, nec univerſitas totius cleri, nec omnium Epiſcoporum & Abbatum, & Prælatorum, de mundo poſſent ad hoc ſemper compendioſe congregari, dum Papa eſt eligendus, propter nimium diſpendium: Nec eſt pertinens, quod ſit unica perſona humana in terris, cui conveniat talis autoritas: Quæ enim, & cujus ſtatus deberet illa perſona eſſe? Et illâ mortua, cum deberet fieri Papæ electio, quis eligeret? Oportet *ergo* eſſe unam quandam, permanentem, compendioſam communitatem hominum, cui ſecundum ſe & omnia ejus membra inſit talis autoritas.

Cum igitur deficiente Papa *collegium Cardinalium* ſit quædam compendioſa communitas, in tali caſu prima & proxima ad caput Eccleſiæ, ſcil. Papam, ſuo tempore exiſtentem, in qua tunc eſt illa ſuprema, & digniſſima officialis forma Eccleſiaſtica, ſive principium formale dirigendi, regendi &c. univerſitatem Chriſtianorum in univerſa & tota materia catholica & Eccleſiaſtica, quæ tunc eſt corpus illius Romanæ Eccleſiæ, cujus caput debet eligi: Propter hoc ergo, & alia ejus merita, excellentias, dignitates, & privilegia, ultra omnes alias compendioſas communitates, Eccleſiaſticas vel ſeculares, rationabiliſſime ex ordinatione Dei ineſt ei, ſecundum ſe & omnia ejus membra, autoritas canonica eligendi juridice, canonice & legitime Papam, dum Eccleſia tali caruerit.

Articulus ergo ille eſt hæreticus, ſententians, & dogmatizans, autoriſationem Dei, qua Collegium Cardinalium & Cardinales autoriſavit autoritate legitima & canonica eligendi Papam, eſſe autoriſationem & introductionem Diaboli.

ARTIC. XLI.

Non eſt de neceſſitate ſalutis, credere, Eccleſiam Romanam eſſe ſupremam inter Eccleſias.

ISte articulus, quia in ſenſu ſuo primario, ſecundum communem uſum accipiendi verba ejus, contrariatur fidei catholicæ, quæ credit & docet, Romanam Eccleſiam eſſe matrem & caput omnium Eccleſiarum, 3. *q. XII. Dudum.* Quæ etiam credit, & docet, ei poſt Deum ideo magis eſſe obediendum, quia ipſa eſt mater, & caput omnium Eccleſiarum, *d. XII. Non decet.* Ideo articulus ille eſt hæreticus.

Nec Sophiſma habet hic locum vel colorem: Quia eccleſia triumphans eſt ſuper omnem Eccleſiam militantem, & ſic ſuper Romanam, per conſequens, Romana Eccleſia non eſt ſuprema inter Eccleſias. Sicut enim longe alterius rationis eſt, communitatem aliquam hominum adhærere Deo per fidem, & communitatem aliquam poſſidere Deum in re vel per ſpem: Sic longe alterius rationis eſt, eſſe Eccleſiam militantem in terris, & eſſe Eccleſiam triumphantem in cœlis.

Et ſic multipliciter & æquivoce dicitur nomen Eccleſiæ de Eccleſia triumphante, & de Eccleſia militante.

Igitur, cum ſecundum communem uſum

uſum *nomen Eccleſiæ* debet ſumi univoce in articulo, & non æquivoce, oportet, quod ille accuſativus, ſcilicet *Eccleſias*, ſumatur in articulo pro Eccleſiis triumphantibus tantum, aut pro militantibus tantum. Non primum, quia tunc eſſet ſenſus: Non eſt de neceſſitate ſalutis, credere, Romanam Eccleſiam militantem eſſe ſupremam inter Eccleſias triumphantes. Quæ locutio & comparatio eſſet ſecundum Grammaticos tam inepta & incongrua, ſicut hæc: Leo eſt fortiſſimus lyncum.

Ut ergo articulus ille habeat ſenſum proportionalem & ſignificationem congruam grammaticalem, oportet, quod talem ſenſum habeat, ſcilicet: Non eſt de neceſſitate ſalutis credere, Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter Eccleſias militantes. Et hic ſenſus eſt hæreticus. Nam ſi de neceſſitate ſalutis fuit populo Judaico in arduis & difficilibus recurrere ad ſummum ſacerdotem, qui pro tempore præerat cum ſuo collegio, & eisdem ſub pœna æternæ mortis obedire, ſicut patet *Deutr. XVII.* Quanto magis de neceſſitate ſalutis eſt populo Chriſtiano?

Quod & oſtenſum eſt *Act. XV. ubi* Paulus & Barnabas aſcenderunt ad Apoſtolos & presbyteros in Hieruſalem ſuper quæſtione facta de circumciſione gentium. Uti etiam poſt Paulus in ſuis Eccleſiis præcepit cuſtodire præcepta Apoſtolorum & Seniorum.

Et *Act. XVI.* ipſe cum aliis tradebat cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis & Senioribus, qui erant Hieroſolymis.

Cur igitur tenebantur ultimate in terris recurrere ad Eccleſiam Apoſtolorum & Seniorum in Hieruſalem, & illis præcipue obedire de neceſſitate ſalutis, niſi quia erat ſuprema Eccleſia officio & autoritate Eccleſiaſtica?

Et ſicut de neceſſitate ſalutis tenebantur ibi, ſicut ad ſupremam recurrere, & ſic eidem ſupremæ Eccleſiæ in officio & autoritate docendi & præcipiendi tenebantur obedire omnes aliæ Eccleſiæ extra Hieroſolymam & Chriſti fideles: Ita tenebantur de neceſſitate ſalutis credere, habitu vel actu, in communi vel diſtincte, implicite vel explicite, illam eſſe ſupremam inter Eccleſias.

Et quia neceſſe eſt, permanente univerſitate Chriſtianorum in terris, remanere hujusmodi Eccleſiam ſupremam in officio & autoritate docendi & præcipiendi, ad quam populum Chriſtianum oportet in arduis & difficilibus recurrere, & ei obedire: Et talis ex quid nominis vocatur & eſt Romana Eccleſia, ubi Papa caput eſt, & collegium Cardinalium corpus: Igitur de neceſſitate ſalutis eſt credere, Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter Eccleſias.

Eſt enim ſupra modum neceſſarium & expediens in univerſitate Chriſtianorum per orbem terræ diffuſa, eſſe quandam permanentem, compendioſam communitatem, apertam & manifeſtam populis Chriſtianis, in qua ſit ſummus principatus Eccleſiaſticus in terris, cum ſumma autoritate præcipiendi, docendi, regendi, judicandi, cognoſcendi, & definiendi univerſaliter de univerſa materia catholica & Eccleſiaſtica, quæ tunc ſit in loco compendioſo, ſimiliter noto populis.

Talis igitur communitas exiſtens ex *quid nominis* Romana Eccleſia de neceſſitate eſt ſuprema Eccleſia in terris, ſicut in ea eſt ſummus in terris principatus Eccleſiaſticus.

Sicut ergo populos Chriſtianos de neceſſitate ſalutis oportet habere reſpectum & obedientiam ad illam Eccleſiam, ſicut ad communitatem in ſummo principatu Eccleſiaſtico: Ita de neceſſitate ſalutis oportet eos credere, ipſam eſſe ſupremam inter Eccleſias; Credere, ſicut dixi, habitu vel actu, implicite vel explicite &c.

De illa autem Eccleſia Romana, & partibus ejus qualitativis & quantitativis, & de multis ejus dignitatibus, proprietatibus & conditionibus, latius dictum eſt ſupra, & alibi.

Digitized by Google

ARTICULUS XLII.

Fatuum eſt credere indulgentias Papæ & Epiſcoporum.

SI iſte articulus non eſt hæreticus, quomodo ergo dictum eſt *Joh. XX.* a Chriſto Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, Papæ & Epiſcopis: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis?* Quomodo etiam Apoſtolus 2. *Cor. II.* vere diceret: *Cui autem aliquid donaſtis, & ego. Nam & ego, quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti.* Niſi ergo Epiſcopus ille in perſona Chriſti indulgentias donaſſet, non vere ita dixiſſet.

Quod ſi Epiſcopus ille autoritate Epiſcopali indulgentias in perſona Chriſti, ut vicarius Chriſti, donavit, quomodo ergo non eſt hæreticum, quod Papa & Epiſcopi, ille autoritate Papali, & illi Epiſcopali autoritate, non poſſunt donare indulgentias?

Etſi judices ſeculares in foro ſeculari autoritate ſua judiciaria rationabiliter poſſunt dare *ſeculares indulgentias* de injunctis pœnis vel pœnitentiis, in illo foro: Ut, gratia exempli, ei, cui in foro illo pro delicto injunctum eſt, rationabiliter ſedere, & pœnitere in carcere, cippo & ferro, XL. diebus, judex temporalis ex cauſa poteſt legitima indulgere vel omnes illos dies, vel aliquot, juxta arbitrium ſuum, de injuncta pœnitentia: Quomodo non multo magis judices Eccleſiaſtici autoritate ſua judiciaria poſſunt legitime dare *indulgentias Eccleſiaſticas*, de injunctis pœnitentiis, in foro Eccleſiaſtico?

Veruntamen, quia inferiores judices Eccleſiaſtici, Cardinales & Epiſcopi infra Papam, ſunt vocati a ſede Apoſtolica, in qua eſt plenitudo poteſtatis, in partem ſollicitudinis rationabiliter *autoritas illorum eſt limitata* ad certum numerum particulariter & partialiter dandi indulgentias.

Autoritas vero Papæ, quia non eſt particularis & partialis, ſed totalis & univerſalis in terris, ad dandum indulgentias: Igitur non eſt limitata, ſed poteſt legitime, totaliter & univerſaliter hominibus indulgere, dando plenam remiſſionem peccatorum a pœna & a culpa.

Eſt autem hic advertendum, quod ſicut Rex terrenus cum ſuis ſecularibus & temporalibus poteſtatibus judiciariis facit pactum, ut ſi pœnas vel pœnitentias ſeculares in foro ſeculari injunxerint ſubditis delinquentibus, vel injunctas indulſerint, quod hoc ipſe Rex ratum & gratū habeat: Alias judiciariæ poteſtates injungentes vel indulgentes, & ſubditi, quibus indulgeretur, vel injungeretur, totaliter improviſi & inſecuri ſtarent, nec illi judices deberent irrequiſito Rege injungere vel indulgere, nec ſubditi talia ſuſcipere, cum eſſent penitus inſecuri & incerti, ſi forte nollet talia pro rato & grato habere: Sic, a fortiori, Rex cœleſtis Chriſtus, in ſuo regno cœlorum ſuper terram, cum ſuis ſpiritualibus Eccleſiaſticis poteſtatibus judiciariis in illo regno fecit pactum, ſub juramento, cum dixit: *Amen dico vobis: Quæcunq; alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunq; ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis, Matth. XXVIII. Joh. XX. Accipite ſpiritum Sanctum*, quaſi in ſignum ſecuri pacti, *ut quorum remiſeritis peccata, remittantur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt:* Fecit, inquam, pactum cum eis, ut quaſcunque pœnas vel pœnitentias in foro Eccleſiæ vel conſcientiæ injuxerint, vel injunctas indulſerint, quod hoc gratum & ratum habeat.

Eſt etiam advertendum, quod, ſicut in foro ſeculari rationabiliter & legitime aliquæ pœnitentiæ vel pœnæ pro exceſſibus injunguntur *a jure civili ſcripto*: Sicut aliæ & aliæ nonnunquam civitates habent alia & alia ſua legitima jura municipalia ſcripta de pœnis & pœnitentiis in foro ſeculari pro aliis & aliis exceſſibus: Aliæ autem pœnæ vel pœnitentiæ injunguntur *ab homine judice in tali foro:* Et ſicut in foro Eccleſiaſtico alia eſt legitima excommunicatio major ab homine, alia a ſcripto jure, canonico & Eccleſiaſtico: Sic etiam in illo regno cœlorum ſuper terram ſunt quædam legitimæ *pœnitentiæ* injunctæ *ab homine* in foro conſcientiæ

circa

Digitized by Google

circa confeſſionem ſacramentalem; ubi ſacramentum pænitentiæ applicatur, ubi etiam pœnæ & pœnitentiæ ſunt arbitrariæ, ad arbitrium ſacerdotis confeſſoris: Sunt etiam pœnitentiæ *a jure ſcripto*: Ut, quod pro peccato vel ſcandalo mortali quis pœniteat ſeptem annis, quod laicus pro tali vel tali enormi crimine carena procellatur, clericus ſic vel ſic delinquens tot vel tot dies pœniteat, & ita de aliis: Secundum ergo tales pœnitentias in jure legitime ſcriptas, ſive pro venialibus, ſive pro mortalibus culpis, & ſi hoc, ſunt aliæ dabiles pœnitentiæ eodem jure explicabiles, nondum explicatæ: Sed ſecundum tales, inquam, pœnitentias ſunt ipſi venialiter vel mortaliter, minus vel majus enormiter peccantes vel ſcandaliſantes, ab ipſo Eccleſiaſtico jure legitime aſtricti pœnitere, *annis*, *diebus*, *carenis &c.* & eodem jure, talis pœnitentia, vel talis vel tanta, ſic vel ſic peccanti eſt injuncta.

Tertio advertendum, quod, ſicut pro excommunicatione ab homine lata reſervatur *abſolutio* tantum pro eo, qui illam tulit, vel ſibi ſuperiori in hac parte: Alias duo vel plures judices Eccleſiaſtici reſpectu ejusdem ſubditi, ubi unus quoad tales poteſtates judiciarias non eſſet alteri ſubordinatus, nec contra, ubi unus excommunicaret, alius ſolveret, primo non volente, & contra, fieret nimia involutio & perplexitas: Abſolutio autem excommunicationis a jure non eſt ſic reſtricta, & alligata, ſed ſecundum quosdam omnis autoritas epiſcopalis, quæ habet abſolvere a culpa, pro qua excommunicatio a jure infligitur, habet abſolvere & a tali excommunicatione: Sic Papa & Epiſcopi ſolent non dare indulgentias, dimiſſionem vel laxationem pœnitentiarum injunctarum ab homine, ſed pœnitentiarum injunctarum a jure, ad quas vel proportionales *in purgatorio* legitime quis tenetur, ſi ibi pervenerit, & hic non ſolverit, vel indulgentiam non eſt conſecutus.

Sicque Papa, Cardinales & Epiſcopi dant indulgentias pœnitentiarum à jure injunctarum, quod ſi homo pro unico peccato mortali legitime tenetur ad pœnitentiam ſeptem annis, modo pœnitendi in jure deſcripto, & ſuo modo de magnis vel mediis venialibus culpis. Quot autem interdum unus homo mortalibus culpis eſt obnoxius? quot vero etiam majoribus venialibus culpabilis fuerit, qvis enumerabit.

Injuncta eſt ergo tali homini a jure multa & multa pœnitentia ſatisfactoria de congruo.

Igitur neceſſum, perutile, & ſalutare eſt, recurrere humiliter ad gratiam indulgentiarum papalium & epiſcopalium ſuper talibus pœnitentiis, quas indulgentias miſericorditer, gratioſe & legitime poſſunt & habent Papa, Epiſcopi, & Cardinales de infinito theſauro Eccleſiæ, ex merito Chriſti Dei, ſanctæ Mariæ, ſanctorum totius corporis Chriſti myſtici, recondito, cujus Papa, Cardinales, & Epiſcopi ſunt diſpenſatores: Habent, dico, & poſſunt facere, & dare vere pœnitentibus, confeſſis & contritis, limina ſanctorum viſitantib', eleemoſynas vel ſubſidia erogantib' &c.

Nec Papa, Cardinales & Epiſcopi, ubi ex officio ſuo, canonice & legitime, etiamſi non in charitate exiſtentes, dant indulgentias hujusmodi, ut Epiſcopi 40. dies, Cardinales 80. Papa dies plures, annos plures, vel etiam plenam remiſſionem, in hoc dent occaſionem populis delinquendi.

Nec eſt in hoc facilitas veniæ, quæ præbet incitamenta delinquendi. Sed quantum eſt in tali datione, & modo ſuo, populi Chriſtiani potius retrahuntur à vitiis, & alliciuntur ac inducuntur ad timorem, reverentiam & amorem erga Deum & Chriſtum ejus, erga totum meritum Chriſti in labore, paſſione, morte &c. erga patres & paſtores ſpirituales & Eccleſiaſticos.

Papa enim, Cardinales & Epiſcopi exhibent & dant hujusmodi indulgentias non illis, qui non volunt pœnitere, nec dolere, nec confiteri de peccatis, ſed vere pœnitentibus, confeſſis & contritis, & ad aliquas certas pietates ſe convertentibus. Unde & in datione indulgentiarum ſecundum talem modum incitant, alliciunt, provocant, trahunt

Digitized by Google

trahunt, & inducunt populos Chriſtianos, ad ante, ad talia gratuita, & gratum facientia bona, & ex poſt, quaſi pro quodam ſtipendio apponunt gratiam indulgentiarum, quaſi gratiam pro gratia ovibus ſuis cumulantes.

Hæreticus ergo & diabolicus, & inſanus eſt articulus prædictus.

Articulus XLIII.

Juramenta illicita ſunt, quæ fiunt ad roborandum humanos contractus & commercia civilia.

ISte articulus eſt ſcandaloſus, & ſecundum communem uſum accipiendi verba indefinite & indifferenter pro juramentis ad roborandum humanos contractus & commercia civilia, eſt ipſe hæreticus.

Nam *Gen. XXI.* ſcribitur: Quia Abimelech & Phichol princeps exercitus ejus dixerunt ad Abrahamum: *Dominus tecum eſt in univerſis, quæ agis: Jura igitur per Dominum, ne noceas mihi & poſteris meis, ſtirpique meæ, ſed juxta miſericordiam, quam feci tibi, facias mihi, & terræ, in qua converſatus es advena. Dixitque Abraham: Ego jurabo.* Et infra: *Percuſſeruntque ambo fœdus.*

Similiter *Gen. XXVI.* Abimelech & Achuſad amicus illius & Phichol dux militum reſponderunt Iſaac & dixerunt ad eum: *Videmus, tecum eſſe Dominum, idcirco nunc diximus: Sit juramentum inter nos, & ineamus fœdus, ut non facias nobis quidquam mali, ſicut & nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus, quod te læderet, ſed cum pace dimiſimus auctum benedictione Domini.* Fecit ergo eis convivium, & poſt cibum & potum ſurgentes mane *juraverunt ſibi mutuo.*

Ecce iſti duo *patriarchæ*, cum à Deo, ab Angelis, ab hominibus gentilibus, haberent teſtimonium de ſua ſanctitate, juſtitia & veritate, *juraverunt* pro confirmandis humanis contractibus. Et ſi juramentum illorum fuiſſet illicitum, ipſi fuiſſent graviter perjuri. Quod abſit à piis mentibus æſtimare.

Scriptura ergo, jam in duobus paſſibus allegata, cum ſuis circumſtantiis, ſententiat, eos *licita juramenta* feciſſe pro confirmandis pactis & contractibus humanis.

Quo contra hæreticus eſt articulus hic, qui dogmatizat contrarium illi ſcripturæ in ſententia ſua.

Sic etiam *Jacob* tertius Patriarcha *juravit* per timorem patris ſui Iſaac, pro confirmatione humani contractus inter ſe & Laban ſocerum ejus. Sicut patet *Gen. XXXI.*

Inſenſatum eſt, hos tres Patriarchas in hoc facto fuiſſe perjuros.

Similiter *David* juravit Jonathæ 1. *Reg. XX.* Sauli, 1. *Reg. XXIII.* & puero Ægyptiaco 1. *Reg. XXX.* ad roborandum humanos contractus.

Numquid ille Prophetarum eximius ita communiter & leviter pejeravit in nomine Domini? Quod tamen oportuiſſet juxta iſtum articulum.

Item *Exod. XXII.* ſic ſcribitur: *Si quis commendaverit proximo ſuo aſinum, bovem, ovem, & omne jumentum ad cuſtodiam, & mortuum fuerit, aut debilitatum, aut captum ab hoſtibus, nullusque hoc viderit, jusjurandum erit in medio quod non extenderit manum ad rem proximi ſui; ſuſcipiet Dominus juramentum, & ille reddere non cogetur.*

Ecce, quod ſecundum legem & præceptum Domini tenebatur quis in caſu, & in judicio evocatus ſe purgare, & ſatisfacere juramento, quod non extenderit manum ad rem proximi ſui, aliquando ſatis exilem, ut ovem vel aſinum &c. Et Dominus rei ſimiliter in caſu tenebatur juramentum tale ſuſcipere pro ſatisfactione.

Quod ſi ſecundum hanc præallegatam ſcripturam *licita* ſunt *juramenta* ad ſatisfaciendum in cauſa, pro exili & modicæ reputationis re deperdita, in humana commendatione, non multum ardua, quanto magis licita erunt ad confirmandum arduos contractus humanos, & ardua civilia commercia, exemplo ſanctorum Patriarcharum, & Prophetarum præallegatorum, & exemplo Dei, qui dignatus eſt per ſemet ipſum

ipſum jurare ad confirmandum contractus & commercia divina cum hominibus.

Quod ſi *Deus*, qui nullo modo poteſt ſe regere in contractibus ſuis divinis cum hominibus, ut ſibi diffideretur quovis modo, quod poſſet aliquo modo immutare vel non tenere voluntatem, verbum vel dictum ſuum circa contractum vel commercium, nihilominus dignatus eſt *per ſemet jurare, & repromittere*, ut per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt Deum mentiri, aut fiendo perjurus aut fiendo fidefragus, fortiſſimum ſolatium habeamus, ut dicitur *Ebr. VI.* Quomodo non erit licitum, imo neceſſarium, aliquando ad confirmandum contractus arduos humanos, & civilia commercia interponere homines jusjurandum, ut tali ſtringantur, ne voluntatem, verbum & dictum ſuum circa contractum vel commercium immutent, in fraudem, & injuriam, & in nocumentum partis. Ubi ſi voluntatem, verbum vel dictum immutarent, niſi manifeſta, legitima cauſa interveniret, perjurium & notam infamiæ poſſent incurrere. Quod homines plus debent & habent fugere, quàm omne humanum incommodum & damnum ab una parte declinare, & omne commodum & lucrum humanum ab alia parte adipiſci.

Unde & Apoſtolus ad *Ebr. VI.* in confirmationem hujus, quod licitum eſt jurare homines ad confirmandum contractus & commercia ſua humana & civilia, & tollendum controverſias, non reprobando, ſed approbando, ita dicit; *Homines enim per majorem ſui jurant, & omnis controverſiæ eorum finis ad confirmationem eſt juramentum.* Si igitur ſecundum hanc approbativam ſcripturam Apoſtoli, homines per majorem ſui jurant, in contractibus, commerciis, & judiciis humanis & civilibus, & juramentum eſt ad confirmationem finis totius controverſiæ ipſorum talium hominum: Et etiam *Deutr. VI.* dicitur: *Jurabis per nomen illius*: Et in Pſalmo; *Laudabuntur omnes, qui jurant in eo*: Igitur ſecundum hanc & alias ſcripturas ſacras *licita* ſunt *juramenta*, quæ fiunt ad confirmandos humanos contractus, & commercia civilia in judiciis & extra.

Et per conſequens iſte articulus eſt hæreticus.

Artic. XLIV.

Auguſtinus, Benedictus, Bernhardus, ſunt damnati, niſi pænituerint de hoc, quod habuerunt poſſeſſiones, & inſtituerunt & intraverunt religiones. Et ſic à Papa usque ad infimum religioſum omnes ſunt hæretici.

Iſte articulus primo reprobat Chriſtum Deum, qui habuit poſſeſſionem auri, thuris & myrrhæ, à Regibus ſibi oblatam, & habuit poſſeſſionem pretioſi unguenti, quo in capite & pedibus ungebatur, & habuit poſſeſſionem in communi cum fratribus ſuis, in iis, quæ mittebantur, quæ Judas Iſchariotes habens loculos portabat.

Item iſte articulus dogmatizat, ſanctos Auguſtinum, Benedictum, Bernhardum, & alios permanſiſſe usque in finem vitæ in peccato mortali: Quia usque ad finem vitæ non pœnituerant de hoc, quod habuerunt poſſeſſiones, inſtituerunt & intraverunt religiones, Et hoc ſecundum illum articulum fuit peccatum mortale, & contra legem & & regulam Chriſti, habere ſcilicet poſſeſſiones, inſtituere & intrare religiones.

Ex quo ulterius ſequitur, ſecundum eundem articulum, quod omnis Eccleſia errat, quæ aliquem talem, qui usque ad finem vitæ permanſit in peccato mortali impœnitens, nec de quo ſcit, quod in fine pœnituerit de tali peccato, quod certe aliquem talem colit & celebrat, ac ſolennizat, ut ſanctum.

Imo, ſi ſciret, talem aliquem in fine primo de hoc pœnituiſſe, non deberet habere eum pro beato, niſi ſicut latronem,

Digitized by Google

nem, qui in fine vitæ circa Chriſti crucem pœnituit.

Et ſic omnis Eccleſia, celebrans & ſolennizans tales, cantando & legendo de eis inſtitutas horas de confeſſore Pontifice, vel confeſſore non Pontifice, in hymnis, pſalmis, lectionibus, antiphonis, reſponſoriis, miſſis &c. turpiter mentiretur.

Et ſimiliter omnis clericus vel laicus, talia de eis ſentiens, & dicens, quod de eis ſic cantantur & leguntur.

Tertio articulus ille omnes Papas, Cardinales, Epiſcopos, Eccleſias, religioſos, Eccleſiaſticos & ſeculares, quicunque à tot centenis annorum, à quot religiones ſancti Benedicti & aliorum duraverunt, crediderunt firmiter, quod aliqua talis religio eſſet juſta & bona: Omnes, inquam, tales damnat pro hæreticis.

Quis unquam fidelis poſſet reputare, talem articulum non eſſe inſaniſſimam hæreſin.

Articulus XLV.

Omnes religiones indifferenter introductæ ſunt a Diabolo.

ISte articulus ſententiat & dogmatizat, quod diabolus ſit pater omnis religionis, & omnium religioſorum, & ſic, quod ipſe ſit religioſiſſimus. Et ſic ipſe erit ſupremus de religione munda & immaculata, quæ eſt, immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo, & viſitare pupillos & viduas in tribulationibus eorum, ſicut dicit beatus *Jacobus I. cap.* ſuæ canonicæ.

Ergo diabolus erit par vel major Chriſto Deo homine in vita munda & immaculata.

Quod ſi cultor hujus hæreſeos dicat, articulum illum intelligendum *de religionibus privatis* poſſeſſionatorum & mendicantium, iterum in hac parte diabolum præponit Chriſto. Cum ſecundum eum Diabolus ſcit, poteſt, vult, facit, inſtituit perſonas utriusque ſexus, ſingulariter & varie religioſas, ſingularibus, variis, multis & magnis religionibus. Chriſtus autem ſecundum eundem non ſic poteſt, ſcit, vult, & facit.

Quid plura? Si aliquis in eo, quod eſt religioſus ſingularis, errat ſecundum hunc articulum, ergo ſanctus *Johannes Baptiſta* graviter erravit, quod fuit ſingularis eremita. Et ſic *Chriſtus* gravius, qui ſingularior. Et *virgo mater Dei*, quæ ſe patitur cantari virginem ſingularem.

CONCLUSIO OPERIS.

ET ecce 45. *iſti articuli* contra veriſſimum regnum Dei, infinite pulchrū & præclarum, in cordibus infidelium faciunt falſiſſimam tyrannidem diaboli, ineffabiliter horridam, confuſam, tetram & tenebroſam.

Et tam ineffabilis eſt in iſtis articulis inſania, ac etiam tam palpabilis, plus quam tenebræ, quæ in Ægypto propter denſitatem palpari poterant, *Exod. X.* Quod videtur ſtultum, quærere fidelem, qui talem inſaniam, veluti immanifeſtam velit exponere & manifeſtare fidelibus ad ipſam abominandum.

Veruntamen, *diſpendium*, diminutum & defectuoſum, quod in multa imperitia ac *librorum carentia* a principio ſui usque huc in finem attentans feci, *vellem* in inſipientia mea *devenire in* aliqualem *occaſionem* Eccleſiaſticis & ſcholaſticis:

Eccleſiaſticis majoribus, ut armis ſuæ potentiæ Eccleſiaſticæ pernicioſiſſimos illos errores, hæreſes & ſcandala, atque nefandos illorum cultores invadant ex animo, & de finibus Eccleſiæ exterminent. Longe enim plus ſunt debitores, ſunt & melioribus armis potentiæ dotati, ad perſequendum, deteſtandum & exterminandum tales errores, hæreſes & ſcandala, ac cultores eorundem, fabricatores & fautores, quam Principes & judices ſeculares, contra homicidia, latrocinia, ſpolia, incendia, furta, &c. & contra talium factiones.

Eccleſiaſticis minoribus: Ut alii verbo prædicationis, alii devotione orationis

ſimiliter

Digitized by Google

ſimiliter contra prædicta inſtent & laborent.

Scholaſticis: Ut vigilanter ſtudeant & laborent, Eccleſiaſticos inſtruere & informare in Scholis ad bellandum, in campo & foro Eccleſiaſtico contra errores & hæreticos, argumentis fidei capiendos, confutandos, vincendos & exterminandos, perſonis hominum de vinculis & captivitate errorum liberatis, & in veritate fidei ſalvatis, dummodo non voluerint eſſe finaliter in malitia indurati. Sicut dimicatores in Scholis ſuis habent docere, inſtruere & informare milites & armigeros ad bellandum in campo militiæ ſecularis contra fures, latrones, raptores, oppreſſores violentos, reipublicæ turbatores &c.

Sed tamen adhuc, quia de nullis vel minimis eſt, ſcripturam hanc incomtam ſic in occaſionem aliquam, ut prætactum eſt, devenire: Ideo ſimpliciter *exoptamus*, *ſententiam* claram & puram *contra hos articulos* à longe hic ſalutatam vehementer movere corda fidelium Eccleſiaſticorum, Scholaſticorum & laicorum, ut modis ſibi congruis contra illos articulos efficaciter decertent: Vehementer etiam corda deceptorum movere, ut ab iis ad veritatem catholicam feliciter convertantur.

Si quid autem in præmiſſis contra ſententiam & fidem ſanctæ ſedis Apoſtolicæ & ſacræ Romanæ Eccleſiæ, cujus caput eſt Papa, collegium vero Cardinalium eſt corpus, ignoranter vel inſipienter admixtum eſſet, revocamus & habemus pro nihilo.

Et ſecundum hujusmodi proteſtationem hæc, hic dicta ſub directione, & correctione ejusdem beatæ ſedis & ſacroſanctæ prælibatæ Eccleſiæ Romanæ & hujusmodi SACROSANCTI CONCILII CONSTANTIENSIS GENERALIS, ad præſens ſufficiant. De quibus Deus ſit benedictus. Amen. *Finita feria ſecunda poſt Luciæ.* *Clauſula in Cæſarea Vindobonenſi MSCto.*

TOMI III. PARS XIV. XV. &c.

DE REBUS JACOBELLI
Sive
JACOBI DE MISA
A CONSTANTIENSIS CONCILII PRINCIPIO USQUE AD CONCILII HUJUS FINEM.

M*Agnum & hæ res Conſtantienſis Concilii* confecerunt *momentum*. Etſi enim Huſſo addicti eſſent Jacobitæ, aliud tamen negotium Pragæ orſus, abſente Huſſo, Pragenſis Eccleſiaſtes, *Jacobus de Miſa*, quod ab Huſſo antea neque proditum neque tactum, & in carcere demum Conſtantienſi non ſine admiratione ab illo auditum, ac tandem approbatum. Ut adeo hoc *negotium*, in Conſtantienſi mox Concilio ventilatum, *ab Huſſitico & Wicleſitico* prorſus ſit *diverſum*, quod neutrum illorum agnoſcat autorem aut propagatorem. Tantoque ponderoſius atque gravius hoc *Conſtantienſis Concilii argumentum*, quanto majores Concilio, Bohemiæ, univerſæque Germaniæ peperit ſcrupulos, atque difficultates, diris & diuturnis bellis haud diremptas.

Ut igitur paucis rem prælibemus, uberius *in Prolegomenis* explicandam: Bohemiam vix ac ne vix quidem reliquerat Huſſus, quando inter ejus & Wiclefi ſectatores, in Bohemia reliquos, in publicam ſtatim lucem prodiit, inſcio Huſſo, Conſtantiæ in Concilio hærente, *Jacobus de Miſa*, *Bohemus*, *Eccleſiæ S. Michaelis apud Pragenſes Paſtor*. Qui, nemine expectante vel augurante, in Cathedra Academica Pragenſi, ſuæque mox Eccleſiæ ſuggeſtu, *Communionem laicorum ſub utraq; ſpecie*, *primus* publice tradere atque urgere cœpit. Contigit

hoc in in principio anni 1415, ſub Conſtantienſis Concilii exordium, Huſſo Conſtantiæ degente, & harum rerum haud conſcio, multo minus autore.

Memorant quidem aliqui, *Petrum* quendam, virum eruditum, *Jacobi Miſeni* familiarem, privatis colloquiis Jacobo hanc rem Pragæ ſuggeſſiſſe. Tametſi verò privata iſthæc colloquia *Petri & Jacobi de communione ſacra, ſub utraq; ſpecie, panis & vini, populo indulgenda*, præceſſerint, *Jacobo* tamen *Miſeno* origo iſtius doctrinæ & ritus in Eccleſia publicè reſuſcitati ab omnibus illius ætatis ſcriptoribus uno ore eſt tributa. Ut *inventor & autor* illius conſtanter appellaretur. Quippe qui *primus in Cathedram Academicam* hanc rem deferret, publicis *diſputationibus* proponeret & defendendam ſuſciperet. Dein & *in ſuggeſtum* deportaret, plebi inculcaret, ritumque ipſum introduceret, adjuvantibus aliis Paſtoribus ac Doctoribus. Quemque tanquam caput mox adorirentur *Theologi Profeſſores, Pragenſes* non minus atque *exteri*, qui de novo hoc ejus & magno facinore inaudiverant. Hinc adeo motus multo majores ex *Jacobo de Miſa*, quam ex *Huſſo & Hieronymo*. Et veroſimile, Huſſi memoriam citius fuiſſe futuram extinctam, ni Jacobus de Miſa novâ materia Huſſi rogum aluiſſet, novaque Huſſitis ex communione ſubutraque dediſſet fidei arma. Neque verò Pragæ novum hoc negotium intra *diſputationes* ſolùm atque *orationes ſacras* ſubſtitit, ſed in *magna* atque *numeroſa ſcripta, ultrò citroq; edita*, eſt diffuſum: Ea quidem contentione, ut *Concilium Conſtantienſe*, quo intuente hæc gerebantur, rem hanc novam, Huſſiticis multo tenaciorem, à ſe examinandam atq; excutiendam vel & definiendam eſſe, judicaret, Jacobo de Miſa vel à ſua ſententia abſtracto, vel præter excommunicationem Pragenſem, graviori pœna plectendo, ceteris ejus aſſeclis vel verbo vel ferro in priſtinam viam reducendis.

Magna proinde *Conſtantienſis Concilii pars* quod erat hæc nova *Jacobi Miſeni* controverſia *de Communione plebis ſub utraq; ſpecie*, operæ fuit pretium *potiſſima monumenta*, ſub Conſtantienſi Concilio, & in eodem, hac de re utrinque prodita, *hactenus haud viſa*, lectori ſiſtere, ut quæ illius ſeculi, & Conſtantienſis Concilii negotia, fata, totaque ſcena fuerit, dilucide conſtet.

Ordine proinde ſuo, ut in tantis antiquarum rerum & ſcriptorum ſepultorum tenebris dignoſcere vel & deprehendere licuit, ſingula hic ſiſtimus monumenta. Non immemores, plura alia latere in ſcriniorum tabularumq; reconditarum angulis hujus argumenti ſcripta antiqua, utrinque ſub Conſtantienſi Concilio edita: Aſt ſufficere tantiſper *præcipua* hæc autumamus, ex *antiquiſſimis MSCtis* non ſine pertinaci labore eruta & reſuſcitata. Manemus autem intra *Conſtantienſis Concilii* terminos, aliis ſcriptis, anno 1418. inferioribus, quorum permulta in noſtris ſunt manibus, jure meritoque miſſis.

Ceterum *Jacobelli primam diſputationem*, Pragæ in Cathedra Academica publice habitam, cum ejus fatis deſcripſit *Hagecius*, cujus veſtigia legerunt alii. Qua de re ſupra in *Prolegomenis hujus Tomi III.* videre eſt.

Edidit mox *tractatum* novum, quo Patrum non minus ac Scripturæ dicta comprehendit, quibus uſus communionis laicalis ſub utraque ſpecie roboraretur. Quod *opuſculum Jacobelli* hic in fronte poſuiſſemus, niſi *Mauritius de Praga, Theologus & Profeſſor Academiæ* Pragenſis, in Concilio Conſtantienſi exiſtens, ſuo contra Jacobellum alteri opuſculo attexuiſſet. Hoc itaque *Jacobi Miſeni opus* cum *reſponſione Mauritii de Praga*, infra *Parte XXII.* oculis lectoris curioſi & ſolliciti ſeſe offeret.

Quam telam ſcribendo orſus erat *Jacobus Miſenus*, eam non ſolum perorando in ſuggeſtu, ſed & variis ſcriptis pertexere anniſus eſt, variis *Theologorum, Pragenſium* non magis atque exterorum, editis refutationibus pellectus vel compulſus. Nec enim unum duntaxat *Jacobus* deprehendit adverſarium, ſed permultos, qui ſcriptis, pro illo ſeculo admodum plerumque prolixis, illius libel-

los hac

los hac de re editos diſcuterent atque examinarent. Ex hoc exercitu damus hic *duces inclytos*, quorum armis ceteri poſtmodum longa ſerie numeroque uſi ſunt milites Eccleſiaſtici.

TOMI III. PARS XIV.

ANONYMI THEOLOGI

In Concilio Conſtantienſi, ad apparet, tunc degentis,

LONGA EPISTOLA ELENCHTICA

Ad

JACOBUM DE MISA BOHEMUM THEOLOGUM ET PASTOREM PRAGENSEM

Præcipue

CONTRA COMMUNIONEM PLEBIS SUB UTRAQUE SPECIE,

A JACOBO de MISA illo tempore reſuſcitatam.

A. 1415. Tempore Conſtantienſis Concilii

ſcripta. Et à fine Concilii An. 1422. renovata.

In antiquo *Volumine Miſcellaneo Colonienſi Anni* 1484. poſterior, toto cœlo à priori diſtans, hoc comparet titulo: *Epiſtola Huſſitarum, quæ miſſa fuerat ab uno venerabili Doctore Catholico ad quendam literatum & doctum virum, Huſſonem & ſeductorem Chriſtianæ religionis.*

Nos primam ideam longe diverſam à Colonienſi, integram & emaculatam damus

Ex antiquo MSCto ACADEMIÆ HELMSTADIENSIS.

CAP. I.

De obedientia in rituum ſacrorum obſervatione per Jacobum de Miſa Prælatis haud præſtita.

ELoquenti viro Domino N. *verbi Dei ſeminatori in Pragâ* hæc epiſtola detur, fratri in Chriſto dilecto.

Pro ſalutatione in Chriſto JEſu Domino noſtro dilectione fraterna & charitate non fictâ ante omnia præporrecta, abs omnis adulationis ſcrupulo, & offenſa qualibet procul motâ, cum deſiderio ſalutis animæ & corporis. Quia quid mundi proſperitas valeret in hac præſenti vita, ſi damnatio animæ & corporis ſequeretur in futura vita? Teſte Salvatore *Matth.* 16. *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, anima autem ſua detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* Melius fuiſſet, ſi non fuiſſet natus homo iſte; teſte Salvatore, *Matth.* 25. de Juda & ſequacibus ejus, cui Salvator ait: *Filius quidem hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt de ipſo: Væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur. Bonum erat illi, ſi natus non fuiſſet homo ille.* Quia illos nihil ſequitur aliud, niſi vermis continue rodens, & ignis perpetuus, ut patet *Eſai* 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.*

Ideoque Domine N. *frater mi in Chriſto dilecte*; Noſti dictum Salvatoris bene, ut ego, *Matth.* 18. *Si frater tuus peccaverit in te, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum, & ſi te non audierit, adhibe te-*

Digitized by Google

cum unum vel duos. Quia in ore duorum vel trium ſtat omne verbum. Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ, id eſt ſecundum gloſſam, Prælatis Eccleſiæ. *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.*

Hoc eſt, *frater mi dilecte*, quod pervenit meam ad audientiam multorum ex relatu, tibi notorum & *te ſequentium*, qui timore Dei & reverentia, doctrina, & correctione tuorũ Prælatorum poſtpoſitis, eis es inobediens, dum tamen non una vice ſed pluribus fuiſti requiſitus ad eorum obedientiam per correctionem fraternam Prælatorum: Sed omnia poſtpoſuiſti, quo ſpiritu ductus, neſcio.

Vides quippe, *frater mi dilecte*, quod immemor es *juramenti* tui, quod feciſti in aſſumtione ordinis ſacri, promittens *Prælatis* tuis in omnibus ſalutaribus *obedire*, quod minime feciſti, & facis, ut filius inobedientiæ, magnum tibi in periculum, præſens & futurum, & in dedecus permaximum: Utpote omni die audis, & proprio auditu percipis ab hominibus utriusque ſexus. Non enim tantum in communi foro, ſed etiam multo magis in Eccleſiaſticorum choro, magnum peccatum eſt perjurare. Quia qui perjurat, Deum blasphemat, quem pro teſte invocabat. Quia jurare, ſecundum *Thomam* 2. q. 89. nihil aliud eſt, niſi Deum pro teſte invocare. Unde *S. Hieronymus ſuper Matthæum* dicit: *Qui jurat, aut veneratur, aut diligit eum, per quem jurat.* Ideo teſtis tuus fuit Deus, quando juraſti Prælatis tuis obedientiam. Et qui inobediens eſt prælatis ſuis, in licitis, privatur participatione omnis boni in Eccleſia Dei ſancti, ut patet per *S. Auguſtinum ſuper illud Symboli Apoſtolorum: Sanctorum communionem*, ubi ſic dicit: *Qui frangit fidem, ſit hæreticus, & qui inobediens eſt, ſchiſmaticus eſt, & qui non habet charitatem, ſit excommunicatus.*

Studeas igitur prælatis tuis obedire. Quia oportet te rationem de illo reddere coram Deo tuo, teſte. Unde *Pſalm.* 9. *Vota mea Domino reddam in conſpectu timentium eum.*

Ideo, *frater mi dilecte*, non te delectet multitudo turbarum, te præcedentium & ſequentium, plus, quam obedientia Dei & Prælatorum tuorum. Quia non omnes, qui te præcedunt, & qui te ſequuntur, & concomitantur, dixerunt vel jam dicunt: *Benedictus, qui venit in nomine Domini; Hoſianna in excelſis, Matth.* 21. Sed (proh dolor!) multi dicunt & dixerunt: *Maledictus, qui venit in nomine Diaboli de abyſſis, Commovit populum per univerſam terram Bohemiæ.*

Et cum intraſti *Pragam civitatem*, commota eſt univerſa civitas, dicens: *Quis eſt hic?* Et quidam dicentes: Hic eſt prædicator veræ fidei; Alii autem dicebant, non. Sed ſeducit turbas.

Et ſic, frater mi dilecte, quamvis plures tibi blandiuntur, quorum voluntatem imples, & qui ex tuis promotionibus temporalibus & momentaneis utuntur: Diligenter tamen tibi proſpice, ne aliquando tibi poſtea venenum infamiæ infundant acrius, quam ſcorpio, qui volens hominem interficere, leviter linit, dormientem excitans, cum venenum ei infundit. Quo maxime inflatur, nec mederi poteſt, niſi in aquis vallium.

Itaque, *frater mi dilecte*, noli inflari veneno ſuperbiæ & jactantiæ, ex levi linitione, i. e. adulatione te præcedentium & ſequentium. Sed merge te in aquis vallium, i. e. in humilitate & obedientia, virtutibus, ut Salvator conſulit *Luc.* 18. *Qui ſe exaltat &c.* Quia ſuperbis non datur gratia, ſed humilibus, ut patet *Jacob.* 4. *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.*

Et ſic, *frater mi dilecte*, vide utilitatem virtutum. In quantum potes, fuge earum oppoſitum, ut in præſenti vita aliquid boni merearis; qui futura viſione Dei beatifica æternaliter frueris, & ne ex vitiorum ſcoria in profundum inferni deprimaris, & malorum ſpirituum horrori ſocieris, proſpice.

In contrarium jam vide *obedientiæ utilitatem*, per quam mundus ſalvatur. Et per cujus transgreſſionem totus mundus in maligno poſitus eſt, & in miſeriis innumerabilibus, ut patet, *Gen.* 4. in primis noſtris parentibus & in toto genere humano. Quia ſine obedientia nemo

nemo placet Deo, nec ſalvari quis poteſt, ſecundum affirmationem ſanctorum Doctorum. Quorum primus eſt S. *Hieronymus*, qui exprimit obedientiæ utilitatem, & inobedientiæ nocumentum, ſic dicens: O quantum vitium inobedientiæ, quo Angelus cœlum, Adam paradiſum, Saul regnum, Salomon amorem divinum perdidit. Et S. *Auguſtinus*, *m*. 69. ſic dicit: Si jejunaveris, ſi diebus ac noctibus orationes feceris, ſi in ſacco vel in cinere pœnitentiam egeris, ſi nil aliud feceris, niſi illud, quod tibi præceptum eſt in lege, & tibi ipſi ſapiens viſus fueris, & obediens Patri tuo ſpirituali non fueris, omnes virtutes perdidiſti. Hæc ille. Et Chriſtus fuit obediens Patri usque ad mortem, *Philip*. 5. Et S. Bernhardus dicit: *Attendite fratres obedientiam Salvatoris noſtri; Ne perderet obedientiam, perdidit vitam.*

Sed, *frater mi dilecte*, forte diceres ex *Actor*. 5. *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Verum eſt, ſi tamen ſalvari vis, oportet te etiam obedire prælatis, & eſſe membrum Catholicæ Eccleſiæ. Quæ ſic deſcribitur: *Catholica Eccleſia eſt Eccleſiaſtica totius Chriſtianitatis bonorum & malorum congregatio.* Bene vero *Catholicus* dicitur, *fidelis Deo & proximo ſuo.* Ideoque qui contra illam eſt, *infidelis* eſt.

Quæ *Catholica Eccleſia* habet ſe in reſpectu ad Chriſtum, ſicut membrum humanum corporis ad caput. Quia Chriſtus eſt caput Catholicæ Eccleſiæ. Ut patet *Epheſ*. 5. Ubi ſic S. Paulus ait: Quoniam vir caput eſt mulieris, ſic Chriſtus eſt caput Eccleſiæ Catholicæ in membris ſuis. Eccleſia in Electis habet ſe ad Chriſtum ſicut membra humana in corpore ad caput ſuum, Chriſtum, à quo omnes juſti in ſuo ordine gubernantur, ut membra humana corporis à capite. Cujus capitis Chriſti in Eccleſia Catholica *Oculi* ſunt Prophetæ, qui futura prædixerunt, & prædicunt in veteri lege: In nova lege fuerunt Apoſtoli, & nunc ſunt prædicatores veri, qui alios de via erroris ad lumen fidei & juſtitiæ deducunt. Ut tu eſſes unus ex illis!

Aures autem Eccleſiæ ſunt obedientes. *Nares* ſunt diſcreti. *Phlegma*, quod per nares ejicitur, ſunt hæretici & erronei, qui judicio decretorum de capite Chriſti emunguntur. *Os* ſunt Scripturæ. *Dentes* ſunt S. Scripturæ compoſitores. *Manus* Eccleſiæ ſunt defenſores. *Pedes* ſunt agricolæ Eccleſiarum, paſcentes Eccleſiæ rectores. Porro *Fimus*, qui ventre partis egeritur, ſunt immundi & alii facinoroſi intra Eccleſiam, qui ventrem matris Eccleſiæ onerant, quos per mortis egeſtionem Dæmones, ut porci devorant. Quod totum corpus Eccleſiæ compagine charitatis conglutinatur.

Ideoqve, *frater mi dilecte*, ſi vis oculus eſſe Catholicæ Eccleſiæ, cujus caput eſt Chriſtus, & ſi vis bene prædicare, & futura prædicere, infidelibus infernum prophetando, bonis vero regnum cœlorum promittendo, ſis membrum ſanctæ matris Eccleſiæ per obedientiam, & non eruas te per inobedientiam & tuæ mentis malam voluntatem. Quia qui extra Eccleſiam Catholicam, infidelis eſt, judicatus eſt, teſte Salvatore *Joh*. 3. Qui dicit: Qui non credit, jam judicatus. Nam utique oculus qvi extra caput eſt, oculus non eſt. Et ſicut oculus ad motum capitis movetur localiter, & non vice verſa: Sic qvilibet fidelis, ut membrum Eccleſiæ, debet ſe movere ad motum ſanctæ matris Eccleſiæ, non ad motum oculi, i. e. unius ſingularis perſonæ, aut paucorum, qui volunt, ut per eos Eccleſia regatur, & non ipſi per Eccleſiam. Cum tamen conſtet, pupillos plures latitudinem ſpecierum capere, quam un' non poterit capere. Caput militantis Eccleſiæ eſt Papa, & immediatus vicarius Jeſu Chriſti, cui dixit Chriſtus in perſonâ S. Petri, *Joh*. 21. *Simon Johanna, diligis me plus his, paſce oves meas.* Quia, antequam vocarem te, novi te, & ſuper plebem te conſtitui, & claves regni cœlorum tradidi tibi, & omnia regna. Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Quæ omnia & ſingula Chriſtus ad ſucceſſores S. Petri futuros notat, qui debent etiam Eccleſiam

Digitized by Google

cleſiam regere, & quibus omnes Chriſtiani per obedientiam in ſalutaribus debent obedire & ſubjici. Et non tantum ipſis, ſed etiam eorum ſubſtitutis in diœceſibus & in diverſis locorum partibus.

Et hoc eſt contra illos, qui dicunt, quod Papæ, Epiſcopis, cæterisque Prælatis non ſit obediendum. Illi contrariantur dicto Salvatoris, qui dixit *Luc.* 10. ad Apoſtolos & eorum ſucceſſores: *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit, & qui me ſpernit, ſpernit eum, qui me miſit.* Et S. Paulus ad Rom. 18. ſic dicit: *Omnis autem anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo.* Quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itaqve qui poteſtati reſiſtit, ordinationi Dei reſiſtit, qui autem ordinationi divinæ reſiſtit, ſibi ipſi damnationem acquirit.

Sed forte, *frater mi dilecte*, dicis, aliquorum mala informatione, qvi ſe excuſant ab obedientia prælatorum, dicentes: *Prælati ſunt Simoniaci, avari, luxurioſi, ſuperbi, & aliis peccatis obnoxii.* Non eſt obediendum eis. Audi Salvatorem dicentem *Matth.* 23. *Super cathedram Moſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo, quæ dixerint vobis, ſervate & facite, ſecundum verò opera eorum nolite facere.* Et S. Petrus Canonica ſua prima c. 5. ſic ait: *Subjecti eſtote omni creaturæ humanæ propter Deum, ſive Regi tanquam præcellenti, ſive Ducibus tanquam à Deo miſſis ad vindictam malorum, laudem vero bonorum, quoniam ſic eſt voluntas Dei. Et benefacientes obmuteſcere faciatis.* Et ibidem ulterius dicit: *Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis.*

CAP. II.

De excommunicatione à Jacobello & ſociis Bohemi contemta.

ET ſic *Græci* propter inobedientiam ſtant in periculoſa ſalute à multis centenis annorũ curriculis, qui ſunt & fuerunt in majori excommunicatione, in qua etiam ſunt mortui multi & continue moriuntur.

Hoc idem timendum eſt de *te* & *te ſequentibus*, qui dicitis, *quod* excommunicatio Papæ & aliorum Prælatorum nihil ſit.

Audi igitur *S. Gregorium*, qui dicit *diſtinct.* 81. *Peccatum paganitatis incurrit, quicunq; fore ſe Chriſtianum adſerens & ſedi Apoſtolicæ per inobedientiam contradicit.* Et *S. Chryſoſtomus* ſuper una Epiſtola ad Hæbreos ſic dicit: *Nemo contemnet vincula Eccleſiaſtica. Non enim eſt homo qui ligat, ſed Chriſtus per hominem, cui hanc poteſtatem dedit, quia homines Deos fecit & tanti eſſe honoris. Et S. Ambroſius de Sacramentis in Decreto dicit: Non vitam nec merita perſonarum Deus conſiderat, ſed officium & auctoritatem conceſſam.* Et *Gregorius* dicit: *Sententia judicis paſtoris ſive ſit juſta ſive injuſta timenda eſt.* Imo homo juſtus non oſtendens innocentiam ſuam fit injuſtus, propter inobedientiam ſuam quam non advertit.

Sed forte dicis: *Nemo debet excommunicari niſi à* Chriſto & non ab alio. Ubi te ſcire, *frater mi dilecte*, deſidero, quod duplex eſt excommunicatio, quædam occulta, & impropria, quæ à ſolo Chriſto procedit. Sic tali excõmunicatione ſolus Chriſtus excommunicat, ut Deus, hominem omnem pro mortali peccato ſecludens & regno cœlorum & ſocietate omnium ſanctorum. Alia *excommunicatio eſt manifeſta*, quæ fertur à judice aut à jure. Et talis procedit ab hominibus. Et tali excommunicatione homines excommunicantur pro mortali peccato & pro inobedientientia, qvæ ſemper includit peccatum mortale. Et non tantum inobedientes excommunicantur, ſed etiam eis participantes. Quia videtur eorum crimen conforme, & incurrit canonem De excommunicatione, qui dicit: Qui excommunicato ſcienter aut ſponte participat, eadem ſententiâ excommunicationis innodatur, nec abſolvi poteſt niſi per ſedem Apoſtolicam. Quia canones dicunt, quod facientes & conſentientes pari pœna ſunt puniendi. Et excommunicati ab officio dignitatis exercendo ſunt ſuſpenſi, aliàs ſi exercuerint, mortaliter peccant, quia ſunt indigni

Digitized by Google

indigni & in mortali peccato, quod privat omni utilitate omnium bonorum operum quoad vitam æternam. Et hoc patet in corporibus excummunicatis multorum mortuorum. Quia quam diu excommunicantur, integra manent: Sed abſolutione ſuperveniente mox ſolvuntur. Ideo excommunicati officia parvæ utilitatis, imo mortaliter peccat, præter horas dicendo: Quia ibi debitum ſolvit obligatum. Et quia tunc nó miſſi, ſed ſententia excommunicationis vinculati, dicentes, quod poſſunt ubique & ſemper prædicare quando vellent. Quod eſt contra S. Paulum *ad Rom.* 10. Qui dicit: *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur. Et Innocentius* Papa *cap. I. De hæreticis* excommunicatis, dicit: *Nonnulli ſacerdotes auctoritatem prædicandi vendicant ſibi, & uſurpant non miſſi. Illis contrariando mandamus omnibus Epiſcopis, ut prohibeant talia fieri.*

CAP. III.
An Jacobus de Miſa divinitus ſit vocatus & miſſus.

SEd dices, frater mi dilecte, cum cæteris, in hoc facto tibi adhærentibus: Miſſi ſumus à Chriſto, *Matth ult.* Qui dicit: *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.*

Ibi, frater mi dilecte, ſcire te cupio cum cæteris, quod *duplex* eſt *miſſio*, quædam *habitualis* & alia *localis*. Habitualis fit à Chriſto per Epiſcopi conſecrationem. Et alia fit per Prælati loci admiſſionem. Quamvis quilibet ſacerdos, qui vult utiliter, ita ut Deo placeat, & hominibus proficiat, prædicare, debet ſecundario mitti à loci Prælato.

Et de iſtâ *ſecunda miſſione* intendit S. Paulus & Papa Innocentius.

Sed miror de te, *frater mi dilecte*, quomodo ſine illa miſſione *auſus fuiſti Eccleſias multas viſitare*, ibidem *prædicando*, & ultra illarum Eccleſiarum prælatorum voluntatem. Non advertendo, quod hoc feciſti in præjudicium S. Scripturæ & ſacrorum Canonum, & in animæ tuæ condemnationem, & in maximam populi diſſenſionem utriusque ſexus. Non per oſtium ſed deſuper cathedram adſcendendo, immemor es dicti Salvatoris, qui dicit *Joh.* 4. *Amen, amen, dico vobis, qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed adſendit aliunde, ille fur eſt & latro. Qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ovium.*

CAP. IV.
An decimæ clericis ſint ſolvendæ.

ET etiam ibidem prædicas, dicens quod non ſit offerendum plebanis & ſacerdotibus. Quia nullibi habeatur in ſcriptura, quod debeant ipſis offerre.

Per hoc conſidero *in te & tibi adhærentibus*, quod aliis abſtrahendo intenditis vobis uſurpare, & tacitè mercedem aliorum recipere. Cum lex hoc prohibeat, dicens: Quod tibi non vis &c. Ibi, *frater mi dilecte*, vide, quod laicalis populus non inducitur ad offerendum avaritiâ ſacerdotum, ut tu dicis, cum cæteris, ſed Dei mandatum eſt. Ut colligitur ex S. Scriptura V. & Novæ legis, & ſanctorum Doctorum.

Nam dicitur de offerentibus primo *Exod.* 34. *Ter in anno apparebis coram Domino; & munera offeres, feſta celebrando.* Et in Evangelio Chriſtus ait 5. *cap. Matth. Si offers munus tuum ante altare*, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habeat aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade, prius reconciliare fratri tuo, & tunc veniens *offer munus tuum.* Et in eodem Evangelio c. 8. dixit Salvator leproſo: *Vade & oſtende te ſacerdoti, & offer munus tuum, quod præcepit Moſes in teſtimonium.*

Et S. Paulus 1. *Cor.* 8. *Quis paſcit gregem, & de lacte ejus non manducat? Quis militat ſtipendiis unquam? Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus; non magnum ſi veſtra corporalia metimus.* Si alii poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potius nos?

Digitized by Google

nos? Neſcitis, qui altari ſervit, de altari participat. Ita Dominus oſtenderat his, qui Evangelium enunciant, ut de Evangelio vivant. Et S. *Gregorius* 7. *diſtinct. cap.* 1. dicit: *Omnis Chriſtianus procuret ad miſſarum ſollennia aliquid Deo offerre.* Nam homo ſi offert, non offert plebano ſed Deo, licet plebanus nomine Dei accipiat. Quid mihi & tibi de pecccato plebani, dum ego aut tu facimus illud, ad quod obligati ſumus ex mandato Dei.

Etiam, *frater mi dilecte*, non vereris dicere, in diſſenſionem populi, & in confuſionem Prælatorum, cum unus ex illis eras, in ſermonibus tuis, quod *decimæ ſint puræ eleemoſynæ*, & quod *propter peccata ſuorum prælatorum & ſacerdotum poſſint Domini temporales ad libitum ſuum eas auferre.* Hoc non eſt verum. Quia *eleemoſyna* eſt libera donatio & voluntas aliquid pro peccatis exhibere. *Decimæ* non ſunt tales donationes voluntariæ, imo ſunt præceptoriæ & involuntariæ. Ut patet 1. *Paralip.* 31. ubi dicitur: *Decimas dabunt filii Iſrael juſſu regis, & ſecundum legem.*

Vide, quomodo decimæ ſunt Dei. Quod patet *Num. & Deuteron.* 18. ubi Dominus dixit ad Aaron: *Ego ſum pars & hæreditas tua in medio filiorum Iſrael. Filiis autem Levi decimas omnes dedi in promiſſionem & pro miniſterio. Et Levit.* ult. dicitur *Omnes decimæ terræ de frugibus ſive de pomis arborum Domini ſunt, & illi ſanctificantur. Et Exod.* 22. *Decimas & primitias non tardabis offerre. Et Malach.* 3. *Inferte omnem decimam in horreum meum, ut ſit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc, dicit Dominus, ſi non aperuero cataractas cœli, & effundam benedictionem uſq; ad abundantiam, & interpellabo pro vobis devorantem & non corrumpet fructum terræ veſtræ, & non erit ſterilis vinea in agro dicit Dominus exercituum.* Et S. Paulus ad *Hebr.* 7. *Et quidem filii Levi, ſacerdotium accipientes, debent ſumere decimas à populo ſecundum legem.* Et in libro *Num.* c. 32. legitur, quomopo deſcripta fuerant oppida Levitarum, quotque in numero habebant. Quod figura fuit Sacerdotum novæ legis, ad poſſidendum temporalia. Et ſic Abraham dedit decimas de omnibus, quæ poſſidebat, Regi Melchiſedech, qui erat ſacerdos altiſſimi Dei, & benedixit Abrahæ. *Gen.* 14. c. Et in nova lege *Conſtantinus Imperator* dedit decimas largas, dotando Eccleſiam decimis & cenſibus, & ſui multi ſucceſſores. Et ſpecialiter in terra veſtra *Bohemia*, *S. Wenceslaus*, & plures ejus ſucceſſores, ut patet in Eccleſiarum dotatione & multorum altarium fundatione in civitate & diœceſi Pragenſi.

Sed forte dicis: Quare Deus mandavit hominibus V. & Novæ legis dare decimas ſacerdotibus? Reſpondetur, Quia homo eſt drachma decima perdita, quæ debet decimam partem Angelorum in novem choris implere, loco malorum Angelorum, ſecundum merita aſcendendo. Et ſolus Chriſtus obtulit Sacerdotibus, Luc. 2. ut legem impleret, ut ait *Matt.* 5. *Cap. Non veni ſolvere legem ſed adimplere.*

Proſpice jam intuendo ſcripturas, quod ſacerdotes Novæ legis non adinvenerunt offertoria nec decimas, ſed Deus mandavit & ordinavit offerre & dare decimas. Quas decimas & offerroria nec propter peccata ſacerdotum quis Patronorum & Dominorum, ut tu dicis, cum ceteris poteſt retinere vel auferre ad libitum ſuum ſine culpa peccati mortalis. Imo tenetur etiam malis gratibus & ſub pœna excommunicationis eas dare, ut patet per *Venerabilem Hugonem de ſacramentis libr.* 3. *part.* 9. ubi dicit: *Decimas quoq; uſurpare aut retinere ſine ſacrilegii culpa non poſſunt, niſi hi ſolum, quorum ſuſtentationi inſtitutæ ſunt. S. Gregorius* diſt. 106. ſic dicit, *Quis dubitat, ſacerdotes Chriſti regum principum omnium fidelium patres & magiſtros cenſeri? Nonne inſania miſerabilis eſſe cognoſcitur, qui iniquis obligationibus illum ſibi & ſuæ poteſtati ſubjicere conatur, à quo credit non ſolum in terra ſed etiam in cœlo ſe ipſum ligari & ſolvi.* Et Gelaſius Papa Imperatori Auguſto ſic ſcribit: Tu Imperator pendeas ex illorum judicio, non illos poſſe redigi ad tuam voluntatem. Et idem Gelaſius Papa, 100. *diſt. Quippe cum tu videris Regum & Principum colla ſubmitti genibus* ſacerdotum,

Digitized by Google

& oſculata eorũ dexterâ, eorum credũt orationib' communicari. Ideo qui Papæ, epiſcopo, vel ſacerdoti cuiquã maledicit crimen ſacrilegii incurrit, ut dicitur q. 14. Et alia Scriptura dicit: *Qui maledicit Principi, morte moriatur.* *Exod.* 21. *Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur.* Et non tantum carnali ſed etiam ſpirituali. Item Prælato ſanctæ matris Eccleſiæ. Ideo videant illi, ne eis contingat, ſicut Datan & Abiran contigerat *Num.* 16. Qui cum omni familiâ ſuâ ſubmerſi ſunt in profundum inferni propter murmur, quod fecerunt contra Moſen principem ſuum detrahentes ei pro indignitate prælationis, volentes eſſe ita digni Prælaturâ, ſicut ipſe fuit. Quam non dedit illis Deus, ſicut Moſi dederat.

CAP. V.

De Eccleſiarum viſitatione per Jacobellum inter Bohemos inſtituta.

ET etiam in iisdem *Eccleſiis, quas viſitas,* prædicando, officiando, &c. interdictum violando, maximam clavium Eccleſiæ & S. Evangelii in offenſam. Ut patet *Matt.* 8. ubi ſic Salvator ait Eccleſiæ Prælatis: *Amen, Amen, dico vobis: Quæcunq;* ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis. *Et quæcunq;* ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis.

Ideo tales omnes, interdictum ſic violando, in contemtum clavium Eccleſiæ, aut qui ad hoc conferunt conſenſum, tales omnes tam facientes quam conſentientes redduntur inhabiles ad omnes actus Eccleſiaſticos. Et ſi eis in principio ſuper tali exceſſu non providerunt, legitimas cauſas adſignando: Alexandri Papæ 3. perpetuæ damnationis ſententiam incurrunt, ut beneficiis & dignitatibus priventur, & ſi religioſi fuerint, in arcta monaſteria detrudantur.

Et laicales populi, intrantes ad miſſas & officia profanorum ſacerdotum, quadruplici peccato mortali peccant. *Primo* contra obedientiam peccant, non ſervantes mandatum ſuperiorum. *Secundo* peccant, quia excommunicatis participant. *Tertio* peccant, quia alios, qui mandatum ſuperiorum non obſervant ſcandaliſant. *Quarto* peccant mortaliter, quia pertinaces profanos & excommunicatos conſervant, in malitia eorum communicantes in divinis. Et de iſtis peccatis patuit late in Scriptura: Et canones in præcedentibus qui qui vult oculo aperto conſiderare.

Et ſic, *frater mi dilecte*, omnia iſta quæ in alios retorques, & in te relucent, tibi in præſentem & futuram infamiam. Cum non timeas Deum, nec verearis homines, nec à Prælatis miſſus, te intromittis de eorum officiis, dignitatibus cathedralibus, in magnum præjudicium Dei & Chriſti præceptorum & intellectum totius S. Scripturæ. Quia dixit Deus, *non concupiſces rem alienam.* Quia, cum minimum non ſervas præceptũ Domini Dei tui, impoſſibile eſt te majora ſervare. Et cum minimum trangrederis, jam transgreſſus es omnia. Ut patet in Canonica Jacobi, c. 2. ubi dicit ſic: *Quicunq; totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus.* Et S. Johannes in Canonica ſua prima, c. 5. Ubi dicit ſic: *In hoc ſcimus, quod cognoſcimus Deum, ſi mandata ejus obſervamus. Qui ſe dicit noſſe Deum, & mandata ejus non ſervat, mendax eſt, & veritas in eo non eſt. Qui autem ſervat verbum Dei, vera charitas in eo eſt perfecta. Hoc ſcimus, quoniam in ipſo ſumus. Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ut quomodo ille ambulavit, & ipſe ambulare.* Sed Chriſtus ambulavit, nulli malum nec bonum inordinatum ſuggerendo, nulli maledicendo, nulli detrahendo, nullum ſpoliando, nullum in odium alterius adducendo, & de nullius ſe dignitatibus ſeu bonis intromittendo, *ſicut forte tu facis cum cæteris tibi adhærentibus,* fratres tuos ita bonos vel meliores, odiendo & ſpiritu oris occidendo. Modo memorare dictũ Salvatoris *Matt.* 5. ubi ſic ait: *Qui dixerit fratri ſuo Racha, &c.* Et hoc ſicut Johannis in ſua Canonica prima cap. 3. dicit: *Qui odit*

Digitized by Google

odit fratrem ſuum, homicida eſt, & ſcitis quod omnis homicida non habet vitam æternam in ſe manentem. Si ergo dilexerimus nos invicem, Deus in nobis manet, & charitas perfecta in nobis eſt. Intelligimus, quoniam in Chriſto manemus, & ipſe in nobis, quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis. Sed qui non ſervat mandata Dei, & odit fratres ſuos, maledicendo ipſis, detrahendo, & forte auxilio vel conſilio ſpoliando, & totum vulgus utriusque ſexus contra eos incitando; non eſt ſpiritus veritatis in eo, ſed ſpiritus erroris. Ut ipſe S. Johannes teſtatur prima Canonica c. 4. ubi dicit ſic: *In hoc cognoſcimus ſpiritum erroris. Cariſſimi, diligamus invicem. Quia Charitas a Deo eſt, & omnis, qui diligit, ex Deo natus eſt* & cognoſcet eum. Qui autem non diligit, non novit eum. Quoniam Deus charitas eſt. Imo eodem capite dicit S. Johannes: *Chariſſimi, nolite omni ſpiritui credere, ſed probate, ſi ex Deo ſunt. Quia multi Pſeudo Prophetæ exierunt in mundum, & omnis ſpiritus, qui ſolvit hujusmodi, ex Deo non eſt, & hic eſt AntiChriſtus. Audiſtis, quia venit, & nunc eſt in mundo. Ideo fugite peccatum odii fraternitatis.* Quia ipſa S. Johannes in Canonica ſua prima cap. 3. dicit: *Qui facit peccatum, & odio habet fratres, ex Diabolo eſt. Quia ab initio Diabolus peccavit* peccato odii, invidens hominibus de eorum bonis operibus, ne intrarent locum ejus, quem cum aliis propter ſuperbiam deſeruit. In hoc apparuit filius Dei, ut ſolvat opera Diaboli.

CAP. VI.

De ſtatu primitivæ Eccleſiæ, an ad eum clerus poſſit reduci, quoad vitam & quoad poſſeſſionem bonorum, quod urgebat Jacobus de Miſa.

ET forte tu dicis ad prædicta: *Ego volo cum aliis, in hoc facto mihi adhærentibus, clerum reducere ad tempus & ſtatum Apoſtolorum*, ut nihil poſſideant, & verbum Dei liberius prædicent, & pompam, avaritiam, luxuriam, & alia peccata non admittant nec exerceant.

Frater mi dilecte. Quis dedit tibi iſtam poteſtatem vel cuiquam alteri, ut poteſtatem infinitam poſſes facere finitam. Cum Philoſophus dicat, *Cœli potentia infinita interminabilis eſt.* Et vis potentiam Dei limitare, quod Deus nollet nec poſſet aliter, quam voluit tempore Apoſtolorum. Cum tunc Chriſtus multa ſervaverit ſucceſſoribus eorum, quæ tunc in primitiva Eccleſiā Apoſtolis non revelavit, nec etiam aliis. Ut patet *Joh.* 16. ubi dixit: *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. Cum autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

Et ſic ex informatione Spiritus S. Eccleſia moderna modo honoratiori in devotione meliori eſt quam primitiva Eccleſia. Quia Apoſtoli in primitiva Eccleſia plus ſoliciti erant de converſione gentium ad fidem Chriſti quam de ornatu Eccleſiæ vel devotione, vel de ornamentis miniſtrorum Eccleſiæ. Ut patet *Actor.* 5. ubi dixit S. Petrus: *Pœnitentiam agite & baptiſetur unusquisq; veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum; & accipietis donum Spiritus S.* Sed jam Eccleſia Sancta inſtinctu Spiritus S. informata, ad devotiorem modum & ornatiorem imo ad omnia meliorem deduxit quævis, quam modus Eccleſiæ primitivæ fuit. Scilicet tunc Spiritus non omnia revelavit Apoſtolis, ſed multa ſervavit pro eorum ſucceſſoribus. Ut patet in omni proceſſu Eccleſiæ.

Sed videas, ne ſermonibus tuis *Bohemiæ terram* in errorem talem deducas, ſicut fuit deducta terra Aſiæ & partes ejus provinciales. Quia cum illuc venerunt Pſeudo Prophetæ, reduxerūt clerum ad tempus & ſtatum Apoſtolorum, poſſeſſionib' eū privando potentia Principium & multitudine ſimpliciū. Et cum privati fuerunt omnibus poſſeſſionibus, gravius cœpit populus peccare ſine Dei timore, cum non per ſacerdotes corriperentur pro peccatis eorum, Expulerunt omnes, & demum populus carens ſacerdotibus converſus eſt

in

in paganiſmum usque in hodiernum diem.

Ecce, quam malum eſt, clerum nihil habere, poſſidere, aut eum ſpoliare. Nam populus quandoque adſpiciens cleri potentiam, timet graviora peccata perpetrare & admittere. Nam omnis prælatura ſuper hoc donata eſt, ut Prælati omnes errores ſuffocent, & falſa & erronea eorum doctrinâ comprimant, ne populum ſimplicem ſeducant, & nobiles & civitates per ſimulatam ſanctitatem ad defenſionem eorum attrahant. Quia erronei quadruplici aſtutia ſe armant contra potentiam Prælatorum & claves Eccleſiæ. Quibus difficile eſt reſiſtere ſine impenſis magnis & expenſis.

Quia *primo* erronee oſtendunt ſanctitatem, & maxime ab extra, in omnibus differentes ab aliis, ut ſic crederent eis & in eos.

Secundo quærunt poteſtatem Principum & nobilium, ut defendantur ab eis contra juriſdictionem Eccleſiæ & Prælatorum. Ut faciant illi, quæ velint, ſive ſint bona ſive mala, vel bona inordinata: Nihil aliud advertentes, niſi ut velle ſuum proſequantur.

Tertio quærunt & retrahunt ad ſe ſimplices homines utriusque ſexus adulationibus, & aliis exquiſitis novitatibus, & cantationibus, ut eos ſequantur, & eis ſubveniant pecuniis & aliis neceſſitatibus, ut reſiſtere poſſint Eccleſiæ clavibus & prælatis, qui eos excommunicant, vel, aliis in juriſdictionibus, cohortantur & retrahunt, ne homines ſimplices ſic ſeducant.

Quartò, omne malum, quod excogitare vel edicere poſſunt, edicunt ſuper prælatos & alios omnes, qui eos non comitantur. Ut malum eorum, quod ipſi faciunt occulte ſive manifeſte, cooperiant, & ſancti ultra omnes alios appareant.

Ideo Spiritus S. inſtructor veritatis à quo & per quem regitur ſancta mater Eccleſia, & membra ejus & Chriſti fideles docuit & ſuggeſſit, ut ſpirituales & ſeculares dotarent Prælaturas ad reſiſtendum malis & erroneis, ut patet per Johannem 14. Capite. Ubi ſic Chriſtus ait: *Ille vos docebit omnia, quæcunq; dixero vobis.*

Et ſic ſtudeas diligentisſime fugere à peccatis, quælibet mandata Dei ſervando. Quia cum es in peccato mortali, & non ſervas mandata Dei, ut Deo placeas, nec tibi nec aliis proficis. Patet Pſalmo 49. Ubi ſic loquitur Deus: *Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum. Tu verò odiſti diſciplinam meam, & projeciſti ſermones meos retrorſum. Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundavit malitiâ, & lingva tua concinnabat dolos. Sedens adverſus fratrem tuum loquebaris, adverſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum, hæc feciſti, & tacui.* Et aliàs ſapiens dicit: *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.*

Sed dicis: Nolo aliter videri quàm apparui. *Frater mi dilecte*, hoc eſt hypocritarum, quorum vita brevis, ut dicit Jobus 2. Cap. Hoc ſcio à principio ex quo poſitus eſt homo ſuper terram, quod laus impiorum brevis, & gaudium eſt hypocritæ ad inſtar puncti. Et *S. Bernhardus* in Epiſtola ad Sugerium Abbatem S. Dionyſii, dicit ſic: *Blanda ſed periculoſa laus, cum laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.* Et S. Gregorius in Paſtorali: Periculoſa laus eſt, cum non pro recto opere laus tranſitoria acquiritur. Æterna retributione digna res vili venditur. Et Seneca in libro de moribus dicit: *Bonum eſt laudari, ſed præſtantius eſt eſſe laudabilem. Neminem citò laudaveris. Vitium eſt omnia credere, Vitium eſt nihil credere.* Seneca in quadam epiſtola de quatuor virtutibus: *Sit tibi tam triſte à turpibus laudari, quaſi lauderis ob turpia.*

Digitized by Google

CAP. VII.

Communionem plebis ſub utraque ſpecie, à Jacobo de MiſaPragæ introductam, pugnare cum intentione Chriſti.

ET præfatis omnibus & ſingulis præmiſſis, in admiratione pl' admiror, nec mirari ſufficio: Quia qua præſumtione audes *populum Laicalem ſub utraq; ſpecie ſacramentali communicare*; neſcio, hoc faciendo contra voluntatem Chriſti & Dei, & contra intellectum totius S. Scripturæ, & contra canones & contra ſtatuta ſanctæ Matris Romanæ Eccleſiæ.

Quod hoc ſit *contra voluntatem Chriſti & Dei*, patet per executionem ultimæ cœnæ Chriſti, & per omnes Evangeliſtas, qui de ea teſtimonium perhibent, & omnes ſatiationes, quibus multa millia hominum Chriſtus ſatiavit.

Quoniam ſi Chriſti & Dei voluntas fuiſſet, populum Laicalem ſub utraque ſpecie ſacramentali communicare, ad eandem cœnam ultimam, in qua dedit corpus & ſangvinem ſub utraque ſpecie ſacramentali, advocaſſet Chriſtus matrem ſuam, Mariam, vere glorioſam, quæ tunc dignior fuit omnibus Apoſtolis. Quia tunc illa fuit ter ſancta, ut dicit S. *Thomas in Compendio Theologicæ veritatis*, & ſeptuaginta duos diſcipulos, & hoſpitem cum familia, apud quem fecit cœnam ſuam ultimam, quia multum dilexit eum, & Joſephum ab Arimathia, Nicodemum, & alios familiares, qui comitabantur eum. Sed hoc non fecit. Ideo voluntas ejus ad hoc non fuit, ut populus Laicalis ſub utraque ſpecie ſacramentali communicaret.

Sed forte dicis, quod Chriſtus dixit ad omnes *Matth. 26. Bibite ex eo omnes, & Luc.22. Dividite inter vos.* Verum eſt, quod Chriſtus hoc dixit ad omnes collectos propter Judam traditorem ſuum, ne furorem S. Petri excitaret & aliorum Apoſtolorum contra eum. Et ut oſtenderet, quod non tantum det ſe bonis, ſed etiam malis det ſe ad manducandum. Et non dixit ad omnes diſtributos tunc in futuros & præteritos, Quia multi mortui fuerunt & ſalvati, antequam Chriſtus natus fuit, & multi tunc, quando natus fuit, ut innocentes pueri, & S. Johannes Baptiſta, & multi tunc, quando Chriſtus aſcendit, ſalvati ſunt. Et erant non manducantes nec bibentes ſacramentaliter corpus Chriſti & ſanguinem ſub utraque ſpecie panis & vini. Et hoc probat S. Marcus Evangeliſta, 14. c. ſic dicens: *Et biberunt ex eo omnes*, i. e. illi 12. Apoſtoli tantum, & non plures. Alias Evangeliſta dixiſſet falſum de præterito. Quod eſt erroneum, quod Evangeliſta falſum diceret. Et ibi tunc porrigendo iis corpus & ſanguinem ſub utraque ſpecie ſacramentali conſecravit illos in Epiſcopos & Cardinales, dicens ſic: *Accipe & comede, hoc eſt corpus meum.* Deſignans per eos in futurum omnes offerentes tantum, non laicalem populum, qui debet tantum ſub una ſpecie communicare, & non ſub duabus ſpeciebus ſacramentalibus.

Hoc idem patet ex ſatiationibus Chriſti, quas Chriſtus fecit turbis & diſcipulis ſuis ante mortem & poſt reſurrectionem ſuam. Et primo patet Matt. 8. Ubi Chriſtus ſatiavit quatuor millia hominum ſeptem panibus & paucis piſcibus. Et Joh. c. 6. ubi Chriſtus ſatiavit quinque millia hominum de quinque panibus & duobus piſcibus. Et non dicit, *potavit* ſed *ſatiavit*. Et *Luc. ult.* ubi Chriſtus cum duobus diſcipulis recumbens in Emaus, accepit panem & benedixit ac fregit, & porrexit eis panem, ſecundum *Auguſtinum in Homilia*, i. e. corpus ſuum, & non dedit vinum. Ubi Chriſtus oſtendit, quod non fuit nec eſt voluntas ejus, ut populus laicalis debeat communicare ſub utraque. Quia ſi voluntas ejus fuiſſet ad hoc, tunc in illis ſatiationibus potaſſet turbas & diſcipulos aliquo potu. Quod tamen non fecit. Ideo voluntas ejus ad hoc non fuit quod populus laicalis ſub utraque communicaret.

Cap.

CAP. VIII.

De figuris V. Teſtamenti pro Communione laicorum ſub una.

Nunc, *quod ſit contra ſacramentum Scripturarum*, primo patet per *Vetus Teſtamentum*, quod quodammodo prænoſcitum eſt ſignum ſignificans exemplariter & quodammodo proportionaliter aliqua in futuro novæ legis, quæ debent evenire, ut dicit S. Thomas. Quia oportet quod veritas in nova lege correſpódeat verbis in veteri lege.

Ubi lex antiqua oſtendit multis figuris, quod tantum offerentes debent ſub utraque ſpecie ſacramentali communicare, & populus laicalis ſub una ſpecie tantum, panis, & & non vini. Quod patet Gen. 14. ubi Melchiſedech, Rex Salem, obtulit panem & vinum, & erat ſacerdos altiſſimi. Et in Reg. 20. legitur, quod Elias ſurrexit & comedit panem ſubcineritium, & bibit aquam, & ambulavit in fortitudine cibi illius usque ad montem Domini. Et erat Propheta altiſſimi. Et in Levitico legitur, ubi non licebat filiis Iſrael uti libaminibus, id eſt offerendis in fluido, ut vino, oleo & melle, niſi Aaron & Levitis tantũ, qui portabant figuram offerentium. Et *Deuteron.* 12. dicitur filiis Iſrael: *Carnibus hoſtiarum tuarum ipſe veſceris, ſed ſanguinem fundes in altari.* Committens ſolum ſacerdotibus conſecrare & ſumere ſanguinem Chriſti ſub ſpecie vini in altari. Et S. Thomas figuram ponit utriusque ſpecie in virga Jonatæ mellita. Ubi præfigurabatur, qui deberet offerre. Quia Jonathas ſacerdotem figurat, & per favum mellis ſignificabatur ſanguis Chriſti, ibi cum devotione offerendus. Quod officium eſt ſacerdotis.

Et quod laicalis populus tantum debeat cõmunicare ſub una panis ſpecie, patet figura Exod. 12, ubi multitudo filiorum Iſrael immolabant agnum ad veſperam Paſchæ, & comedebant azymos panes, & non bibebant vinum. Quia agnus figurabat Chriſtum & vinum ſanguinem ejus. Item manducabant manna in deſerto, ſed non bibebant vinum. Iterum alius dicit: *Angelorum eſcâ nutriviſti populum tuum*, & non, potaſti vino. Et ſic de aliis figuris patet in multis locis V. T. quas longum & tædioſum eſſet omnes ponere. Et hoc de antiqua lege.

CAP. IX.

De dictis Novi Teſtamenti, quo ſenſu agant de communione ſacra.

Nova vero lex hoc idem oſtendit. Et ſpecialiter Evangelium S. Johannis c. 6. quod populus *laicalis* non debet ſub utraque ſpecie ſacramentali communicare, ſed tantum ſub una ſpecie panis. Quia quandocunque Chriſtus loquebatur ad turbas de corpore ſuo myſtico ſacramentali, nunquam fecit mentionem de vino, niſi tantum de pane. Ut patet Johan. 6. cap. ubi Chriſtus dicit, *Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi, ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et panis, quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita.* Litigabant ergo Judæi, ad ſe invicem dicentes: *Quomodo poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad manducandum?* Et alias modicum infra dicit in eodem Evangelio: Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Ecce non dicit: Qui bibit hoc vinum. Ecce quando loquebatur ad turbas, nullam fecit mentionem de ſanguine pro laicis.

In MSCto noſtro Helmſtadienſi nullum quidem ſpatium hic obvium, lacunæ indicium. Contextus tamen videtur arguere aliquem defectum. Reſarcire itaque quomodocunque ex altera libelli hujus *editione A.* 1422. prodita, ope *antiqui Codicis Colonienſis, A.* 1484. *impreſſi, è re fore viſum.*

En ergo ſeriem.

Sed *ſi opponis* textum *Joh. 6. Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Reſpondeo, quod hoc dixit ad Apoſto-

Apoſtolos & ad futuros offerentes. Et tunc implevit illud in ultimâ cœnâ & & nunc in ſacerdotibus per ſe offerentibus. Sed in ſacerdotibus infirmis & captivis & populis laicalibus non ſic fit. Quod oſtendit Chriſtus in ſequenti textu, ubi ſic dicit: *Spiritus eſt, qui vivificat, caro autem non prodeſt quicquam, Verba quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt,* Id eſt, ſunt ſpiritualiter intelligenda & non ſacramentaliter tantum. Nam nullus ſanctus, nec aliquis Doctor S. Scripturæ, prædictum textum, ſcil. *Niſi manducaveritis carnem filii* hominis, exponit de manducatione ſacramentali, demptis hæreticis videlicet *Neſtorio* & *Pelagio* & eorum ſequacibus. Sed omnes exponunt de manducatione & bibitione ſpirituali, imitantes Chriſtum, dicentem *Joh. 6. Verba, quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt* id eſt ſpiritualiter intelligenda & non ſacramentaliter. Et S. *Auguſtinus ſuper Joh. 6. Caro mea vere eſt cibus*, &c. in *Homilia* 24. dicit: *Hoc eſt, manducare illam eſcam, & bibere illum potum, in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere. Et qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, procul dubio non manducat ſpiritualiter ejus carnem, licet carnaliter premat dentibus ſacramenta corporis & ſanguinis Chriſti.*

Sed, *frater mi dilecte*, dicis: Textus ſonat: *Qui non manducat ejus carnem, & non bibit ejus ſanguinem*, ſacramentaliter, *non habet vitam*, id eſt æternam beatitudinem.

Pro quo volo te ſcire, quod ſecundum intentionem *Gorra ſuper Johannem* ponitur duplex manducatio. Quædam ſpiritualis tantum, quæ fit per fidem, ſpem & charitatem. De qua Chriſtus hoc dictum intellexit. Et de qua *S. Ambroſius & Auguſtinus* dicunt: *Ut quid paras ventrem & dentes? Crede & manducaſti.* Talis manducatio eſt de neceſſitate ſalutis, ſine quâ nemo ſalvari poteſt, & requiritur in adultis, ſicut baptiſmus in parvulis, in fide, ſpe & charitate. Alia vero *manducatio* eſt *ſacramentalis.* Et iſta non eſt de neceſſitate ſalutis, licet ſit magnæ utilitatis. Nam ſecundum *Gorram* illa manducatio ſacramentalis nec dat vitam gratiæ, nec gloriæ. Et cum non ſint plures vitæ neceſſariæ ad perpetuam vitam, niſi illæ duæ: Ideo illa manducatio ſacramentalis non eſt de neceſſitate ſalutis.

Patet primo, quod non dat *vitam gratiæ & remiſſionem peccatorum*: Quia illa vita, ſcil. gratiæ, datur per baptiſmum, per contritionem & confeſſionem & veram pœnitentiam, quæ omnia requiruntur ad illam digniſſimam manducationem ſacramentalem. Alias communicans non perciperet ſacramentum ad ſalutem ſed ad damnationem, 1. Corinth. 11. *Qui enim manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Ut patet in Judâ & in multis ejus ſequacibus.

Etiam ſecundo, quod non *vitam gloriæ* dat, patet, quia, qui perſeverat in vita gratiæ usque in finem, hic ſalvus erit *Matt.* 10. Quia ſtatim poſt talem vitam corporalem ſequitur eum vita gloriæ, beatitudo æterna & viſio Dei ineffabilis.

Tertio etiam, ſi illa manducatio ſacramentalis eſſet de neceſſitate ſalutis, tunc omnes homines à principio usque ad paſſionem Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſent damnati. Quod tamen falſum eſt. Quia multi Patriarchæ, Prophetæ, Reges, & alii multi Patres, ut Adam, Abraham, Iſaac, Jacob, Jeremias, David, & de aliis multis Patribus V.T. ſunt ſalvati, & *poſt adſcenſionem Domini, à mille quadringentis viginti duobus annis hucusq;*, qui non manducaverunt ſub utraque ſpecie. Hoc patet *Actor.* 2. ubi dicitur: *Erant Apoſtoli perſeverantes in doctrina & communicatione in fractione panis.* Nec ibi ponitur potio vini. Quomodo *tui Patroni*, ſcil. *S. Wentzeſlaus, S. Ludivilla, S. Albertus, S. Procopius, & omnes S. Chriſtiani Bohemi*, ſecundum errorem tuum ſunt ſalvati? Ex quo patet dictum tuum eſſe horrendum & hæreticum. Nam nullus eorum porrexit, nec aliquis eorum manducavit ex utraque ſpecie ſacramentali, præter ſacerdotes offerentes. Sed procul dubio ipſi manducaverunt non tam ſacramentaliter, ſed ſpiritualiter

Digitized by Google

tualiter, fide ſpe & charitate, ut informamur 1. *Cor.* 9. ubi dicitur: *Nolo vos ignorare fratres, quoniam omnes patres veſtri ſub umbra fuerunt & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moſe baptizati ſunt in nube & mari, & omnes eandem eſcam ſpiritualem manducaverunt. Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus.* Et S. *Auguſtinus in diſt.* 9. *de Sacramentis ſcribit* Bonifacio Papæ contra Pelagianorum hæreſin, dicens: *In Eccleſia Salvatoris non cogites, quod illi, qui non ſunt expertes corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, dicente Domino Joh. 6. Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem &c. ſint omnes damnati. Tunc unumquemq; fidelem corporis & ſanguinis Domini participem fieri dico, quando in baptiſmo membrum Chriſti efficitur. Et ſi tales baptizati ante perceptionem Sacramenti deceſſerint, participatione hujus ſacramenti non privantur, nec ejus beneficio.*

Et forte dicis, quod tempore & loco opportunis debet quilibet ſacramentaliter manducare & bibere. Dico, quod non eſt præceptum Chriſti manducare ejus carnem, & bibere ejus ſanguinem ſacramentaliter, ut ſupra multipliciter patuit. Nec aliquis S. Doctorum exponit ſic illud præceptum Chriſti, *tempore & loco opportunis.* Quod ſi ſic eſſet, ut tu exponis, tunc homo, quando vellet, mandatum Dei impleret, & quando nollet, dimitteret, pro tempore & loco. Cum mandatum Dei ſemper ſit implendum.

Ubi, *frater mi*, te ſcire volo, quod manducatio diverſorum eſt *diverſa.* Quia *quidam* ſunt, qui non manducantes manducant, ut viri contemplativi, probati, & pueri innocentes baptiſati, & alii, qui deceſſerunt in fide, ſpe & charitate, ut martyres Domini, de quibus dicit B. Auguſtinus: Crede & manducaſti. Alii ſunt, qui manducantes non manducant, ut in peccato mortali ſumentes ſacramentum, de quibus 1. *Corinth.* 11. *Qui manducat indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Tertii* ſunt, qui manducantes manducant, ut fideles, contriti, confeſſi & pœnitentes. De quibus *Joh.* 6. *Et qui manducat hunc panem vivet in æternum. Quarti* ſunt, qui non manducantes manducant, ut homines deſperati, plus delectantes eſſe in fæcibus peccatorum quàm in gratiâ Dei. Et qui ſemel in anno non communicant, tales debent â fidelibus excludi, & ſepulturâ Eccleſiaſticâ prohiberi, niſi ſigna manifeſta oſtendent, ut patet *De pœnit. & Remiſſ. Omnis utriusque ſexus.* Unde *ſpirituales* offerunt ſub utrâque ſpecie ſacramentali panis & vini. *Laicalis* verò populus tantùm ſub ſpecie panis.

Sed forte dicis, quod S. Paulus *I. Cor. II.* ſcribit: Quod uterque populus debeat communicare ſub utrâque ſpecie; ubi dicit: *Ego enim accepi â Domino, quod & tradidi vobis* &c. Dico, quod S. Paulus non aliter ſcribit Corinthiis, niſi ſicut accepit â Domino Jeſu. Sed quia Dominus Jeſus non dedit corpus ſuum & ſangvinem ſub utrâque ſpecie ſacramentali, niſi duodecim Apoſtolis, quos & prius conſecravit in ſacerdotes, & qui figura fuerunt omnium ſacerdotum offerentium tantùm, & non aliorum ſacerdotum vel laicorum communis gregis, ut quidam dicunt, quod illi duodecim Apoſtoli fuerunt figura omnium Chriſti fidelium degentium in hâc vitâ, qui deberent communicare ſub utraque ſpecie panis & vini, ſicut obtulit in cruce in craſtino pro ſalute omnium fidelium. Et pro tunc Chriſtus conſtituit duodecim Apoſtolos offerentes & non ſimpliciter communicantes. Quia S. Paulus in fine Epiſtolæ hujus ſcribit, quod laicalis populus debet tantùm ſub ſpecie panis communicare, ſicut dicit: *Itaque fratres mei, cum convenietis ad manducandum invicem expectate, ſi quis eſurit, domi manducet, & non in judicium conveniat, cætera, cum venero, diſponam.* Ecce S. Paulus dicit, *ad manducandum*, & non dicit *ad bibendum.* Ubi oſtendit, quod populus laicalis debet tantùm ſub ſpecie panis communicare, & nullo modo ſub ſpecie vini. Et nunquam fuit de intentione ejus, quod populus laicalis debet communicare ſub utrâqve ſpecie. Quod ſi præceptum, indubitanter S. Paulus præcæteris aliis Romanis ſcripſiſſet & Hebræis, cum tunc Romani erant caput Judæorum &

Hebræorum: Et Judæi ſpecialiter erant electus populus Dei. Et præſertim mandatum Chriſti cum ſit de ſalute hominum, utiqve ſcribere non omiſiſſet. Sed ex quo hoc non eſt factum, patet, quod non eſt Chriſti *mandatum*, ſed forte *conſilium*. Unde *S. Ambroſius in libro de viduis* ſic dicit: Etenim *præceptum in ſubditos fertur, conſilium amicis datur. Et ubi præceptum eſt, ibi lex eſt, & ubi conſilium eſt, ibi gratia eſt.* Ex his patet, quod communicare laicales ſub utrâqve ſpecie, non eſt Chriſti præceptum, ut priùs patuit & poſtea patebit ex S.Scripturâ tam V. quam N. legis, & multis ſacris canonibus. Et ideo S.Paulus ſolis Corinthiis ſcripſit. Qvia Corinthii ſic fuerunt inducti per malos Pſeudo & Prophetas. Et ne tamen illud indignè facerent, dixit: *Probet autem ſeipſum homo*, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qvi enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini *I.Cor. XI.*

Et ut breviter videamus aliqvas *auctoritates*, qvibus ipſi ſe armant, inducendo populum laicalem ad communionem ſub utrâqve ſpecie ſacramentali; Primò accipiunt auctoritatem *S.Gregorii* in *libro Dialogorum*, ubi dicitur: *Ejus quippe caro pariter & ejus ſanguis non in manus infidelium, ſed in ora fidelium funditur.* Ibi, *frater mi dilecte*, bene ſcis, qvod ſacrum corpus Chriſti non partitur per manus aliorum, niſi per manus ſacerdotum hoc offerentium, & non aliorum infirmorum aut captivorum, & in illorum ora ſangvis Chriſti debet fundi, quem offerunt ſub ſpecie vini, & non aliorum ſacerdotum nec laicorum ſimplicium.

Sed ſi *dicis, Laici ſunt fideles*, ideo ſangvis Chriſti debet fundi in ora eorum; *Reſpondeo*, qvod cum corpus Chriſti porrigitur fideli laico ſub ſpecie panis, infunditur etiam ſibi ſangvis Chriſti concomitativè, licet non ſub proprio ſigno vini. Qvia ubi eſt corpus Chriſti, ibi etiam eſt ſangvis ejus. Aliàs error maximus ſeqveretur, qvod ſangvis Chriſti ſeparabiliter ſe haberet à corpore.

Tunc ad auctoritatem *S. Thomæ*, propter qvam multi dicunt, qvod corpus Chriſti & ſangvis ejus debet dari ſub ùtraqve ſpecie ſacramentali laicali populo. Qvia ſcribit *in tertiâ parte ſuarum diſtinctionem q.* 16. dicens: *Quamvis totus Chriſtus ſit ſub utroque ſacramento, non tamen fruſtra. Nam in primo repræſentat paſſionem Chriſti, in ſecundo ſanguinis effuſionem, tamen conveniens eſt uſui hujus ſacramenti, ut ſeorſum exhibeatur fidelibus.* Propter hoc dicunt, quod ſub utraque ſpecie ſacramentali debeat dari corpus & ſanguis Chriſti fidelibus laicis. Et hoc & falſum. Quia male intelligunt S. Thomam. Nam plus quam in ducentis locis dicit, quod ſub ſpecie panis tantum debeat dari laicalibus corpus Chriſti, & non ſanguis ejus. Et ideo ſic debet intelligi auctoritas *S. Thomæ.* Quod conveniens eſt uſui, id eſt, quod uſus eſt & conſuetudo, ùt hoc ſacramentum ſeorſum exhibeatur, id eſt offeratur in altari pro fidelibus ac pro peccato omnium fidelium, ſed non in dando in laicis ſub utraque ſpecie ſacramentali.

Tunc ad *Gelaſium Papam* dicentem: *Diviſio unius ab altero ſine Sacrilegio & peccato non poteſt provenire.* Unde fertur, quod *gloſſa ſuper eodem Capitulo* dicit, quod dictum Gelaſii Papæ intelligitur de ſacrificante aut de conficiente. Et hoc Chriſtus voluit *Luc.* 22. dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Johannes Andreæ dicit in gloſſa: *Hoc in meam commemorationem facite, id eſt conficite.* Quia ſacerdos celebrans non debet dimittere ſecundam ſpeciem, ſ. vini, alias committeret ſacrilegium. Sicut quidam fecerunt antiquitus, habentes plures Eccleſias, in omnibus officiantes, in ultima celebratione ſumebant ſub utraque ſpecie ſacramentum, ſed in primis miſſis tantum ſub una ſpecie ſcil. panis. Et tales ſacerdotes corrigit hic *Gelaſius* de ſacrilegio, & non laicalem populum.

Tunc ad *Cyprianum martyrem*, qui dicit in *epiſtola* 24. *ad Cecilianum de ſacramentis: Quidam in calice ſacrificando plebi miniſtrando hoc non faciunt, quod Jeſus hujusmodi ſacrificii auctor fecit & docuit. Si quis in illo errore adhuc tenetur, luce perſpecta ad radicem veritatis redeat.* Ad Canonem Cypriani: Tunc Cyprianus locutus fuit ſecundum conſuetudinem primitivæ Eccleſiæ, & credidit eſſe bonam, laica-

les

les ſub utraque ſpecie communicare. Ideo in hoc puncto, & in multis aliis, Eccleſia non tenet eum. Nam etiam dixit, quod hæretici non poſſunt baptiſare, & quod talis baptiſmus eſſet lavacrum Diaboli. Quem S. Gregorius M. Innocentius Papa & Anaſtaſius in illo condemnaverunt cum 80. Epiſcopis, ut patet in *Decreto diſtinct.* 20. Aut ſic poteſt reſponderi, quod in primitiva Eccleſia ex ſimplicitate nude textum *Niſi manducaveritis carnem filii hominis* &c. intellexerunt. Et ideo errabant, quod ſub utraque ſpecie ſacramentum populo laicali porrigebant. Nam quidam intingentes hoſtiam, & ſic illam populo laicali porrigebant. Alii uvas vineæ adponebant, & ſub ſpecie vini ſolum ſumebant. Et laicalibus communicantibus uvas intinctas dabant, & pro infirmis in ſacrario reponebant. Alii pannum lineum in muſto tinctum per totum annum ſervabant. De his erroribus & pluribus habetur *De conſecratione diſtinct.* 5. *cap. Cum omne.* Et ſic errantes Cyprianus correxit, eo quod non faciebant, ſicut Chriſtus inſtituit.

Et forte *plures fuerunt qui communicaverunt populum laicalem in primitivâ Eccleſia ſub utraq; ſpecie ſacramentali.* Verum eſt, ſed diverſimodè. Quia communicaverunt populum ſub utraque ſpecie ſacramentali ex pia devotione, ut S. *Cyprianus & B. Donatus.* Sed quando citò fuit eis revelatum per intellectum S. Scripturæ, aut per viſionem miraculorum: Quia S. Donato fuit revelatum per fractionem calicis, quod non deberet populum laicalem ſub utraque ſpecie ſacramentali communicare: Mox retractavit & pœnituit, nec unquam de cætero aliquem laicum aut laicam ſub ſpecie vini communicavit, & aliis conſuluit, ut idem facerent, quod & factum eſt. Alii vero communicaverunt populum laicalem ſub utraque ſpecie ex pura malitiâ, ut erronei & hæretici. Sic fecit *Neſtorius* & *Pelagius*, & eorum ſequaces. Hoc Neſtorius idem fecit, quia ſub ſpecie panis dixit tantum eſſe corpus Chriſti, & ſub ſpecie vini tantum ſanguinem Chriſti, & adſignabat rationem talem, quod in magnâ ſextâ feriâ corpus fuit diviſum à ſanguine & ſanguis diviſus à corpore, & ſic etiam in ſacramento eſſe. Et hoc eſt error peſſimus. Quia ubi eſt corpus Chriſti, ibi etiam eſt ſanguis ejus, & è converſo. Et ideo idem *Neſtorius* adjudicatus eſt pro hæretico, & omnes ſui ſequaces. *Pelagius* autem & ſui ſequaces communicaverunt populum laicalem ſub utraque ſpecie ſacramentali.

Sed quando Chriſtus dixit Joh. 6. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, intelligebant literaliter & carnaliter, non ſpiritualiter, ut prius dictũ eſt. Et ſic decepti errore illo peſſimo inducebant, ut pueri poſt baptiſmũ comunicarent ſacramentaliter & ſub utraque ſpecie ſacramentali. Et ſi ſpeciem panis ſacramentalis deglutire non poſſent, qvod contereretur cum ſanguine, & eis in os infunderetur. Et ſi ejicerent, combureretur. Allegantes Scripturam, *Exod.* 12. *Si quid reſiduum fuerit, igne comburatur.* Rationem aſſignabant quare pueri debeant communicare ſub utraque ſpecie ſacramentali: Quia innocentes, non ſuperbi, non avari, non luxurioſi, nec aliis peccatis obnoxii. Quorum hæreſi repugnavit *S. Thomas in quartâ parte ſuarum diſtinct.* diſt. 98. Quod pueris non datur hoc ſacramentum, quia ad hujusmodi ſacramenti ſuſceptionem non ſufficit ſola innocentia, ſed alia plura requiruntur. Primo requiritur cognitio inter cibum corporalem & ſacramentalem. Et talem cognitionem non habent. Igitur non datur eis. Secundo requiritur devotio. Ideo non datur dementibus nec pueris, quia non habent devotionem, nec ſciunt ſe ad eam diſponere. Tertio requiritur diſcretio. Ideo non datur fatuis nec pueris, quia non habent diſcretionem. Nam tales ſunt ſicut bruta ſine cognitione & diſcretione. Quarto requiritur peccatorum confeſſio. Propter hoc non datur mutis, niſi aliqualiter certa ſigna videantur & cognoſcantur cum cæteris circumſtantiis,

Digitized by Google

Et diceret aliquis: Si non datur pueris hoc ſacramentum, non datur eis ſalus; Reſpondetur, quod hoc non eſt verum. Quia per hoc ſacramentum non datur eis ſalus, ſed per baptiſmum.

Tunc ad hymnum: Dedit fragilibus corporis ferculum, dedit & triſtibus ſanguinis poculum, dicens, accipite, quod trado vaſculum: Omnes ex eo bibite. Sic ſacrificium iſtud inſtituit, cujus officium committi voluit ſolis presbyteris, quibus ſic congruit, ut ſumant & dent cæteris. *Gloſſa*, fragilibus id eſt Apoſtolis Chriſtum negantibus, & ab eo fugientibus, & triſtibus, id eſt de morte Chriſti dolentibus, dedit corporis ferculum & ſanguinis poculum. Et ſic illud officium i. e. offerre, ſolis presbyteris committi voluit: Primo Apoſtolis, primis ſacerdotibus poſt Chriſtum, poſtea omnibus offerentibus & ſacerdotale officium in offerendo exercentibus, & non aliis, ut ſumant ſub duplici ſpecie ſacramentali prout Chriſtus inſtituit & dedit cæteris, id eſt laicis, ſuo modo ſub ſpecie panis tantum & non ſub ſpecie vini. Et ratio poſtea videbitur in ſeqventibus.

Sed forte dices, quare Chriſtus hanc manducationem & bibitionem ſub duplici ſpecie ſacramentali inſtituit ſolum in immolatione & oblatione, & non in ſimplici communione? Hoc declarat *S. Gregorius, De conſecratione diſtinct. 2. &* S. *Auguſt. eadem diſtinct. cap. Utrum. Chriſtus ſciens, ſe corporaliter ab hoc ſeculo receſſurum ad patrem, & homines continue peccare & in peccata labi, & ipſum de cætero mori non poſſe pro peccatis noſtris, reliquit poſt ſe ſalutare ſolatium, conſolamen & medicinam peccatoribus, corpus ſuum offerendum in altari pro remisſione omnium peccatorum omnium fidelium, in memoriam ſuæ pasſionis, & ſanguinis effuſionis, ſub duplici ſpecie, ut duplex habeatur memoria, videlicet ſui corporis in cruce immolatio per panis ſignificationem, & ſanguinis ejus effuſio, per vini ſignificationem.* Manducatio autem & bibitio (extra officium) non fit in remiſſionem peccatorum omnium, ſed ſolum proſit ſimplici perſonæ recipienti. Talis autem duplex ſignificatio non requiritur apud laicales ſub duplici ſpecie, ex quo eorum ſumtio non ſit remiſſio omnium peccatorum fidelium. Sufficit ergo laico ſub ſpecie panis habere corporis & ſanguinis Chriſti memoriam, & non ſub ſpecie vini, propter majorem cautelam. Nam incongruum eſt, imo maximum peccatum, ſanguinem Chriſti per pepla mulierum fundere, virorum barbas madidare, vel terram irrigare. Et hoc eſt contra illos, qui incaute & indiſcrete ſanguinem Chriſti fundunt, dicentes: Quod prius fuerit fuſus in terram. Illi ſciant, quod ſanguis Chriſti fuit fuſus in terram pro ſalute omnium fidelium, nunc autem funditur per malam voluntatem hominum. Et quia ſanguis Chriſti jam eſt glorificatus, & glorioſo corpori Chriſti unitus inſeparabiliter, qui prius fuit mortalis & diviſibilis: Sed jam non eſt mortalis nec diviſibilis: Ideo illi permaxime peccant, qui ita incaute & indiſcrete ſanguinem Chriſti fundunt, & cum hoc faciunt laicalem populum ſub ſpecie vini communicare. Nam prius fuit maximum peccatum, ſanguinem Jeſu Chriſti fundere violenter, mortalem & diviſibilem. Nunc autem eſt permaximum, fundere ſanguinem Jeſu Chriſti immortalem & indiviſibilem, & magna pœna eos ſequitur, ut patet per *Pium Papam, De conſecratione, capitulo: Si per negligentiam diſtillaverit gutta ſanguinis ſuper terram aut ſuper pallam, pœnitere debet 40. diebus per jejunium & orationes, & à celebratione miſſarum debet ſuſpendi ad tempus, & gutta ſtillata lambatur, & palla aut pannus comburatur. Et ſi lapis eſt, radatur, & raſura ad ſacrarium reponatur pro reliquiis. Sed ſi in terram ſtillaverit, ſanguis Chriſti cum lingua reſumatur, & terra ad ſacrarium reponatur. Si talis pœna debetur ſacerdotibus pro effuſione ſanguinis Chriſti per negligentiam facta in pallam, & talis palla debet comburi,* multo major pœna debetur laicis, qui ſi madidant barbam aut veſtem perfundentes ſanguine Jeſu Chriſti, debent cum tota veſte & barba cremari & in profundum inferni reponi, ſi nollent pœnitere & cavere ſecundum ſtatuta & canones à ſanctis patribus editos

editos & confectos. Quia tales omnes, laicalem populum ſub utraque ſpecie ſacramentali communicantes, & ſanguinem Jeſu Chriſti incaute fundentes, *excommunicantur* per Lucium Papam, ut patet in antiquis juribꝰ *De hæreticis abolendis*, ubi ſic dicit Lucius Papa: *Univerſi, qui de ſacramento corporis Chriſti aliter ſentire & docere non metuerint, quam SS. Romana Eccleſia prædicat, & obſervat, vinculo perpetui anathematis innodamus, cum Romana Eccleſia caput ſit & mater omnium Eccleſiarum, ut dicit Gelaſius Papa*, diſtinctione 20. Nec Apoſtoli, nec aliqua Synodus, ſed ſolus Chriſtus primatum Eccleſiæ Romanæ inſtituit, cujus Eccleſiæ primum Pontificem paſtorem Petrum Chriſtus ordinavit, cui dedit poteſtatem ligandi & ſolvendi, à quo ligare & ſolvere, Roma teſtante, originem accepit, h. e. à Romano Pontifice, tanquam à primo latore, omnis Eccleſiaſtica fluit poteſtas & autoritas, tanquam à ſummo Principe. Item *Honorius Papa*, De conſuetudine: *Inhibemus, ne abſque conſenſu ſuperioris immutetur Eccleſiæ conſuetudo adprobata, novam inducentes: Si quam forte feciſtis, irritam decernatis.* Et S. Gregorius, *De electione & de electi poteſtate. Non malum eſt, ab imitatione & obſervatione ſedis Apoſtolicæ recedere?* Quaſi dicat, valde malum eſt. Et *Nicolaus Papa diſtinct.* 21. & diſt. XI. dicit in canone de his: *Omnis transgreſſor obſervationum* Eccleſiæ *puniendus eſt.*

Et hoc idem patet *in lege civili.* Nam qui frangit obſervationem & conſuetudinem civitatis, punitur per legem civitatis.

Itaque ſi alicui contingit populum laicalem communicare ſub utrâque ſpecie ſacramentali, aut ſanguinē Chriſti fundere, provideat ſibi de pœnitentia ſalubri priusquam moriatur, ne in perpetuum damnetur.

Et ſic portare Chriſti ſanguinem ad infirmos, longè ab Eccleſiis diſtantes, per ſylvas, campos, montes & colles, eundo, equitando, eſſet valde incautum & periculoſum, propter lapſum tam hominis quam jumenti.

Si autem dixeris: Sufficit infirmis, tantum ſub una ſpecie ſcil. panis communicare. Tum etiam ſufficit laicis ſub una ſpecie panis communicare tantum.

Si etiam ſervaretur ſanguis Chriſti, prout hoſtiæ ſervantur, de facili mutaretur ſacramentum vini in acetum.

Tertio, multi ponerentur in periculo ſalutis. Quia quam plures ſunt, qui non poſſunt vinum bibere, nec odorare, ut patet in Rege Poloniæ & in multis aliis.

Quarto, quia pro magna plebe, præſertim tempore peſtilentiæ, oporteret vaſa magna præparare.

Quinto, in bello juſto ſi eſſent multa millia hominum, qui omnes vellent ſub utraque ſpecie communicare, ubi tam magnus calix ſumeretur? quis poſſes elevare?

Sexto, poſſent credere communicantes, quod ſub ſpecie panis non eſſet totus Chriſtus, niſi ſub utraque ſpecie. Sic daretur cauſa & occaſio erroris, quæ non eſt danda ſimplicibus, qui manducant tantummodo ſecundum ſenſum.

Septimo, ut veritas reſpondeat umbræ, id eſt nova lex veteri. Quia in veteri lege ſanguis ſuper altare fundebatur, ut patet *Deuteron.* 12. & prius de illo ſatis dictum eſt.

Specialiter laicales non ſunt ſub utraque ſpecie ſacramentali communicandi propter hæreſin Neſtorii & ſuorum ſequacium: ut prius dictum eſt. Quia quicquid ſacerdos in altari ſub duplici ſpecie offert, hoc totum fidelis laicus ſub ſpecie panis accipit: Ideo ſufficit laico, cum eandem rem, id eſt Chriſtum totum, cum offerente recipit. Quia peccatum eſt fieri per plura, quod æque bene poteſt fieri per pauciora.

Et ſic patet, quod laicalis populus ſub unâ ſpecie non minus nec defectuoſius recipit quam ſacerdos offerens ſub utraque panis & vini, qui uterque, tam laicus quam ſacerdos offerens, niſi unicam rem recipiunt, ſcil. Chriſtum.

Etiam ſi qvis diceret, quod ſub duplici ſpecie major gratia, major devotio, major contritio acquiritur, & ſic de aliis affectibus, quam ſub una: Reſpondetur

 detur

detur, quod quandoque ſub unâ ſpecie acquiritur major & multiplicior gratia, & devotio, & contritio, & ſic de aliis affectibus, qvam ſub duabus ſpeciebus. Quia conſtat, alium laicum eſſe bonæ vitæ, & ſacerdotem eſſe indignum, quia profanus, excommunicatus, & erroneus & aliis peccatis obnoxius. Tunc ſub una ſpecie acqviritur major gratia, major devotio. Qvia laicus aliqvando magis eſt diſpoſitus poſt contritionem & devotionem, qvam ſacerdos ſub duabus ſpeciebus. Et hoc patet & patuit in his, qui non omni die communicaverunt, ſed aliqvando cum bene fuerunt diſpoſiti. Scilicet, non ut qvidam nunc faciunt, qvi ſine omni devotione & reverentia, imo ſine confeſſione, accedunt ad hoc venerabile ſacramentum. Et è converſo ſacerdos recipit ſub utraque ſpecie ſacramentali. Quia dignior eſt omni laico officio ſuo ſacerdotali. Et qvia etiam in ſacerdote bene diſpoſito viget major gratia, major devotio & major contritio, qvam in laico. Et ſic nulla diſtantia in illa dictura.

Sed diceres: Sub duplici ſpecie fit diſtinctior memoria paſſionis Domini, qvam ſub una ſpecie panis. Qvia laicus ſub ſpecie panis memoratur paſſionem Chriſti in cruce & per ſpeciem vini memoratur ſanguinis effuſionem. Reſpondetur ad hoc, quod laicus duo poteſt diſtincte memorare ſub una ſpecie ſcil. panis. Imo paſſio Chriſti, & effuſio ejus ſanguinis, poteſt omni hora à qvolibet fideli memorari diſtincte extra communionem.

Sed qvia Chriſtus hanc cœnam inſtituit offerendam pro omnibus fidelibus, vivis & defunctis, ſub duplici ſpecie: Non propter laicalem communionem, qvia talis ſtat in diſpoſitione Eccleſiæ & ſanctorum Patrum, qvaliter diſponeretur, quod ſic celebretur: Sed inſtituit eam ſub duplici ſpecie, ut ſub duplici offeratur in altari pro omnibus fidelibus. Oblatio enim panis in altari repræſentat & ſignificat Chriſti paſſionem in cruce, & immolationem qua ſe ipſum obtulit in cruce pro peccatis noſtris. Vini oblatio ſignat & repræſentat ſanguinis ejus effuſionem. Hæc duo debent diſtincte memorari à ſacerdote in altari, qvando offert pro omnibus fidelibus. Et qvod hæc dicta ſint vera, quod in offerendo duplici ſpecie debet Chriſtus memorari, patet per S. Ambroſium in epiſtolam ad Corinth. ut ponitur *in decreto De conſecratione*, ubi dicitur: *Quia morte Domini liberati ſumus, ut hujus rei memores, carnem & ſanguinem, quæ pro nobis oblata ſunt, ſignificemus.*

Et S. Auguſtinus, *diſtinct.* 2. ſic dicit: *Iteratur autem quotidie hac oblatio, licet ſit Chriſtus ſemel paſſus. Nos autem quotidie peccamus, peccatis, ſine quibus humana fragilitas ſubſiſtere naturaliter non poteſt. Ideo quia quotidie labimur, quotidie Chriſtus pro nobis immolatur. Intra Catholicam Eccleſiam in miniſterio corporis Chriſti, nihil à bono magis, nihil à malo minus perficitur ſacerdote.*

Et S. Ambroſius, *De conſecratione, diſtinct.* 2. dicit: *Sicut enim quod ubique offertur, & unum eſt corpus, & non multa corpora; ita unum ſacrificium: pontifex autem ille eſt, qui hoſtiam obtulit, & nos mundam ipſi offeramus & nunc, quæ tunc oblata eſt, & conſumi non poteſt. Et illud nos facimus in commemorationem ejus quod factum eſt. Dixit enim: hoc facite in meam commemorationem*, i. e. ſecundum Johannes Andreæ, conficite, *in meam commemorationem.*

Et quia perlectis omnibus Sacræ ſcripturæ Doctoribus nullus prohibet ſub una ſpecie panis laicales communicare, etiam nullus mandat aut præcipit, ſub utroque Sacramento laicales communicare, dempto *Cypriano* ab Eccleſia abrogato, qvoad illam partem, & quoad baptiſmum hæreticorum cum 80. Epiſcopis: ut prius & in præcedentibus late eſt declaratum.

Sed multi Doctores conſulunt & mandant, ut laicales ſub una ſpecie panis communicentur.

Et primo *S. Auguſtinus in libro de Civitate Dei*: ubi ſic dicit: Corpus & ſanguinem Domini dicimus illud, quod de fructibus terræ acceptum, prece myſtica conſecratum, ſumimus ad ſalutem, in memoriam Dominicæ paſſionis. Hic illo verbo oſtendit S. Auguſtinus,

Digitized by Google

nus, communionem laicalem ſub una ſpecie tantum, cum dixit, *ex fructibus terra & ex frumento.* Item in canone Gelaſii patet, *De conſecratione*, in canone, *Comperimus.* Et in gloſſa dicitur, qvod ſacerdotes extra celebrationem miſſarum ſub una ſpecie tantum ſumant ſacramentum, ut in infirmitate aut captivitate. Si ſacerdotibus præcipitur communicatio ſub una ſpecie panis tantum & non ſub ſpecie vini, à fortiori laicales debent communicare ſub una ſpecie panis tantum, ex præcepto Eccleſiæ. Ideo S. Bernhardus ponit ſolum effectus hoſtiæ & non vini, ſanguinis, ut credat laicus ſe recepiſſe totum ſub ſpecie panis &c. ſic dicens: *Corpus Chriſti eſt ægrotis medicina, peregrinantibus ducatus, debiles confortat, languorem ſanat, ſanitatem conſervat, fit homo manſuetior, patientior, ardentior & gratiarum actione devotior.* Hic ille nullam mentionem facit de ſanguine, oſtendens, qvod laicales communicentur tantum ſub ſpecie panis & non ſub ſpecie vini. Quia Chriſti ſangvis datur eis cum ſpecie panis.

Et hoc probat *S. Thomas ſuper quarto ſententiarum, & in Compendio Theologicæ veritatis*, in ſententia de Sacramentis, ubi expreſſe dicit, qvod laicis datur ſangvis Chriſti cum corpore in modum unionis. Quia non eſt corp' ſine ſangvine, licet ſangvis recipiatur diviſim à ſacerdote celebrante, in ſignum, quia fuit diviſus à corpore tempore paſſionis Chriſti. Et ideo dictum eſt eis: *hoc facite in meam commemorationem.* Et qvod recipientes corpus Chriſti ſub ſpecie panis recipiunt ſangvinem Chriſti, hoc probat B. Thomas, dans exemplum in ſimella imbibita vino, qvando dicta ſimella comeditur, tunc etiam bibitur per modum potus ſub ſpecie panis, videlicet ſimellæ. Sic etiam in aliquibus ſimilitutudo in Sacramento panis, cum fidelis recipit corpus Chriſti ſub ſpecie panis, bibit & ſanguinem ejus concomitative, licet non bibat ſub proprio ſigno, ſcil vino, quod ſignum nihil facit laico ad ſalutem, ſed in oblatione ſacerdotis multum valet, qvando offertur pro peccatis omnium fidelium, & defunctorum & in purgatorio exiſtentium. Qvod laicalis communio non repræſentat, niſi utilitatem tantum recipientis, ſi eſt bene diſpoſitus, alias non. Quia ſi non eſſet bene diſpoſitus, damnationem ſibi accepit, ut patuit prius per ſcripturam, 1. Cor. XI.

Et quod recipientes corpus ſub ſpecie panis recipiant & ſanguinem Chriſti, hoc etiam probat *S. Gregorius in libro Dialogorum* in multis miraculis, quod non credentibus ſanguinem Chriſti illa ſpecies panis verſa fuit in digitum carneum & ſanguinolentum. Ut patet in tribus eremitis, una mulierum, quæ dabat panem album S. Gregorio ad conficiendum.

Et S. Thomas in *ſummâ ſacramentorum* mandat dare laicis ſimplex vinum aut aquam non conſecratam pro ablutione dentium, & non propter myſterium aliquod, ſed ut laventur ora ſumentium, ne remaneant aliquæ reliquiæ ſacræ Euchariſtiæ infra dentes & gingivas, & ut non ſervetur corpus in ore propter maleficium exercendum, ut expertum fuit tempore S. Ambroſii, quando in trunco apum hoſtia conſecrata per unam mulierem fuit ſervata & abſcondita. Cujus miraculi quod ibi accidit ſignum hodie habetur in Mediolano in unâ monſtrâtiâ cereâ, quâ apes corpori Chriſti tunc formaverunt.

Et ſic patet *de ſecundo*, quod, qui porrigunt ſanguinis Chriſti ſacramentum laicalibus ſub utraque ſpecie ſacramentali, *peccant contra ſcripturam Veteris & Novæ legis & S. Patrum ab Eccleſia approbatorum.*

CAP. X.

Quod communio ſub utraque pugnet cum Romanæ Eccleſiæ conſtitutione ac conſuetudine.

REſtat jam *tertium* videre, quomodo peccat communicans populum laicalem ſub utrâque ſpecie ſacramentali *contra Catholicam Romanam Eccleſi-*

Eccleſiam. Nam Catholica & Romana Eccleſia videns & conſiderans, quod multi errabant communicantes populum laicalem ſub utraque ſpecie ſacramentali, contra catholicam & Romanam eccleſiam; S. Cyprianus & S. Donat', & alii plures, ut prius patuit: Et Neſtori' & Pelagius, & eorum ſequaces, & Pſeudo Prophetæ, qui deceperunt Corinth. dicentes ſic: Quod nec Moſes, nec Samuel nec Chriſtus mandavit, ſed S. Paulus conſulit, ut mulier non velato capite Eccleſiam non intret, alias ſi non eſſet velata, tondeatur in turpitudine 1. Cor. XI. Sed Chriſtus mandavit ut ejus carnem bibamus, Joh. 6. *Niſi carnem filii hominis manducaveritis.* Iſta aſtutia Pſeudo deceperunt Corinthios, quod ipſi ſub utraque ſpecie ſacramentali communicaverunt, non tantum ſacerdotes, ſed etiam laicalis populus. Quod tamen Chriſtus nulli mandat, nec per Evangelium prius allegatum, quod laicales debeant ſub utraqve communicare, niſi offerentes tantum, ut prius oſtenſum eſt per Scripturam Veteris & Novæ legis.

Conſiderans *Catholica & Romana Eccleſia* errores illos, circa multos, comportans veterem legem ad novam, id eſt figurans ad figuratū, quæ figuræ oſtenderunt & oſtendunt, quod laicales debent tantum ſub ſpecie panis communicare & offerentes ſub duabus ſpeciebus ſcil. panis & vini, propter rationes jam præmiſſas, *ſtatuit*, ſanxit, firmavit, canonibus, decretis & decretalibus, ac bona conſvetudine & multis centenis annorum curriculis, *ſub pœna anthematis*, & perpetuæ damnationis, ut àmodo nullus communicare populum laicalem ſub utràque ſpecie ſacramentali deberet. Quam ſanctionem quilibet fidelis ſacerdos debet obſervare, ut non porrigat laicalibus ſacramentum ſub utraqve ſpecie ſacramentali ſcil. panis & vini. Et hoc debet obſervare omnis laicalis populus, ut non ſuſcipiat corpus & ſanguinem Domini ſub utraque ſpecie ſacramentali, ſed ſub una tantum, ſcil. ſub ſpecie panis, & ſub ſpecie vini non, ſub pœna præmiſſa. Et hoc quilibet fidelis debet facere, ſtatuta obſervare, ſanctionem, confirmationem, & conſvetudinem S. Romanæ Eccleſiæ. Quia auctoritas Catholicæ & Romanæ Eccleſiæ eſt major autoritas & caput omnium autoritatum poſt Chriſtum in mundo. Quam autoritatem catholicæ & Romanæ Eccleſiæ S. Auguſtinus præferebat Evangelio, in libro ſecundo contra Fauſtum, *Ego Evangelio non crederem, ſi me auctoritas Catholicæ Eccleſiæ non commoveret.* Et cum hoc ipſa Catholica & Romana Eccleſia tenet, quod non dat ſacramentum Domini laicalibus ſub utraque ſpecie ſacramentali, ſed tantum ſub una ſpecie panis, hoc idem debet tenere quilibet fidelis ſacerdos. Quia Eccleſia regitur Spiritu S. Et qui facit oppoſitum Eccleſiæ, peccat in Spiritum S. quod peccatum non remittitur ei nec hic neque in futuro ſeculo, teſte Salvatore in Evangelio. *Imo dico vobis, omne peccatum & omnis blaſphemia remittetur hominibus, ſpiritus autem blaſphemia non remittetur:* & qui dixerit verbum contra filium hominis, remittetur, Qui autem verbum contra Spiritum S. non remittetur, nec in hoc neque in futuro ſeculo.

Et ideo quicquid obſervat Catholica & Romana Eccleſia, ab omnibus Chriſti fidelibus obſervandum eſt. Quoniam membra non debent diſcedere à capite, ut pouitur in *decret. diſt.* 12. Non decet membra à capite diſcedere. Et *diſt.* 2. Innocentius Papa ſcribens Decentino Epiſcopo ſic dicit: *Ab omnibus debet obſervari, quod Romana obſervat Eccleſia. Te Decentine ſcire volumus; ut nobis indicare non differas, quia ſcire volumus*, qui ſunt hi, *qui novitates inducunt, alterius* quam Romanæ Eccleſiæ æſtimant conſvetudinem eſt obſervandam. Cum Romana Eccleſia ſit mater omnium Eccleſiarum, à cujus regulis & præceptis nullatenus convenit deviare.

Et S. Gregorius *diſtinct.* 19. *Quiſq; Apoſtolicus aut Eccleſia voluerit contriari* præceptis aut conſuetudinibus Domini, inter ſacerdotes non habeat locum, nec de judicio ejus quiſquam habeat curam, quia jam damnatus eſt.

Et in *eàdem diſtinct. dicitur; A S. ſe-*

de A-

de Apoſtolica atque ejus obedientia ſi quis aliquando dubitaverit aut receſſerit, majori excommunicatione aut dejectione abjiciendus eſt. Igitur talia non ſunt facienda.

CAP. XI.

De Concionibus Jacobi de Miſa, & libertate plebi data, confitendi quando & cui velint, & communicandi, quoties velint.

E*T tu frater mi dilecte*, non tantum facis non facienda, ſed etiam prædicas non miſſus, horrenda, non advertens canonem Innocentii Papæ *de hereticis, Excommunicatus*, ubi ſic dicit: *Nonnulli ſacerdotes auctoritatem prædicandi eis vendicant, & uſurpant, non miſſi, Apoſtolo contrariando, qui dicit*, *Rom.* 10. *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur? Mandamus igitur omnibus Epiſcopis ut prohibeant talia fieri.*

Inſuper *prædicas*, qvod qvilibet homo, qvando vult, cui vult, ubi vult, poteſt confiteri & communicare, non advertens ſuum plebanum, forte avarum, ſuperbum, luxurioſum, ſimoniacum &c.

Memorare, *frater mi dilecte*, Apoſtolum dicentem: *Qui alium judicat, ſeipſum condemnat.*

Et Nicolaus Papa Ludovico Imperatori ſcribit exemplum Conſtantini Imperatoris, qui dixit: *Si vere propriis* oculis meis vidiſſem ſacerdotem peccantem cum muliere, chlamide mea eum cooperuiſſem, ne ab aliquo videretur confuſus.

Ubi nunc ſunt tales cives, & alii omnes ſimplices, qui vellent peccata aliorum occultare, ut ille Imperator fecit! Sed, proh dolor, jam omnes tam ſpirituales, quam ſeculares, non tantum peccata hominum manifeſtant, quibus obnoxii ſunt, ſed etiam multo plura & majora, quibus inſcii ſunt, prædicantes edicunt, ut ſua peccata occultent, qvæ plus ſunt nociva, pejora, & ignominioſiora aliorum omnium. Cum tamen veniant in cognitionem eorum in hora mortis & in die judicii, ut patet *Luc.* 21. ubi dicitur: *Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum poteſtate magna.*

Ideo adverte *canonem De remiſſionibus: Omnis utriuſque ſexus.* Ubi dicit *Clemens Papa* 3. *Omnes fideles utriuſque ſexus tenentur in ſua Eccleſia confiteri & communicare, niſi cauſa rationalis excuſet. Si quis aliter fecerit, quod alteri confiteretur ſine voluntate paſtoris ſui, ſciat ſe eſſe non abſolutum.* Nam nemo debet mittere falcem in meſſem alienam. Et ſic communicans indigne communicaret: Quia in peccato mortali corpus Chriſti ſumeret. Quia alter ſacerdos peccata ſibi remittere non potuit, ut patet in Cap. in Gloſſa, *Omnis utriuſque ſexus.*

CAP. XII.

De libera quorumcunque confitentium abſolutione a Jacobo de Miſa exercita.

ETiam prædicas & dicis, quod Papa non ſit majoris dignitatis quam ſimplex ſacerdos, & aſſignas rationem iſtam: Quia ſicut Apoſtoli fuerunt ejusdem dignitatis & auctoritatis, cum S. Petro, ſic etiam ſacerdotes cum Papa ſunt ejusdem autoritatis.

Per hoc dictum conſidero, *te, & in hoc facto tibi adhærentes*, abſolvere in omnibus peccatis, in quibus & cum quibus *ad te venient.* Cum tamen ſint quædam peccata quæ tantum Papa abſolvit. *Primum*, qvi incendit vel frangit vel violat Eccleſiam. *Secundum*, qvi ſcienter vel ſponte communicat in crimine excommunicato. *Tertium*, qui falſificat literas Papæ. *Quartum*, qvi ſciens ſe excommunicatum à divinis, celebrat, *Quintum*, qvi ſimoniam vel ſacrilegium committit. *Sextum*, percuſſor cleri, vel perſonæ religioſæ. Quam percuſſionem cleri tu cum tuis modicum ponderas;

deras, cum ſit graviſſimum peccatum, ut patet per Alexandrum Papam *De excommunicatione*, dicentem: *Nulli dubium, quod hi, qui violentas manus in clerum injecerunt, aut in religioſum, aut converſum, ex inſtitutione concilii generalis ſententiam excommunicationis eo facto incurrant.* Nec niſi in articulo mortis ſine Pontificis diſpenſatione vel de jure excommunicati poſſunt beneficium abſolutionis impetrare. Et vocatur ſententia excommunicationis juris vel à jure, licet nondū ſuper eos tranſierit ſententia judicis, Archi-Epiſcopi vel ſuorum.

Et qvædam ſunt peccata qvæ ſpectant ad abſolutionem vicariorum in ſpiritualibus. Ut ſunt iſta peccata. *Primum* eſt inceſtus. *Secundum*, defloratio virginum, & maxime violenta. *Tertium*, homicidium. *Quartum*, fornicatio cum perſona religioſa, ut cum moniali. *Quintum*, violenta injectio manuum in parentes. *Sextum*, Sodomia, ut & vitium contra naturam. *Septimum*, transgreſſio voti. *Octavum*, perjurium. *Nonum*, ſacrilegium, commiſſum in ſacramentis Eccleſiæ. *Decimum*, incendium domorum vel ſegetum. *Undecimum*, prolis oppreſſio. *Duodecimum*, blaſphemia in Deum & in ſanctos ejus. Unde alii ſcandaliſantur. *Tredecimum*, hæreſis, ſive errans in fide Catholica, ſive ſit perverſor ſacramentorum, ſive ſimoniacus. *Decimum quartum*, adulterium, qvod fit aliquando per virum, aliquando per mulierem, aliquando ex parte utriusque.

Ideo quicunque ſacerdotem *in caſibus* præmiſſis abſolvit, non habens deſuper auctoritatem Papæ vel Epiſcopi aut ſuorum vicariorum in ſpiritualibus, non abſolvit, nec abſolvere poteſt niſi in articulo mortis. Sed omnes animas ſibi confitentes decipit, & in profundum inferni demergit, niſi pœnituerit. Quia ita Eccleſia ſancta & Romana ſtatuit, ſanxit & confirmat, ut prius patuit.

CAP. XIII.

De Papæ & Epiſcoporum autoritate, quam Jacobus de Miſa autoritati ſacerdotum æquaverit.

ET quod *Papa aut Epiſcopus* ſit *majoris auctoritatis quam ſimplex ſacerdos*, patet ex officio, per S. Anacletum 22. *diſtinct. cap. ſacroſancta.* Ubi dicit, quod inter Apoſtolos fuit quædam diſcretio. Et licet omnes eſſent Apoſtoli cum Petro, tamen Petro conceſſum eſt, & ipſi inter ſe voluerunt ad ipſum, ut reliquis Apoſtolis præeſſet, & quod Cephas diceretur, & principatum teneret Apoſtolatus.

Et hac *diſtinct.* 19. *cap. Ita Dominus*, ibi idem dicit, quod S. Petrus fuit caput Apoſtolorum, ut ab ipſo dona ſua in omne tempus diffunderent. Et ſic illi maximè peccant, qui detrahunt Papæ, dicentes: Quod non Papa ſit majoris auctoritatis quam ſimplex ſacerdos, nec debet vocari *Summus Pontifex* ſed *frater* cum aliis ſacerdotibus: Quia *Apoſtoli* vocabant ſe invicem *fratres*. Et ſic illi errant, ſicut quidam hæretici de ſecta *Græcorum*, qui errabant, dicentes, quod Papa non ſit majoris autoritatis quam ſimplex ſacerdos. Licet Apoſtoli quoad charitatem fuerint æquales: Et hoc idem eſſe debet inter Papam & ſimplices ſacerdotes: Tamen inæquales fuerunt quo ad poteſtatem prælationis & quoad auctoritatē. Quia Petrus erat caput & prælatus generalis totius orbis, quia fuit Princeps Apoſtolorum. Et ſibi fuit poteſtas data ligandi atque ſolvendi ultra alios Apoſtolos. Nam ſibi dictum fuit & nulli alteri, *Paſce oves meas.* Quilibet prælatus debet vocari *frater* quoad charitatem & *princeps* quoad dignitatem.

Item quidam errant dicentes quod *Papa malus non debeat adpellari Sanctus*, nec debeat ſcribi titulus, *Sanctiſſimus in Chriſto*, alias mendoſe ſcriberent, cum malus homo & peccator *ſanctus* non ſit. Reſpondetur, quod tales errant. Nam *S. Ambroſius de ſacramentis, in Decreto dicit: Non vitam neç merita perſonarum Deus conſiderat, ſed officium, dignitatem & auctoritatem conceſſam. Nam dignitas Pa-*

palis

Digitized by Google

palis eſt dignitas, in quantum in ſe eſt, hominem ſanctificans, ſi homo capax eſt. Et cum de quolibet Papa præſumatur, quod ſit unus de aliis ſanctis Patribus & Apoſtolicis, quod ſit ſanctus aut ſanctificans: Tunc ratione illius dignitatis ſcribitur ipſe titulus *Sanctiſſimo.* Non quod perſona ſit ſancta, ſed ideo, quod utitur dignitate ſancta.

Tunc dicitur ad illos qui dicunt, quod in Eccleſia non ſit orandum pro Papa, nec petendum, quia ſanctus: Sed ipſe pro nobis petat; Quia ſancti non indigent orationibus noſtris, ſed nos indigemos orationibus eorum. Ibi reſpondetur, quod pro ipſo petitur tanquam pro ſingulari perſona, ſi & in quantum eſt in peccatis, ut Deus precibus ipſum liberaret & ſolveret à peccatis. Et quia in Eccleſia dicimus eum eſſe ſanctum ratione dignitatis, nec ratione perſonæ dicimus eum ſanctum: Ideo dicitur *VI. de conſtitutionibus, capitulo Licet. Quod Roman' Pontifex omnia jura habet in ſcrinio cordis ſui* ad interpretandū.

Sic etiam illi errant, qui dicunt, quod *indulgentia* nihil ſunt in remiſſione peccatorum.

Ubi ſciendum, quod tria ſunt in Eccleſiâ Dei militante maximè utilia, *primum* claves, quibus prælati ligant & ſolvunt, *ſecundum* auctoritas, qua prælati ſunt digni ad ligandum & ſolvendum, *tertium* eſt theſaurus Eccleſiæ, qui conſtat ex ſeptem ſacramentis Eccleſiæ & indulgentiis prælatorum. Et ille theſaurus ex paſſione Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ejus ſangvinis effuſione & meritis ſanctorum Martyrum & aliorum ſanctorum, & ex meritis totius Eccleſiæ & ex miſericordia Omnipotentis Dei provenit. Et hoc trahitur ex dictis Decretorum, *de pœ. & re. can. Cum ex eo, cap. penult. & ult. libro* 6. *Decretalium.* Illa tria maxima & utilia commiſſa prælatis à Chriſto, ſpecialiter cuilibet Papæ in ſede S. Petri reſidenti. Et qvi hoc non tenet cum S. Romana Eccleſia, male eſt diſpoſitus ad ſalutem.

CAP. XIV.

De officio ſacerdotum Deo ſerviendi.

ETiam, *mi frater dilecte*, prædicando, caritatem poſtponendo, maxime excitas populum, ſpiritualem & ſecularem, contra prælatos, cæteroſqve ſacerdotes, imo & totum clerum, qvi nolunt officiare infra interdictum, aſſerendo, qvod plus libeat ſacerdotibus obſervantius interdum ſervire Diabolo, quam Deo.

Ubi te ſcire volo, qvod *duplex eſt ſervitus hominum,* qvoad Deum. *Una* ſervitus eſt occulta & tacens. Et illa ſervitute tenentur omnes & ſinguli ſervire Deo, ſemper & in omni loco. De qva dicitur *Deuteron. 6. Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies, & per nomen ejus non jurabis.* Illam ſervitutem homo omittens, & Diabolo poſtea adhærens, ei ſervit & aliis non, ut volunt profani & excommunicati, qvi maledicunt eis, qvi nolunt cum eis profanari & excommunicari. Ratio qvare homo debet ſervire Deo, eſt, qvia Deus fecit & creavit eum ad imaginem ſuam, & conſtituit eum Dominum omnis creaturæ. Ut patet per *S. Auguſtinum libro* 9. *de S. Trinitate* cap. 1. ubi ſic dicit: *Ita Deus condidit hominem, ut dominetur piſcibus maris, & volatilibus cœli, & omnibus reptilibus quæ reptant ſuper terram.* Rationalem factum ad imaginem ſuam, voluit dominari niſi irrationalibus: Scil. hominem pecori. Judæi primi paſtores pecorum magis qvam reges hominum conſtituti ſunt. Ideo S. Paulus 1. ad Theſſalon. 5. dicit: *Semper gaudete, ſine intermiſſione orate, in omnibus gratias agite. Hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Jeſu Domino noſtro in omnibus vobis. Omnia probate, qvod bonum eſt, tenete, ab omni ſpecie mala abſtinete vos.* Et qui vult illo ſervitio Deo digne ſervire, debet eſſe juſtus ab omni peccato, ut patet *Eccleſ.* 2. *Fili, accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia & timore, prapara animam tuam ad tentationem, deprime cor tuum & ſuſtine & inclina aurem tuam.* De illis ſervitoribus dicit Chriſtus *Joh.* 12. *Qui mihi miniſtrat*

Digitized by Google

niſtrat, me ſequatur, & ubi ſum ego, illic erit & miniſter meus.

Secunda ſervitus eſt manifeſta & clamoroſa, quæ fit per clerum in Eccleſiis ad laudem Dei & devotionem populi, & ſolennitatem ſanctorum. Et illa ſervitus multoties arreſtatur per Prælatos propter excommunicatos, & profanos & alios notorios peccatores. Et tales non tantum excommunicantur à prælatis jurisdictionem habentibus, ſed etiam à Deo, ut patet per Pſalmiſtam, qui dicit: *Increpaſti ſuperbos, maledicti, qui declinant à mandatis tuis.*

Et illi, qui officiant propter ſuum ſingulare bonum vel favorem hominum, interdictum violando, & mandatum Dei & prælatorum non advertendo, non ſerviunt Deo, ſed Diabolo: Patet per exemplum in Evangelio *Matth.* 6. ubi ſic dicit Chriſtus: *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire. Non poteſtis Deo ſervire & Mammonæ.* Et omnes profani incurrunt iram Dei & pœnam perpetuam, ſi non pœnituerint. Unde Pſalmiſta: Ubi ſic Deus dicit. *Si juſtitias meas profanaverint, & mandata mea non cuſtodierint: Viſitabo in virga ferrea iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo, neque nocebo in veritate mea, Neque profanabo teſtamentum meum, & quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita.* Et alias in Cantico: *Mea eſt ultio, & ego retribuam eis in tempore, ut labatur pes eorum. Quia gens absque conſilio eſt, & ſine prudentia, utinam ſaperent & intelligerent, ac noviſſima providerent.* Et tales omnes qui hominibus placent, Deo & ſanctis diſplicent. Ut patet apud *Gregorium* ſuper Ezechielem: *Nemo poteſt in una & eadem re Omnipotenti Deo ſervire, atque hoſtibus ejus gratis exiſtere. Nam Deus illum inimicum ſuum æſtimat, qui placet ejus inimico.* Et tales profani non ſolum ipſi peccant, ſed cum omnibus eis adhærentibus. Ut prius patuit per canones, qvi dicunt, Tam facientes quam conſentientes pari pœna ſunt puniendi.

Ideo omnes Deo ſimpliciter ſervientes merentur & ſalvantur, ut patet *Matth.* 25. Ubi ſic ait Salvator: *Euge ſerve bone & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* Quia alias ſervientes non bene, ſunt ſervi inutiles, & non ſequitur eos alius, niſi pœna perpetua. Ut patet *Matth.* 25. ubi ſic dicit Chriſtus: *Inutilem ſervum projici in tenebras exteriores, ubi erit fletus & ſtridor dentium.*

CAP. XV.

De novo ritu publice in Eccleſia cantandi, plebi per Jacobum de Miſa indulto.

Memorare itaque, *frater mi dilecte,* Dei & prælatorum obſervare mandata, non tantum cantando & prædicando, & laicos per angulos docendo, ſed actu implendo. Prout voce prædicas, ita & oſtendendo facias. Sicut Deus mandavit *Lev.* 2. Ubi ſic dicit: *Ego Dominus Deus veſter, cuſtodite leges meas.*

Primo legem naturæ, quæ dicit: Quod tibi non vis, minime fac aliis. De qua etiam ait Salvator, Matth. *Prout vultis ut faciant vobis homines, & vos ſimiliter facite eis.* Et *ad Rom.* 2. *Quicunq; in legem peccant lege punientur. Cum enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciant, & hujusmodi legem non habentes ſibi ipſis lex ſunt, quia oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.*

Secundo legem Moſi ſcriptam in duabus tabulis mandata continentibus: Prima, quæ ſunt quoad Deum, ſecunda quæ quoad hominis proximos. Patet Exod. 20. Et ad Cor. 6. c. ubi ſic dicit S. Paulus: Itaque lex eſt mandatum ſanctum, pro juſtum.

Tertio legem Evangelicam & gratiæ. De qua dicit *Matth.* 6. *Audiſtis, quod dictum eſt antiquis &c.*

Sed de impletione duarum legum illarum dicit Salvator *Matth.* 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata Dei.*

Et hoc eſt, contra multos ſpirituales & ſeculares, qui credunt ſe ſalvari per

Digitized by Google

per angulos prædicando, & cantilenas ab Eccleſia non approbatas in Eccleſiis in foro & in tabernis cantando. Qui tales tamen incidunt in canones S. Gregorii & Innocentii Papæ *cap. Sicut in uno corpore*: ubi dicunt: *Verendum eſt, ne tales laici ſub ſpecie virtutum vitia ſubintrent. Mandamus Epiſcopis quatenus interdicant laicis cujuscunque ordinis cenſeantur, à talibus abſtinere & ne expoſitionis aut prædicationis ſibi officia uſurpent.* Hoc enim idem de cantilenis inhibetur ab Eccleſia non prolatis, quas in Eccleſiis, in foro, in tabernis, in præjudicium prælatorum, & in rixam maximam populorum, cantant. Quapropter Innocentius Papa, *De hæreticis*, contradicit, quod talia non fiant niſi in privato loco. Prohibetur autem laicis, ſcripturam exponi, ut dictum: à fortiori, in publico cantari. Quia par eſt ratio de uno, ſicut de reliquo.

Et ſi tamen diceres: Quod laudare Deum bonum eſt, quādo quis ſcit, orando vel cantando: Verum eſt: Sed tantum ab Eccleſiâ confirmatum & non ab alio cantum; propter multa mala quæ exinde proveniunt audientibus, ſicut nautis per Syrenes in mari. Et non cantu exquiſito & novo debent Deum laudare pro ſuo placito & laude humana. Et aliis confuſionem in illo cantu inferendo. Quia tales omnes in oppoſitum facientes Eccleſiæ & bonæ conſvetudini, incidunt in canones & excommunicationem Sanctorum Patrum.

CAP. XVI.

De Canonibus & ſtatutis Eccleſiæ obſervandis.

SEd ſi diceres: *Canones & ſtatuta ſunt humana traditio*: Non eſt eis obediendum. Audi Salvatorem dicentem ad Apoſtolos & eorum ſucceſſores, *Luc.* 10. *qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit, & qui me ſpernit ſpernit eum qui me miſit. Et S. Paulus Rom. 13. ſic ait: Omnis autem anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: Non enim eſt poteſtas niſi à Deo, quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt, ita quod qui poteſtati reſiſtunt ordinationi divinæ reſiſtunt. Qui autem reſiſtunt ordinationi divinæ, ſibi ipſi damnationem adquirunt.* Nam principes non ſunt timori bonis ſubditis ſed malis. Vis ergo non timere poteſtatem, fac bonum, & habebis laudem ex illo. Miniſter enim Dei eſt tibi in bonum. Si autem malum quid feceris, time eum. Non enim ſine cauſa portat gladiū. Dei miniſter eſt enim vindex in rectum ei qui malum fecit. Ideoque neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter timorem, ſed propter conſcientiam. Hæc ille. Et 1. Pet. 2. dicitur *Subditi eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive regibus, qui præcellunt, ſive Ducibus, tanquam à Deo miſſis ad vindictam malorum, laudem vero bonorum, quoniam ſic eſt voluntas Dei.* Coloſſ. 3. *Filii obedite parentibus veſtris per omnia, hoc enim placitum Deo. Servi obedite per omnia Dominis veſtris carnalibus, non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes ſed in ſimplicitate cordis veſtri. Ideo S. Paulus* Hebr: 13. *dicit: Obedite præpoſitis veſtris & ſubjacete eis: ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, non gementes. Hoc enim expedit vobis.* Et S. Bernhardus in libro *de diſpenſatione & præcepto cap.* 9. dicit: *Obedientia, quæ majoribus debetur, Deo exhibetur. Quamobrem quicquid vice Dei præcipit homo, omnia accipienda ſunt ac ſi præcipiat Deus.* Et S. Auguſtinus de opere Monachorum: *Quid iniquius eſt, quam velle ſibi obtemperari à minoribus &* nolle obtemperare majoribus? Patet 1. Reg. 15. ubi ſic dicitur: *Numquid vult Dominus holocauſta & victimas? & non potius ut obedietur voci Domini. Melior eſt obedientia quam victima & auſcultare magis quam offerre adipem arietum, quoniam ariolandi peccatum eſt repugnare, & quaſi ſcelus idolatriæ, nolle adquieſcere.*

Ambroſius in libro *de natura boni cap.* 35. *Non prohibuit Deus homini arborem tangere, tanquam mala eſſet, ſed ut oſtenderet animæ rationalis naturam non ſuâ poteſtate, ſed Dei eſſe ſubjectione, & ordinem ſuæ ſalutis per obedientiam cuſtodire; & per inobedientiam corrumpere. Ideo eam adpellat arborem ſcientiæ boni & mali.* Quia ſi eam contra vetitum tetigiſſet

 expe-

Digitized by Google

experiretur pœnam peccati & eo dignoſceret quid inter obedientiæ bonum & inobedientiæ malum.

Idem *S. Auguſtinus* in libro *de verbis Domini, Sermone* 11. *Non potuit perfectius demonſtrare Deus quantum ſit bonum obedientia, niſi cum prohibuiſſet hominem ab eâ re, quæ non erat mala. Nam obedientia ſola tenet palmam, ſed ſola inobedientia invenit pœnam.* Hoc ſimiliter patet Deuteron. 21. Ubi ſic dicitur: *Si genuerit homo filium contumacem & protervum, qui non audiat patris & matris imperium, & correptus obedire contemſerit, apprehendet eum pater & producet ad ſeniores civitatis illius & ad portam juſtitiæ, dicens ad eos: Hic filius noſter contumax & protervus eſt monita noſtra audire contemnit, commeſſationibus vacat, & luxuria, atq; conviviis: Lapidibus obruat eum omnis populus civitatis, & moriatur. Et ſic auferant malum de medio eorum, unde univerſus Iſrael audiens pertimeſcit.* Et Salvator *Matth.* 25. ſic dicit de inobedientibus & hominibus malis: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum &c.*

Ideo audi conſilium Dei Deuteron. 30. *Elige vitam, ut tu vivas, & ſemen tuum atq; obedias voci ejus. Ipſe enim vita tua eſt, & longitudo dierum tuorum.*

Et ſic, *frater mi dilecte*, ſi qui te ſeduxerunt ab obedientiâ Dei & prælatorum tuorum, & extraxerint te de ſinu matris Eccleſiæ, audias conſilium Salomonis docentis 1. cap. ubi ſic dicit: *Cuſtodi fili mi diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, & addatur gratia capiti tuo & torques collo tuo. Fili mi ſi te lactaverint peccatores, non adquieſcas eis. Si dixerint tibi veni nobiſcum, inſidiemur ſanguini, abſcondamus tendiculas contra inſontem, fruſtra deglutiamus eum, ſicut infernus viventem integrum, quaſi deſcendentem in lacum, omnem pretioſam ſubſtantiam recipiamus, implebimus domus noſtras ſpoliis. Sortem mitte nobiſcum. Marſupium ſit unum omnium noſtrum. Fili mi ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à ſemitis eorum. Pedes enim illorum ad malum currunt, & feſtinant ut effundant ſanguinem. Fruſtra enim jacitur rete ante oculos pennatorum. Ipſi quoque contra ſanguinem ſuum inſidiantur & moliuntur fraudes contra animas ſuas.* Et S. Paulus 1. Corinth. I. ſic dicit: *Sine offenſione eſtote Judæis, & gentibus, & Eccleſiæ Dei, ſicut & ego per omnia omnibus placeo. Non quærens, quid mihi utile eſt, ſed ut omnes ſalvi fiant. Si Judæis & gentibus debemus converſari ſine offenſione, multo magis Chriſtianis. Nullus de ſe confidens ſit, ſed ſemper caſum peccati & mortis expectans, ut* conſulit S. Paulus 1. Corinth. 10. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat, ne cadat.* Et *Eccleſ.* 9. *Neſcit homo, an amore vel odio dignus ſit.*

Et hoc contra multos, qvi magnam confidentiam de ſe habent ad ſalvandum, *ſanctos* ſe appellando, & omnes alios à ſe tam bonos vel meliores in toto condemnando. Quibus contrariatur *Cato*, dicens: *Nec te collaudes, &c.* Et ſapiens dicit: *Non te laudet os tuum, ſed alienum.* Unde Job. 9. *Os meum condemnat me.*

Et in factis tuis, quæ operaris, memorare Philoſophum, *De cœlo*, dicentem: Qvi ſic ait: *Nullum violentum perpetuum.*

CAP. XVII.

Exhortatio ad Jacobum de Miſa.

Ideo, *frater mi dilecte*, omittens tranſitoria & violenta, provide tibi qvæ ſunt permanentia & perpetua, regnum cœlorum & gloriam ineffabilem in ſocietate Sanctorum. De quibus perpetuis bonis ait *Pſalmus* 83. *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in ſeculum ſeculi laudabunt te.*

Ideo non ſit tibi confidentia in mundi Principibus, nec in multis ſimplicibus, ſed in Domino Deo tuo. Ne veniat ſuper te maledictio Domini Dei tui, *Jerem.* 12. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit* carnem brachium ſuum, & à Domino recedet cor ejus. Quia ſic homo moritur in anima ſua, hic in præſenti à vita gratiæ, & in futuro à vita gloriæ. Ut patet Ezechielis 18. Anima quæ peccaverit, ipſa morietur. Et S. Jacobus in Canonica ſua Cap. 2. *Quicunque voluerit amicus eſſe hujus mundi, inimicus Dei conſtituitur. Ergo pondera,* nume-

Digitized by Google

numera & divide peccata tua à te, ut conſulit Daniel Propheta 5. c. *Mene tekel upharſin.*

Sed confidentia ſit in Domino Deo tuo, ut conſulit Pſalmiſta, 17. c. Bonum eſt confidere Domino &c. De quibus tamen habes magnam confidentiam, & non tantum in principibus ſed etiam *in ſimplicibus tibi adhærentibus.* Cum tamen omnes morientur, & tanquam aqua dilabentur. Et tu quo devenies, neſcio! Deus ſcit, qui bonis tribuit vitam æternam, & malis pro demeritis pœnam perpetuam.

Et ſi vis, *Frater mi dilecte*, iſtis auctoritatibus ſimpliciter conglutinatis, conſcriptis, & perlectis, cave, ne videas feſtucam in oculo fratris tui, & trabem quæ in oculo tuo eſt, non conſideras. Ejice primò trabem, qvæ in oculo tuo eſt, & ſic videbis ejicere feſtucam de oculo fratris tui Matth. 7.

Et ſi comperies, quod in aliquo tali deliquiſti, vel peccaſti, vide damnationem meretricis magnæ, animæ tuæ *Apoc.* 17. peccatricis, & aliarum animarum, quas forte in diſſenſionem maximam deduxiſti, & in odium malignum excitaſti. Miſerere animæ tuæ, placens Deo, i. e. ſi vis placere Deo. Et continue congrega cor tuum, in ſanctitate ejus Eccl. 30. & revertere ad Dominum Deum tuum, & ad ſinum S. matris Eccleſiæ, prout conſulit Dominus per *Jerem.* 30. ſic dicens animæ peccatrici: *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, revertere ad me & ego ſuſcipiam te.*

Et etiam, frater mi dilecte, audivi à pluribus te in ſermonibus tuis dicere: Si aliquod ſiniſtri diceres vel teneres, quod velles informari ad viam meliorem à quolibet homine. Modo adeſt tibi illa informatio in hoc Chirographo, ſi vis informari non ab homine tantum, ſed ex tota ſacra ſcripturâ. Quam ſi intellexeris & obſervaveris abſque dubio abſcedet à te omne illud, quod tibi nunc nocet, & ut plurimum in murmur vertitur. Et ſi non averteris animum tuum ab aliquibus, illa tibi in perpetuum nocebunt.

Ideo omnia iſta, *frater mi dilecte*, tibi ſcribo ex inſpiratione Dei, & charitate fraterna non ficta, nec doloſa, ſed firma, ex informatione Jeſu Sirach, *Eccl.* 19. ubi ſic dicit: *Corripe amicum tuum* forte non intellexerit, & dicat non feci. Aut ſi fecerat, ne iterum addat faciens. Corripe amicum: ſæpe enim confictio, & non omni verbo credas. Eſt qui labitur lingua ſua, ſed non ex animo. Quis eſt qui non deliquerit in linguâ ſuâ. Corripe proximum, antequam commineris, & da locum timore altiſſimi. Quia omnis ſapientia timor Domini eſt, & in illa time Deum. Et in omni ſapientia diſpoſitio legitur. Non eſt ſapientia nequitiæ diſciplina, & non eſt cogitatus eorum. Peccatorum prudentia eſt nequitia & maxima eſt excœcatio. Et eſt inſipiens, qui non munitur ſapientia. Melior eſt homo, qui munitur ſapientia, & deficiens ſenſu in timore Dei, quam qui abundat ſenſu, & transgreditur legem altiſſimi. Et ſolertia trita & ipſa iniqua. Et eſt qui emittit verbum triſtum, enarrans veritatem.

Dilecte, viſis iſtis & perlectis, noli mihi iraſci, quia ſcribo tibi. Quia hoc facio, Deo teſte, & totâ curia cœleſti, deſiderans animæ tuæ, meæ, & omnium aliorum ſalutem. Sic, frater mi dilecte, ſi quid in hoc chirographo poſui incongrue vel male vel quod tibi diſpliceret, peto ignoſcas mihi *ſimplici confratri tuo*, optans mihi hoc, quod rogo, deſidero, & opto tibi. Et ſubjicio me correctioni tuæ, & omnium quorum intereſt tales corrigere, & ad viam veritatis deducere.

Et hoc peto à te & ab omnibus tibi faventibus, ſi aliquando contingeret, te hanc Epiſtolam ſimplicem & forte tibi diſplicentem, aliis oſtendere, ut ſupportes me, una cum aliis in Chriſto Jeſu Domino noſtro & in deſiderio ſalutis omnium animarum Chriſtianorum. A M E N.

VEl *animum addidiſſe* vel *viam monſtraſſe* ceteris videbitur omnibus *Anonymus* ille *Theologus*, quiſquis fuerit, ſive *Nicolaus de Dinkelſpuel*, ſive alius. Iisdem quippe

qvippe argumentis uſi reliqui omnes , qui cum *Jacobello* & Bohemis ad ſeros usqve annos dimicarunt. *Broda* ſane, *Theologiæ Doctor & Profeſſor in Academia Pragenſi*, poſtquam ex officio ſuo, *Jacobelli* novum facinus, plebem ſub utraqve communicandi, oppugnare conſtituerat, easdem pene argumentorum machinas adhibuit. Ceterum *Brodam* non ſolum brevibus hujuscemodi opuſculis ſed & fuſioribus ſcriptis Jacobellum oppugnaſſe, conſtabit ex proximis Jacobelli prolixis vindiciis contra Brodam pro Communione ſub utraque. Cui operi ex majori ſcripto Brodiano magnos plerumque inſeruit paſſus. En ergo hic breviuſculum *Brodæ* monumentum, *Jacobello* A. 1415. ut ipſe notat, oppoſitum.

TOMI III. PARS XV.

ANDREÆ BRODÆ

Doctoris & Profeſſoris Theologi in Academia Pragenſi

DISPUTATIO ACADEMICA

contra

JACOBUM DE MISA

Paſtorem Eccleſiæ Pragenſis

CONTRA COMMUNICATIONEM PLEBIS SUB UTRAQUE SPECIE.

Sub Conſtantienſi Concilio

Pragæ A. 1415. conſcripta

Stylo ſuperioris Epiſtolæ adornata.

Ex antiquo Codice MSCto

CÆSAREO VINDOBONENSI.

CAP. I.

De dicto Joh. VI. Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: An ſpiritualiter debeat intelligi, an literaliter?

Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis &c. Joh. VI. Hæc verba Chriſti *eodem capitulo* docuit intelligi & exponi, dicens: *Verba quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt:* Dicit *Auguſtinus ſuper Johannem, homil.* 24. *id eſt, ſpiritualiter intelligenda ſunt.*

Et ſic ea verba, quæ B. Paulus ad *Cor.* 1. exponit, dicens: *Nolo vos ignorare de dormientibus fratres, Quoniam patres veſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes eandem eſcam ſpiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt, Biberunt autem de ſpirituali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus.*

Et poſtpoſitis pluribus, quid *Salvator* dicat, audiamus. *Caro* inquit *mea verè eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus, Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in eo.* Auguſtinus ubi ſupra dicit: *Hoc eſt ergo manducare illam eſcam, & illum potum bibere, in Chriſto manere & Chriſtum manentem in ſe habere. At per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, procul dubio non manducat ejus carnem, nec bibit ejus ſanguinem, & ſic tantæ rei ſacramentum ad judicium ſibi manducat & bibit.*

Ex hoc poteſt intelligi verbum *Salvatoris* quod dixit: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem*, id eſt, ſi non eritis *membra corporis mei myſtici*, & non manſeritis in me, nec ego manſero in vobis, ideo non habebitis vitam in vobis.

Videant

Videant Chriſti fideles hunc ſanctum Doctorem, quomodo *non literaliter*, ſed ſecundum Chriſti ſententiam *ſpiritualiter* hunc textum exponit, ſequens Chriſtum & ejus Apoſtolum Paulum, qui dicit: *litera occidit, ſpiritus autem vivificat.*

Quod autem *multa verba Chriſti* non ad literam ſed ſpiritualiter capienda ſint, patet. Nam Salvator dixit: *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue & projice abs te.* Si mille oculos, manus vel pedes haberemus, & ex eis orta frequentia ſcandala, à nobis abſcinderemus vel erueremus?

Item, Chriſtus: *Niſi quis renunciaverit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Si verbum hoc literaliter intelligeretur, quomodo Reges, Barones, milites, nobiles, clientes, cives & alii ſalvarentur? Legimus tamen Joſeph Arimathiâ, diſcipulum Domini, divitem fuiſſe, Zachæum, S. Carolum, *S. Wenceſlaum*, & alios ſanctos opulentiſſimos extitiſſe. Sed quis ita præſumptuoſus eſt, ut iſtos omnes & ſingulos audeat condemnare?

Item Chriſtus dicit Apoſtolis: *Qui habet tunicam, vendat, & emat ſibi gladium.* Si hoc ad literam accipi voluiſſet, præſumtio daretur, quod non voluntarie pro nobis pati voluiſſet, ſed potius à morte per diſcipulorum gladios ſe defendi procuraſſet. Quod impium eſt fidelibus cogitare.

Item dixit: *Nihil tuleritis in via, neque peram neq; baculum, neq; calceamenta, neq; duas tunicas habeatis.* Si literaliter intelligi debet, quomodo Chriſtus aut ſui diſcipuli hoc ad literam impleverint? Utique Chriſtus habuit veſtimenta. Uti patet *in Johanne XIII. Surgit à cœna & ponit veſtimenta ſua.* Item habetur baculus Pauli. Item ſandalia habuit Bartholomæus. Item & Petrus caligas habuit, & per conſequens calceamenta. Vide *Actor. XII.*

Nec audeat adverſarius dicere, Chriſtum hic dixiſſe verba *præceptivè* vel *obligativè.*

CAP. II.

Quod communicare plebem ſub ſpecie vini aut ſub utraque ſpecie, ſit contra voluntatem Chriſti.

EX hoc colligitur, quà præſumtione *quidam audent populum communem laicalem communicare ſub utraque ſpecie ſacramentali?* Neſcio. Quia hoc faciunt contra voluntatem Chriſti, & contra intellectum totius ſacræ ſcripturæ, contra canones ſanctæ matris eccleſiæ Romanæ.

Primo, ſi *Chriſti voluntas* fuiſſet laicalem populum ſub utraque ſpecie ſacramentali communicare, ad ultimam cœnam, in qua diſcipulis dedit corpus & ſanguinem ſuum, *Chriſtus advocaſſet matrem* ſuam Virginem Mariam, quæ fuit dignior omnibus Apoſtolis, quia ter fuit ſanctificata & ſancta, ut dicit *S. Thomas in compendio Theologicæ veritatis, Lib.* 4. *c.*3. Ubi dicit de ſanctificatione mariæ, quod *tres ſanctificationes fuerunt matris Dei. Primâ in utero, & habuit tres effectus, ſcilicet originalis culpæ expiationem, & gratiæ infuſionem, & fomitis tantam reſtrictionem, quod non poſſet in aliquod peccatum ducere, licet ipſe fomes maneret ſecundum eſſentiam. Secunda fuit in ſpiritus ſancti obumbratione & filii Dei conceptione. Quæ tribus præmiſſis duo ſuperaddit, ſcilicet commodam fomitis extinctionem & conſummationem in bono, ita quod prius poterat peccare, jam non poſſet peccare. Hos duos effectus expresſit angelus Luc. I. Spiritus ſanctus ſuperveniet in te. Quantum ad tertium: Iſta confirmatio non fuit liberi arbitrii ablatio, ſed ejus per gratiam completio. Præterea Spiritus Sanctus venit in eam nonſolum ad ſanctificandum ſed etiam ad fœcundandum. Ejus in virtute virgo concepit, virgo peperit, virgo poſt partum permanſit.* Tertia *ſanctificatio fuit in filii inhabitatione, qui manſit novem menſibus in utero ejus. Et hæc omnibus prædictis effectus duos addit. Unus fuit, quod omnes diſpoſitiones fomitis ablatæ fuerunt, ſive morbus curatus eſt, dum adhuc interdum remanent reliquiæ curandæ. Secundus fuit dedicatio ad divina, ita quod licitis*

licitis uſibus mundanis, ſcilicet matrimonialibus, eam aptare eſſet impoſsibile, Quia tunc non ſolum mens, ſed etiam corpus luce divinitatis reſplenduit.

Etiam tunc temporis diſcipulos alios *ſeptuaginta duos* & *hoſpitem* cum familia vocaſſet, quando fecit cœnam ſuam ultimam. Quia multum dilexit eum. Etiam *Joſephum ab Arimathia* & *Nicodemum*, & alios comitantes ſibi.

Sed objicit adverſarius: Tamen Chriſtus dixit *Matth. XXVI. Bibite ex eo omnes. & Luc. XXII. Dividite inter vos.*

Verum eſt, quod Chriſtus dixit ibi tunc omnibus collectis, propter Judam traditorem ſuum, ne ſeparando ab aliis eum oſtenderet ſuum traditorem, & furorem Petri excitaret, & aliorum Apoſtolorum contra eum. Ut & oſtenderet, quod non tantum bonis ſed etiam malis dat ſe manducandum.

Et non dixit ad *omnes*, diſtributos tum in futuros & præteritos. Quia multi mortui fuerunt & ſalvati, antequam Chriſtus natus fuit, ut innocentes pueri, Johannes Baptiſta. Et multi, antequam Chriſtus aſcendit, ſalvati ſunt. Et erant non manducantes nec bibentes ſacramentaliter corpus & ſanguinem Domini ſub utraque ſpecie panis & vini. Et hoc probat *Marcus XIV. Et biberunt ex eo omnes*, id eſt *illi duodecim Apoſtoli* & non plures. Alias evangeliſta falſum diceret.

Et ibi tunc porrigendo eis corpus & ſanguinem ſuum ſub utraque ſpecie ſacramentali *conſecravit eos in Cardinales & epiſcopos*, dicens: *Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum*, deſignans per eos in futurum omnes *offerentes tantum*, & non laicalem populum, qui debet tantum ſub una ſpecie panis communicare.

Hoc etiam patet ex *ſatiationibus Chriſti*, quas fecit turbis & diſcipulis ante mortem & reſurrectionem ſuam.

Et primò patet *Matth. VIII.* ubi ipſe Chriſtus ſatiavit quatuor millia hominum de ſeptem panibus & paucis piſcibus. De *ſecundo Johann. VI.* ubi Chriſtus ſatiavit quinque millia hominum de quinque panibus & duobus piſcibus & non potavit. Et *Luc. ultimo*, ubi Chriſtus cum duobus diſcipulis tranſivit in Emaus, accepit panem & benedixit ac fregit, & porrigebat eis panem, ſecundum *Auguſtinum in homilia*, id eſt corpus ſuum, & non vinum.

Ex quibus patet, qvod non eſt voluntas Chriſti, ut populus laicalis debeat communicari ſub utraque ſpecie. Alias utique Chriſtus diſcipulos & turbas *potaſſet* aliquo potu, qvod non fecit.

CAP. III.

De ſymbolis Veteris Teſtamenti, quod tantum ſacerdotes ſub utraqve ſpecie debeant communicare: Populus autem ſub una.

EST etiam *contra vetus teſtamentum*, videlicet ubi lex divina antiqua oſtendit multis ſigillis, quod *tantum offerentes* debent ſub utraque ſpecie ſacramentali communicare.

Nam *Geneſ. XIV. Melchiſedech Rex Salem obtulit panem & vinum, erat autem ſacerdos Dei altisſimi.*

Et 3. Reg. XIX. legitur quod *Elias ſurrexit & comedit panem ſubcineritium, & bibit aquam. In fortitudine cibi illius ivit usq; ad montem Dei Horeb. Et erat Propheta Altisſimi.*

Et in *Levitico* legitur, ubi non licebat filiis Iſrael uti libaminibus; id eſt offerendis in fluido, id eſt vino, oleo, & melle, niſi Aaron & Levitæ tantum, qui portabant figuram offerentium.

Et in *Deuteron. c. XII.* dicitur filiis Iſrael: *Carnibus hoſtiarum tuarum ipſe veſceris, ſanguinem fundes in altari*, id eſt committes ſacerdoti, qui dicitur ſpiritualiter vas conſecratum & ſanctum altare, dignum ad ſanguinem Domini ſuſcipiendum.

Quod autem *populus* laicalis debeat communicari *ſub una ſpecie* panis, patet *Exod. XII.* Ubi multitudo filiorum Iſrael immolabat *agnum* ad veſperam Paſchæ, & comedebant azymos panes & *non bibebant vinum*. Ille agnus Chriſti ſignificat corpus & vinum ſanguinem ejus.

Man-

Manducabant & *Manna* in deſerto, *Exod. XVI. & non bibebant vinum.* Item, Deus *panem* cœli dedit eis, & *non vinum.* Angelorum *eſca* nutriviſti populum tuum, & non, *potaſti.*

CAP. IV.

De dictis Novi teſtamenti, quibus de communione ſub utraque videatur agi. Et an uſus ſacræ cœnæ ſit de neceſſitate ſalutis.

ITem *nova lex* hoc idem oſtendit. Videlicet in *Johanne VI.* Ubi Chriſtus dixit ad turbas: *Ego ſum panis vivus qui de cœlo deſcendit. Siquis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, & panis, quem ego dabò, caro mea eſt pro mundi vita. Litigabant ergò Judæi ad invicem dicentes: Quis poteſt dare nobis carnem ſuam ad manducandum.*

Et alias modicum infra dicit in eodem capite: *Qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Et non dixit: *Bibite hoc vinum.* Ecce nullam fecit mentionem de *vino* pro laicis.

Sed quando Chriſtus dixit: *Niſi carnem filii hominis manducaveritis & biberitis ejus ſanguinem, non habetis vitam in vobis*: Quoad literam, & prout verba ſonant, Chriſtus *dixit tantum ad diſcipulos* & futuros offerente. Quod implevit in ultima cœna & implevit nunc in ſacerdotibus offerentibus, & non aliis ſacerdotibus, ut infirmis & captivis, nec in laicis communicantibus tempore ſuo.

Et quod non tam *literaliter*, prout verba ſonant, *Niſi carnem filii hominis manducaveritis*, exponeremus, ſed plus *ſpiritualiter*, dicit Chriſtus: *Spiritus eſt, qui vivificat, Caro verò non prodeſt quicquam, verba mea, quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita*, id eſt ſpiritualiter ſunt intelligenda, non ſacramentaliter tantum.

Et iſta verba prædicta magis *intelliguntur de fide & ſpe & charitate*, quàm ſacramentali manducatione. Ante iſta verba in longo paſſu ſic dicit Chriſtus: *Ego ſum panis vitæ, qui venit ad me, non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet unquam. Et Auguſtinus* ſanctus ſuper illo *Joh. VI. Caro mea vere eſt cibus*, dicit *homil. 24. Hoc eſt, manducare illam eſcam & bibere illum potum, in Chriſto manere; & illum manentem in ſe habere. Et per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo, id eſt in illo, Chriſtus non manet, procul dubio non manducat ejus carnem, nec bibit ejus ſanguinem.* Hæc ille.

Si forte diceres: Sed dicitur: *Qui non manducat ejus carnem, nec bibit ejus ſanguinem, non habebit vitam in ſemetipſo*, id eſt, æternam gloriam, ut dicit Chriſtus: Ibi ſcire te volo, quod ſecundum intentionem *Gorra ſuper Johannem*, duplex eſt *manducatio*: Quædam *ſpiritualis tantum*, quæ fit per *fidem*, *ſpem* & *charitatem*, de qua Chriſtus hic intelligit, & de qua Auguſtinus, Ambroſius: *Crede & manducaſti.* Et tunc manducatio eſt de neceſſitate ſalutis, ſine qua nemo poteſt ſalvari. Et de illa dicit Chriſtus: *Niſi carnem filii hominis manducaveritis*, ſcilicet *ſpiritualiter.* Quia talis manducatio frequens requirit poſt baptiſmum fidem, ſpem & charitatem.

Alia eſt *manducatio ſacramentalis.* Et iſta non eſt de neceſſitate ſalutis, licet ſit magnæ utilitatis. Nam ſecundum Gorram manducatio nullam vitam dat, nec vitam gratiæ, nec vitam gloriæ. Cum non ſint plures viæ neceſſariæ ad perpetuam vitam niſi illæ duæ tantum. Nam illa *manducatio ſacramentalis non eſt de neceſſitate ſalutis.*

Et quod non det *vitam gratiæ, id eſt remiſſionem peccatorum*; patet, quia illa vita datur per baptiſmum, contritionem, confeſſionem, veram pœnitentiam. Et illa vita requiritur ad illam digniſſimam manducationem ſacramentalem. Alias non acciperet ad ſalutem, uti patet per ſanctum Paulum *1. Corinth. XI. Qui enim manducat & bibit, calicem indigne judicium ſibi manducat & bibit non dijudicans corpus Domini.* Uti patet in Juda & multis aliis ſequacibus ſuis.

Et quod non det *vitam gloriæ*, patet: Qui perſeveraverit, in vita gratiæ, usque ad finem vitæ corporalis, ſtatim

Digitized by Google

ſequitur eum vita gloriæ, id eſt beatitudo æterna & viſio Dei ineffabilis. Uti patet in pueris, qui decedunt poſt baptiſmum.

Quia ſi iſta manducatio ſacramentalis eſſet de neceſſitate ſalutis, tunc omnes homines à principio mundi usque *ad paſſionem Chriſti* omnes damnarentur & damnati eſſent. Quod falſum eſt. Quia multi Patriarchæ & Prophetæ & alii ſancti Patres ſalvati ſunt, ut patet in Adam, Abraham, Iſaac, Jacob, & aliis multis patribus V. T. Et quod *poſt paſſionem Domini*, MILLE & QVADRINGENTIS QVINDECIM ANNIS, HUC USQVE, non porrigentes & non manducantes omnes eſſent damnati. Qvod eſt falſum. Quia tunc omnes Apoſtoli, omnes Papæ & omnes ſancti Chriſtiani damnarentur, Quod eſt erroneum. Quia nullus illorum manducavit ſub utraque ſpecie, nec aliquis illorum porrexit ſub utraque ſpecie ſacramentali, præter ſacerdotes offerentes; Scil. quia manducaverunt non ſolum ſacramentaliter, ſed etiam ſpiritualiter, ſcilicet fide, ſpe & charitate.

***A.** 1415. hic libellus ſcriptus.*

Et de hac informat nos ſanctus Paulus 1. *Cor. X.* dicens *Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres veſtri omnes ſub nube fuerunt & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moſe baptizati ſunt in nube*, id eſt *in mari*, *& omnes eandem eſcam ſpiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt, biberunt autem de ſpirituali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus.*

Et S. Auguſtinus, *diſt.* 4. *de conſecratione ſacramentorum*, Bonifacio Papæ contra Pelagianorũ hæreſin ſic dicit, c. 130. *In eccleſia Salvatoris. Non cogites, quod illi vitam habere non poſſint, qui expertes corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, dicente Domino: Niſi manducaveritis carnem filii hominis.* c. 131. *Nulli eſt aliquatenus ambigendum, quemq; fidelium corporis & ſanguinis Domini noſtri participem fieri, quando in baptiſmo membrum Chriſti efficitur, nec alienari ab illius panis caliciſq; conſortio etiamſi antequam panem illum comedat & calicem bibat de hoc ſeculo abſcedat Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non privatur. &c. Non omnes ſacramentaliter* manducantes carnem filii hominis *&* bibentes ejus ſanguinem, ſalvabuntur, niſi bene diſpoſiti.

Sed fortè diceres, *tempore & loco opportunis debent ſacramentaliter manducare & bibere.*

Ubi ſcias, ſi eſſet *præceptum* Chriſti manducare ejus carnem & bibere ejus ſanguinem ſacramentaliter, tunc tantum illi ſalvarentur qui manducarent carnem ejus & biberent ſanguinem ejus ſacramentaliter, & non alii. Quod falſum, ut prius dictum eſt.

Et nullus Doctorum exponit *præceptum* Chriſti *pro tempore & loco opportunis.* Quia ea ratione omne mandatum Chriſti exponeretur. Et ſic homo, *quando vellet* impleret mandatum Dei, & quando vellet, dimitteret, *pro tempore & loco.* Cum mandatum Dei idem ſemper ſit implendum.

Ubi tamen, *frater mi dilecte*, ſcire velis etiam, quod manducatio & bibitio eſt diverſa diverſorum. Quia quidam ſunt, qui *non manducantes manducant*; ut viri contemplativi probati, pueri innocentes: Et alii, qui decedunt in fide & charitate, ut martyres Domini. Bene *S. Auguſtinus* dicit de illis, *Crede & manducaſti.*

Secundi ſunt, *qui manducantes ſumunt.* De quibus S. Paulus dicit *I. Corinth. XI. Qui ſumit indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.*

Tertii ſunt, qui *manducantes manducant*, *fideles Chriſtiani* contriti & confeſſi. De quibus dixit Chriſtus *Johann. VI. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

Quarti ſunt, qui *non manducantes non manducant*, ſcilicet omnes *deſperati* & delectantes ſe in peccatis plus quam in gratia Dei, & qui ſemel minimum in anno non communicant. Et illi debent à fidelibus excludi. Quia illis eccleſiaſtica negatur ſepultura, niſi ſigna manifeſta aliud oſtendant, uti patet in *canone*: *Omnis utriuſq; ſexus*, *De pænitentia & remiſſione*, Et illis dixit Jeſus *Joh. VI. Niſi carnem filii hominis manducaveritis & biberitis ejus ſanguinem, non habetis vitam in vobis.*

Spi-

Digitized by Google

Spirituales ſunt offerentes ſub utraque ſpecie ſcilicet panis & vini, & laicalis populus. Scribit hoc *idem* etiam, ut communicarent omnes ſpirituales laicales ſub utraque ſpecie, dicens: *Ego enim accepi à Domino, quod etiam tradidi vobis.* Fecit, ſicut accepit. Reſpondetur, quòd S. Paulus non ſcribit aliter ad Corinthios, niſi à Domino accepit. Scil. quia Dominus Jeſus non dedit corpus ſuum & ſangvinem ſuum ſub utraqve ſpecie ſacramentali niſi *duodecim Apoſtolis*, ut prius patuit, qvos & prius conſecravit in ſacerdotes, qui fuerunt figura omnium ſacerdotum offerentium, & non aliorum, vel laicorum communis gregis. Ut qvidam dicunt, qvod illi *duodecim apoſtoli fuerunt figura omnium Chriſti fidelium* degentium in hac vita, qvi deberent communicare ſub utraque ſpecie ſacramentali, propter fragilitatem. Hoc non eſt verum. Quia Chriſtus, quando dabat corpus & ſangvinem ſuum, offerebat corpus & ſangvinem ſuum Apoſtolis ſub utraqve ſpecie, ſcilicet ſub ſpecie panis & ſub ſpecie vini, quod corpus obtulit in cruce in craſtino pro ſalute omnium fidelium. Et ſic Chriſtus tunc inſtituit Apoſtolos illos duodecim offerentes & non ſimpliciter communicantes.

Et cùm fuerunt Corinthii decepti per pſeudos & Prophetas ad communicandum ſub utraque ſpecie: Scripſit eis, utrum hoc dignè vel indignè facerent, dicens: *Probet autem ſe ipſum homo &c. qui enim manducat indignè* & inordinatè, *judicium ſibi manducat & bibit*, non dijudicans corpus Domini.

CAP. V.

De Patrum & Doctorum dictis, qui communionem ſub utraque aſſerere videantur.

ET nunc etiam videamus alias *autoritates*, quibus quidam armant ſe ad inducendum populum laicalem ſub utraque ſpecie.

Et *primò* ſumunt *Gregorium in Dialogo*, ubi ſic dicit: Ejus quippe caro partitur, ejus quippe ſangvis non in manus infidelium ſed in ora fidelium infunditur. Ubi, *frater mi dilecte*, benè ſcire debes, quod ſacramentum non partitur, niſi per manus aliquorum ſacerdotum, & hoc offerentium tantùm, & non captivorum vel infirmorum. Et in illorum ora offerentium debet *ſangvis* infundi. Quando offertur *ſub ſpecie panis*, ibi totum corpus ſumunt, ſangvinem cum carne ſimul & ſemel ſumtum.

Item diceres: Dicitur verò, *in ora fidelium*: Et laici boni ſunt fideles. Debet ergò ſangvis infundi in ora fidelium. Ibi dico, quando corpus Chriſti porrigitur fideli laico ſub ſpecie panis, infunditur ſibi etiam ſangvis Chriſti concomitativè. Qvia, ubi eſt corpus Chriſti, ibi eſt & ſangvis. Aliàs error maximus ſequeretur. Qvia eſt ſanguis Chriſti glorificatus, unitus eſt corpori Chriſti inſeparabiliter. Nos ſcimus, quia Chriſtus vivus eſt. Igitur non eſt ſine ſangvine, ſed in ſe habet verum ſangvinem. Ergò ſacerdos porrigens laico fideli ſub ſpecie panis, porrigit ſibi Chriſtum.

Sed ad autoritatem *S. Thomæ*, quam multi allegant, dicentes: Qvòd corpus Chriſti & ſangvis debet dari ſub utraq; ſpecie laicali populo, quam *Thomas* ſcribit *in P. III. ſuarum diſtinctionum, q. 76.* Ubi ſic dicit: *Quod quamvis totus Chriſtus ſit ſub utroque ſacrato, non tamen fruſtratim. Nam in primò repræſentat paſſionem Chriſti, in ſecundo ſangvinis effuſionem*: Tamen *conveniens eſt uſui hujus ſacramenti, ut ſeorſim exhibeatur fidelibus.* Dicunt, quod ſub utraque ſpecie ſacramentali debet dari corpus Chriſti & ſangvis ejus fidelibus laicis. Hoc eſt falſum, quia Sanctum *Thomam* malè intelligunt. Nam plus quam in ducentis locis dicit, quod laicali populo ſub una ſpecie ſcilicet panis dari debeat corpus Chriſti & ſangvis ejus. Quomodo hic contradiceret ſibi ipſi? Oportet intelligi autoritas ſancti Thomæ, quod *conveniens eſt uſui*, id eſt uſus & conſvetudo eſt, quod hoc ſacramentum

 tum

tum ſeorſim exhibeatur, id eſt offeratur in altari pro peccatis omnium fidelium. Et ſic hoc ſacramentum debet exhiberi pro peccatis omnium, & non laicis dando ſub utraque ſpecie ſacramentali.

Et tunc ad *Gelaſium Papam*, qui dicit: *Diviſio unius ab altero ſine peccato & ſacrilegio non poteſt provenire.* Reſpondetur ad hoc *eodem c.* quòd dictum Papæ intelligitur *de ſacerdote* aut conficiente. Et hoc Chriſtus voluit *Luc.* XVII. *Hoc facite*, id eſt, conficite, *in meam commemorationem.* Quia ſacerdos non debet dimittere in altari ſecundam ſpeciem celebrando, ſcilicet vini. Aliàs committeret ſacrilegium. Sicut quidam fecerunt antiquitus, habentes plures eccleſias, & in omnibus officiantes. Et ſic in ultima ſumebant ſub utraque ſpecie, & in primis miſſis tantùm ſub ſpecie panis. Et tales ſacerdotes corrigit Gelaſius Papa de ſacrilegio, & non laicalem populum,

Et tunc ad *Cyprianum martyrem*, dicentem in epiſtola ad Cecilianum: *Sacerdotes quidam in calice Domini ſacrificando & plebi miniſtrando non hoc faciunt, quod Jeſus hujus ſacrificii autor fecit & docuit. Igitur ſiquis in iſto errore adhuc tenetur, &c.* Ad hunc canonem ſciendum, quòd Cyprianus locutus fuit ſecundum conſuetudinem tunc primitivæ eccleſiæ, & credebat eſſe bonum modum. Sed in hoc puncto & in aliis multis eccleſia non tenet eum. Vel poteſt ſic reſponderi, quod in primitiva eccleſia ex ſimplicitate, & nude textum intelligentes: *Niſi carnem ejus manducaveritis*, multi errabant, ſub utraq; ſpecie comunicantes ſacramentali. Nam quidam hoſtiam in ſangvinem intingentes populo laicali porrigebant, alii uvas vino apponebant, & ſub ſpecie vini ſoli hi ſumebant & laicalibus populis uvas intinctas dabant, & pro infirmis in ſacrario reponebant. Alii pannum lineum per totum annum intinctum ſervabant, & in tempore ſacrificii aquâ partim lavabant. Alii lac pro ſangvine dabant. Et de his erroribus & fortè pluribus, habetur de *Conſecr. diſt.* 2. *c. Cum autem.* Sic errantes Cyprianus correxit, quòd non faciebant, ſicut Jeſus inſtituit.

CAP. VI.

De praxi primitivæ Eccleſiæ, quoad communionem plebis ſub utraque.

ET forte diceres, quod *plures* fuerunt, *qui communicaverunt populum laicalem in primitiva Eccleſia* ſub utraque ſpecie ſacramentali. Verum eſt, ſed diverſimodè. Quia quidam communicaverunt ex ſimplicitate & pia devotione, ut *B. Cyprianus & S. Donatus.* Sed quam cito fuit eis revelatum per intellectum ſacræ ſcripturæ, vel viſionem Dei in miraculis, *ſicut Donato* revelatum fuit per fractionem calicis, quod non debet populus laicalis ſub utraque ſpecie communicare, mox ceſſavit & pœnituit, & nunquam aliquem amodo ita communicavit, & aliis conſuluit. Alii vero communicaverunt populum ſub utraque ſpecie ſacramentali ex pura malitia, ut erronei & hæretici. Sic fecerunt Neſtorius & Pelagius & eorum ſequaces. Ut *Bohemi faciunt*, dicentes, quod ſub ſpecie panis ſit corpus, & ſub ſpecie vini tantum eſt ſanguis Chriſti. Idcirco diviſim communicant populum laicalem ſub utraque ſpecie ſacramentali. Quod eſt error maximus, imo & hæreſis eſt. Quia ubicunque eſt corpus Chriſti, ibi eſt & ſanguis, & è converſo.

Et illi, ſcilicet *Pelagius* & ſui ſequaces, nude intelligentes textum illum *Joh. VI. Niſi manducaveritis* &c. ubi intelligebat ſacramentaliter & non ſpiritualiter, prout prius dictum eſt.

Digitized by Google

CAP. VII.

De communicatione infantum ſub utraque.

ET ſic decepti errore illo peſſimo etiamdixerunt, quod pueri poſt baptiſmum propter innocentiā, cum non ſint ſuperbi, nec avari, nec luxurioſi, &c. debeant communicari ſub utraque ſpecie ſacramentali, nude intelligentes. Quorum hæreſi repugnat *S. Thomas in Part. IV. ſuarum diſtinctionum, diſt.* 9. ubi dicit: *Dementibus, pueris, fatuis, & mutis, confiteri non valentibus, niſi aliqualiter circa ſigna videantur & ſignentur & cognoſcantur peccata cum circumſtantiis, non detur. Quia de perceptione hujus non ſufficit ſola innocentia, ſed alia plura. Quia primo requiritur cognitio inter cibum corporalem & ſacramentalem. Et talem cognitionem non habent pueri. Secundo requiritur devotio. Et propter hoc non datur fatuis nec mutis. Nam tales habent ſe ſicut bruta ſine cognitione & & diſtinctione. Quarto etiam requiritur peccatorum confeſſio. Et propter hoc non datur mutis, niſi aliter circa ſigna cognoſcantur, & hoc cum circumſtantiis.*

Et, ſi aliquis diceret: Quoniam pueri privantur hoc ſacramento, etiam ſalute privantur: Hoc non eſt verum. Quia per hoc ſacramentum non datur eis ſalus, ſed per baptiſmum.

CAP. VIII.

Quare ſub utraque ſpecie ſolùm à ſacerdotibus communicare ſit inſtitutum.

SEd forte diceres: Quare hanc manducationem & bibitionem ſub duplici ſpecie ſacramentali inſtituit ſolum in oblatione & immolatione, & non in ſimplici communicatione? Hoc declarat *S. Gregorius De conſecrat. diſt.* 2. Et S. Auguſtinus *eodem c. Utrum, & diſtinct. eadem: Chriſtus ſciens ſe corporaliter ab hoc ſeculo receſſurum ad patrem & homines quotidie peccare & in peccata labi, & ipſum de cetero non mori pro peccatis noſtris, reliquit poſt ſe ſalutare ſolatium, conſolamen & medicinam peccatoribus, corpus ſuum offerendum in altari pro remiſſione omnium peccatorum fidelium, ob memoriam ſuæ paſſionis & ſanguinis effuſionis ſub duplici ſpecie, ut dupliciter habeatur memoria, videlicet ſui corporis in crucis immolatione per panis ſignificationem, & ſanguinis effuſione, per vini ſignificationem.* Manducatio & bibitio extra officium non fit in remiſſionem omnium peccatorum.

CAP. IX.

De variis periculis & impedimentis uſus calicis in communicatione plebis.

SUfficit ergo laico ſub una ſpecie panis habere corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti memoriam, & non ſub ſpecie vini, *propter majorem cautelam.* Nam incongruum eſt, imo maximum peccatum ſanguinem Jeſu Chriſti fundere violenter mortalem, nunc autem majus permaxime fundere ſanguinem Jeſu Chriſti immortalem. Hoc patet per *Pium Papam, De conſecrat.* qui dicit: *Si per negligentiam ſacerdotis ſtillavit gutta ſanguinis Chriſti ſuper terram aut ſuper pallam, pœnitere debet quadraginta diebus jejunium & orationes, & à celebratione miſſarum debet ſuſpendi, & gutta ſtillata lambatur, & palla aut pannus comburatur, ſi autem eſt lapis, radatur, & raſum ad ſacrarium reponatur.* Si talis pœna debetur ſacerdotibus propter effuſionem ſanguinis Chriſti, per negligentiam factam in pallam, quod debet cremari, multo major pœna debetur laicis, barbas, pepla aut veſtem perfundentibus ſanguine Chriſti, & debent cum barba cremari & in infernum poni.

Et contra illos, qui incaute & indiſcrete ſanguinem Jeſu Chriſti fundunt, dicentes: Quod fuſus fuit pro ſalute fidelium in terra: Dicendum eſt, quod ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti jam eſt glorificatus & glorioſus, corpori Jeſu Chriſti inſeparabiliter unitus, qui prius fuit

us fuit mortalis & diviſibilis. Ideo illi permaxime peccant ita incaute & indiſcrete ſanguinem Jeſu Chriſti fundentes& populum laicalem ſub ſpecie vini communicantes. Quia tales per canones, ſtatuta & Decreta, & de conſuetudine ſanctæ matris Eccleſiæ, *excommunicantur.*

Et ſic portare longe *ad infirmos*, vel per ſylvas aut campos, colles & montes, eundo vel equitando, eſſet valde incautum & *periculoſum*, propter lapſum tam hominis quam jumenti.

Si autem diceres: Sufficit *infirmis* tantum ſub una ſpecie panis. Reſpondebo: Sufficit etiam laicis ſanis tantum ſub ſpecie panis.

Item ſi ſic conſervaretur ſanguis Jeſu Chriſti, prout hoſtia reſervatur, de facili *in acetum transmutaretur* ſacramentum vini.

Tertio *pro magna plebe* & præſertim *tempore peſtilentiæ* oporteret *magna vaſa* præparare.

Quarto, quando *multa millia hominum* ſunt in parochia, qui omnes vellent communicare, ubi *tam magnus calix* ſumeretur, & quis poſſet eum elevare?

Quinto poſſent credere communicantes, quod totus Chriſtus non eſſet ſub utraque ſpecie. Et ſic daretur occaſio errori, qvæ non eſt danda ſimplicibus, quod tam ſacerdos offerens quam laicus communicans unam rem recipiunt, licet alter offert ſub duplici ſpecie, & alter ſumit ſub una, ſcilicet panis.

CAP. X.

Solvitur objectio Jacobi de Miſa: Majorem vim & gratiam eſſe in communione ſub utraque.

DIceret quis: *Major gratia*, devotio & contritio, & ſic de aliis effectibus, acquiritur, *quam ſub una ſpecie.* Reſpondetur: Quod quandoque ſub una ſpecie acquiritur major gratia &c. quam ſub duabus ſpeciebus. Quia aliquando fit, quod laicus eſt bonæ vitæ & dignus, & ſacerdotem eſſe indignum, quia eſt excommunicatus, erroneus, ut illi, qui communicant laicalem populum contra novum Teſtamentum & vetus, contra ſtatuta Eccleſiæ &c. Et tunc ſub una ſpecie major gratia & devotio acquiritur. Quia laicus magis eſt diſpoſitus per devotionem & contritionem, quam ſacerdos. Et hoc patet in illis, qui non omni die communicant, ſed ſemel in anno, quando bene ſunt diſpoſiti. Sed non, ut quidam jam faciunt, qui ſine omni contritione & confeſſione & ſine devotione accedunt ad hoc venerabile ſacramentum.

Et è converſo ſacerdos recipit ſub utraque ſpecie ſacramenti majorem gratiam; Et quia dignior omni laico, officio ſuo ſacerdotali, & quia etiam major devotio & contritio viget in ſacerdote qvam in laico. Quia intelligit qvod legit, qui tractat; Hoc non eſt in laico. Et ſic nulla diſtantia in illo dicto.

CAP. XI.

Solvitur dubium: Quod diſtinctior ſit memoria paſſionis Chriſti ſub utriusque ſpecie communione.

SEd diceres: Quia ſub duplici ſpecie ſit diſtinctior memoria paſſionis Domini, quam ſub una. Reſpondetur, qvod *laicus* poteſt diſtincte memorare ſub una ſpecie: Imo paſſionis & ſanguinis effuſionem omni hora, ex qvalibet fideli memoria, diſtincte, extra communionem. Sed Chriſtus inſtituit hanc ſiendam pro omnibus fidelibus, vivis & defunctis, ſub duplici ſpecie, non propter laicalem communionem. Et id inſtituit, ut ſub duplici ſpecie offeratur in altari pro omnibus fidelibus, qvia panis oblatio ſignificat & repræſentat Chriſti paſſionem & immolationem in cruce. Quia ipſe obtulit ſemetipſum pro nobis in cruce. Et vini oblatio ſignificat ſanguinis Chriſti effuſionem, & re-

& repræſentat, qvod pro nobis effuſus eſt. Hæc duo debet diſtinctim memorare *ſacerdos*, quando offert in altari pro omnibus fidelibus.

Et quod hæc dicta ſint vera, quod Chriſtus debet in offerendo memorari, patet per *S. Ambroſium in Epiſtola ad Corinth.* & ponitur in *Decreto De conſecratione, diſt.* 2. *c.* 50. ubi dicit: *Quia morte Domini liberati ſumus, hujus memores, carnem & ſanguinem qua pro nobis oblata ſunt,* ſignificamus. *Et S. Auguſtinus diſt.* 2. ſic dicit: *Iteratur autem quotidie hac oblatio, licet Chriſtus ſemel paſſus eſt, nos autem quotidie peccamus Peccatis, ſine quibus mortalis infirmitas ſubſiſtere non poteſt, & ideo, quia quotidie labimur, quotidie Chriſtus pro nobis immolatur. Intra Catholicam Eccleſiam in miniſterio corporis Chriſti nil à bono majus nil à malo minus perficitur ſacerdote. Et S. Ambroſius diſtinct.* 2. *c.* 53. *De conſecr.* ſic dicit: *Sicut enim, quod ubique offertur & unum eſt corpus & non plura corpora, ita & unum ſacrificium. Pontifex autem ille eſt, qui hoſtiam obtulit nos mundantem. Ipſam offeramus etiam nunc, qua tunc oblata eſt & conſumi non poteſt. Quod nos facimus, in commemorationem fit ejus quod factum eſt. Hoc enim facite, ait, i. e. ſecundum Johannem Andreæ, conficite, in meam commemorationem.*

CAP. XII.

De triplici potu ſanguinis Chriſti.

ET quia perlectis omnibus ſanctis & ſacræ ſcripturæ Doctoribus, *nullus prohibet ſub una ſpecie communicare laicales*, etiam *nullus præcipit* & mandat ſub utraque ſpecie laicos communicare, *excepto Cypriano*, qui ab Eccleſia abraſus eſt propter talem partem, & quoad baptiſmum hæreticorum, cum octuaginta Epiſcopis, ut prius eſt declaratum: Ultimo *ad dicta* reſpondeatur ſic: Quod *potus Jeſu Chriſti eſt triplex*, ſcilicet *ſacramentalis, intellectualis & ſpiritualis.*

Sacramentalis eſt, qui à ſolis ſacerdotibus ſumitur ſub ſpecie vini de calice.

Intellectualis, qui à populis Chriſtianis ſumitur ſub ſpecie panis de ipſo Chriſti corpore.

Spiritualis eſt, qui ab omnibus ſalvandis ſumitur de pia paſſionis Chriſti meditatione.

Primo modo ſumtus peccata quotidiana relaxat, *ſecundo*, fidelem mentem dulcedine delectat, *tertio*, totam animam irrigando fœcundat.

Primus potus ſumitur quotidiè à ſacerdotibus in altari de calice, *Matth.* 26. *Accipiens Jeſus calicem benedixit & dedit eis, dicens: bibite ex hoc omnes, hoc eſt enim ſanguis meus*, omnes ſcilicet Apoſtolos deſignans, ſacerdotes omnes offerentes, exceptis captivis & infirmis.

Secundus potus ſangvinis Chriſti eſt intellectualis, qui ſumitur à populo Chriſtiano ſub ſpecie panis de corpore Salvatoris. Sicut ſub ſpecie vini conſecrati ſangvis Chriſti eſt per transſubſtantiationem, & corpus per annexionem. Unde ſicut ſacerdos ſumit ſanguinem Chriſti ſacramentaliter de calice, ita fidelis populus ſumit eum intellectualiter de ipſo Chriſti corpore. *Jobi XXXIX. Pulli aquilæ lambunt ſangvinem*: Pulli aquilæ ſunt ſubditi eccleſiæ, hi lambunt ſangvinem Jeſu Chriſti de ipſo corpore, quaſi de calice. Hic ſangvis fidelem mentem dulcedine ſua delectat, *Cant.* 1. *Botrus cypri dilectus meus.* In botro duo ſunt, uva & cibus, & in uva dulcis ſangvis, id eſt potus.

Tertius potus eſt ſpiritualis ſangvinis Chriſti, qui ab omnibus ſpiritualiter ſumitur de paſſione Chriſti pia meditatione. *I. Corinth. XI. Patres noſtri omnes eundem potum ſpiritualem habuerunt & biberunt.* Sicut patres boni de foraminibus petræ biberunt aquam, & illo ſangvine paſſionis figuratum ſangvinem crediderunt; & per fidem ſpiritualiter guſtaverunt; Sic boni Chriſtiani de vulnerum Chriſti meditatione ſangvinem ejus ſolent ſpiritualiter bibere.

Digitized by Google

CAP. XIII.

De autoritate Romanæ Eccleſiæ quoad ſtatutum communionis laicalis ſub una.

RESTAT jam *tertium* dicere, quomodo communicans populum laicalem ſub utraque ſpecie ſacramentali peccat *contra Catholicam Romanam eccleſiam.*

Nam Catholica Romana eccleſia, videns & conſiderans, quomodo multi errabant communicantes populum laicalem ſub utraque ſpecie ſacramenti, quidam ex ſimplicitate, ut B. *Cyprianus* & S. *Donatus* & alii plures, ut prius patuit, alii verò ex pura malitia, ut erronei & hæretici, ut *Neſtorius & Pelagius, & ſequaces eorum Bohemi*, Pſeudæ & Prophetæ, qui deceperunt Corinthios, ſic, quod nec Moſes nec Samuel nec Chriſtus mandavit, ſed S. Paulus conſuluit, ut mulier non velata capite eccleſiam non intret, aliàs ſi non eſt velata, tondeatur in turpitudine, 1. *Corinth.* XI. Sed Chriſtus mandavit, ut ejus carnem manducemus & ejus ſangvinem bibamus, *Joh. VI. Niſi carnem filii hominis manducaveritis, non habetis vitam in vobis:* Et iſta aſtutia pſeudo Prophetæ deceperunt Corinthios, quod ipſi ſub utraque ſpecie ſacramentali communicaverint non tantùm ſacerdotes, ſed etiam laicalem populum, quod tamen Chriſtus nullibi mandavit, nec per evangelium prius allegatum, niſi offerentibus, ut prius dictum eſt per ſcripturam veteris & novæ legis: Conſiderans autem errores illos circa multos *eccleſia Catholica & Romana*, ducens veterem legem ad novam, id eſt figuram ad figuratum, quæ figuræ oſtenderunt & oſtendunt quod laicales debent tantùm ſub una ſpecie communicare ſcilicet panis, & offerentes ſub duabus ſpeciebus, ſcilicet panis & vini, propter rationes jam præmiſſas, *ſtatuit*, ſanxit & confirmavit canonibus, & decretis & decretalibus, & bona conſvetudine à multis centenis annorum curriculis, *ſub pœna anathematis* & perpetuæ damnationis, *ut àmodo nullus communicaret populum laicalem ſub utraque ſpecie ſacramentali.*

Quam *ſanctionem* quilibet ſacerdos fidelis debet obſervare, quod communicet populum ſub una ſpecie panis & non vini, ſub pœna præmiſſa.

Et hoc ideò, quia *autoritas Romana eccleſiæ* eſt major auctoritas & caput omnium autoritatum poſt Chriſtum in mundo. Quam autoritatem S. *Auguſtinus* præferebat evangelio, uti patet in *Libr. XI.* contra Fauſtum, & contra epiſtolam in libro fundamenti ſic dicit, *Ego evangelio non crederem, niſi me eccleſiæ Catholicæ autoritas commoveret*, quod non dat ſacramentum laicali populo ſub utraque ſpecie ſed tantùm ſub una ſpecie ſcilicet panis.

Quæ eccleſia ſancta regitur ſpiritu ſancto. Et qui facit in oppoſitum eccleſiæ, peccat in ſpiritum ſanctum, quod peccatum non remittitur nec hic, nec in futuro, teſtante ſalvatore, in evangelio *Matth.* XII. ubi ſic dicit: *dico vobis: omne peccatum & omnis blaſphemia remittitur hominibus, ſpiritus autem blaſphemia non remittitur. Et quicunque verbum dixerit contra filium hominis remittetur ei, qui autem dixerit verbum contra ſpiritum ſanctum, non remittetur ei uſquam, neque hic neque in futuro.*

Et ideò quicquid obſervavit Romana eccleſia & Catholica, ab omnibus Chriſti fidelibus eſt ob ſervandum, quia membra non debent deſcendere à capite, ut ponitur in *decreto, diſt.* 12. *Non decet membra à capite deſcendere.* Et *Innocentius Papa, diſt.* XI. *Te, Decentine, ſcire volumus, ut nobis indicare non differas, quod ſcire volumus, qui ſunt hi, qui novitates inducunt, alterius quam Romana eccleſia exiſtimant conſvetudinem eſſe obſervandam, cùm Romana eccleſia ſit mater omnium eccleſiarum, à cujus regulis nullatenus convenit deviare.* Et *S. Gregorius* diſt. 18. *Quiſquis apoſtolicis aut eccleſiæ contrariatur præceptis, aut conſuetudinibus, deinde inter ſacerdotes non habeat locum.*

Ulterius *in eadem diſtinctione*: A ſancta ſede apoſtolica atque obedientia ejus aliquo modo qui declinaverit, majori

juri excommunicatione & dejectione ſubjiciendus eſt.

[illegible] Lucius Papa, de hæreticis c. Ad abolendam, dicit ſic: [illegible] qui de ſacramento corporis & ſanguinis aliter ſentire aut docere non metuunt, quam ſacroſancta Romana Eccleſia prædicat & obſervat, vinculo perpetui anathematis innodamus.

Nam dicit Gelaſius Papa: Non ab apoſtolis vel aliqua ſynodus, ſed [illegible] Primatum Romana eccleſia inſtituit, [illegible] Principem & paſtorem ordinavit Petrum, cui dedit poteſtatem ligandi & ſolvendi. Eſt hodierna die à Romano Pontifice tanquam a primo latere omnis eccleſiæ poteſtas & autoritas.

Item *Honorius Papa* dicit *de Conſvetud. Jubemus, ut neque abſque conſenſu ſuperioris immuteris conſvetudinem eccleſiæ approbatam, novam inducentes, ſi quam forte feciſti.*

Et S. *Gregorius, De* [illegible] *clerici*: Nonne malum, ab ordinatione & obſervatione ſedis apoſtolicæ reſilire, contradicere valdè malum eſt? *Nicolaus Papa, diſt. X. & XI.* dicit: *Omnis transgreſſor obſervationis eccleſiæ puniendus eſt.*

Etiam patet *in lege civili*, qui frangit conſvetudinem & obſervationem civitatis, punitur per legem civitatis.

Sed hic & alii ſui ſequaces, non ſolùm fecerunt non facienda; ſed etiam prædicant non miſſi horrenda, Canonem Innocentii Papæ non advertentes, *De hæreticis*, ubi ſic dicit: *Nonnulli ſacerdotes autoritatem prædicandi eis vendicant & uſurpant non miſſi, apoſtolo contrariando, qui dicit. Quomodo prædicabunt, niſi mittantur. Mandamus igitur epiſcopis, ut prohibeant talia fieri.*

CAP. XIV.

De libertate per Jacobum de Miſa plebi conceſſa, quando velint & cui velint confiteri & communicare.

Etiam dicunt & *prædicant*, quod *quilibet homo, quando vult, cui vult, ubi vult, poteſt confiteri & communicare*, non advertens plebanum ſuum, ſuperbum, avarum, luxurioſum, ſimoniacum.

Non memorantes Apoſtolum, qui dicit: *Qui alium judicat, ſeipſum condemnat.* Et *Nicolaum Papam*, qui Ludovico Imperatori ſcripſit exemplum Conſtantini Imperatoris, qui, Conſtantinus, dixit: *Si propriis meis oculis vidiſſem peccantem ſacerdotem cum muliere, clamyde meo cooperuiſſem, ne ab aliquo videretur confuſus.* Ubi nunc tales ſunt, qui peccata hominum occultarent?

Sed proh dolor jam omnes ſpirituales & ſeculares non peccata manifeſtant, ſed multò plura & majora, quibus inſcii ſunt, prædicantes narrant & edicunt, ut ſua peccata occultent, quæ plus ſunt nociva & ignominioſa aliorum omnium: Cùm tamen venient in cognitionem hora mortis & in die judicii, uti patet *Luc.* 21. *Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum poteſtate magna & majeſtate.*

Ideo advertere debent *Canonem de remiſſionibus: Omnis utriusque.* Ubi dicit Clemens Papa III. *Omnis fidelis utriusque ſexus tenetur in ſua eccleſia confiteri & communicare, niſi cauſa rationabilis & voluntas paſtoris excuſaret. Quod ſi aliquis aliter faceret, ſciat ſe non eſſe abſolutum. Quia nemo debet falcem in meſſem aliorum mittere.* Et ſic communicans indignè communicaret: Quia in peccato mortali corpus Chriſti ſumeret. Quia aliter ſacerdos ſibi peccata dimittere non potuit, uti patet *in c. omnis utriusque ſexus &c.*

TOMI III. PARS XVI.

JACOBELLI

Sive JACOBI DE MISA

Aliàs de STRZIEBRO

BOHEMI

Paſtoris in Eccleſia & urbe Pragenſi

VINDICIÆ

contra ANDREAM BRODAM

Doctorem & Profeſſorem Theologum in Academia Pragenſi,

Pro COMMUNIONE PLEBIS SUB UTRAQVE SPECIE.

Sub Conſtantienſi Concilio Anno 1415. editum opus.

Ex antiquiſſimo Codice MSCto

CÆSAREO VINDOBONENSI,

h. t.

Tractatus Magiſtri JACOBI de MISA, alias de Strziebro, contra Doctorem BRODAM, De Communione utriusque ſpeciei.

PARS I.

De Dictis Scripturæ & ſententia Patrum de communione ſacra.

CAP. I.

Poſt exordium, propoſita ſententia, ſubutraque ſpecie eſſe communicandum.

V. ſupr. f. 336. & infra Part. XXII.

PRæmiſſis *poſitione ſcholaſtica & tractatulo*, in qvo ſanctorum *antiquorum auctoritates* ſunt ſuccinctè collectæ, & præſertim Domini JEſu Chriſti & ſui Apoſtoli Pauli *de communicatione calicis in plebe Chriſtiana:* Jam reſtat *ad quædam in oppoſitum dicta*, quantum ex alto dabitur, *reſpondere*. Proteſtando, ſicuti & prius *proteſtatus ſum in univerſitate Pragenſi*, qvod in hac materia utiliſſima ac ſaluberrima populo Chriſtiano, ſicut & in alia qvacunqve, non intendo qvicqvam dicere, ſcribere aut aſſerere præſumtuoſe, qvod foret contra ſanctam Eccleſiam Catholicam Chriſti Jeſu, vel contra veram fidem Chriſtianam & legem Dei immaculatam. Qvod ſi aliqvid talium me fortè dicere contingeret, qvod abſit, ex ignorantia mea ſeu inadvertentia ac imperfectione, qvam fateor eſſe in me multam nimis, id revoco & retracto: Rogans haberi pro non dicto. Et ſubjicio me correctioni omnium, ad qvos ſpectat ſcilicet errantes corrigere, & ad viam reducere veritatis.

Qua proteſtatione præhabita, eſt advertendum, qvod ſicut olim *in primitiva* fuit tenta *Eccleſia*, ſic & in noviſſima Chriſti Eccleſia debet obſervari iſta *fides Evangelica*, puta, *qvod Dominus JEſus*, Deus & homo, cujus perfecta ſunt opera, *memoriale fecit mirabilium ſuorum* ante

ante mortem ſuam, *inſtituens magnam cœnam ſacramentalem, completam & perfectam ex cibo & potu ſacramentali.*

Quam quidem *cœnam ſacramentalem,* ſcilicet *completam & perfectam,* ipſe Dominus ſuis *tradidit diſcipulis,* & in ipſis toti communitati Eccleſiæ, *ad comedendum & bibendum ſacramentaliter corpus & ſanguinem ſub utraque ſimul ſpecie ſacramentali.* Quod mandavit obſervari usqve ad conſummationem ſeculi.

Quam & magnus *Paulus* à Domino accepit & Eccleſiarum communitatibus tradidit tenendam.

Hoc enim prædicavi & *ſcripſi, & in pluribus alibi jam tractatibus,* plurimis ſcripturis multorumqve ſanctorum auctoritatibus, prout potui, oſtendi, & prout valui, declaravi. *V. infra Parte XXII.*

CAP. II.

De dicto Chriſti Johann. VI.

Niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſangvinem, non habebitis vitam in vobis.

V. ſupr. in Prolegomenis hujus Tomi. INter cetera autem dicta mea in iſta materia poſui, qvod *iſta fides Evangelica fundaretur ſuper iſtud Evangelicum Joh VI. Niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Andreas Broda, Quidam autem *Doctor,* utinam veritatis, nititur *impugnare* ſententiam hujus fidei Evangelicæ multipliciter. Et *objiciens* plurima de hac materia per me introducta intendit dicere, quod *hac fides non fundatur ſuper iſtud Evangelicum: Niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Brodæ argumentum. Arguit enim ſic contra hoc: *Iſtam ſcripturam Joh. VI. ſi capere vult adverſarius, veluti ſonat, tunc omnes parvuli, id eſt omnes infantes & omnes poſt perceptionem baptiſmatis immediatè morientes, omnesque ſine copia ſacramenti Dominici decedentes, non haberent vitam in ſemetipſis, & vitâ, quæ verè vita eſt, æternaliter privarentur. Sed quis hanc impietatem apprehendit? pius enim eſt Dominus Deus & miſericors, cujus miſerationes ſuper omnia opera ejus. Quis enim dicere præſumat ita durum & crudelem, ut perdat animas innocentes, eo, quod ſuum ſanguinem in re non biberent, ſeu ſuam carnem effectualiter non manducarent, quam nec opportuno tempore habere potuerunt. Et jam graviter univerſalis erraret Eccleſia, ſanctificando illos beatos & innocentes, quos Herodes occidit, quoniam non manducaverunt carnem ejus, nec ſanguinem ejus in re biberunt, cum non fuiſſet inſtitutum hujusmodi ſacramentum, imo feſtin[illegible] totam Eccleſiam indebitè tolleretur. Sed quis ita ſtolidus, ut talia de matre ſua, ſancta ſcilicet Eccleſia, præſumat autumare? Nam ſecundum literalem illius textus intelligentiam hi, de quorum ſalute major eſt certitudo, damnarentur, & de quibus timetur, ſalvarentur. Et ſic veniret in Eccleſiam ſanctam intolerabilis error & ſcandalum gentium ac Judæorum. Oportet ergo fideles hæc verba ſancti Evangelii ſic accipere & intelligere vel exponere, ſicut Chriſtus accepit, ea poſuit ut intellexit. Nam infra modicum poſt aliqua verba Chriſtus ita ſubdit: Verba, quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt, ſpiritus enim vivificat, caro non prodeſt quicquam, Joh. VI. Igitur verba præmiſſa ſpiritualiter ſunt intelligenda, non carnaliter ſeu literaliter, ideſt, prout ſonant.*

Et adducit iterum *Doctor* Auguſtinum ſuper Johannem, homil. 23. dicentem: *Hæc utique non cadaveribus, ſed viventibus loquebatur. Unde ne ad iſtam vitam intelligentes & de hac re litigarent, ſecurus adjunxit: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. Hanc ergo non habet, qui iſtum panem non manducat, nec iſtum ſanguinem bibit. Nam temporalem vitam ſine illo habere poſſunt, æternam vero omnino habere non poſſunt. Qui ergo non manducat ejus carnem, nec bibit ejus ſanguinem, non habet vitam &c.* Et infra: *Hunc itaque cibum & potum ſocietatem vult intelligi corporis & membrorum ſuorum, quod eſt ſancta Eccleſia in prædeſtinatis vocatis & juſtificatis & glorificatis ſanctis & fidelibus ejus.* Hæc Auguſtinus.

Broda.

Poſt ſubdit *Doctor: Ecce, non ſicut ſonant verba, ſed ſpiritualiter beatus ea exponit Auguſtinus. Unde poſtponit verba Domini dicentis: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Et infra: Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo, Joh. VI. Quod idem S. Auguſtinus exponens ad præcedentia dicit: Hoc eſt ergo manducare illam eſcam & illum bibere potum, in Chriſto manere, & eum in ſe manentem habere. Ac per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, procul dubio non manducat ejus carnem, nec bibit ejus ſanguinem, etiamſi tantæ rei ſacramentum ad judicium ſibi manducet & bibat. Hæc ille & cetera. Item in homilia 24. dicit: Diximus enim, ſanctus Dominum hac commendaſſe & manducatione carnis ſuæ & potatione ſanguinis ſui, ut in illo maneamus, & ipſe in nobis. Multis autem interpoſitis, exponens iſtud verbum Chriſti: Verba, quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt. Quid ſpiritus & vita ſunt? Spiritualiter intelligenda ſunt.* Hæc Auguſtinus.

Broda.

Ex his poteſt intelligi, inquit *Doctor*, *verbum Salvatoris, quo dixit: Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem &c. id eſt, ſi non eritis membra corporis myſtici, & non manſeritis in me, nec ego manſero in vobis, non habebitis vitam. Nam præciſum a vivo corpore hominis non vivit, ſed manens in vivo corpore & ſano vivit. Ille ergo, qui manet in Chriſto, & in quo Chriſtus manet, ſpiritualiter manducat corpus Domini & bibit ſanguinem Chriſti. Ergo Chriſtiani martyres innocentes manducaverunt carnem, & ſanguinem Chriſti biberunt, quia in Chriſto manſerunt & Chriſtus in eis. Videant Chriſtiani fideles hunc ſanctum Doctorem, quomodo non literaliter, ſed ſecundum Chriſti ſententiam ſpiritualiter textum hunc expoſuit, ſequens Chriſtum & ejus Apoſtolum Paulum, qui dicit: Litera occidit, ſpiritus vivificat.*

Conf. ſupr. Parte XV. f. 394.

Et poſt adducit *Doctor* multa impertinentia, ſcilicet, quod dicit Salvator *Matth. XVIII. Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum & projice abs te, & ſi manus tua vel pes tuus ſcandalizat te &c.* Item verbum Salvatoris: *Niſi [illegible] renunciaverit omnibus, quæ poſſidet, [illegible] meus eſſe diſcipulus.* Et multa alia *Doctor* ponit huic jam materiæ impertinentia, quæ dimitto cauſa brevitatis.

Jacobelli reſponſio.

In hac diffuſa argumentatione & exceſſiva allegatione *multa vera* narrantur & catholica per *Doctorem*. Sed ut conſidero, in principio ſuarum argumentationum ponens quædam *vera*, poſtea admiſcet eis ſua *falſa* de ſuis propriis ſententiis, ut ſimplices callidius ſeducantur. Sic enim diabolus ſecundum Chryſoſtomum miſcet multa vera cum mendaciis ſuis, ut populus in ipſis mendaciis citius ſibi credat, ut claret penſanti ſupra dicta.

Broda.

Nam primo aſſumit ſic: *Iſtam ſcripturam Joh. VI. Niſi manducaveritis carnem filii hominis &c. ſi capere vult ad literam, ſicut verba ſonat, tunc omnes parvuli, id eſt infantes, & omnes poſt perceptionem baptiſmatis immediatè morientes, omneſque ſine copia ſacramenti Dominici decedentes, non haberent vitam in ſemetipſis. Et ſic æterna vita privarentur.* Hæc Doctor.

Jacobellus.

Ubi circa aſſumtum eſt notandum, quod prædicta verba Evangelica Chriſti JEſu non debent ſonare fidelibus, ſicut ſonus vel vox abſolute, quaſi ſine aliquo modo ſignificandi ad Dei beneplacitum, ſed debent ſonare *ſecundum vim ſignificandi his verbis inditam.* Nec debent ſonare fidelibus aliquem ſenſum reprobum ſiniſtre concipientium: Sed hæc verba ſicut & aliæ ſcripturæ debent ſonare ſecundum ſuam virtutem ſignificandi in cordibus fidelium ad intellectum dicentis Domini Jeſu Chriſti & ſpiritus ejus.

Quis autem ſit *ſenſus verus* prædicti verbi Evangelici: *Niſi manducaveritis carnem filii &c.* Eſt ſecundo notandum, ſecundum gloſſam ſuper iſto 1. *Cor. XI. Quoniam Dominus Jeſus in qua nocte tradebatur &c.* Quod ſicut in vita naturali corporali primo eſt generatio, ſecundo geniti nutritio, ſic in vita ſpirituali præcedit generatio prima ſpiritualis *per baptiſmum.* Et ſecundo ad continuandam hanc vitam ſpiritualem ſequitur ſpiritualis nutritio fidelium, quæ fit *per diviniſſimam Dei euchariſtiam.*

In generatione vero naturali generans non conjungitur genito ſecundum ſubſtantiam, ſed ſolum ſecundum virtutem:

tutem: In nutritione autem cibus conjungitur nutrito ſecundum ſubſtantiam. Sic ſimiliter in vita ſpirituali Chriſtus in ſacramento baptiſmi ſolum eſt ſecundum virtutem, ſed in ſacramento euchariſtiæ, quod eſt alimentum ſpirituale & ſecundum ſubſtantiam etiam, ſub duplici ſpecie, ſcilicet panis & vini, datur, ut per hoc ſpiritualis perfecta refectio deſignetur.

Sicut ergo illud verbum Evangelicum *Joh. III. Amen, amen, dico vobis, ſi quis non renatus fuerit de novo, non poteſt videre regnum Dei*, de prima generatione ſpirituali communitatis Eccleſiaſtiacæ, id eſt baptiſmo, debet ſonare fidelibus, de virtute ſignificandi indita ad intellectum & ſenſum dicentis & intendentis Domini noſtri Jeſu Chriſti & ſpiritus ejus: Sic illud verbum Evangelicum *Johannis 6. Niſi manducaveritis carnem filii hominis,* &c. ad continuandam vitam ſpiritualem, quoad nutritionem ſpiritualem in diviniſſima euchariſtia debet ſonare fidelibus, de virtute ſignificandi ſibi indita ad intellectum dicentis Domini Jeſu Chriſti, & intendentis ſpiritus ſancti.

Primum autem verbum Evangelicum de prima generatione ſpirituali communitatis Eccleſiaſticæ abſolute propoſitum, ſcilicet: *Niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei,* quomodo debeat ſonare fidelibus de virtute ſua ſignificandi ad intentionem dicentis, poſtea ipſe doctor dicens *exponit*, iterans eundem ſenſum aliis verbis, *Amen, amen, inquit, dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei.*

Sicut ergo hoc verbum debet ſonare fidelibus de generatione prima ſpirituali per baptiſmum, ut dixi, cujus materia eſt aqua ſenſibilis: Sic illud prædictum verbum Evangelicum, *Niſi manducaveritis carnem filii hominis* &c. primo ſimpliciter propoſitum, ad quem ſenſum Domini dicentis debeat ſonare fidelibus de virtute ſignificandi ſibi indita, poſtea *in facto expoſuit*, ante mortem ſuam cœnam magnam inſtituens, dum tradidit Eccleſiæ totius communitati in ſuis diſcipulis corpus ſuum ad manducandum ſub forma panis, & ſanguinem ſuum ſub forma vini ad bibendum, uti patet ex conſenſu Evangeliſtarum, *Luc. XXII. & Matth. XXVI.* Oportet ergo quod nutritio ſpiritualis ad continuandam ſpiritualem vitam in communitate Chriſtianorum fiat per manducationem corporis, & bibitionem ſanguinis Chriſti in diviniſſima euchariſtia formæ duplicis ſacramentalis.

Unde Auguſtinus ſuper prædictum verbum: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem &c.* dicit, quod Doctor truncando periculoſe omiſit: *Quaſi diceret: Quomodo quidem detur, & quisnam ſit modus manducandi iſtum panem, ignoratis. Veruntamen, niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem &c.* Ibi etiam dicit gloſſa interlinialis: *Usque modo non fecit mentionem de comeſtione ſacramenti altaris. Sed ſi ignoratis, quis ſit modus manducandi vel dandi, tamen niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, quaſi diceret, quamvis adhuc ignoretis hunc modum futurum ſacramentalem poſtea inſtituendum & manifeſtandum, tamen modo illo, ſcilicet ſacramentali, quem jam ignoratis, poſtea vero ſcietis, niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis &c.*

Et iſtam gloſſam de comeſtione altaris approbant multi ſancti, ſecundum qvod dicit *gloſſa* ſuper illo verbo ſeqventi: *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem &c.* gloſſa: *Exponunt quidam ſancti de comeſtione altaris, & benedicunt.* Et ſubdit: *Sed quæritur, quomodo in vitam æternam, cum quidam ad mortem? Unde dicit Apoſtolus: Si quis comedit in altari cum hac comeſtione, de qua hic agitur, ſcilicet cum fide operante ex dilectione, hic comedit in vitam æternam. Si quis vero aliter, in mortem.* Hæc gloſſa.

Cui *gloſſæ* ab Eccleſia approbatæ, conſonæ operi Chriſti & praxi Apoſtolicæ, citius eſt credendum & adhærendum, qvam cujuſpiam gloſſæ infundatæ.

Ex qvo patet, qvod hoc verbum Evangelicum: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis &c.* non ſolum intelligitur de manducatione corporis Chriſti & bibitio-

bibitione ſanguinis ejus ſpirituali tantum, ſed etiam ſacramentali, ut etiam infra patebit per Auguſtinum.

Sed ut prædicta melius intelligantur, & ut fidelibus plane detegatur, in quo *Doctor* paralogizat, (id eſt, defectuoſe arguit,) contra Evangelicam iſtam fidem: Et etiam ut ad poſteriores objectiones reſpondeatur facilius: Ex alibi declaratis eſt *tertio* notandum cum diligentia, quod qvamvis dicat *gloſſa in canone De conſecr. d.* 11. ſuper illud: *Quicunque manducaverit panem hunc, & biberit calicem Domini indigne &c.* 1. *Cor. X.* Quod triplex eſt modus manducandi corpus Chriſti, & proportionabiliter dicitur de modo triplici bibendi ſanguinem Chriſti: *Spiritualiter ſolum, quod eſt ſolum bonorum, vel ſacramentaliter tantum, quod eſt ſolum malorum, vel ſacramentaliter & ſpiritualiter ſimul, quod eſt ſolum etiam bonorum*: Tamen prout ad propoſitum cauſa deſervit, *Spiritualis manducatio* ſive *bibitio* adhuc *diſtinguenda* eſt ut multiplex.

Nam *unus modus manducandi ſpiritualis* dicitur eſſe valde generalis, pro *participatione cujuscunque gratiæ Chriſti* in corpore myſtico Eccleſiæ. Et ſic omnis devotio, auditio verbi Dei, meditatio legis Dei, vel lectio, imo participatio gratiæ novæ in baptiſmo, & omnis fruitio charismatum divinorum in Chriſtianis ſine mortali peccato exiſtentibus, dicitur eſſe quodammodo manducatio panis vitæ, & potatio quodammodo ſpiritualis aqvæ, ſapientiæ & ſcientiæ. Quæ omnia vel ſunt apti actus, venientes ex unione animæ cum Chriſto, ſeu diſpoſitiones & dignificationes animæ ad unionem in ſpiritu cum Chriſto & veritate. Sic namque dicitur *Matth. IV. Non in ſolo pane vivit homo, ſed de omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Ut ſic omnis paſtus ſpiritualis animæ in Chriſto Jeſu diceretur manducatio vel bibitio ſpiritualis.

Et ſic *Auguſtinus, Hieronymus, Origenes*, & alii, capiunt manducationem ſive bibitionem ſpiritualem generaliter. Sic ſecundum Apoſtolum patres V.T. manducaverunt ſpiritualiter eſcam ſpiritualem, qvæ ſcilicet manducatio fit per fidem, ſpem & charitatem. Et hoc eſt *manere in Chriſto, & Chriſtum in ſe manentem habere* fide, ſpe & charitate. Etiam in corpore Chriſti myſtico univerſali per ſpiritualem fratrum amorem, & in ſocietate ſanctorum manere, & in unitate ſpiritus per voluntatem, concordiam, per donorum omnium participium, dicitur ſic generaliter *manducare ſpiritualiter*.

Secundo, ſpecialius *manducare ſpiritualiter*, eſt, *ſumere realiter & ſecundum ſubſtantiam corpus Chriſti de virgine natum, in cruce paſſum, ex mortuis reſuſcitatum, ſpirituale & glorificatum. Bibere* qvoqve illo modo dicitur *ſumere realiter & ſecundum ſubſtantiam verum ſanguinem Chriſti olim in cruce fuſum, ſpiritualem jam & glorificatum*, & in ſpiritu & in veritate deguſtare tam corpus qvam ſanguinem, ac ore novi hominis ſpiritualis & interioris, qvi ſecundum Deum creatus eſt, ſpiritualiter ruminare.

Et talis *propria manducatio ſpiritualis* corporis Chriſti & bibitio ſanguinis ejus, adhuc eſt *duplex*. Nam *quædam* eſt ſic ſpiritualis manducatio corporis Chriſti, qvæ fit *ſine ſacramentali*: *Quædam* vero ſpiritualis manducatio hujusmodi *in ſacramentali* manducatione, ſub forma panis à Domino inſtituta.

Et proportionabiliter dicendum eſt de *bibitione ſpirituali* ſanguinis Chriſti, qvod qvædam eſt ſic ſpiritualis, qvod eſt *ſine ſacramentali*; Quædam vero & ſpiritualis eſt, ſed *in ſacramentali* ſub forma vini à Chriſto inſtituta.

Secundum primum modum manducandi & bibendi ſpiritualem proprie dictum corporis & ſanguinis Chriſti *ſine modo ſacramentali*, manducant & bibunt ſpiritualiter tantum *Angeli* & ceteræ *ſanctorum animæ* in futura beata vita. Et aliqvi *ſancti in hac vita* ſupra humanum modum viventes, per mentis exceſſum modo angelico manducaverunt & biberunt corpus & ſanguinem Chriſti interdum ſpiritualiter & non ſacramentaliter. Ut patet in *Paulo* in raptu ad tertium cœlum, & *Maria Magdalena*, qvæ ſæpius rapiebatur ad fruitionem Angelorum vel Domini Jeſu Chriſti.

Modus autem ſpiritualis proprie dictus

ctus *in forma ſacramentali duplici* manducandi & bibendi corpus & ſanguinem Chriſti, eſt, *ſumere verum corpus Chriſti in forma panis, & bibere ejus ſanguinem in forma vini.*

Pro qvo adhuc *quarto*, ut latius iſta materia intelligatur, eſt notandum, qvod qvidam eſt *ſtatus communis vivendi communitatis Eccleſiæ*, in via mandatorum Dei & legis Chriſti, exiſtentis adhuc *in humanis.* Alius eſt *ſtatus vivendi ſanctorum* perfectorum & conſummatorum, viventium qvoddammodo *extra communem vitam & ſtatum communitatis Eccleſiæ, viventium* jam qvodammodo non in humanis, ſed *in ſpiritu & in cœleſtibus.* Sic enim canit Eccleſia de virginibus: Angelicam hæc vitam duxerat in carne, dum præter carnem vixerat.

Et tunc dico, qvod tales *viri* & ſancti Heroici, ideſt, *divini*, manducant corpus Chriſti ſpiritualiter & realiter ſecundum ſubſtantiam, & bibunt ſanguinem ejus, interdum ſine manducatione & bibitione ſacramentali, modo perfectiori, ad modum angelorum, in ſpiritu, non autem in ægnimate ſacramentali. Ad qvem ſenſum dictum eſt Auguſtino: *Cibus ſum grandium, creſce, & manducabis me.*

Sed *communitas fidelium* ſumit corpus & ſanguinem Chriſti ſpiritualiter & *ſacramentaliter, modo* magis in humanis *viſibiliter præparato.* Sicut hujusmodi communitati adhuc fragili in primo ſtatu communi modus talis manducandi & bibendi optime congruere poteſt. Qvia ad ſpiritualem tantum modum pauci & ſolum perfecti & qvodammodo extra ſtatum communitatis & communis vitæ poſiti perveniunt, qvi non ita indigent ſumere in ſacramento corpus & ſanguinem Chriſti.

Et de iſto *utroque modo ſpirituali* manducandi & bibendi corpus & ſanguinem Chriſti videtur intelligi verbum Evangelicum: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis &c.* Nam illi ſancti perfecti, non jam qvodammodo in humanis viventes, vita communi fidelium, in obſervantia legis Chriſti, ſed in ſpiritu & in cœleſtibus, modo angelico, niſi manducarent corpus Chriſti & biberent ejus ſanguinem, ad minimum ſpiritualiter tantum, ſine ſacramento, non haberent in ſe vitam æternam. Et omnes in communitate Eccleſiæ poſiti, viventes communi vita in obſervantia legis Chriſti, adhuc in humanis & fragiles, qvia illam abditam manducationem & ſpiritualem bibitionem tantum & angelicam ſine ſacramentali, non poſſunt bene attingere, tanqvam fragiles: Ideo tales, niſi manducaverint carnem filii hominis, manducatione ſcilicet ſpirituali & ſacramentali ſub forma panis, & niſi biberint ſanguinem ejus, bibitione ſcilicet ſpirituali etiam & ſacramentali ſub forma vini, modo quaſi ipſis imperfectiori & magis ſenſibili, viventes ſcilicet in humanis, non valentes attingere ad alium modum ſpiritualem tantum, & abditum, & eis nimis altum, ſupra humana non valentibus ſe elevare.

Qvia ergo, tam *ſancti*, perfecti, qvodammodo attingentes proxime ad vitam angelorum, ſupra humanam, ſpiritualiter tantum manducantes corpus Chriſti & bibentes ejus ſanguinem ſine forma ſacramentali, qvam etiam *fideles in ſtatu communitatis* & in humanis viventes, manducantes corpus Chriſti in forma viſibili panis, & bibentes ejus ſanguinem ſub forma vini, qvodammodo magis incorporantur corpori Chriſti myſtico, & magis ac magis uniuntur Chriſto & eo fruuntur: Ideo *Auguſtinus* & alii dicunt, qvod qvicunqve manducant corpus Chriſti & bibunt ſanguinem ejus, ſive ſpiritualiter tantum, ut perfecti, non jam in humanis viventes, ſed extra ſtatum & vitam communitatis Eccleſiæ, ſive qvicunqve manducant corpus Chriſti ſpiritualiter in forma viſibili panis, & bibunt ſpiritualiter ſanguinem ejus ſub forma viſibili vini, manent in Chriſto & Chriſtus in eis. Et ſic manducare corpus Chriſti & bibere ſanguinem ejus, vel ſpiritualiter tantum, vel ſpiritualiter & ſacramentaliter ſub duplici ſpecie, eſt manere in Chriſto & Chriſtum in ſe manentem habere, aliis, ut dixi, ſine ſacramento, aliis ſub Sacramento.

Et per hoc tunc patet reſponſio ad dicta *Auguſtini* in oppoſitum allegata, & ad alias plures objectiones. Nam illi *fideles*, qvi ſunt de communi vita Chriſtianorum, in communitate in humanis viventes, propter ſuam fragilitatem non valentes attingere ſpiritualem tantum manducationem corporis Chriſti & bibitionem ſanguinis ejus, niſi manducaverint ſpiritualiter & ſacramentaliter ſub forma panis, & biberint ſanguinem ejus etiam ſpiritualiter & ſacramentaliter ſub ſpecie vini, tempore & loco opportunis, & dum fideles hujusmodi poſſunt comodoſe habere hoc divinum ſacramentum utriusqve ſpeciei: Sicut fideles ex præcepto Dei tenentur eleemoſynando pro Chriſtianis opera miſericordiæ exercere, habendo facultates, tempore & loco opportunis: Qvod ſi non habuerint facultates, tunc ſufficiet eis affectus & compaſſio bonæ voluntatis ad proximos indigentes: Sic fideles de communitate Chriſtianorum, communi vita in obſervantia legis Chriſti ſine criminibus viventes, dum comodoſe, tempore & loco opportunis, poſſunt habere, hoc diviniſſimum ſacramentum utriusqve ſpeciei debent ſuſcipere ad ſalutem.

Et veri paſtores ſive ſacerdotes tenentur docere & paſcere communitatem fidelium, qvæ eſt grex puſillus Domini, his paſcuis ſacramentalibus uberrimis ex præcepto Chriſti amoris, ſecundum Evangelium Salvatoris *Joh. XX.* trina repetitione dictum: *Si diligis me, paſce oves meas.*

Si enim cuncti fideles, habita facultate ac opportunitate loci & temporis tenentur indigentioribus eleemoſynare, & paſcere ac reficere pauperes cibis & potibus corporalibus, qvanto magis ſacerdotes Chriſti veri tenentur ex officio ſuo communitatem fidelium eſurientem & ſitientem mentaliter, non ſolum verbo, ſed cibo & potu ſacramentalibus & ſpiritualibus, ſecundum formam duplicem à Domino inſtitutam cibare & potare.

Dum vero fideles de communitatibus Eccleſiæ eſurientes ſecundum interiorem hominem hunc cibum ſub forma panis, & hunc potum ſub forma vini ſitientes, non poſſunt habere à ſacerdotibus, cœcis forte & partinacibus, vel forte, qvia non ſunt ab eis docti ad accedendum, vel ſi eſſent, capti vel incarcerati, ſic qvod eis prohiberentur dare ſacramenta, & aliunde eſſent boni & juſti, & in eis non eſſent defectus, *non* eo ipſo, qvod non poſſunt, nec docentur ſumere hoc diviniſſimum ſacramentum utriusq; ſpeciei, *ſunt de damnandis.* Qvia in qvantum mali ſacerdotes & cupidi, non affecti ad ſalutem hominum, abſtrahunt communitati fidelium cibum & potum ſacramentalem duplicis formæ, de tanto ſperandum eſt, qvod ſummus Pontifex futurorum bonorum, Dominus Jeſus Chriſtus, non deficit ſuæ fideli & electæ communitati in illis neceſſariis, qvando ſpiritualiter tantum tunc cibat eos ſuo corpore & potat ſuo ſanguine.

Porro ſacerdotes carnales, mundo dediti, neſcientes Dominum, nec officium ſacerdotum apud populum, retrahentes electam communitatem à ſacrificio Domini, grande peccatum habent nimis coram Domino, ut tangitur figuraliter 1. *Reg. II.* Qvamvis ergo, qvantum eſt ex parte modernorum ſacerdotum cupidorum, maxima committatur negligentia de ſalute hominum, tamen, ut dicere cœperam, ſupremus Pontifex, qvi dixit eſſe cum ſuis fidelibus usqve ad conſummationem ſeculi, non deficiet eis in neceſſariis ad ſalutem. Et ſicut qvilibet intrans Eccleſiam Chriſtianorum tenetur ſuſcipere baptiſmum aqvæ, & tamen interdum in caſu poteſt aliqvis non illo ſed alio baptiſmo purgari: Unde *Auguſtinus de Eccleſiaſticis dogmatibus* ſic dicit ad propoſitum; *Baptiſatis tantum iter ſalutis credimus. Nullum catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere credimus, excepto martyrio, ubi tota baptiſmi ſacramenta complentur. Baptizandus confitetur fidem ſuam coram ſacerdote, & interrogatus reſpondet. Hoc & martyr coram perſecutore facit, qui & confitetur fidem & interrogatus reſpondet. Ille poſt confeſſionem vel aſpergitur aqua vel tingitur, & hic vel aſpergitur ſanguine vel tin-*

gitur

gitur igne. Ille manus impoſitione Pontificis accipit ſpiritum ſanctum, hic habitaculum efficitur ſpiritus ſancti, dum non ipſe, qui loquitur, ſed ſpiritus Patris, qui in illo eſt, loquitur. Ille communicat euchariſtia in commemorationem mortis Domini, hic ipſi Chriſto commoritur. Ille confitetur ſe mundi actionibus renunciaturum, hic ipſi rennunciat jure. Huic peccata omnia remittuntur, in iſto exſtinguuntur. Hæc Auguſtinus. Sic fideles Chriſtiani de communitate Eccleſiæ debent ſuſcipere diviniſſimum ſacramentum corporis Chriſti & ſanguinis Chriſti, ſecundum duplicem formam à Domino traditam, dum poſſunt habere, habita opportunitate loci & temporis. Poteſt tamen fieri, qvod ſecundum Prophetiam Danielis eis auferatur hoc juge ſacrificium. Et tunc pro eo Dominus daret ipſis fidelibus corpus ſuum manducare & ſanguinem ſuum bibere tantum ſpiritualiter, adhoc tamen eos habilitando ut ſint idonei. De communi tamen caſu in ſtatu communi, in qvo eſt multa adhuc nimis fragilitas, gratioſe datum eſt & conceſſum, atqve inſtitutum & præceptum communitati fidelium, bibere & comedere ſpiritualiter & ſenſibiliter integrum ſacramentum, dum haberi poteſt. Sic enim optime congruet fragilitati communitatis.

Unde *diſcipuli in cœna Domini ante Chriſti mortem*, qvia erant adhuc fragiles, gerentes vicem futuræ communitatis fragilis in Eccleſia, ſuſceperunt corpus Chriſti ſub forma ſenſibili panis & ſanguinem ejus ſub forma ſenſibili vini. Ad deſignandum, qvod futura communitas populi Chriſtiani, degens adhuc in communi vita in obſervantia mandatorum, nihilominus multam habens in ſe fragilitatem, debet ſic manducare & bibere ſpiritualiter & ſenſibiliter ſub utraqve ſpecie à Domino inſtituta.

Ad qvem ſenſum videtur canere Eccleſia, dicens: *Dedit fragilibus corporis ferculum, dedit & triſtibus ſanguinis poculum, dicens: Accipite, quod trado Vaſculum, omnes ex eo bibite. Sic ſacrificium iſtud inſtituit* in duplici ſpecie, cujus *officium conſecrandi committi voluit ſolis preſbyteris, quibus ſic congruit*, ſcilicet, ſub duplici ſpecie, *ut ſumant & dent ceteris.*

Et tales tam *fragiles*, degentes tamen ſine criminalibus vitiis, indigent *ſæpius, & plus*, ſicut neceſſarium, accedere ad hoc integrum ſacramentum, dum poſſunt habere, qvam perfecti & ſolidi, qvodammodo extra vitam & ſtatum comunitatis, non tam in humanis, ſed in ſpiritu & in cœleſtibus viventes, qvi ſpiritualiter tantum & modo perfectiori fruuntur corpore & ſanguine Domini noſtrī Jeſu Chriſti.

Poſito ergo, qvod ita ſit, ut *Doctor*, vacillando, non habens ſcripturam ſolidam, dogmatizat, qvod ſcilicet beata virgo ad hoc ſacramentum cum diſcipulis non acceſſiſſet, non mirum eſſet. Qvia non fuit ita fragilis ut diſcipuli. Sed ex hoc non ſeqvitur, qvod poſtea fragilis ſexus fœmineus non deberet accedere ad utramqve ſpeciem. Qvia ſic nec ad primam accederet ſpeciem.

Propter hoc etiam, qvia parvuli poſt baptiſmum habent innocentiam ſanctam & gratam, ſine ſuperbia, avaritia & dolo, videntur eſſe magis idonei ſecundum qvosdam ad hanc divinam euchariſtiam. Ideo olim tempore martyrum, ut vult *B. Cyprianus* in una ſuarum epiſtolarum, dabatur euchariſtia poſt baptismum. Et ſi parvuli primam ſpeciem non valebant deglutire, tunc infundebant de calice guttulam ſanguinis Chriſti ſub ſpecie vini in os parvuli. Hanc enim facilius deglutit puer, qvam ſpeciem panis. Qvod ut audio, adhuc hodie faciunt in qvibusdam remotis regionibus. Unde *Innocentius in ſua ſumma, de hoc ſacramento* loqvens, *c.* 9. ita dicit: *Quia euchariſtia augmentum dat gratiæ, ideo dixerunt quidam, quod parvulis danda eſſet euchariſtia in forma liquida ſanguinis Dominici, vel in forma panis comminuta & contrita in aqua. Quia ſi eis aliquid ſubtraheretur, de gratia aliquid diminueretur, & ita minus haberent in cœlo premium. Unde privaret, qui eis euchariſtiam ſubtraheret. Alii dixerunt, quod non eſt danda euchariſtia parvulis, propter periculum ejectionis, quia nihil eis valeret, niſi deglutirent. Sed adhuc dixerunt quidam*

magni viri, quod non exigitur in euchariſtiæ ſumtione, niſi quod guſtus inveniatur & ſapor ſentiatur, ſicut fit, cum dicitur baptizando: Accipe ſalem ſapientiæ. Conſtat enim, quod non deglutit ſalem, & tamen ex ſolo guſtu ſalis habet effectum exorcismus in inparvulo. Unde pium eſſet dare euchariſtiam omni parvulo, cum tali cautela, quod ſi poſt guſtum parvulus ejiceret, colligeretur iſta ejectio, & igni combureretur. Sicut dicitur in Exodo: Si quod reſiduum fuerit, igni comburetur. Hæc Innocentius. Ecce ibidem *antiquorum* ſanctorum *traditionem*, qvod & *parvulis deberet miniſtrari euchariſtia ſecundum duplicem formam* à Domino traditam, ſi poteſt fieri utrumqve. Qvod ſi non poteſt fieri ſecundum primam ſpeciem, qvod ſaltem fieret ſecundum alteram. Qvod ſi fit, ex negligentia, ut dixi, per ſacerdotes, ſacerdos ille in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, qvi promiſit eſſe cum ſuis usqve ad conſummationem ſeculi, finaliter non deficit eis, ſed ſeipſum dat eis tantum ſpiritualiter ſecundum corpus & ſanguinem ſuum. Sed non propter hoc, qvi poſſunt habere integrum ſacramentum, deberent vel poſſent ipſum omittere ſine peccato.

Diſtinctè reſpondetur ad primum argumentum Brodæ.

Ex iſtis ut cunqve declaratis patet intelligentibus, qvod hoc *primum argumentum Doctoris* non valet: *Iſtam ſcripturam Joh. VI. Niſi manducaveritis carnem filii hominis &c. ſi capere vult adverſarius, veluti ſonat, tunc omnes parvuli, id eſt omnes infantes, & omnes poſt perceptionem baptiſmatis immediate morientes &c. non haberent vitam in ſemetipſis.* Niſi poneret Doctor, qvod omnes, qvi *poſſunt habere* euchariſtiam totam, & ex deliberatione *contemnunt* eam ſuſcipere ſecundum formam duplicem in primitiva Eccleſia tentam, & à Domino traditam gratioſe. *Aſſumtum* enim Doctoris, ſcilicet, *Iſta ſcriptura:* Niſi manducaveritis, *ſi capitur ut ſonat*, ſcilicet ad intentionem ſummi legiſlatoris, eſt *verum*, ex ſupra declaratis. *Conſequens* autem eſt *falſum*, ſcilicet, qvod omnes parvuli, id eſt omnes infantes &c. ut declaravi de illis perfectis jam qvodammodo extra communem ſtatum viventibus, & de ceteris, qvi non contemnunt accedere, dum commodoſe poſſunt habere, ſed deſiderant ad utramqve ſpeciem accedere. Sed ſi hoc ſenſibile ſacramentum auſertur eis per ſacerdotum negligentiam, & non in eis ſed in ſacerdotibus eſt defectus, tunc gratioſus & clementiſſimus Dominus & Pontifex Chriſtus, ut confido, ſeipſum dat ſuis ſpiritualiter tantum ad fruendum. Claret ergo, qvod *conſequentia Doctoris* non valeat, & antecedens verum & conſeqvens falſum. Et tamen ex conſeqvente falſo inconvenientia deducit & horrenda, ut ſimplicibus fides Evangelica, de communione ſacramentali utriusqve ſpeciei ad populum, appareat erronea & hæretica. Sed de *probatione malæ conſequentiæ* tacet, non valens eam deducere nec probare. Qvod ſi in aſſumto velit Doctor illud verbum Evangelicum: Niſi manducaveritis carnem filii hominis &c. formare ad aliqvem ſenſum reprobum & impoſſibilem, tunc concederem conſeqventiam argumenti, eo, qvod ad impoſſibile ſeqvitur qvodlibet, & tunc aſſumtum ad hujusmodi ſenſum reprobum ſimpliciter negarem.

Concedam etiam *dictum Auguſtini* allegatum truncatim per Doctorem, qvod illud verbum Salvatoris: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis*, debet ſpiritualiter intelligi & non carnaliter, & ad ſenſum ſpiritualem hoc verbum debet ſonare in auribus fidelium, ſed non ſic ſpiritualiter, qvod non etiam ſacramentaliter, ſicut Doctor prætendit. Qvia communitas laicalis, ſine peccatis mortalibus vivens communiter in obſervantia mandatorum Dei, in ſumtione integri ſacramenti manducat ſpiritualiter corpus Chriſti, & debet ſic manducare ſub prima ſpecie & bibere ejus ſanguinem ſub altera ſpecie. Unde *Auguſtinus* ſuper prædicto verbo: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, &c.* poſt multa verba per Doctorem allegata ſic dicit: *Hujus rei ſacramentum id eſt unitatis corporis & ſanguinis Chriſti, alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominica menſa præparatur, & de menſa Dominica ſumitur, quibusdam ad vitam, & quibusdam ad exitium.* Ecce qvomodo Auguſtinus loqvens de ſpirituali manduca-

ducatione & bibitione corporis & ſanguinis Chriſti, loqvitur de ea, ut eſt in ſacramentali ſub ſpecie panis & vini. Item *Auguſtinus* ſuper illo: *Spiritus eſt, qui vivificat, caro non prodeſt quicquam*, dicit *homil.* 24. *An vita non prodeſt quicquam, caro non prodeſt quicquam? Sed quomodo illi intellexerunt? Carnem quippe ſic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur & in macello venditur, non quomodo ſpiritu vegetatur. Provide ſic dictum eſt: Scientia inflat. Num ergo deberemus odiſſe ſcientiam? Abſit. Sed quid eſt*, Scientia inflat? *ſcilicet ſola, ſine charitate. Ideo adjunxit*: Charitas vero ædificat. *Adde ergo ſcientiæ charitatem, & utilis erit ſcientia, non per ſe, ſed per charitatem. Sic etiam nunc.* Caro non prodeſt qvicqvam, *ſed ſola caro. Accedat ſpiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad ſcientiam, & prodeſt plurimum. Nam ſi caro nihil prodeſt, verbum caro non fieret, ut habitaret in nobis. Si per carnem nobis profuit multum Chriſtus, quomodo caro nihil prodeſt? ſed per carnem ſpiritus aliquid pro noſtra ſalute egit. Caro vas fuit. Quod habebat, attende, non quod erat. Apoſtoli miſſi ſunt. Numquid caro ipſorum nihil nobis profuit? Caro Domini poterat non prodeſſe? Unde enim ad nos ſonus verbi niſi per vocem carnis, unde ſcriptio? Iſta opera carnis ſunt, ſed agitante ſpiritu tanquam organum ſuum. Spiritus ergo eſt, qui vivificat, caro non prodeſt quicquam. Sicut illi intellexerunt carnem, non ſic ego do carnem meam.* Hæc Auguſtinus. Iſta Doctor adducere omiſit ad planiorem intellectum.

Sed ex his patet, quod tàm ſenſibilis quàm corporalis ac ſacramentalis manducatio & bibitio ſe ſolo non *prodeſſet*, niſi ibi adeſſet ſpiritualis. Non ergò ſecundum Auguſtinum ſpiritualis manducatio & bibitio corporis & ſangvinis Chriſti excludit ſacramentalem, prout ſonat argumentatio Doctoris.

Item paulò antè dicit *Auguſtinus*: *Exponit autem modum attributionis hujus & doni ſui, quomodo daret carnem ſuam manducare, dicens*: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſangvinem, in me manet, & ego in eo. *Signum, qui manducat & bibit, hoc eſt, ut ſi manet & manetur, ſi habitat & inhabitatur, & ſi habet, ut non deſeratur. Hoc ergò nos docuit & admonuit myſticis verbis, ut ſimus in ejus corpore ſub ipſo capite in membris ejus, edentes carnem ejus, non relinquentes virtutem ejus. Sed qui aderant plures non intendendo, ſcandalizati ſunt. Non enim cogitabant hæc audiendo, niſi carnem, quod erant.* Hæc Auguſtinus. Ecce, quod ſecundum quandam prædicationem habitudinalem effectus ad cauſam, dicit Auguſtinus, quod manducare corpus Chriſti ſub prima ſpecie & bibere ejus ſangvinem in ſacramento ſub alia ſpecie, eſt manere finaliter in Chriſto, & Chriſtum in ſe manentem habere, in adverſis ab eo non retrocedere. Et quod ſic ſe habere eſt ſignum bonæ manducationis ſpiritualis corporis ſub prima ſpecie & bibitionis ſangvinis ſub ſecunda. Et ita verba Auguſtini de ſpirituali manducatione & bibitione multum alludunt fidei evangelicæ de communione ſacramentali utriusque ſpeciei ad populum, ſed non contradicunt, licet Doctor ſiniſtrè capiens & truncans prædicta Auguſtini verba contradicat fidei ſuprà dictæ.

Item infra poſt longum paſſum dicit *Auguſtinus*, adhuc loquens de ſpirituali manducatione & bibitione corporis & ſangvinis Chriſti in ſacramento ſub utraque ſpecie: *Sed quid eſt*, inquit, *quod ait*: Qui manet in me & ego in illo, *quid, niſi quod martyres audiebant. Qui perſeveraverit usque in finem, hic ſalvus erit. Quomodo manſit in illo S. Laurentius, cujus hodiè feſta celebramus, manſit usque ad tyrannicam conſummationem, manſit usquè ad peremtionem, parum eſt, usque ad inanem exſultationem manſit, non enim occiſus eſt citò, ſed cruciatus in igne diu vivere permiſſus eſt, imò dum diu vivere permiſſus eſt, tardè mori compulſus eſt. Ergò longa mora in illis tormentis, quia benè manducaverat & benè biberat, ſcilicet in ſacramento utriusque ſpeciei, tanquam illa eſca ſaginatus & iſto calice ebrius tormenta non ſenſit. Ibi enim erat qui dixit: ſpiritus eſt, qui vivificat. Caro enim ardebat, ſed ſpiritus animaque vegetabat. Non ceſſit, & in regnum ſucceſſit. Dixerat autem illi Sixtus Martyr ſanctus, cujus die quinto ab hodierna die, feſta celebravimus: Noli mœrere, fili.*

fili. Epiſcopus enim ille erat, iſte Diaconus. Noli mœrere, inquit, *ſequeris me poſt triduum. Triduum autem dixit medium inter diem paſſionis S. Sixti & diem hodierna paſſionis S. Laurentii. O conſolatio! Non ait: noli mœrere fili, deſinet perſecutio & ſecurus eris; Sed, noli mœrere, quò ego præcedo, tu ſequeris, nec conſecutio tua differetur triduum medium, & mecum eris. Accepit oraculum, vicit diabolum, pervenit ad triumphum.* Hæc Auguſtinus.

Iſta ſingula dicta *Auguſtini* non obſunt ſententiæ ſupra dictæ, ſed plurimum ſuffragantur, dum benè & catholicè intelliguntur.

CAP. III.

De objectis à Broda incidenter Scripturæ locis, qvæ aliter videantur intelligenda ac verba ſonant, ap. Matth. *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, &c* Et, *Niſi quis renunciaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.*

Broda. POſt *Doctor* exiens à propoſito dicit ſic: *Quod autem multa verba Chriſti non ad literam, ſed ſpiritualiter intelligenda ſunt, patet. Nam dixit Salvator Matth. XVIII. Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te, etiam ſi manus vel pes &c.* Hæc *Doctor*.

Jacobellus. O utinam *Doctor*, ad ſenſum ſpiritualem verè de ſe cognoſceret, quod prætendit ſe eſſe, ducem cœcorum, lumen eorum, qui in tenebris ſunt, eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium, habentem formam ſcientiæ & veritatis in lege, & per conſequens *oculum*, qui iſtis & plurimis dictis ſuis, obvians evangelicæ fidei de communione calicis & aliorum punctorum, plurimos *ſcandalizat*. Qui alium docet, ſe ipſum non docet, qui prædicat non furandum & furatur, ſcilicet verba Dei, atque ſenſum fidei, truncando verba ſanctorum, & ea in alium ſiniſtrum ſenſum inducendo. Qui dicit, non mœchandum, & tamen adulteratur verbum Dei, qui in lege gloriatur, & per prævaricationem legis Deum inhonorat, in tantum, quod per eum & alios ſimiles nomen Dei blaſphematur inter gentiliter viventes. Numquid iſte oculus, qui per ſua infundabilia ſcripta atque dicta ita plurimos ſcandalizat, non eſſet meritò eruendus? utique. Nam nemo fidelium hujusmodi dogma evangelicæ legi contrarium debet ſuſcipere, ſed ſubterfugere ut venenum.

Item aſſumit verbum Salvatoris: *Niſi quis renunciaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Litera iſta evangelica non debet fidelibus ſonare, niſi ad ſenſum proferentis Domini Jeſu.

Iſtud tamen circa hoc verbum debet eſſe notum fidelibus, quod, ſicut *ſtatus paſtorum*, Doctorum ac Petri Vicariorum, in eccleſia Dei eſt, & debet eſſe multò altior ante Deum, quàm *ſtatus laicalis* ſive brachii ſecularis: Sic gradus diſciplinatus proportionabiliter in ſtatu ſpirituali paſtorum, Doctorum ac Petri Vicariorum, multò debet eſſe perfectior, quàm diſciplinatus in ſtatu laicali, vel militari, ſive regali. Et per conſequens major abrenunciatio temporalium requiritur in ſtatu paſtorum, Doctorum & Chriſti Vicariorum. Nam in ſtatu laicali vel ſeculari ad minimum reqviritur, quod in affectu abrenuncient temporalibus, quamvis populo vulgari licitum ſit occupare cum moderamine temporalia, ad proficiendum proximis, eis opera miſericordiæ exhibendo. Paſtores verò & Doctores, etiam Vicarii Chriſti, non ſolum in affectu abrenunciare temporalibus debent: ſed omnia impeditiva ſpirituale officium paſtorale, Vicariatus & Doctoratus, ad debite & dignè Deo exequendum, ſunt cum eorum curis & ſolicitudinibus reſecanda. *De abdicatione bonorum temporalium apud clericos.*

Modi autem abrenunciandi temporalibus in ſtatu ſpirituali, cleri in apoſtolorum vicem ſuccedentium, ſunt iſti. *Primus* enim modus eſt ſtatus, quem Chriſtus inſtituit. Et hic eſt perfectiſſimus, ſcilicet, quod *clerus ſecludatur à mundo, recipiendo à laicis alimenta & tegumenta neceſſaria ad laborem*, quibus retribuet neceſſariores eleemoſynas ſpirituales. Per hunc itaque modum & ſtatum excluderetur

deretur *ſimonia, ſacerdotalis inſolentia, & monſtruoſitas diſcolorum.*

Secundus modus & ſtatus eſt laudabilis, ſed minus validus eſt, quod clerus plenè reciperet *decimas*, oblationes & privatas eleemoſynas, ſicut in V. T. Quæ ſors divideretur in quatuor partes ſecundum decretum B. Gregorii, ut *una* pars ſignetur principali paſtori paſcenti & laboranti cum ſua familia, *ſecunda* clericis, qui debent eſſe adjutores ſpiritualis paſtoris, *tertia* debet dari pauperibus, & *quarta* pro eccleſiæ neceſſariis reparandis, & non ſuperfluis & ſumtuoſis ædificiis, ut patet *XII. q. 2. Mos eſt.*

De uſu decimarum.

Tertius modus ſive ſtatus inferior eſt, in quo clerus recipit à laicis non ſolùm prædictam partem Domini, ſed *prædia* ac *dominia laicalia, ſub forma tamen & titulo eleemoſynæ*, ut invigilent officio ſacerdotali attentius, & reſiduum eleemoſynæ diſtribuant prudentius uſibus egenorum. In iſto autem ſtatu eſt major declinatio à via apoſtolorum ad ſeculum. Et ſic undique majus periculum. Quod ſi aliqui in tali ſtatu poſſent habere ſelicem exitum & ſalutem beatitudinis finaliter conſequantur, ita hoc miraculoſum reputo, ſicut aliquem à mortuis ſuſcitari.

De poſſeſſione prædiorum in clero.

Quartus ſtatus ſive modus eſt ethnicus, infundabilis in ſcriptura, quando ſcilicet clerus, dimiſſo ſacramentali officio ſibi debito, abjectoque eleemoſynarum titulo, dominationem ſecularium & temporalium, inſtar dominorum judicialium, ſuper bonis temporalibus vindicat. Ad quod neceſſario conſequitur, negotiis ſecularibus implicari. Et *per iſtud venenum* (fermentum) *fere totus clerus eſt infectus.* Et timeo heu, quod Doctor hoc veneno (fermento) ſit in diſpendium animæ ſuæ venenatus, (fermentatus) Eò quod ipſe, qui olim frequenter facto & verbo publicè & privatim clericis & populis habere uni plures præbendas multipliciter reprobabat: Jam verbo & facto & vita privatim & publicè fucatè colorando contrarium dogmatizat, oblitus ſequelæ humilis & pauperis dominatoris Jeſu Chriſti.

De dominio clericali.

Et de iſta materia, quia extravaganter movit Doctor, facio etiam mentionem, ad cognoſcendum fidelibus, nunc periculoſa tempora. De aliis autem ſuis exemplis huic materiæ impertinentibus tractare omitto cauſa brevitatis.

CAP. IV.

De dicto Chriſti: *Bibite ex hoc omnes.* An præceptive & obligative ſit dictum?

Broda.

Conſequenter *de materia ad propoſitum* ſic loquitur: *Nec audeat adverſarius dicere, Chriſtum hæc omnia verba dixiſſe præceptivè & obligativè. Nam ſi verba hæc Salvator dixiſſet præceptive vel obligative, tunc præcepiſſet quibusdam impoſſibile, vel ad impoſſibile obligaſſet, quod plurimum ſuæ derogat pietati. Nam ſunt nonnulli qui vinum glutire vel bibere non poſſunt. Cum ergo ſacramentum Domini ſit univerſalis medicina, ſicut pro omnibus inſtitutum eſt fidelibus, ſic univerſaliter ab omnibus debet ſumi. Quod ſi non ſpiritualiter verba Salvatoris exponentur, & præceptive vel obligatorie capientur, multos ad impoſſibile obligabunt. Etiam ex hoc videtur ſequi, Chriſtum improvide ſuum corpus & ſangvinem ſub duplici ſpecie omnibus tradidiſſe, cùm multi alteram illius ſpeciem, ſcilicet vini, ſumere non poſſint; & non eſſet omniſciens, nec eſſet ſapientia patris, quia multorum damnum, ut ſic non provídiſſet. Sed quis hoc aſſerere præſumit, & non potius turpiter erubeſcit?* Hæc Doctor.

Doctor iterum nimis peccat in forma & in materia. Cùm enim ſic aſſumit: *Nec audeat adverſarius dicere, Chriſtum hæc dixiſſe verba præceptivè & obligativè.* Imò audeo dicere, quod Chriſtus dixit præceptivè & obligativè legem evangelicam de diviniſſima euchariſtia utriusq; ſpeciei ad communitatem fidelium. Nam ſi corporalis Medicus, conſtituens infirmis optimam medicinam relevantem à morbis ad mortem tendentibus, ſolet præcipere infirmis, ut obediant in hoc ei, & ſumant hanc ſecuram medicinam ſub obtentu futuræ ſanitatis, ſi obedi-

Jacobellus.

obedierint, & ſub pœna periculi mortis imminentis, ſi non obediverint: Unde *Auguſtinus ſuper Johannem hom. XI. Quantum in medico eſt, ſanare venit agrotum, ſed intermoritur, qui pracepta Medici obſervare non vult*: Quantò magis ſummus Medicus, animarum ſummam conſtituens medicinam, ſcilicet integrum & diviniſſimum ſacramentum utriusq; ſpeciei communitati fidelium Chriſtianorum, præcipit eidem propter ſuum melius ſub obtentu gratiæ & futuræ ſanitatis acqvirendæ obedientibus, ſub pœna futuri magni damni & periculi, qvod ſolet evenire, non accedentibus digne ad hoc magnum & diviniſſimum ſacramentale convivium. Nam hæc eſt dominica cœna illa magna, ad qvam vocatur communitas fidelium populorum ſub obtentu gratiæ. Qvod ſi aliqvi de communitate vocati non venerint, indignationem omnipotentis Dei incurrunt. Sic enim dicitur Luc. XIV. Et cœperunt ſe omnes ſimul excuſare. Et infra. Et reverſus ſervus nunciavit hæc Domino ſuo. Et ſeqvitur ad propoſitum: Tunc iratus paterfamilias dixit ſervo ſuo &c. Ecce, qvod vocatis non venientibus ad cœnam magnam Dominicam iraſcitur Dominus. Et per conſeqvens præceptum eſt communitati ſub obtentu gratiæ accedere & venire ad cœnam hanc ſacramentalem. Hinc eſt, qvod dicit *Remigius in homil. ſuper illud* ſæpius jam dictum: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis &c.* ſic loqvens: *Ad hanc ſpiritualem alimoniam, ad hoc myſticum epulum & divinum nos Dominus invitat, tanquam neceſſitatem ſumenda hujus alimonia nobis indicit, ut aliter vitam in nobis habere non poſſimus, niſi carnem ejus manducaverimus & ſanguinem ejus biberimus.* Et infra: *Myſterium ſui corporis & ſanguinis quotidiè à fidelibus per miniſterium ſacerdotum mandat fieri rationabili ſacramento.* Hæc ille. Ecce qvod mandatum eſt ſic fieri.

Item qvandò Dominus in cœna accepit panem, gratias agens fregit & dedit diſcipulis ſuis in perſona Eccleſiæ, dixitqve: *Accipite & comedite*, de calice vero dixit: *Bibite ex hoc omnes*: Qværitur, an diſcipuli debuerunt in hoc Domino obedire, ac manducare & bibere corpus & ſanguinem, vel non debebant ſibi in hoc obedire? Non poteſt dici, qvod non debebant, eo, qvod tunc diſcipuli non debuiſſent accipere à Domino ſub utraqve ſpecie, & per conſeqvens recipiendo peccaſſent, ſuadente ad hoc Domino, qvod nefas eſt dicere. Si vero debebant ſibi obedire, manducareqve & bibere juſſa, ipſo jubente, ſeqvitur, qvod obligati fuerunt ad illud debitum, & per conſeqvens fuit eis hoc *praceptum*.

Qvia vero ipſi *diſcipuli tunc geſſerunt vicē totius communitatis Eccleſia*, ut poſtea probatur, ſeqvitur, qvod dando diſcipulis præceptum, in hoc dedit toti communitati Eccleſiæ. Et qvia alias adduxi pro iſto *Bedam*, *Bernhardum*, *Cyprianum*, *Albertum M.* & alios fide dignos, qvod ſcilicet miniſtratio & ſuſceptio diviniſſimæ euchariſtiæ in populis Chriſtianis ſit *praceptum*: Ideo hic dicta eorum cauſa brevitatis omitto. *Vid. inf. Parte XXII.*

Sed dicto de antecedente, deveniendum eſt ad *conſequentiam* Doctoris, qvando ſic arguit: *Si verba hac Salvator dixiſſet praceptivè vel obligativè, tunc pracepiſſet quibusdam impoſſibile, vel ad impoſſibile obligaſſet.* Nego hoc ſuum argumentum. Nam incarcerati, qvibus nec daretur ſub prima ſpecie, nec ſub ſecunda ſacramentum, licet deſiderarent, excuſati ſunt, ſi in eis aliunde non eſt defectus. Præceptum enim de communione euchariſtiæ non ligat, niſi de qvanto commode poſſunt habere & ſuſcipere vel miniſtrare. Sicut eleemoſynæ, & opera miſericordiæ corporalia indigentibus facere, eſt præceptum; & tamen multi deficientes in temporalibus non poſſunt eleemoſynare, etiamſi vellent. Dum non ſuppetit eis facultas dandi, tunc ipſis ſufficit bona voluntas.

Et cum probat dicens: *Multi ſunt qui non poſſunt vinum bibere vel glutire*, neſcio qvis talis eſſet, qvi non poſſet ſaltem minimam guttulam ſuſcipere vini, dum ſibi offerretur vel funderetur in os. Imo prima ſpecies panis infirmis & parvulis infantibus videtur difficilius deglutienda, qvam ſecunda, & tamen dedit

dedit modum Innocentius etiam infantibus poſt baptiſmum porrigendi primam ſpeciem ſacramentalem, ut ſuprà tactum eſt. Quod ſi in caſu aliquis nullo modo poſſit accipere primam ſpeciem neque ſecundam, & aliunde non poneret obicem ut ſuprà dictum eſt, talis non obligaretur ad actualem exteriorem & ſenſibilem ſumtionem ſacramenti. Requiritur enim ad hoc, ut dixi, poſſibilitas & opportunitas loci & temporis, cum ceteris circumſtantiis. Patet ergò, quomodo *Doctor* deficit in conſequentia, ſimiliter in ejus probatione.

An ad impoſſibilia obligemur à Deo. Dicto de conſequentia vel argumento, quod non valet, dicendum eſt modicum de *conſequente*, ſcilicet, *An Deus præcipiat impoſſibile.* Et videtur, quod *ſic.* Quia præcepta evangelica, ut eſt de dilectione totius cordis ad Deum, & alia, videntur impoſſibilia, & tamen Deus nos obligat ad iſta ex præcepto. Unde dici poteſt, quod aliquid eſt *impoſſibile quoad nos* & non quoad Deum. Et tale nobis præcipit Deus, & obligat nos ad illud. Aliud verò eſt *impoſſibile ſimpliciter quoad Deum*, & ad tale nos non obligat. Nam abnegare ſe ipſum, ſuam crucem tollere, & ſequi Chriſtum, cognoſcere verè omnes laqueos & eos fugere, conſtantem eſſe in in adverſis, & perſeverare in bono usq; in finem, charitatem habere usque ad inimicos, eſſe miſericordem & perfectum, ſicut pater cœleſtis: Iſta & alia ſaluti neceſſaria, nobis, quantum eſt ex nobis, ſunt impoſſibilia, Deo tamen, nobis dare promtè & gratioſe, & ad illa nobis auxiliari, eſt valdè poſſibile. Ideò *Matth.* XIX. Quando apoſtoli dixerunt: *Quis ergò poteſt ſalvus fieri?* Aſpiciens Jeſus dixit eis: *Apud homines hoc impoſſibile eſt, apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt, & Luc. I. Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.*

Obligat ergò gratioſiſſimus Dominus ad impoſſibile quoad nos, quæ ex noſtra inſufficientia non valeremus implere. Sed hoc non derogat ſuæ pietati, eò, quod ipſe dat nobis poſſe, velle & perficere bonum, & illa, quæ mandat nobis, præſenter in nobis operatur, ipſo dicente: *Pater meus usque modò operatur & ego operor.* Ideò ſufficientia noſtra ex ipſo eſt. Derogaret enim ſuæ pietati, ſi mandando nobis & ex nobis impoſſibile poſt lapſum, non juvaret vel non daret facere, quod præcipit. Inde eſt, quod rogat *B. Auguſtinus in Soliloquiis*, dicens: *Domine da, quod præcipis, & præcipe quod vis.*

Non ergò argumentatio Doctoris habet proceſſum, cùm peccet tàm in materia, quàm forma.

CAP. V.

An Chriſtus, dum in ſacra cœna inſtituit ſacramentum, utramque ſpeciem ſolis ſacerdotibus an & laicis dederit.

Broda. Conſequenter dicit *Doctor*: *Et verum, quod Chriſtus dedit ſuis hoc venerabile ſacramentum ſub duplici ſpecie, ſed non laicis. Patet hoc per textum evangeliſtarum, ubi dicitur: Diſcubuit & duodecim diſcipuli cum eo, Matth. XXVI. Luc. XXII. Marc. XXIV.* hæc Doctor.

Jacobellus. Jam dictum eſt ſuprà de hoc. Et ſuppoſitum, quod *diſcipuli in cœna Domini*, adhuc nimis fragiles ad peccandum exiſtentes, tunc *geſſerunt vicem & figuram totius communitatis futuræ fidelium* usque ad conſummationem ſeculi, in ſuſcipiendo corporis & ſangvinis Chriſti ſacramentum ſub utraq; ſpecie, nunc probatur ſic. *Primò*, quia Apoſtoli tunc ſuſcipientes ſacramentum ſub utraque ſpecie habuerunt ſe per modum gregis ſpiritualis, & non per modum paſtoris ſive ſacerdotis. Qui quidem grex ſpiritualis tunc paſcebatur à paſtore & ſummo ſacerdote, & non ipſemet grex tunc paſcebat. *Diſcipulos in cœna Chriſti vicem geſſiſſe omnium fidelium.* Ergò tunc illa turba diſcipulorum habuit ſe per modum plebis, quæ paſci debet, & non per modum paſtorum, qui activè paſcere debent. Conſequentia patet. Quia de *per ſe*, habere ſe per modum gregis ſpiritualis, qui debet paſci, & non per modum paſtoris debentis paſcere, eſt ſe

ſe habere per modum plebis ſuſcipientis paſcua, & non per modum paſcentis paſtoris. Et per conſequens, Apoſtoli geſſerunt ibidem vicem, modum ſive rationem plebis fidelis. Futura autem plebs fidelis, degens ad finem ſeculi, quoad illum modum ſuſcipiendi paſſive paſcua & non active paſcendi, eſt ejusdem rationis cum plebe vel grege puſillo diſcipulorum Domini in cœna.

Item, *eadem verbis* Domini Jeſu Chriſti, quibus Dominus alloquendo diſcipulos confecit & inſtituit hoc diviniſſimum ſacramentum utriusque ſpeciei, poſtea *primitiva Eccleſia* auctoritate ejusdem Domini Jeſu Chriſti confecit idem ſacramentum, & miniſtravit plebibus. Juxta qvem ritum adhuc hæc confectio euchariſtiæ obſervatur eisdem verbis Domini Jeſu Chriſti. Igitur Dominus Jeſus per hæc conſecrationis verba alloquendo diſcipulos alloquebatur futuram plebem Chriſtianorum. Quia per eadem verba conſecrationis diſcipulis conſecrando innuebat conſecrationem euchariſtiæ ſumendam futuræ plebi. Et per conſeqvens diſcipuli virtute illorum verborum ſumentes euchariſtiam utriusqve ſpeciei, figurabant in hoc, quod poſterior plebs fidelis virtute eorundem verborum deberet eandem euchariſtiam ſumere ſub utraqve ſpecie. Et hoc voco in propoſito *diſcipulos gerere vicem futuræ plebis Chriſti.*

Et patet hoc totum argumentum cum antecedente. Quia aliàs ſacerdotes in canone miſſæ per verba ſacramentalia Domini Jeſu Chriſti non bene conficerent euchariſtiam & plebi miniſtrarent, ſi verba Chriſti dicta ad diſcipulos non fuiſſent dicta ad futuras plebes in diſcipulis deſignatas. Item ſecundum *Auguſtinum libro de contemtu mundi*, Quædam ſunt præcepta Dei concernentia generaliter omnes fideles, aliqua ſolum ſacerdotes, ut ſunt, prædicare, conficere, miniſtrare ſacramenta, & cetera hujusmodi. Communia concernentia omnes, ſunt, ex qvibus unum eſt illud: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*, & cetera ſimilia. Sicut ergo ſecundum *Chryſoſtomum* hoc dictum ſive præceptum: *Si quis vult venire poſt me, &c.* dictum eſt diſcipulis & non ſolum diſcipulis, ſed in eis toti communitati fidelium: Et per conſequens diſcipuli, ut ſic, gerebant vicem futuræ communitatis: Sic, à pari, diſcipuli Domini ſuſcipientes diviniſſimum ſacramentum ſub utraqve ſpecie, per modum gregis pupilli paſcua ſuſcipientis, & per conſeqvens in ſic ſuſcipiendo, paſſive geſſerunt vicem futuræ plebis Chriſtianorum. Tenet argumentum per locum à ſimili.

Item confirmatur per *Auguſtinum ſuper Johannem in homil. ultima* dicentem, quod *Petrus figuravit totam futuram Eccleſiam militantem ædificatam ſuper petram, Chriſtum*, dum erat ſibi dictum *Matth. XVI. Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Et per conſequens Petrus geſſit figuram ſive vicem futuræ Eccleſiaſticæ communitatis. Sic à ſimili Dominus Jeſus dicendo diſcipulis: *Accipite & bibite ex hoc omnes*, dixit hoc futuræ communitati eccleſiæ & plebi. Igitur diſcipuli geſſerunt vicem ipſius plebis futuræ.

Quod ſi diſcipuli tunc non geſſerunt vicem futuræ plebis in ſuſcipiendo hoc diviniſſimum ſacramentum ſub utraqve ſpecie: Tunc per idem, nec geſſerunt vicem populi ad ſuſcipiendum tantum ſub prima ſpecie. Eo, qvod non datur ratio diverſitatis. Et per conſeqvens, ſicut non eſſet fundamentale, in prima inſtitutione evangelica Dominicæ cœnæ, quod communis plebs communicaret ſub utraque ſpecie, ſic non eſſet fundamentale in eadem inſtitutione, quod communis plebs communicaret tantum ſub prima ſpecie. Et ſi non fundaretur communio ſacramentalis plebis in iſta inſtitutione evangelica Dominicæ cœnæ, tunc neſcio ubi alibi in Evangelio certius fundaretur.

Item, *Marc. XI.* dicitur diſcipulis, *Quod vobis dico, omnibus dico.* Notum eſt, qvod hoc dixit in eis futuris omnibus. Et per conſequens etiam in hac inſtitutione, dicendo diſcipulis: *Bibite ex hoc omnes*, dixit generaliter omnibus poſteris fidelibus, qui hoc ſacramentum utri-

Digitized by Google

utriusqve ſpeciei commodoſe poſſent habere, loco & tempore opportunis.

Item, ſicut *Matth. ultimo* dicens diſcipulis, *Vobiscum ſum usque ad conſummationem ſeculi*, non ſolum hoc dixit illis duodecim diſcipulis, cum illi non debuerunt nec eſſe potuerunt in hoc mundo in mortali vita usq; ad conſummationem ſeculi: Ergo Chriſtus, in dicendo eis, hoc dixit futuris electis usqve ad conſummationem ſeculi. Et per conſeqvens tunc diſcipuli geſſerunt vicem Eccleſiæ electorum. Sic eadem ratio eſt de ſacramento utriusqve ſpeciei.

Et ergo Chriſtus, porrigendo venerabile ſacramentum eis ſub utraqve ſpecie, & unam ſpeciem ſine alia non dando, inſtituit ſic porrigendum omnibus communitatibus fidelium ſub utraqve ſpecie.

Unde qvando floruit martyrium, ſic ſancti hanc Chriſti inſtitutionem à ſpiritu ſancto intellexerunt: *Adſit populis porrigendum hoc ſacramentum ſub utraque forma.* Cui intellectui ſanctorum, ſic à ſpiritu Jeſu procedenti, multo amplius eſt fidelibus ſtandum, qvam infundabili gloſſæ Doctoris ſic dubie ſomniantis.

Item, ſi in cœna Domini laici non fuerunt, & ſic nec tunc in cœna laicis dedit Chriſtus hoc venerabile ſacramentum ſub utraqve ſpecie, & ſi ex hoc ſecundum Doctorem ſeqvitur, qvod usqve in diem judicii in futurum non eſt dandum hoc ſacramentum ſub utraqve ſpecie ipſis laicis: Tunc ex eadem ratione ſeqvitur, qvod usq; in diem judicii hoc ſacramentum nec ſub prima ſpecie deberet porrigi laicis, ob hoc, qvia dum dabat Chriſtus primum ſub prima ſpecie, illi laici non fuerunt, ut vult Doctor, nec tunc Chriſtus dedit laicis ſub prima ſpecie. Ergo non eſt fundatum in lege Chriſti, qvod etiam laicis ſub prima ſpecie deberet poſtea unqvam dari hoc diviniſſimum ſacramentum. Conſeqvens hæreticum. Ergo & aſſumta gloſſa Doctoris.

Unde Dominus dando diſcipulis intendebat inſtituere hoc futuræ communitati fidelium utriusqve ſexus, ſive

laicorum ſive clericorum, indifferenter, ſine acceptatione perſonarum. Alias enim magnus ſanctus Paulus non diceret: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*, niſi per ſpiritum ſanctum ſciret, qvod iſta, qvæ Chriſtus dixit & inſtituit diſcipulis in cœna, hæc dixit & inſtituit futuris communitatibus indifferenter qvorumcunqve ſtatuum ſine acceptione perſonarum.

Unde *Beda*, *in Octava aſcenſionis*, *in homilia ſuper iſto Luc.* 24. *Hæc ſunt verba, quæ locutus ſum vobis, cum adhuc eſſem vobiscum*, ſic loquitur: *Aſcenſurus de eis, primo de myſterio ſuæ fidei diligenter inſtruere curavit diſcipulos, ut tanto certius hanc mundo prædicarent, quanto eam ab ipſo veritatis ore percepiſſent, & Prophetarum ore jam dudum præſignata fuiſſe cognoſcerent. Apparens enim poſt reſurrectionis triumphum, juxta hoc, quod modo, cum Evangelium legeretur, audivimus: Hæc ſunt,* inquit, *verba, quæ locutus ſum vobis, cum adhuc eſſem vobiscum, id eſt, cum ſimile adhuc vobis corpus corruptibile & mortale geſtarem. Quoniam neceſſe eſt adimpleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moſis & Prophetis & Pſalmis de me. Impleta dicit in ſe ſacramentu, quæ Moſes & Prophetæ & Pſalmi prædicarunt. Unde liquide patet, quod una eſt Eccleſia in omnibus ſanctis ejus, eadem fides electorum omnium, præcedentium videlicet & ſubſequentium carnalem ejus adventum. Quia nimirum, ſicut nos per fidem tranſactæ incarnationis, paſſionis, reſurrectionis illius, ſalvamur: Ita & illi futuram ipſam reſurrectionem, paſſionem ac incarnationem certiſſimè credentes, per eundem vitæ auctorem ſe ſalvari ſperabant. Quod bene duo viri illi, qui botrum de terra repromiſſionis ad populum in deſerto expectantem in vecte portabant, inſinuant. Botrus quippe vecti impoſitus Dominus eſt in cruce exaltatus,* qui dicit: *Ego ſum vitis vera. Et alibi poculum vitæ diſcipulis porrigens: Hic eſt,* inquit, *calix novi teſtamenti in meo ſanguine, qui pro vobis fundetur.* De quo Eccleſia, *Botrus Cypri*, inquit, *dilectus meus mihi. Portant autem in vecte duo viri botrum, per quem populo ubertatem terræ repromiſſionis adſtruant. Quia prædicatores utriusque teſtamenti gloriam patriæ cœleſtis, Domino revelante, didicerunt, id eſt paſſionis illius*

Digitized by Google

arcanum populis intimare non ceſſant, quo per hoc convinci poſſit, quanta fidelibus præmia daturus ſit in cœlis, qui pro iſtorum ſalute filium ſuum unigenitum paſſurum miſit ad terras. Et cetera ibidem. Et quæ ſubdit iterum ad propoſitum: *Nec prætereundum, quod Bethania in latere montis oliveti poſita narratur. Sicut enim Bethania obedientem Domini mandatis Eccleſiam, ita mons oliveti ipſam redemptoris noſtri perſonam multum decenter exprimit, qui in carne apparens & altitudine dignitatis & ſpiritualis gratiæ virtutis, omnes qui puri homines ſunt, ſanctos antecellit. Unde & illi canitur in pſalmis: Quia unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Et ipſe, ſicut etiam præſens ſancti Evangelii lectio teſtatur, ejusdem ſanctæ unctionis munus ſuis conſortibus, hoc eſt fidelibus, promiſit, nec multo poſt tempore, ſicut novimus, quod promiſerat, miſit. Si autem delectat audire, quomodo domus obedientiæ i. e. ſancta Eccleſia in ejusdem montis oliveti ſit latere conſtructa, legamus Evangelium Johannis, ubi paſſione illius completa in cruce unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit ſanguis & aqua. Hæc etenim ſacramenta ſunt, quibus Eccleſia in Chriſto naſcitur & nutritur, aqua videlicet baptiſmatis, qua abluitur à peccatis, & ſanguis calicis Domini, quo confirmatur in bonis.* Hæc venerabilis Beda. In quibus verbis vocat Eccleſiam hanc omnium electorum, cujus Eccleſiæ Chriſtus eſt vitis ſive botrus juxta illud allegatum *Cantic. I.* Quæ Eccleſia, ut dicit Beda, ſanguine calicis Dominici in bonis confirmatur. Propter qvam confirmationem in bonis merito communitas fidelium laicorum debet accedere ad communionem calicis ſub ſpecie vini.

Injuriam autem magnam facit *Doctor* laicali communitati, eo, quod quantum in eo eſt, aufert ſibi tàm magnum bonum ſalutis.

CAP. VI.

An Maria adſuerit in ſacra Chriſti cœna?

Broda. POſtea iterum arguit ſic *Doctor: Si enim hoc erat pro lege ſive pro fide tenendum, ut aſſerit adverſarius, videlicet, ut ſacramentum venerabile à laicis aliuque fidelibus ſub utraque ſpecie ſumi debuit: Quomodo ergò Chriſtus ſuam unicam & glorioſam matrem, quam tenerrimè dilexit, etiam ſuper omnes & ſingulos Apoſtolos, ab hac tàm grandi & utili lege ſeu fide demiſit exſortem? Scit enim totalis eccleſia ipſam in illa cœna ultima non fuiſſe.* Hæc Doctor.

Jacobellus. Adhuc nec vidi, nec audivi efficaciter probare Doctorem, quod glorioſiſſima virgo & mater Domini non fuiſſet in eadem domo tunc temporis cum Chriſto & ſuis diſcipulis, & quod non ſuſcepiſſet diviniſſimum ſacramentum ſub utraque ſpecie. Præſertim cùm non ſequitur: Non ponitur expreſsè de ea, quod ibi fuiſſet, vel quòd ſuſcepiſſet ſub utraque ſpecie, Ergò non fuit ibi, vel ergò non recepit diviniſſimum ſacramentum ſub utraque ſpecie.

Et quamvis dicatur, quod fuerunt ibi duodecim diſcipuli; Suppoſito tamen per Doctorem, quòd beata virgo non fuiſſet ibi in domo tunc temporis, vel quod non ſuſcepiſſet diviniſſimum ſacramentum utriusque ſpeciei, tamen, ſicut ſuprà tactum eſt, hæc fides & lex inſtituta eſt principaliter pro fragilibus & infirmis pronis ad malum, qualis eſt communitas omnium fidelium, cujus vicem tunc gerebant diſcipuli Domini, tunc fragiles valdè & debiles ad reſiſtendum tentationibus & adverſis. *Beata* autem *virgo* fuit tunc temporis extra ſtatum fragilem hujus communitatis. In ſpiritu & cœleſtibus vivens miro modo ſupernaturali, non ita indiguit, ſicut diſcipuli fragiles & futura communitas. Quia alio modo, perfectiori & altiori ſine ſenſibili ſacramento fruebatur ſuo filio perdilecto ſecundum corpus & ſangvinem ejus. Quod ſi aliquando poſtea acceſſit ad hujusmodi diviniſſimum ſacramentum, hoc fecit ad confirmandam fidem novis Chriſtianis circa hujusmodi di-

vinis-

Digitized by Google

viniſſimum ſacramentum, ſicut fecit *Maria Magdalena* ſemel ante mortem. Et ne etiam per hoc ſcandalum poſteris in eis remaneret.

CAP. VII.

De dicto Act. II. *Erant perſeverantes in doctrina Apoſtolorum & communicatione fractionis panis & orationibus.*

Broda. ITerum *Doctor* arguit ſic contra prædictam ſententiam fidei: *Ex ritu primitivæ eccleſiæ & ex ſcriptura colligimus, contrarium eſſe verum. Nam Actor. II. dicitur: Erant autem perſeverantes in doctrina apoſtolorum & communicatione fractionis panis & orationibus. Ibi per totum librum, ſi verum recolo, non fit mentio de bibitione ſangvinis Chriſti laicis ſeu fidelibus promiſcui ſexus. Item non legitur Chriſtus hoc ſacramentum ſub duplici ſpecie ſeptuaginta diſcipulis tradidiſſe. Nec in ſacris codicibus legimus, eos ſic, ut præmiſit adverſarius, ſub utraque ſpecie ſacramenta Domini recepiſſe, ſed tantummodo illos duodecim, inter quos & Judas traditor ſic accepit, prout eſt ſuperius allegatum.* Hæc Doctor.

Jacobellus. Hic miror de Doctore, quod non erubeſcit in publicum producere deductiones ſic debiles & inanes, quod non timet minores Logicos, qui conſpectis his Doctoris probationibus mox ex veris ſuis rudimentis Logicalibus clamabunt, hoc argumentum Doctoris non valere: *Actor. II. dicitur: Erant perſeverantes, & cetera, usque, promiſcui ſexus. Ergò non eſt verum, quod communitas laicorum debeat ſuſcipere diviniſſimum ſacramentum utriusque ſpeciei.* Quaſi ſic argueret: Iſta fides evangelica de communione calicis ſub ſecunda ſpecie ad vulgus fidele, non eſt ibi fundata vel poſita in illo c. *Actor. II.* vel in illo libro vel alio: Ergo iſta fides evangelica non eſt vera. Vel quaſi ſic argueret: Iſta fides ibi non exprimitur, ergò nullibi in lege Domini iſta evangelica veritas fundatur. Quis dubitat hoc argumentum non valere, ex eo, quod ab inferiori negativè ad ſuum ſuperius Rudimenta parvulorum verè teſtantur conſequentiam non valere. Quemadmodum nec hoc ſimile argumentum valet: In iſto capite bibliorum, vel in iſto libro nulla eſt mentio expreſsè de illa fide catholica, quod Deus ſummus eſt trinus in perſonis & unus in eſſentia: Ergò iſte articulus de benedicta Trinitate non eſt verus. Et idem eſſet argumentum ad deſtruendum alias veritates catholicas, ſi deberent habere proceſſum iſtæ tàm vanæ deductiones Doctoris.

Sed ulterius penſandum eſt hoc, quod dicitur Actor. II. *Erant perſeverantes in doctrina apoſtolorum & communicatione fractionis panis*, ſic, quod non in communicatione calicis ſub ſpecie vini. Quam ſequelam videtur Doctor innuere in ſuis probationibus jam ante dictis.

Et ille textus *Actor. II.* ſe ſolo ſic poſitus ſi concluderet ſufficienter, quod vulgus fidele non deberet accedere ad communionem calicis ſub ſpecie vini, ex eodem textu concluderetur, quod nec ſacerdotes deberent ſumere communionem calicis ſub ſpecie vini. Sed quia hoc non poteſt ſequi ex illo textu, Ergò nec primum ſeqvitur.

Sicut ergò *Luc. VII.* dicitur: qvod rogabat Jeſum qvidam Phariſæus, ut manducaret cum illo: Tamen credimus, qvòd Dominus Jeſus manducando cum illo Phariſæo etiam bibit cum iſto: Sic veriſimile eſt, qvod communiter fideles, cùm manducaverunt, etiam biberunt. Et manducatio & bibitio communiter ſunt ſimul connexa. Qvandoqvidem dum exprimitur unum in ſcriptura, datur ſubintelligi & reliqvum.

Utinum ergò *Doctor* iſte perſeveraret in doctrina apoſtolorum, ſicut olim fideles, & tunc nunqvam contradiceret huic evangelicæ veritati.

Digitized by Google

CAP. VIII.

De ſeptuaginta diſcipulis Chriſti, an illi ſub utraque ſpecie communicaverint?

Broda. ITa iterum expreſsè deficit in argumentis, ſcilicet arguendo: *Non legitur, Chriſtum hoc ſacramentum ſub duplici ſpecie ſeptuaginta diſcipulis tradidiſſe. Nec in ſacris codicibus legimus, eos ſic, ut præſumit adverſarius, ſub utraque ſpecie ſacramenta Domini recepiſſe, ſed tantummodo* &c. Et ex hoc in *majore* vult inferre, qvod fides evangelica, de communione ſacramentali populis ſub utraque ſpecie, non eſſet vera. Sed qvia hic in eadem forma arguendi deficit, ut prius, ideò eodem modo refellitur.

Jacobellus. Non enim ſeqvitur: Expreſse non legimus, qvod ſeptuaginta ſuſceperunt hoc ſacramentum ſub utraqve ſpecie: Nec expreſsè legimus, qvod ſub una ſpecie, primâ tantùm, receperint: Ergo in veritate, nec ſub utraqve, nec ſub prima tantum ſpecie receperunt. Stat enim, antecedens eſſe verum, conſeqvente exiſtente falſo. Nam ſi olim communiter fideles perſeverabant in communitate fractionis panis, vel communione calicis, ut ſupra tactum eſt, qvid obeſt, ſeptuaginta diſcipulos minores fuiſſe de numero illorum, qvi ſcilicet qvotidiè in in communione panis & calicis perſeverabant. Iterum non ſeqvitur: In ſacris codicibus non legimus niſi duodecim ſuſcepiſſe ſub utraqve ſpecie, Ergo nullus poſt modum debet ſuſcipere. Sicut non ſeqvitur: In ſacris codicibus non legimus expreſſe, qvod moderni ſacerdotes debent ſuſcipere hoc venerabile Sacramentum ſub utraqve ſpecie: Ergo non recipiunt, nec debent ſuſcipere. Et ſic communiter in forma arguendi deficit.

Aſſumtum etiam non eſt verum. Cum in ſacris ſcripturis legimus, qvod traditio ſacramenti utriusqve ſpeciei per Paulum Eccleſiis eſt evangelizata, & tenta. *Scimus enim ex Evangelio per magnum Paulum prædicatorem, quod dominicam cœnam, conſtitutam ex cibo potuque ſacramentali, fideles eccleſiæ*, ut dixi, *à magno Paulo fideliter ſuſceperunt & tenuerunt*, ut dicit *Gloſſa ordinaria ſuper* 1. *Cor. XI.* Et ſecundum *Petrum de Tarantaſio* usqve in hodiernum diem tenent. Qvomodo dicit *Doctor*, qvod nusqvam legimus *præter duodecim apoſtolos* recepiſſe ſacramentum ſub utraqve ſpecie. An non legit *Doctor* ipſum Apoſtolum dicentem: *Probet ſe ipſum homo, & de pane iſto edat & de calice bibat*, & poſt infra dicit: *Propter hoc multi ex vobis infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* Et qvid ſibi hoc vult, niſi qvod communitates fideles Eccleſiarum accedebant ad utramqve ſpeciem ſacramenti, & ex his multi indigne.

Intelligentibus ergo *motiva* iſta *debilia* contra fidem iſtam nihil deducunt, ſicut contra ſolidam petram. Et multa in ſacris codicibus leguntur & à multis non intelliguntur.

Sed utinam *Doctor* perſeveraret in doctrina Apoſtolorũ, ſeqvendo Chriſtum, ſic, ut ſibi daretur noſſe myſteriũ. Tunc enim cognoſceret ſe multas veritates fidei legiſſe, qvas nec ſcivit ſe legiſſe, nec intellexiſſe. Qvod non ſolum ſibi ſed & mihi idem deſidero, ut ſimul in eodem ſpiritu non hominum conſuetudinem ſed pure evangelicam veritatem ſinceriter & unanimiter teſtaremur.

CAP. IX.

An verba Chriſti, Bibite ex hoc omnes, collectivè an diſtributivè debeant intelligi?

Broda. POſt hæc dicit *Doctor*; *Reſpondebo ad verba Chriſti jubentis & dicentis: Bibite ex hoc omnes, Matth. XXVI. quod Chriſtus Jeſus loquebatur hæc verba collectivè & non diſtributivè, præſentes videlicet denominans, non omnes & ſingulos abſentes.*

Jacobellus. Patet ex præcedentibus, qvod hæc ſua gloſſa non valet. Tum, qvia præſentes Apoſtoli omnes & ſinguli diviſim ſuſceperunt hoc diviniſſimum ſacramentum ſub utraqve ſpecie: Tum, qvia omnes & ſinguli poſteri ſacerdotes,

dotes, etiam pro tunc abſentes, ceteriqve fideles, viventes ſecundum obſervationem legis in communi vita adhuc fragili, habentes facultatem & opportunitatem accedendi, debent accedere. Et talibus ſimul & diviſim dictum eſt: *Bibite ex hoc omnes.* Item, 1. *Cor. XI.* dicitur, *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Hæc Paulus tradens communitatibus eccleſiarum, qvomodo qvæſo auderet ſic docere communitates in iſto puncto, vel auderet dicere: *Ego enim accepi à Domino ſic dicente: Bibite ex hoc omnes, Niſi eſſet ibi in verbis Chriſti pro omnibus & ſingulis futuris communitatibus fidelium, opportunitatem habentibus accedendi, diſtributio.*

Miror ergo, qvod audet hanc gloſſam leviter excogitatam, nunqvam in veris gloſsis antiqvorum ſanctorum repertam, dare in publicum ſine omni ratione & ſine autoritate. Qvomodo enim inſtitueretur, Apoſtolos hoc facere, qvotiescunqve oportuerit, usqve ad ultimum adventum judicii, cum ſcitum eſt, qvod Apoſtoli non debuerunt, neqve potuerunt in hac vita usqve ad diem judicii eſſe. Oportet ergo, qvod in hoc ſigno, *omnis*, fiat *diſtributio pro omnibus & ſingulis, capacibus* & opportunitatem habentibus, ſuccedentibus ſibi alternatim & ſucceſsive, usqve ad conſummationem ſeculi. Qvæ qvidem *capacitas* conſiſtit *in fide, ſpe, & charitate*, in humiliatione ſui ipſius, & probatione, firmo & bono propoſito. *Quæ in communitate vulgi fidelis major & crebrior ſit, quam in pſeudo ſacerdotibus invenitur.*

Non ergo huic gloſſæ ſuæ concordat *Marcus Evangeliſta*, dicens: *Biberunt ex eo omnes.* Non enim hoc dictum eſt ſolum de præſentibus, ſed per præteritum, more Prophetico de futuris fuit diſtributio pro omnibus, ut dixi, capacibus, & opportunitatem accedendi habentibus usqve ad diem judicii. Sic enim Prophetæ locuti ſunt de futuris novisſimis & periculoſis temporibus per facta præterita.

CAP. X.

De hoſpite domus, in qua Chriſtus cœnavit, an interfuerit cœnæ?

Broda. ET ex eodem patet, qvod iterum non ſeqvitur, ſicut *Doctor* dicit, *Si omnes dicens, nullum excluſit, tunc hoſpes illius domus in qua cœnam facere dignatus eſt, cum tota familia ſua ſic accepit.* Si *Jacobellus.* fuiſſent fideles & capaces atque opportunitatem ad hoc habentes, qvare non communicaſſent? Neſcit autem *Doctor* efficaciter oſtendere, qvod tunc temporis tantummodo *ſoli diſcipuli* ibi fuiſſent, & ſub utraqve ſpecie communicaſſent, ſic, qvod non alii. Cum textus evangelicus non dicat, qvod *ſoli diſcipuli* ibi fuerunt, & non alii. Qvamvis bene verum ſit, qvod de ſolis diſcipulis mentionem facit. Nec ſcit probare, an tunc alii fuerunt capaces vel incapaces, vel ſi alii digne vel indigne, vel nullo modo acceſſerunt.

Qvod ſi, ut ſupponit *Doctor*, ſoli diſcipuli tunc acceperunt, ſit ita. Quia ergo tales, ſic adhuc fragiles, geſſerunt vicem tunc communitatis futuræ omnium in vita communi degentium credendorum: Non ſeqvitur, qvod ergo laicis non deberet dari hoc ſacramentum utriusqve ſpeciei.

Et qvid, qvæſo, fuisſet inconveniens, ſi tunc hoſpes domus cum tota familia ſua, exiſtentes capaces & opportunitatem habentes, accepiſſent ſic ſub utraqve ſpecie? Plane nullum.

Ex his patet, qvod male infert, dicens, *Et ex eodem fundamento gentiles & Judæi ſumere ſic deberent.*

CAP.

Digitized by Google

CAP. XI.

An ſub una ſpecie panis ſumatur ſimul corpus & ſanguis Chriſti?

CОnſiderans autem *Doctor*, qvia in iſta gloſſa non poteſt finaliter perſiſtere, velut in arena maris, dat ſe ad *aliud ſubterfugium*, dicens: *Vel ita poteſt dici: Omnes bibunt ſanguinem Chriſti, qui ſub ſpecie panis devote ac fideliter ſumunt corpus Chriſti.* Et æſtimans ſe hoc probare, ſubdit: *Nam hoc eſt corpus Chriſti vivi & non mortui Chriſti. Sed ſcimus, quod vivus Chriſtus non eſt ſine ſanguine, ſed vivum in ſe ſanguinem habet. Ergo ſumens corpus Chriſti bibit ſanguinem Chriſti. Quod ſi non, tunc oporteret concedi Chriſtum ſine ſanguine eſſe, & non eſſet verus homo.* Hæc Doctor.

Broda.

Hic reſpondetur, qvod Dominus Jeſus porrigendo corpus ſuum ſub prima ſpecie, ſolum dixit: *Accipite & comedite.* Et non dixit: *Bibite.* Et porrigens ſuum ſanguinem in ſecunda ſpecie, ſolum dixit: *Bibite ex hoc omnes.* Et non dixit ibi: *Comedite ſub iſta ſecunda ſpecie.* Eſt ergo, dare modum bibendi ſacramentalem & ſpiritualem ſanguinis Chriſti ſub ſpecie vini, qvem Chriſtus Dominus ex ſumma ſapientia inſtituit ad magnum nimis profectum animarum. Et ſecundum iſtum modum bibendi, ſic à Domino inſtitutum, accedentes tantummodo ad primam ſpeciem ſacramentalem & non ſecundam, non bibunt ſanguinem Chriſti modo prædicto, ſcilicet ſacramentaliter.

Jacobellus.

Concedo ulterius Doctori, quod Chriſtus eſt vivus & non mortuus, imò eſt vita animarum. Et iterum concedo, quod vivus Chriſtus non eſt ſine ſangvine: Sed verum in ſe ſangvinem habet. Sed non ſeqvitur ex iſto, qvod Chriſtus, dum dat ſe deguſtare ſecundum corpus per modum cibi ſub prima ſpecie, qvod ergo tunc ſub eadem ſpecie prima det ſe ſecundum ſangvinem per modum ſpiritualiſſimi & pretioſiſſimi potus deguſtare. Sicut non ſeqvitur, Chriſtus dat ſe deguſtare capacibus ſub ſecunda ſpecie ſecundum ſangvinem per modum potus: Ergo ibidem dat ſe eisdem deguſtare ſecundum corpus per modum cibi. Nam *ſolum dixit & promiſit*, ſub prima ſpecie accedentibus dignè dare ſe ſecundum corpus per modum cibi, cum dixit, *Accipite & comedite*, & ſub ſecunda ſpecie dignè accedentibus *ſolùm dixit & promiſit* dare ſe ſecundum ſangvinem per modum potus, calicem porrigens cum ſecunda ſpecie, & dicens: *bibite ex hoc omnes.* Ergò non ſeqvitur, Totus Chriſtus vivus eſt in prima ſpecie, ergò ibi bibitur ſangvis modo ſuprà dicto. Si enim Chriſtus vivus totus in prima ſpecie daret ſe ſecundum quodlibet ſui, tunc ibi biberetur ſangvis Chriſti. Sed quia ſecundum unum Chriſtus dat ſe in una ſpecie, & ſecundum aliud in alia ſpecie: Ergo, ſicut non dat ſe niſi per modū cibi ſecundum corpus, ſpiritualiter & ſacramentaliter, in prima ſpecie, & non dat ſe ſecundum ſangvinem, niſi per modum potus in ſpecie ſecunda, ſacramentaliter & ſpiritualiter: Sic juxta Chriſti inſtitutam formam nec bibitur ſangvis ſacramentaliter in prima, nec comeditur corpus Chriſti in ſecunda.

Aliàs ſi in una ſpecie eſſet comeſtio & bibitio ſacramentalis & ſpiritualis, ſeqvitur, qvod altera ſpecies ſuperflueret. Qvod non convenit tali legiſlatori, ut qvicqvam ſuperfluum inſtituat vel diminutum.

Probet ergò *Doctor* iſtam conſeqventiam: *Chriſtus exiſtens vivus & habens in ſe corpus & ſangvinem in prima ſpecie, ergò cuilibet dignè accedenti tantum ſub prima ſpecie ad ſacramentum dat ſe per modum potus ſecundum ſuum ſangvinem, ſicut ſub ſecunda ſpecie.* Et tunc concedam, qvod omnes fideles accedentes tantùm ad primam ſpeciem bibunt ſangvinem Chriſti. Sed Doctor adhuc non probat iſtam conſeqventiam, & tamen ex non probata conſeqventia poſtea multa infert inconvenientia ex conſeqvente, ſed in caſſum.

Si autem *Doctor* præter evangelium tum

tùm propoſitum, æqvivocando, *verbum bibitionis analogice* & pro comeſtione ſpirituali ad ſuum placitum & propoſitum vult ſumere, quia tranſcendenter loqvendo in illis divinis propter nimiam ſpiritualitatem, idem eſt cibus & potus: Hoc non erit ad propoſitum. Cùm aliud ſit corpus Chriſti, velut cibus, ſub prima ſpecie, aliud ſangvis, velut potus, ſub ſecunda ſpecie. Primum ad manducandum dignis ſpiritualiter & ſacramentaliter, ſecundum ad bibendum ſacramentaliter & ſpiritualiter fidelibus communitatibus laicorum ſub ſecunda ſpecie. Et patet *ſolutio argumenti.*

CAP. XII.

De loco Deut. XII.

Sanguinem beſtiarum fundes in altari, carnibus autem ipſe veſceris.

Broda. Jacobellus. DE hoc autem, qvod allegat *Deuteron. XII.* dicens: *Sangvinem beſtiarum fundes in altari, carnibus autem ipſe veſceris:* Sanè poteſt intelligi, qvod ſancti tunc, qvando pro Chriſto ſangvinem fundebant, Chriſto & in Chriſto ipſum ſic offerentes, qvaſi in altari ſangvinem fundebant, & ſic carne verbi Dei veſcebantur. Etiam figuravit hoc, qvod ſangvis in altari crucis debebat pro nobis effundi, & ſic qvod noſtra memoria paſcatur, memorando, qvod tunc caro Chriſti fuit ſeparata & diviſa à ſangvine. Non autem per hoc textus iſte vult, qvod vulgus fidele non ſumat hoc ſacramentum ſub utraqve ſpecie.

Modus autem ſumendi ſangvinem Chriſti, qvem *Doctor* excogitat fieri in manducando corpus Chriſti ſub prima ſpecie tantùm, videtur eſſe figuraliter prohibitus ibidem *Deuter. XII.* Ubi dicitur hoc ſolùm: *Cave, ne ſangvinem comedas. Sangvis eorum enim pro anima eſt. Et idcircò non debes animam comedere cum carnibus, ſed ſuprà terram fundes, quaſi aquam.*

Verba Broda. *Sed contra hoc objiceret adverſarius: Si argumentum concluderet per ſufficientiam unius ſpeciei, ſequeretur ex eodem, quod nec ſacerdotes offerre ſacrificium ſub duplici ſpecie tenerentur. Quod eſt contra concilium Toletanum, prout habetur in canone de conſecrat. diſt. 2. c. Relatum. Reſpondeo, Secus eſt de ſacerdotibus & laicis. Nam laici non offerunt, nec offerre ſacrificium hoc debent, ſed tantummodo Domini ſacerdotes, ut dicitur Ebr. IV. & cetera per longum.* Hæc Doctor.

Jacobellus. Quia autem ego ſic non arguo, ſed *Doctor* arguit, ut vult, & ſibi reſpondet, ut ſcit: Ideò per ſingula mihi impertinentia, hic non intendo me occupare. Sed conſtat qvod non poteſt benè inferri per modum conſeqventiæ, ſicut *Doctor* infert, dicens: *Sufficit ergò laicis fidelibus ſub una ſpecie panis ſumere.*

Probat tamen *conſequens* hoc ex alio illatum impertinenter ex prioribus, iſto modo: *Quia tota unitas corporis & ſangvinis Chriſti ſumitur ſub ſpecie panis.* Hoc conceſſo, non ſeqvitur, Ergò ſufficit laicis ſumere tantùm ſub una ſpecie. Sed ſi omnis modus ſumendi communitati fidelium perutilis eſſet, inſtitutus in prima ſpecie tantùm, etiam ille modus, qvi eſt ſumendi ſub ſecundâ ſpecie, ſecundum qvodlibet ſui eſſet in prima, & ſic eſſet à Chriſto inſtitutum ſecundum omnem modum ſuſcipere in prima ſpecie. Et tunc benè inferretur, qvod laicis fidelibus ſufficeret accedere ad primam tantùm ſpeciem. Sed tunc concedendo conſeqventiam, antecedens negarem. Et qvia de hoc jam eſt ſuperius tactum, ideò hæc omitto amplius declarare.

Et eadem ratione ex prioribus *malè infert, quod ſolùm ſacerdotes ſumant ſub utraque ſpecie.*

Digitized by Google

CAP. XIII.

An ſacerdotes pro laicis ſumant ſub utraqve ſpecie, juxta illud:

Quod quis per alium facit, ipſe feciſſe putandus.

Broda. SEd pro ſe *Doctor* arguens dicit: *Canones dicunt: Qui per alium facit, per ſe feciſſe videtur.*

Jacobell. Sed ſi hoc deberet pro fide teneri, tunc populus non indigeret nec ſub prima ſpecie tantùm accedere. Qvia ſufficeret ſibi, qvod ſacerdotes pro eo reciperent ſacramentaliter. Et populo ſufficeret tantùm ſpiritualiter. Sed hoc eſt impium dicere. Ideò iſte modus probandi Doctoris non valet.

CAP. XIV.

De Juda proditore, qui indigne ſacra uſus cœna. Et an ſatius ſit ſpiritualiter quam ſacramentaliter frui, propter periculum indignitatis.

Broda. SAne, inqvit, *rei veritas eſt, quod hi, qui dignè bibunt Chriſti ſangvinem ſpiritualiter, plus gratiæ conſequuntur, quàm ceteri, dati vel dandi, qui ſenſualiter & carnaliter dentibus premunt, atque palato guſtant ſacramenta corporis ſangvinisq́, Domini Jeſu Chriſti. Exemplum hujus in Juda patuit traditore. Plus enim beata virgo Maria gratiæ ſuſcepit pro tunc temporis, quæ ſpiritualiter comedit corpus Chriſti & ſangvinem bibit, quàm ipſe Judas traditor, qui corporaliter ſumſit.* Hæc Doctor.

Jacobell. Concedendo iſtud, qvid hoc erit ad propoſitum inferendum? Non enim ex hoc ſeqvitur, qvod laici fideles non debeant recipere hoc venerabile ſacramentum ſub utraqve ſpecie. Sicut nec ex hoc ſeqvitur, qvod ergò laici non debeant ſub una ſumere ſpecie tantùm. Non enim, qvia nonnulli perfecti extra ſtatum communitatis fidelium ſpecialiter privilegiati ſumſerunt ſpiritualiter, & qvodam modo angelico ſecundum ecſtaſin, corpus & ſangvinem Chriſti & fruendo modo altiori ipſo Domino, qvam communitas in ſtatu communi & fragili indigens, & vix attingens modum ænigmaticum ſumendi ſub ſpeciebus panis & vini: Qvod ergo communitas non deberet communicare ſub utraqve ſpecie.

Et iterum ex hoc non ſeqvitur: Qvia multi reprobi vel hypocritæ cum Juda indigne ſumunt ſibi ſacramentum ad judicium, qvod ex hoc communitas fidelis vulgi electorum prohibenda ſit digne & meritorie accedere ad integrum ſacramentum utriusqve ſpeciei ſecundum integram fidem. Cum qua qvidem fideli communitate Dominus fœdus percuſſit, qvod qvotiescunqve digne & meritorie, qvantum eſt in ipſa, acceſſerit ad hoc integrum ſacramentum, recipiat chariſmata ampliora.

CAP. XV.

Quod variis modis Chriſtiani frui poſſint ſacra cœna. Et an ideo ſufficiat ſub una ſpecie?

ET poſt ponit *Doctor*, qvod multis modis ſolent Chriſtiani ſumere corpus & ſanguinem. Et allegat ad hoc *gloſſam ordinariam ſuper 1.Cor.XI.*

Broda. Sed iterum nimis impertinenter infert ex præmiſſis, dicens: *Patet igitur diligenter intuenti, quod ſufficit laico fideli ſub ſpecie panis tantum ſumere Domini ſacramentum.*

Jacobell. Imo patet cuilibet diligenter intuenti, qvod non ſeqvitur. Et communiter in ſuis probationibus *Doctor* peccat vel in materia vel in forma, contra dictamen & rectam Logicam.

CAP. XVI.

De ſanguine Chriſti poſt ſurrectionem corpori unito, & ab illo inſeparabili: An ideo cum corpore ſumatur ſanguis?

Broda. *PRo quo eſt ſciendum, quod licet in paſſione Chriſti ſanguis ejus fuit ſeparatus à corpore, usqve ad horam, qua reſurrexit à mortuis, & per conſequens qui conſecraſſet infra triduum mortis, & ille ſub ſpeciebus panis habuiſſet ſine ſanguine corpus Chriſti, ſub ſpecie vini habuiſſet ſine corpore ſanguinem Chriſti, tamen in hora reſurrectionis Chriſtus reaſſumſit totum ſanguinem effuſum, & poſt reſurrectionem Chriſti ſemper ſanguis manſit unitus corpori inſeparabiliter, & in æternum ſic manebit.*

Jacobello. Concedo, qvod Chriſtus poſt reſurrectionem reaſſumſit totum ſanguinem, & qvod poſtea ſemper eſt unitus ſuo corpori in æternum. Et qvod Chriſti ſanguis fuit ſeparatus à corpore infra triduum mortis usqve ad horam reſurrectionis excluſive, etiam concedo. Sed ſi qvis infra triduum conſecraſſet hoc ſacramentum utriusqve ſpeciei, qvod tunc fuiſſet corpus Chriſti tantúmodo ſub ſecunda ſpecie ſine ſanguine, & ſanguis tantummodo ſub ſecunda ſpecie ſine corpore, hoc *Doctor* nondum probavit.

Nam qværitur à Doctore: In cœna Dominica, qvando Chriſtus Dominus inſtituit hoc ſacramentum, an totus Chriſtus ſecundum corpus & ſanguinem fuit ſub utraqve ſpecie, vel non? Secundum non audebit dicere, ergo dicet primum. Qvod ſi hoc venerabile Sacramentum Dominicæ cœnæ fuiſſet reſervatum usqve ad illud triduum mortis Chriſti, incluſive, qvare adhuc non totus Chriſtus fuiſſet ſub utraqve ſpecie, ſicut prius in cœna? Nam licet corpus & ſanguis fuerunt tunc ſenſibiliter ſeparata, tamen potuiſſet fieri, ſi Deus voluiſſet, qvod fuiſſent ſimul alio modo, ſcilicet ſpirituali in ſacramento, ſicut in cœna Domini. Ideo non ſeqvitur: Corpus & ſangvis Chriſti tunc ſenſibiliter fuerunt ſeparata, ergo tunc oportebat ſpiritualiter & realiter ac localiter ea eſſe ſeparata. Cum idem ſecundum fidem in uno loco poteſt eſſe ſenſibiliter, & alibi realiter & ſpiritualiter.

CAP. XVII.

De Presbyteris, an ſint vicarii Chriſti, quibus ſufficiat in memoriam paſſionis Chriſti utramque ſpeciem ſumere.

Broda. SEd iterum *Doctor* infert ex ſuis dictis, dicens: *Ideo presbytri, ſunt vicarii Chriſti, ut innuant mortem Chriſti, in qua ſanguis ſeparabatur à corpore Chriſti, juxta Salvatoris dictum, Matth. XXVI. Hoc eſt enim corpus meum. Et infra: Hic enim calix ſanguinis mei &c. Subdens hac, Quotiescunque feceritis in mei memoriam facietis. Sed quia laici non ſunt Vicarii Chriſti, Ergo &c.* Hæc Doctor.

Jacobello. Hic dico, quod non ſolum *presbyteri* debent vivaciter & fructuoſe memorare mortem Chriſti, in qva ſanguis ſeparabatur à corpore, ſed etiam *laici* fideles. Et circumſcripta confectione ſive conſecratione aut oblatione ſacramentali ſacerdotalis officii, laici aliqvi poſſunt ita meritorie guſtare ſanguinem Chriſti ſub ſpecie vini, ſicut aliqvi presbyteri. Offerre autem ſacramentaliter, conficere ſive conſecrare, presbyteris Chriſti vicariis ſolis attribuendo, tunc reſidua guſtatio digna ſanguinis Chriſti ſub ſpecie vini eſt ejusdem rationis in presbytero, ſicut in laico, & è converſo. Qvemadmodum deguſtatio vera corporis Chriſti ſub prima ſpecie tantum, eſt ejusdem rationis in presbytero, ſicut & in laico. Ergo circumſcripta confectione & oblatione ſive

ſive conſecratione, guſtatio ſanguinis Chriſti ſub ſpecie vini, ſicut convenit presbyteris, ſic & laicis devotis, ad commemorandam mortem Chriſti, in qva ſeparatus fuit ſanguis à corpore.

Ergo Doctor, ſicut ſæpe, deficiendo in modo probandi non poteſt habere propoſitum, qvod ſcilicet ſolum ſacerdotes & non laici debeant ſumere utrumqve. Ergo ſi Doctor argueret ſic: Laici non ſunt presbyteri & Vicarii Chriſti: Ergo non debent conſecrare. Sed non ſeqvitur, qvod non debent laici guſtare ſanguinem Chriſti ſub ſpecie vini.

CAP. XVIII.

An laici ſub una ſpecie panis æque corpus & ſanguinem accipiant ac presbyteri?

Broda. POſtea addit *Doctor*, dicens: *Quod laici nihil minus de veritate corporis & ſanguinis ſub ſpecie panis, quam presbyteri ſumunt.*

Jacobellus. Jam dictum eſt de hoc prius. Sed adhuc ad declarandum planius fidelibus iſtam fidem, non piget me repetere, qvod, licet eadem veritas tota, qvæ eſt totus Dominus Jeſus, eſt & ſumitur à fidelibus, dignis ſacerdotibus vel laicis, tamen aliter dat ſe in prima ſpecie, aliter in ſecunda. In prima enim dat ſe per modum cibi, in ſecunda per modum vitis veræ, optimum ſpirituale vinum de ſe derivantis. Et primam deguſtationem corporis Chriſti ſub prima ſpecie Dominus vocat comeſtionem ſive manducationem, dicens: *Comedite, hoc eſt corpus meum.* Secundam deguſtationem ſanguinis Chriſti ſub ſpecie vini vocat bibitionem, dicens: *Bibite ex hoc omnes.* Ecce, qvod alio modo guſtandi iſta veritas, qvæ eſt Chriſtus, dat ſe deguſtare ſub prima ſpecie, & alio modo ſub ſecunda. Et ſicut primus modus guſtandi non eſt fruſtra à Domino inſtitutus, ſed eſt capacibus electis fructuoſiſſimus, ſic & ſecundus. Eo qvod Deus & homo Chriſtus nihil poteſt facere fruſtra. Ergo qvoad minoritatem modalem & formalem eadem veritas Chriſtus in prima ſpecie dando ſe per modum cibi minus ſe dat, ſic ſe ſolo ſecundum illum modum dando, qvam, cum etiam adhuc ſe dat in ſecunda ſpecie per modum potus deguſtare. Et ſic pepigit fœdus cum communitate fidelium, dare ſe ſcilicet duobus modis, ſub duplici forma. Et dando ſe tantum ſub primo modo, & communitas recipiens tantum primo modo, ſub prima ſpecie, minus reciperet, qvam ſecundo modo in ſecunda ſpecie, ſub ratione ſecundi modi, ſcilicet guſtandi per modum potus ſacramentaliter & ſpiritualiter. Et patet conſeqventia.

Broda. Male infert *Doctor* poſt ex ſuis dictis, dicens: *Sufficit laicis, ut ſub una tantum ſpecie ſumant.* Et iterum qvod dicit: *Explet ſacerdos miniſterium per Chriſtum inſtitutum, & nullo modo pertinet ad laicos.*

Jacobellus. Imo ex jam declaratis multum pertinet ad laicos hoc ſacramentum utriusqve ſpeciei. Qvia ibi eorum ſalus & ſumma eſt recondita medicina. Et licet, ut dixi, non ad conſecrandum, ut ſacerdotibus, tamen ad meritorie deguſtandum.

CAP. XIX.

De loco Pauli, 1. Cor. XI.

Ego accepi a Domino, prout & tradidi vobis, &c.

Broda. *D*Ehinc adverſarius allegat beatum Apoſtolum Paulum 1. *Cor. XI. ubi dicit: Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis: Quod Dominus Jeſus &c. usque, In meam commemorationem. Similiter & calicem, poſtquam cœnavit, dicens: hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine. Hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem. Conceditur ille textus*, inqvit Doctor. *Verus etenim eſt. Et beatus apoſtolus ſicut accepit à Domino ſic & eccleſiis dedit Corinthiacis. Nihil ex illo*

illo inferre poteſt adverſarius pro ſua parte. Dedit enim hæc ea nocte qua tradebatur diſcipulis duodecim, prout jam dictum eſt. Et non conſtat ex divinis Codicibus, quod interfuerit aliquis alienus. Hæc Doctor.

Jacobellus. Sed ad hoc jam ſupra dictum eſt, qvod diſcipuli tunc tenuerunt vicem futuræ communitatis eccleſiæ Chriſti. Ergo in hoc, qvod dedit Chriſtus diſcipulis hoc ſacramentum utriusqve ſpeciei ſimul, non ſeparando unam ſpeciem ab altera, datur intelligi, qvod dedit futuræ ſuæ communitati vulgarium fidelium hoc integrum ſacramentum utriusq; ſpeciei. Et quod tali communitati non debet dividi una ſpecies ab altera, dummodo eſt facultas & opportunitas utrumqve habendi.

Et qvod in cœna Domini non erat aliqvis extraneus, ſed diſcipuli cum Juda: Figurabatur, qvod in futurum extranei à fide Catholica non admittantur ad hoc ſacramentum, ſed ſolum domeſtici fidei, mixtim mali cum bonis, ſorte tamen inæqvali.

Broda. Subjungit *Doctor* deviè, dicens: *Infert ex hoc adverſarius correlaria ſatis mala. Primò dicit: Ex his verbis patet, quod non ſolùm unus & primus modus ſacramentalis manducandi ſub ſpecie panis traditus eſt à Domino & ab ipſius apoſtolo Corinthiis: Verum etiam modus bibendi de calice ſub forma ſacramentali vini. Quia dicit Apoſtolus: Probet ſe ipſum homo, & de pane illo edat & de calice bibat, id eſt, ſumat modo ſacramentali corpus Chriſti ſub ſpecie panis & modo bibendi ſacramentali ſangvinem ejus ſub ſpecie vini.*

Jacobellus. Iſtud correlarium non eſt malum, eccleſiæ Dei ſalutiferum, explanans verba Apoſtoli.

Broda. *Sed ad hoc poteſt reſponderi,* inquit Doctor, *quod textus hic cùm gloſſa adjecta de ſolis ſacerdotibus eſt intelligendus, & non univerſaliter pro quovis homine. Nam ex allegato textu non ſequitur, quod laici vel homines ſexus promiſcui debeant ſub utraq; ſpecie ſumere, prout vult adverſarius, hoc admirabile ſacramentum. Verum, juxta mentem apoſtoli, probare ſe debet homo, ſecundum gloſſam, id eſt examinare & purgare, ut ſi peccata ſunt quotidiana, vel non ſunt mortifera: Et dicat confeſſori acceſſurus ad altare, & dicat, Dimitte nobis debita, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ſic ſecurus accedens, de pane illo edat & de calice bibat. Debet ſe ergò quilibet, qui ad hoc ſacramentum vult accedere, benè probare, ſive fuerit ſacerdos ſive laicus, & probando ſe juxta modum præſcriptum. Et amplius: Sic de pane illo edat, ſcil. ille, qui ſecundum conſuetudinem eccleſiæ ſic debet accipere, ſub una tantùm ſpecie, & ſacerdos ſic probatus de pane illo edat & de calice bibat. Non concludit ex hoc textu pars adverſa, quod laicis liceat ſub utraque ſpecie communicare.* Hæc Doctor.

Jacobellus. Contra hanc infamem gloſſam, ex propriis fruſtra elaboratam, fideles debent *primò* ſupponere, quod apoſtolus Paulus de hac communione ſacramentali integrâ & admirabili locutus eſt ad converſas communitates eccleſiarum & domeſticos fidei, & non ad extraneos infideles, ut poſuit ſuprà.

Secundò debent ſupponere, quod regula evangelica de communione dominicæ euchariſtiæ utriusq; ſpeciei à Domino acceptâ per Paulum, & eccleſiis tradita, eſt univerſalis, non ſolùm pro Corinthiis communitatibus ſed etiam pro omnibus communitatibus eccleſiæ per univerſum orbem exiſtentibus. Quia aliàs noſtræ communitates eccleſiæ non acceptarent per ſe hanc regulam de ſacramento utriusque ſpeciei per Paulum traditam Corinthiis, ſi ad eas non pertineret ita bene ſicut ad Corinthios. Ergò prædicta regula licet explicitè communiter quodammodo quoad vocem ponatur indefinitè, tamen juxta modum loquendi ſapientium Catholicorum & gentilium *indefinita* in materia præſenti pro omnibus communitatibus fidelium ad ſalutem, *valet univerſalem.* In illa ergò univerſali regula: *Probet ſeipſum homo*, ſignificatur, quod probet ſe ipſum omnis homo converſus ad fidem, invitatus & vocatus ad cœnam Dominicam utriusque ſpeciei.

Tertiò debent fideles ſupponere ex ſuprà dictis, quod ibi, Probet ſe ipſum homo, *homo* ſignificat principaliter *communitates hominum converſorum* ad veram fidem Chriſti, adhuc in humanis per obſer-

obſervantiam mandatorum Dei degentes ſine criminibus, in quibus adhuc viget multa fragilitas & infirmitas ad bonum & multa pronitas ad malum. Quæ omnia indigent multa medicina, refectione atque confortatione quadam ſenſibili, ut verbo Dei & ſuis veriſimilibus ſacramentis. Sed quia hæc multa fragilitas & infirmitas humana communiter invenitur in omnibus ſtatibus communitatum eccleſiæ, tàm in ſacerdotibus, quàm in vulgari populo, contra quam fragilitatem humanam & infirmitatem ſpecialis & præcipua medicina una data eſt deguſtatio corporis Chriſti ſub ſpecie panis: Et alia ſecunda medicina tàm ardua, & ad primam condependens, hæc eſt, ſcilicet deguſtatio vera ſangvinis Chriſti ſub ſpecie vini. Si ergò iſta *duplex medicina* iſto modo & forma eſt repoſita contra tàm multiplicem infirmitatem & fragilitatem hominum: Tunc ubicunque tanta infirmitas & fragilitas in hominibus fidelibus reperitur, rationale eſt & expediens hanc duplicem medicinam his duobus modis applicare, ſcilicet modum guſtandi corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & modum guſtandi ſangvinem Chriſti ſub ſpecie vini.

Sed qvia, ut dixi, hæc plurium *infirmitas & fragilitas* reperitur *in vulgari populo fideli*, planè ſequitur, qvod rationale & expediens eſt, huic *vulgo* hanc medicinam duplicem ſub forma duplici applicare. Quilibet ergò hominum in eccleſia, in communitatibus poſitus, ſive ſacerdos ſive laicus, probet ſeipſum, & ſic de pane illo ſacramentali edat, & non ſolùm hoc, ſed & de calice ſacramentali bibat, ſcilicet ſangvinem Chriſti ſub ſpecie vini.

Confirmatur. In illa regula, *Probet autem ſeipſum homo*, *ly homo* ſupponit perſonaliter communiter *pro omnibus hominibus converſis*, in communitatibus eccleſiæ Chriſti degentibus. Qvibus eisdem ſingulis & non aliis volunt convenire iſta prædicata. *Primò* quod quilibet talis homo probet ſeipſum, *ſecundo*, qvod quilibet talis homo de pane illo edat, ſcilicet ſub prima ſpecie, & non ſolùm quilibet talis ſic edat, ſed & de calice bibat, ſecundum hanc duplicem guſtationem & duplicem formam. Ergò non ſolùm ſacerdotibus, ſed & ceteris communitatibus debetur ſecundum hanc univerſalem regulam utrumque.

Confirmatur. Sicut eadem eſt ratio medicinalis manducandi corporis Chriſti ſub ſpecie panis, data contra multam fragilitatem humanam & infirmitatem in vulgari populo fideli & in cœtu ſacerdotali: Sic eadem ratio medicinalis, condependens ad priorem, bibendi ſangvinem Chriſti ſub ſpecie vini, adjuncta eſt contra eandem fragilitatem humanam & multiplicem in cœtu ſacerdotali & in populo vulgari, circumſcripto officio ſpirituali ſacerdotali, ad conſecrandum, offerendum vel miniſtrandum. Ergò qva ratione *à ſacerdotibus* ſangvis Chriſti ſub ſpecie vini pro eorum fragilitate & infirmitate relevanda deguſtatur: Eadem ratione & *à laicis* pro eadem vel ſimili infirmitatis fragilitate, eadem & ſimilis medicina, ſcilicet ſangvinis Chriſti ſub ſpecie vini, meritorie juxta evangelicam traditionem ſumitur & potatur.

Ex quo ergò eadem eſt ratio fragilitatis & infirmitatis humanæ, tàm in vulgo, quàm in ſacerdotali clero: Et iterum, contra hanc infirmitatis fragilitatem humanam eadem eſt ratio medicinalis bibendi ſangvinem Chriſti ſub ſpecie vini tàm in ſacerdote quàm in laico: Planè ſeqvitur, quod ſicut *quilibet homo ſacerdos* de communitate Chriſtiana, ſic & *quilibet homo laicus* de communitate, ſecundum hunc præfatum ſenſum catholicum, à ſanctis patribus tentum, in regula apoſtoli expreſſum, debet probare ſe ipſum, & ſic de pane illo edere & de calice bibere.

Et hunc ſenſum expreſſit ſapientiſſimè ſummus legiſlator hujus evangelicæ conſtitutionis de hoc magnifico ſacramento, iſtiusque ſpeciei, dicens *Matth. XXVI. Hic eſt enim ſangvis meus novi teſtamenti, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.* Quaſi diceret: Iſte ſangvis meus eſt, qui debet ſumi ſub ſpecie vini, & memorari effuſio ejus in remiſſionem peccatorum

pro

Digitized by Google

pro multis. Ecce ſummus Medicus animarum diſcipulis & in eis communitatibus fragilibus futuris in eccleſia inſtituit, quod iſte ſuus ſangvis ſub ſpecie vini bibatur, cùm viva memoria effuſionis ejus pro multis in remiſſionem peccatorum. *Peccata* autem multorum ſunt fragilitates & infirmitates, tàm cleri, quàm vulgaris populi. *Et remiſſio peccatorum* eſt per bibitionem ſangvinis. *Et viva commemoratio* effuſionis ejus pro multis, id eſt pro multitudinibus in communitate eccleſiæ, ſive cleri ſive vulgi, eſt relevatio à fragilitate & infirmitate humana, quæ invenitur tàm in ſacerdotibus quàm laicis. Cùm ergò iſta infirmitas animæ invenitur in vulgari populo, quæ ſit in ſacerdotibus, contra quam conſtituta eſt medicina hæc, ſcilicet ſangvis Chriſti ad bibendum ſub ſpecie vini: Patet ex verbis evangelicis, quod in remiſſionem peccatorum & in relevationem eorum fragilitatis infirmæ, ſicut ſacerdotibus ſic & laicis iſta medicinalis bibitio ſangvinis Chriſti ſub ſpecie vini, quam non gratis Dominus inſtituit, eſt applicanda.

Et ſic loqvitur Decretum, Ambroſius, *De conſecr. diſt.* 2. Si quotiescunq; effunditur ſangvis Chriſti, in remiſſionem peccatorum effunditur, debeo ſemper accipere, qvi ſemper pecco, debeo ſemper habere medicinam.

Prava ergò & falſa eſt *gloſſa Doctoris* & venenoſa, ſine omni autoritate ſanctorum & ratione divinæ ſcripturæ ſic leviter prolata, quæ crudeliter & inhumanè prohibet populo fragili fidelem & firmum bibere potum ſumme medicinalem ſub forma vini, & fructuoſiſſimè à ſummo Medico animarum inſtitutum ac gratioſiſſimè populis condonatum. Et ſi gloſſa prædicta Doctoris ſuper iſto Apoſtoli: *Probet ſeipſum homo* &c. ſic voluntaria, ſine auctoritate ſcripturæ & rationibus propoſita, deberet habere proceſſum, pari evidentiâ omnis lex novi teſtamenti perverteretur in ſenſum fidei contrarium & blaſphemum. Communitates enim & eccleſiæ Corinthiorum non receperunt verba prædicta Apoſtoli ad ſenſum hunc reprobum Doctoris, ſed receperunt hæc verba ad ſenſum catholicum, quod ſcilicet poſt probationem ſui corpus Chriſti ederent ſub forma panis & ſangvinem ejus biberent ſub forma vini. Et ſic in facto ad hunc ſenſum regulam hanc Apoſtoli obſervaverunt.

Unde *gloſſa ordinaria* ſuper iſto *I. Cor. XI. Unusquisque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum*, dicit ſic: *Notat illos, qui munera, quæ offerebant altaribus, ſibi reſumebant, nec aliis non habentibus communicare ſinebatur. Offerebant enim divites panem & vinum abundanter, ut benedictione & conſecratione ſacerdotali ſanctificarentur, & Dominici corporis & ſangvinis conficeretur ſacramentum. Poſt celebrationem verò ſacri miniſterii & conſecrationem panis & vini ſuas oblationes venditabant, & aliis non communicantes ſoli ſumebant, ut inde etiam inebriarentur, aliis eſurientibus* &c. Ecce, quod vulgares Corinthi ſecundum doctrinam Apoſtoli de pane iſto edebant & de calice bibebant. Nec eos de hoc Apoſtolus redarguit. Sed de ebrietatibus & inhumanitate ſive crudelitate ad pauperiores, circa ſumtionem hujus integri ſacramenti utriusqve ſpeciei currentibus, eos fideliter reprehendit. Ut patet ibidem ex gloſſa.

Et patet, quod benè & catholicè dictum eſt in *ſecundo Correlario meo*, quod iſte ritus porrigendi ſangvinem Chriſti ſub ſpecie vini, à ſummo Pontifice Chriſto inſtitutus, non debuit nec debet ceſſare noſtris temporibus in ſua practica, ſed debet durare cum ſuis electis usque ad diem judicii. Quia regula apoſtoli & Domini Jeſu traditio de ſumtione hujus totius & venerabilis ſacramenti utriusque ſpeciei, in vulgo debet durare ad diem judicii. Ergò ſicut Doctor cum ſua prava gloſſa non poterit mutare antiqvum ſenſum catholicum ſanctorum in verbis apoſtoli: Sic veritatem *Correlariorum* inde ſequentium non poterit improbare.

Unde, qvia diſcipuli habebant officium ſacerdotale, poſt reſurrectionem & aſcenſionem plene eis collatum, & ſecundo gerebant vicem futuræ communitatis eccleſiæ: Interdum ergo aliqva in-

indixit eis, officium concernentia, ut conficere, miniſtrare &c. aliqua autem indixit eis, ut vicem communitatis futuræ habentibus, ut eſt ſumere ſacramentum utriusqve ſpeciei. Qvod dando diſcipulis non ſolum ratione officii, ſed ratione illius, qvod tenuerunt vicem futuræ communitatis, inſtituit, ſic eis dando ad ſic ſumendum communitatibus vulgaribus. Qvia ſacerdotes debent eſſe miniſtri communitatis, ergo vicem ejus gerentes receperunt à Domino totum ſacramentum integrum, qvod ex integro poſtmodum communitatibus tradiderunt.

Broda. *Subdit adverſarius: Quod autem de hoc modo duplici ſacramentali ſcripſit Apoſtolus, & dedit communitatibus fidelium, & non ſolum ſacerdotibus: Patet ex principio exordii ſuæ epiſtolæ &c. Et infra dicit: Adhuc dico verum eſſe, quod epiſtola jam dicta non ſolis ſcribitur ſacerdotibus, ſed omnibus fidelibus in Corintho. Nec ex hoc ſcripto, ſi diligenter perviderîs, habetur, quod laici ſub forma duplici hoc ſacramentum venerabile ſumere debent. Advertit ad principium epiſtolæ, ſed ad medium non advertit. Dixit apoſtolus in eadem epiſtola* 1. *Cor. XI. in fine: Cetera, cum venero, diſponam. Si adverſarius textum hunc advertiſſet, ad practicam ſuæ ſententiæ non ita cito manum poſuiſſet. Nam B. Auguſtinus* in libro Reſponſionum ad Januarium *dicit: Salvator quo vehementius commendaret myſterii hujus altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ diſcipulorum, à quibus ad paſſionem digreſſurus erat. Quo autem ordine ſumeret populus, per quas eccleſias diſpoſiturus erat, ſervat docendum. Etiam gloſſator exponens verba iſta poſita, ſcilicet:* Cetera, cum venero, diſponam, *dicit: Quaſi diceret: Hoc tenete, quæ definivi. Non legi ſcripturam authenticam per adverſarium introductam, quæ concluderet intentionem ſupra poſitam penitus obſervari.* Hæc Doctor.

Jacobell⁹. In principio iſtorum ſuorum verborum Doctor videtur implicite conſentire, qvod bibitio ſanguinis Chriſti ſub ſpecie vini ſecundum epiſtolam Pauli non ſolum ſacerdotibus ſed & communitatibus vulgariter in Corintho pertinet ad omnes communitates eccleſiæ, eo, qvod Paulus magnus hic tradit, dicens: *Probet ſe ipſum homo, & ſic de pane,* &c. ſcripſit eccleſiæ Dei qvæ eſt Corinthi: *Omnibus, qui nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti invocant, &c.* Sed qvia hoc nolenter ex indirecto dicit, alium prætendens ſenſum: Ideo ſtatim ſubdit: *Nec ex hoc ſi diligenter ſcriptura pervideretur, habetur, quod laici,* & cetera, ut ſupra ponitur. Imo ſi diligenter ſupra dicta penſentur, habetur, qvod laici deberent accedere ad utrumqve.

Sed de hoc qvod dicit Doctor, qvod ego non adverterim ad illud 1. *Cor. XI. Cetera, cum venero, diſponam,* planum eſt, qvod Apoſtolus non intendit conſtitutionem evangelicam de integro ſacramento utriusqve ſpeciei deponere vulgo Corinthiorum, vel immutare aliter, qvam à Domino accepit, & ipſis tradidit. Nam dicit ſignanter, *Cetera.* Qvaſi diceret: Non eadem mutabo vel deponam, ſed cetera adjacentia vel alia ad ſalutem reqviſita, cum venero, diſponam. Super qvo dicit *gloſſa ordinaria: Quaſi diceret: Hoc tenete, quod dixi, cetera autem de eodem, id eſt, quæ ad ejusdem ſacramenti ordinem pertinent, cum venero, diſponam. Sed his carere non poteſtis. Ecce, inquit Ambroſius, caput ſalutis ordine agendum oſtendit, ubi erratur, non leve eſt peccatum. Cetera vero, quæ ad ædificationem eccleſiæ pertinent, in adventu ſuo ordinare promittit.* Hæc gloſſa.

Ecce ſecundum gloſſam innuitur, qvod iſta, qvæ ſunt tradita per Apoſtolum de communione utriusqve ſpeciei, mandat teneri & obſervari & ea non immutari.

Et penſet *Doctor*, qvod dicit *gloſſa Ambroſii: His,* inqvit, *carere non poteſtis,* qvæ ſcilicet tradita ſunt ad faciendum de hoc integro ſacramento. Ex hoc enim ſeqvi videtur, qvod communitates, qvibus tradidit apoſtolus à Domino hanc ſacramentalem communionem utriusqve ſpeciei, non poſſunt carere his traditis ſic ad ſalutem neceſſariis. Doctor autem non ſolum dicit, qvod hæc traditio de communione utriusqve ſpeciei non eſt neceſſaria ad ſalutem, vel qvod ea carere homines poſſunt, tanqvam impertinenti ad ſalutem;

tem;

Digitized by Google

tem; Sed qvod hæc nullo modo debeat convenire communitati.

Penſandum eſt *ſecundo* in gloſſa qvod dicitur: *Ubi ſi erratur, non leve eſt peccatum.* Revera non leve eſt peccatum, cum erratur circa inſtitutionem hujus ſacramenti, cum non ſic peragitur, nec ſic miniſtratur, ſive accipitur, ſicut Chriſtus inſtituit.

Tertio penſandum, qvod dicit gloſſa: *Cetera vero quæ ad ædificationem eccleſiæ pertinent, in adventu ſuo ordinare promittit.* Ecce ſecundum gloſſam non intendebat apoſtolus eis immutare traditionem de communione utriusqve ſpeciei, ſed alia diſponere, ad ædificationem ſpiritualem eccleſiæ pertinentia.

Nec Doctori ſuffragantur verba *Auguſtini* ad ſuum propoſitum probandum, in qvibus dicit: *Salvator, quo vehementius commendaret*, usqve, *ſervat docendum.* Planum eſt, qvod hæc verba non prohibent populum bibere ſanguinem Chriſti ſub ſpecie vini. Sed præſuppoſita fide de ſumtione hujus ſacramenti integri, non ponitur expreſſe modus aliqvis per accidens, ſed reſervatur poſtea ſpiritui ſancto ad inſpirandum cordibus, qvibus modis debeat hoc ſacramentum poſtea miniſtrari, an in parva ſive in magna qvantitate, an per cannas, vel aliis modis. Et ſi & in qvantum aliqvibus modis deberet infirmis miniſtrari. Qvia ſacerdotes verbi Chriſti & alii Chriſtiani debent ſpiritu Jeſu dirigi, juxta illud *Rom. VIII. Qui filii Dei ſunt, ſpiritu Dei aguntur.*

Illi enim modi per accidens currentes circa miniſtrationem & ſumtionem hujus Dominicæ euchariſtiæ totalis, qvia non ſunt talia multa & omnia de ſubſtantia ſacramenti, poſſunt ſecundum loca & tempora opportuna & ſecundum alias circumſtantias variari. Etiam juxta inſtinctum ſpiritus ſancti talia in futurum reſervantur & ad ſtatim non omnia explicantur.

Ergo allegata per Doctorem non militant adverſus hoc evangelium de bibitione ſanguinis Chriſti ſub ſpecie vini ad populum vulgarem. Nec habet aliqvam ſolidam ſcripturam, qvam pertinenter adduceret contra iſtam evangelicam fidem.

CAP. XX.

De Decretalibus quid ſententiendum ſit in hoc negotio.

Broda. *Poſt hæc recurrit adverſarius ad decretum. Memini me audiviſſe ab adverſario, nec non ab ejus in parte ſociis: Quid decretum! Humana traditio! Quid Decretales epiſtolæ! Verius coopertoria Papæ! Quid, inquam ego! Non aliud revera, quam iſti. Quicquid eſt vel eſſe videtur pro eis, recipiunt. Si quid autem in ſacro canone contra ipſos fuerit, reſpuunt & contemnunt.*

Jacobello. Planum eſt, qvod in nonnullis *Decretalibus* ſunt, qvæ devia, & qvæ immutantur & non tenentur, & qvæ ſub ſpecie pietatis qvæſtum ſapiunt. Et minima traditio exceſſiva valde impedit obſervantiam legis Chriſti. Nec ad tenendum vel fulciendum aliqvem errorem intendo aliqva ſcripta ſanctorum recipere, qvaſi pro parte erronea probanda, & alia ſcripta vera ſanctorum abjicere tanqvam huic parti erroneæ contraria.

Oſtendat ergo Doctor primum me aliqvem errorem tenere, & tunc poſt oſtendat, qvæ pro mea parte recipio ſanctorum dicta fidei conſonantia, & qvæ non. Et ſi de errore aliqvo per eum doctus fuero, volo humiliter corrigi per qvoscunqve. Si pro veritate evangelica defendenda multa ſcripta accipio ſanctorum, & aliqvorum, qvi videntur eſſe aliqvid, qvæ incerta vel contraria veritati, non accipio, qvod cuilibet fideli eſt faciendum, gratis Doctor poſuit verba ſupra dicta.

CAP. XXI.

De Decreto Gelaſii Papæ, *De Conſecrat. diſt. 2. c. 12.* Pro communione ſub utraque ſpecie.

AD *decretum Gelaſii Papæ*, dicentis: *Comperimus autem, quod quidam ſumta tantummodo corporis ſacri portione, à calice ſacri cruoris abſtineant: Quare procul dubio, quoniam neſcio qua ſuperſtitione docentur adſtringi, aut integra ſacramenta percipiant, aut ab integris arceantur. Quia diviſio unius ejusdemque myſterii ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire:* Doctor reſpondet, dicens de me: *Miror,* inqvit, *eo, cur immediate præcedens capitulum non poſuerit. Æſtimo, ſi poſuiſſet quilibet ad capitulum* Comperimus *reſpondere promtiſſime potuiſſet. Ego*, inquit, *ponam quod ille ſubdole prætermiſit. Sic ponit Gratianus ex concilio Toletano: Relatum eſt nobis*, quosdam de ſacerdotibus non tot vicibus communionis ſanctæ gratiam ſumere, quot ſacrificia in uno die videntur offerre. Sed ſi in una die plurima offerant ſacrificia, in omnibus ſe oblationibus à communione ſuſpendunt, & in ſola tantum extremi officii oblatione communionis ſanctæ gratiam ſumunt. Quaſi non ſit toties illis vero & ſingulari ſacrificio participandum, quoties corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti immolatio facta conſtiterit. Nam ecce Apoſtolus dicit: Nonne, qui edunt hoſtias, participes facti ſunt alterius? Certum eſt, quod hi qui ſacrificant, ſi non edunt, rei ſunt Dominici ſacramenti. Quicunque ergo ſacerdotum deinceps altari ſacrificium oblaturus acceſſerit, & ſe à communione ſuſpenderit, ab ipſa, qua ſe indecenter privat gratia communionis, anno uno repulſum ſe noverit. Nam quale erit ſacrificium, cujus nec ipſe ſacrificans particeps eſſe dignoſcitur? Ergo modis omnibus tenendum eſt, ut quotiescunque ſacrificans corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti in altari immolat, toties perceptionis corporis & ſanguinis Chriſti participem ſe præbeat. *Statim poſt hæc ſequitur canon Gelaſii Papæ*, Comperimus, &c. Hæc Doctor. **Broda.**

Jacobell. Ex ſupra dictis patet, quod in neceſſitate, pro ædificatione populorum, ſacerdos in una die non tantum unam miſſam per plures peragere & pluries communionem in die ſuſcipere poteſt.

Sed reſpondendo ad objecta Doctoris, penſandum, quod Doctor allegat *præcedens caput de ſacerdotibus*, volens quaſi per hoc probare, quod hoc *ſecundum caput*, ſcilicet *Comperimus*, de ſolis ſacerdotibus intelligatur. Quod ſi ſic, tunc à pari argumentor, quod poſtea quodlibet ſequens caput deberet intelligi de ſolis ſacerdotibus. Fruſtra ergo adduxit Doctor tam longum capitulum præcedens, expreſſe poſitum de ſolis ſacerdotibus, ad innuendum, quod ex hoc etiam ſequens caput *Comperimus*, de ſolis ſacerdotibus intelligatur. Et licet *c. Comperimus* fuit ſcriptum Majorico & Johanni presbyteris vel Epiſcopis, non tamen ex hoc ſequitur, quod de ſolis ſacerdotibus intelligatur. Nam poterat fieri, quod nonnulli ſacerdotum & laicorum tunc ſumerent tantum ſub una ſpecie portionem ſacramenti: Vel quod ſacerdotes aliis laicis dividendo ſacramentum tantum ſub una ſpecie porrigebant populis.

Et patet, quomodo *Doctor* circa ſuas probationes deficit communiter in modo arguendi. Nec valet *gloſſa*, quæ dicit: Quod hoc decretum debet intelligi de conficiente. Quia ſi diviſio unius ejusdemque myſterii apud ſacerdotem conficientem absque grandi ſacrilegio non poteſt provenire, eadem ratione apud ſacerdotem porrigentem plebi tantum primam ſpeciem, & apud plebem ſuſcipientem partem tantum unam, ut videtur, diviſio ſacramenti non poteſt provenire absque grandi ſacrilegio. Præſertim cum, ut ſupra dictum eſt, ſumtio ſacramenti eſt ejusdem rationis in ſacerdote & in laico, circumſcripta confectione auctoritativa ſacerdotali. Tunc, qua ratione quoad ſumtionem ſacramentalem diviſio unius ejus-

Digitized by Google

us ejusdemque myſterii ſine grandi ſacrilegio non eſt, eadem & apud laicum quoad ſumtionem ſacramenti diviſio unius ejusdemque ſacrificii non erit ſine grandi ſacrilegio, tempore ſcilicet & loco opportunis.

Et ſi hoc de ſolis ſacerdotibus intelligitur, tunc, quando ſacerdotes dividebant hoc ſacrificium, & unam partem ſumebant, & aliam omittebant: Quæro quò faciebant ſecundam portionem ſacram ſacrificii? Et ad quid debuiſſet eis ſecunda portio ſub ſpecie vini remanere? An ad populis miniſtrandum? Et tunc fortè pro tanto hoc poterat fieri. Qvia ſibi abſtrahebant alteram portionem ſacerdotes & populis miniſtrabant, non pro ſe, cùm ſine illa primam ſolùm ſumebant. Non ergò videtur hoc intelligi de ſolis ſacerdotibus, cùm fruſtra eis remanſiſſet ſecunda ſacra portio ſecundæ ſpeciei: Sed magis convenit aliis laicis, quibus per ſacerdotes quosdam miniſtrabatur prima portio ſacramenti ſub forma panis ſine ſecunda portione ſacramenti ſub ſpecie vini.

Et ſi *Doctor* dicit, quod *C. Comperimus* ſolùm intelligitur de ſacerdotibus, tunc ſeqvitur, quod ſacerdotes ſoli magna ſexta feria committerent ſacrilegium, ſumentes ſolùm primam ſacram portionem ſacrificii ſine ſecunda: Cùm ſecunda non conficitur in ſangvinem Domini. Et Doctor volens ſubterfugere leviter poteſt incurrere crimen ſacrilegii.

Non ergò facio injuriam *Gratiano*, nec ſuo *Gloſſatori*, cùm, ut mihi videtur, non conſentio falſæ gloſſæ. Allegando ergo Capitulum integrè, nihil depoſui, nec appoſui, quod non debui. Et ſecundum hunc canonem, ſacerdotes in miniſtrando ſacramentum, ſi dividunt vinum à reliqvo, ſacrilegii crimen videntur incurrere.

Pòſt dicit *Doctor*, quod quædam mea *correlaria ex decreto Gelaſii* dant laicis & ſacerdotibus offendiculum, & quod ſunt *ſcandaloſa*. Sed *non* dicit, quod ſint *falſa*: Sed de per ſe præbent offendiculũ talia Correlaria. Si ſic, tunc & *decretum* ipſius *Gelaſii* ex ſe præberet ſcandalum. Ideò iſta Doctoris levia motiva pertranſeo tanquam indigna memoria. Sciunt enim fideles, quod ſacramentum dividitur vel frangitur ſenſibiliter, ſed non res ſacramenti, qvæ eſt corpus Chriſti vel ſangvis ejus.

CAP. XXII.

De Wilhelmi de Lauduno ſententia de Communione utriusque ſpeciei.

AD *Wilhelmum de monte Lauduno*, qui dicit, quod *recipiendo corpus, totam veritatem recipit, non totum ſacramentum. Ideò in multis locis communicatur cum pane & vino & cum toto ſacramento*: Reſpondet Doctor, ſic dicens: *Iſtius verba Doctoris Eccleſiæ ritum immutant. Verba namque iſtius Wilhelmi in continenti jus non faciunt. Si tamen hoc in locis aliquibus obſervatur, neſcio. Nec teneor credere cuilibet Doctori. Cum multi tales heu erraverunt.* Hæc Doctor. *Breda.*

Jacobellus. Ecce Doctor in reſpondendo ad *Wilhelmum*, non vult credere omnibus Doctoribus, & ſpecialiter iſti *Wilhelmo*, in quantum veritatem loquitur. Et mihi imputat, quod ego nolo credere omnibus Doctoribus, & præcipuè contra evangelium loquentibus.

CAP. XXIII.

De effato Bernhardi.

Breda. AD *verba B. Bernhardi, dicentis in ſermone ad Petrum de corpore Chriſti: Quod Chriſtus diſcipulis ſuis hujus ſacramenti formam præſcripſit, efficaciam explicuit, idem fieri præcepit. Et ideò ſub una ſpecie corpus & ſub altera tradimus ſangvinem: Reſpondeo*, inquit Doctor, *de ſacerdotibus hoc eſſe intelligendum.* Et cetera ibi per Doctorem poſita.

Dico, qvod non aſſumit *Doctor* hic ex integro *Jacobellus.*

integro verba *B. Bernhardi*, principium in finem ponens. Nam dicit *B. Bernhardus, quod Dominus ſponſæ ſuæ eccleſiæ nobile dotalitium indulſit, ut ſic ipſa tanquam columba teneret dulciſſimum memoriale dilecti ſui.* Et tunc quale ſit illud dotalitium ſubdit: *Ordinavit ſacrificium corporis & ſangvinis, ſeorſim panem ſeorſim tradens & vinum.* Ex cujus verbis patet, quod in dando Chriſtus ſacramentum utriusque ſpeciei diſcipulis, non ſolùm ipſis nec ſolis ſacerdotibus ſed toti eccleſiæ ſponſæ ſuæ, principaliter inſtituit ſumendum ſecundum modum & formam duplicis ſpeciei. Cum eccleſiæ ſponſa ſancta ſit electorum ſuorum congregatio, degens hic in obſervantia legis ſuæ. Ergò Doctor non poteſt benè & pertinenter hoc exponere de ſolis ſacerdotibus, ut patet cuilibet diligenter intuenti.

Et de hoc, quod infert, quod eſt hoc præceptum ſacerdotibus, & non aliis, aliàs Deus obligaſſet ad impoſſibile. Ad hoc pro nunc non reſpondeo. Quia an Deus poſſit aliquem aliquo modo obligare ad impoſſibile, prius dictum eſt. *Sup.c.IV.*

CAP. XXIV.

De Cypriani Martyris ſententia.

DEinde *Doctor* reſpondet ad verba *B.Cypriani*, in *epiſt.* 24. *ad Cæcilium* de ſacramento Dominici calicis dicentem: *Quidam Epiſcopi vel ignoranter vel ſimpliciter, id eſt ex ſimplicitate, in calice Dominico ſanctificando & plebi miniſtrando, non hoc faciunt, quod Jeſus Dominus noſter, ſacrificii hujus auctor & doctor, fecit & docuit*, & cetera alibi plenius adducta. Reſpondet, inquam *Doctor*:

Broda. *Quod ignorabant multi Epiſcopi modum communicandi, non modum ſanctificandi. Poterat enim eſſe diverſitas apud illos, qualis modus ab adverſario attentatur; & qualem heu populus idiota jam apprehendit. Videbant ſcripturas eccleſiaſticas, quas alii ſic alii ſic intelligebant, & illi quidem ſangvinem porrigebant plebi, alii verò contrarium faciebant. Videns hoc Cyprianus, volens porrectionem ſangvinis prohibere plebi, dicit: Quidam Epiſcopi &c. non hoc faciunt, quod Jeſus Chriſtus &c. ut ſuprà. Sed quia Cyprianus ipſe intellexit, Chriſtum ſolummodo duodecim diſcipulis corpus ſuum & ſangvinem ſub duplici ſpecie tradidiſſe, non mulieribus, non quibuslibet laicis; Igitur reprehendens Epiſcopos, literas ſcripſit, quatenus attenta factione doctrinaque Chriſti, ſic illi, quantum eſt poſſibile, conformarent. Non autem dicit Cyprianus, quod epiſcopi laicis ſub utraq; ſpecie porrigant. Cùm in ſuis verbis non de laicis ſed de ſacerdotibus faciat mentionem.* Hæc Doctor.

Jacobell'. Sed miror, quod Doctor audet per contrarium hunc B. Cyprianum exponere ſic temerè, quaſi originalem ſuam epiſtolam non vidiſſet. Et iſta ſancti Martyris verba, quæ allegat, ſiniſtrè & per contrarium exponit, quod quilibet ſanæ mentis, legens ſupradicta verba Cypriani, & verè eum concipiens, poteſt ſentire. Nam dicit, *Quidam epiſcopi vel ignoranter vel ſimpliciter, id eſt ex ſimplicitate, in calice Dominico ſanctificando & plebi miniſtrando non hoc faciunt &c.* Ecce expreſsè *B. Cyprianus* imputat quibuſdam epiſcopis quod ignoranter vel ſimpliciter, id eſt ex ſimplicitate, in calice Dominico ſanctificando & plebi miniſtrando non hoc faciunt, quod Chriſtus fecit & docuit. Imputat enim Epiſcopis, quod non ſic ſanctificarunt, nec ſic miniſtraverunt plebi Dominicum calicem, ſicut Chriſtus docuit & fecit. Et in tantum eis hoc imputat, quod dicit hoc eſſe errorem.

Ideò Doctor ſic contrariè reſpondens verbis ſancti Martyris dubiè nimis & incertè loquitur, dicens: *Poterat enim eſſe diverſitas apud iſtos* &c. Manifeſtè hic *plebs* nominatur, & reprehendit expreſſè, quod quidam epiſcopi non miniſtrabant Dominicum calicem *plebi* fideli. In vanum ergò Doctor per oppoſitum gloſſat verba ſancti Cypriani. Intellexit enim Cyprianus, quod diſcipuli tunc temporis geſſerunt vicem futuræ plebis & communitatis in eccleſia Dei, & quod per hoc inſtituebatur qvod plebibus deberet miniſtrari Dominicus calix per epiſcopos vel ſacerdotes. Et hoc Chriſtus docuit & fecit in diſcipulis.

Digitized by Google

Et poſtea dicit & concedit *Doctor*, quod *nemo debet ea, quæ Chriſtus fecit & tradidit ſuis apoſtolis, immutare ſaltem in eſſentialibus.* Cùm ergo utraque ſpecies ſit eſſentialis totius ſacramenti traditi plebibus à Domino per apoſtolos, patet, quod Doctor non debet immutare plebi ſacramentum venerabile utriusq; ſpeciei.

Broda. Poſt ad *Correlaria* reſpondens, conſequenter dicit inter cetera: *Non ſequitur: Chriſtus dedit duodecim apoſtolis ſub utraque ſpecie ſuum venerabile ſacramentum, ergò ſacerdotes debent taliter laicis fidelibus miniſtrare.*

Jacobello. Scito, Doctor, quod hoc ſequitur. Adjuncto iſto verbo, quod ſupra dictum eſt, quod diſcipuli geſſerunt tunc vicem futuræ plebis Chriſtianorum, ut ſuprà patuit, tunc planè ſequitur: Chriſtus dedit duodecim diſcipulis hoc ſacramentum ſub utraque ſpecie, & in ſic eis ſemel porrigendo inſtituit ſic miniſtrandum futuræ plebi: Ergo ſacerdotes ex officio debent plebi fideli ſacramentum utriusque ſpeciei miniſtrare, Ibi enim ſub utraque ſpecie ſunt uberrima paſcua plebi repoſita, ut ſupra dictum eſt, quibus paſcuis ſacerdotes vicem Petri gerentes tenentur ſic paſcere, jubente Domino, in Petro: *Si diligis me, paſce oves meas.* Licet aliqua alia commiſit diſcipulis officium concernentia appropriate, quæ laicis non ſunt data.

Unde *Doctor* conſiderans aut timens ſuam reſponſionem inſufficientem & indirectam ad intentionem Cypriani, dat ſe ad aliud ſubterfugium, aliter reſpondendo, ſic dicens: *Etiam poteſt ad omnia dicta Cypriani reſponderi tali modo: Eccleſia ſancta non omnia dicta B. Cypriani martyris approbavit. Unde B. Auguſtinus dicit: Ego ſcripta Cypriani non approbo, cujus martyrium veneror, cujus ingenium laudo, quia eccleſia non approbat, ubi malè ſenſit, purgatus eſt igne paſſionis. Unde & opuſcula ejus non omnia per eccleſiam ſunt recepta.* Hæc Doctor. *Broda.*

Sed contra hæc ſic non ſequitur: Non omnia dicta B. Cypriani recepta ſunt ab eccleſia, ergò iſta epiſtola, de Dominico calice miniſtrando plebi, non eſt accepta ab eccleſia. Antecedens enim eſt verum, & conſequens falſum, eò, quod expreſsè concordat cum evangelio & apoſtolo Paulo in iſta materia, ut patet ex ſupra dictis. Nam in *quarto ſententiarum, diſt.* 6. ſolùm de rebaptizatione poſt hæreticum baptizantem accipitur ibi. Ubi dicit *gloſſa*, quod non propter hoc erravit in fide B. Cyprianus. Qvia non eſt articulus fidei, nec dum explicitè per eccleſiam fuit declaratum, ſicut iſta evangelica lex de communione ſacramentali ſecundum utramqve ſpeciem ad plebes fideles. *Jacobello.*

Ergò iterùm reſponſio *Doctoris* non poteſt ſatisfacere verbis Cypriani pro ſuo propoſito, eò, qvod gloſſæ ejus maximè diſcordant cum verbis & intentione Cypriani.

CAP. XXV.

De decretis, *De Conſecrat. diſt.* 2. *cap.* 6. 7.

De miniſtratione vini in ſacramento.

Broda. POſteà notat *Doctor ex canone, De Conſecrat. diſt.* 2. *c.* 6. *Didicimus, & c.* 7. *Cùm omne crimen &c.* multiplices errores, qui ibi prohibentur.

Jacobello. Sed miror, cur *Doctor* hoc inſerat hic, tanquam miniſtrare ſangvinem Chriſti ſub ſpecie vini plebi eſſet etiam unus de numero illorum errorum prohibitorum. Sed conſtat, quod miniſtrare ſangvinem Chriſti ſub ſpecie vini plebi in præfatis duobus capitulis non ponitur inter errores, nec ibi prohibetur, Imò magis hoc docetur in illo *C. Cùm omne crimen.* Dicitur enim ibidem ſic: *Nam quòd de expreſſo botro, id eſt de uvarum granis, populus communicat, valdè eſt omninò confuſum. Sed ſi neceſſe fuerit, botrus in calice comprimatur & aqua permixtus debet offerri.* In quibus verbis *primò* notatur, omninò eſſe confuſum quod populus communicat de expreſſo botro, id eſt de uvarum granis ſpecie con-

conſecratis ſine admixtione aquæ. *Secundò* notatur in eisdem verbis: *Sed ſi neceſſe fuerit* &c. hoc eſt, ſi neceſſe fuerit populo communicare, tunc ad communicandum populum, ſi neceſſe fuerit, id eſt ſi populus deſideraverit, tunc botrus in calice comprimatur & aqua miſceatur. Cujus ratio ſubditur ibidem. *Quia*, inquit, *calix Dominicus juxta canonum præceptum vino & aqua permixtus debet offerri, & ſpecie ſic populis miniſtrari. Quia videmus*, inquit canon, *in aqua populum intelligi, in vino vero oſtendi ſanguinem Chriſti. Ergò cùm in calice vinum & aqua miſcetur, Chriſto populus adunitur, & credentium plebs ei, in quem credit, copulatur, & conjunctio aquæ & vini ſic miſcetur in calice Domini, ut mixtio iſta non poſſit reparari*, & cetera ibidem.

Patet ergo, quod prædicta *duo capitula* in *canone*, ſcilicet *Dicimus, &*, *Cum omne crimen*, non deſerviunt Doctori pro ſuo propoſito probando una cum ſuo notabili. Sed, quod calix Domini, juxta canonum præceptum vino & aqua permixtus, conſecratus in ſanguinem Chriſti, ſub ſpecie vini debet offerri & populo miniſtrari, hoc ibi habetur.

CAP. XXVI.
De mente Ambroſii.

Broda. AD verba *B. Ambroſii, De conſecr. diſt. 2. dicentis: Si quotieſcunque effunditur ſanguis Chriſti, in remiſſionem peccatorum effunditur, debeo merito ſemper accipere, qui ſemper peto medicinam ſanguinis &c. Reſpondeo*, inquit Doctor, *quod per hunc textum adverſarius ſuum propoſitum non probat. Nam ſacerdos poteſt quotidie ſub utraque ſpecie ſumere pro peccatis tam ſuis, quam populi. Quia quotidie peccamus. Ex hoc tamen non ſequitur, laicos ſimiliter facere debere.* Hæc Doctor.

Jacobell. Patet diligenter ad ſupra dicta attendentibus, qualiter iſta reſponſio Doctoris non valeat. Nam ſi propter hoc, quod *B. Ambroſius* quotidie peccavit, & quotidie in ſe fragilitatem ac infirmitatem animi experiebatur, quotidie debebat bibere ſanguinem Chriſti ſub ſpecie vini, tanquam ſummam medicinam contra hujusmodi tam frequentes interiores infirmitates: Ponamus, quod & in aliis laicis eadem peccata quotidiana inveniantur & eædem infirmitates, tunc tales laici boni debebunt ſumere medicinam contra ſimiles infirmitates. Scil. cum eadem ſit ratio medicinæ & eadem ratio morbi in utriſque. Et guſtare ſanguinem Chriſti ſub ſpecie vini non habet rationem officii ſacerdotalis, in ſe, ſed ſecundum ſe, cujuscunque ſtatus ſit, conditionis, dignitatis vel officii alicujus, dummodo eſt prædiſpoſitus vera fide & gratia præveniente ad hoc diſponente, guſtare habet meritorie ſanguinem Chriſti ſub ſpecie vini, ſine acceptatione perſonarum, ſive ſit ſacerdos ſive laicus, ſimul in unum dives & pauper.

Beatus ergo *Ambroſius* humilians ſe, *primo* in illis verbis ponit ſe in numero peccatorum infirmorum. Et poſt *ſecundo* talibus infirmis ponit ſe in exemplum. Ut, ſicut ipſe, ſic & alii infirmi, ſive laici ſive quicunque alii ſint, accedant ad ſummam medicinam bibendo ſanguinem Chriſti ſub ſpecie vini.

CAP. XXVII.
De Alberti Magni pronunciato.

DEinde ad verba *Alberti M.* videtur reſpondere. Sunt illa: *Chriſtus ſub una ſpecie panis corpus ſuum tradidit, & ſub altera ſpecie vini tradidit ſanguinem, & ſic ſervandum inſtituit. Et cum Chriſti actio noſtra ſit inſtructio, pro certo hæc duo nobis ſervanda præcepit. Et ideo ſub una ſpecie corpus & ſub altera tradimus ſanguinem. Reſpondeo*, dicit Doctor, *quod ex his verbis adverſarius non habet propoſitum.* Hæc Doctor. ***Broda.***

Jacobell. Imo ego dico, quod intuentibus verba & ſenſum maxime propoſitum habetur probatum.

Et

Broda. Et dicit Doctor: *Teſtimonium evangeliſtarum eſt, quod Chriſtus ſervandum ſic inſtituit, intellige apoſtolis ſeu conficientibus.* Ecce oppoſitum dicit Doctor *Alberto M.*
Jacobell⁹. Nam *Albertus* dicit: *Tradimus, id eſt porrigimus ſanguinem.* Et quibus? Niſi fidelibus quibuſcunque capacibus, indifferenter, ſive laicis ſive quibuslibet aliis.

Et quod hoc prætendat *Albertus*, patet, quia ipſe ibidem *in eodem tractatu* ſic dicit: *Unde Levitic. XI ſic dicitur: Animal quod non ruminat, immundum erit. Hinc eſt, quod de duobus quæ ſunt in hoc ſacramento, materia cibi & potus, dicitur Hoſea VII. Super triticum & vinum ruminabunt. Hæc enim duo ab omnium fidelium ore ruminanda ſunt, frequentata memoria in ſacramento. Quia hæc duo maximum fidelium bonum ſunt in materia poſita, juxta illud Zachar. IX. Quid enim bonum ejus eſt & quid pulchrum ejus? Niſi frumentum electorum & vinum germinans virgines, id eſt, virgineas, caſtas & fide integras mentes.* Hæc Albertus.

Ecce, quid expreſſius poteſt dici de bibitione ſanguinis Chriſti ſub ſpecie vini ad omnes fideles, quam cum dicit: *Hæc enim duo ab omnium fidelium ore ruminanda ſunt, ſcilicet triticum & vinum myſtice conſecrata, & quod omnes concernit & non ſolos ſacerdotes.*

Ulterius dicit: *Et cum dicit: omnis Chriſti actio & noſtra inſtructio, verum eſt; non tamen præcipitur, ut omne, quod Chriſtus egit, & nos ſimiliter faciamus. Nam non poſſumus cœlum creare, nec mortuos ſuſcitare.* Hæc Doctor. *Broda.*

Ecce non ego *Jacobus*, ſed *Albertus* aſſumſit in ſuis verbis, quod omnis Chriſti actio eſt noſtra inſtructio. Ideo Doctor reprobans reprobare videtur, ſed non vere, verba Alberti. Et ſic hic non ſalvat, ſed negare videtur Doctor Magnum Albertum. Cum tamen ipſe Albertus dicat: Omnis Chriſti actio eſt noſtra inſtructio, ſcilicet quoad ſumtionem corporis & ſanguinis Chriſti ſub utraque ſpecie omnibus plebibus fidelium, quoad miniſtrationem ſacerdotum ad plebes ſub utraque ſpecie. *Jacobellus.*

Et etiam magnum ſanctum martyrem *Cyprianum*, plenum ſpiritu Dei, negat in iſta materia. Et ita communiter, vel negat verba ſanctorum antiquorum, vel ſiniſtre interpretatur.

CAP. XXVIII.

De Communione ſacerdotali die Paraſceves ſub una ſpecie.

Broda. *NUnc allegat antiqua Miſſalia pars adverſa. Debeo ex eodem libro ſuis perſuaſionibus reſpondere. Quid reſpondebit ad officium diei paraſceves? Aut quid dicet ad antiquiſſima Breviaria de ipſo die? Aut quid ritui univerſalis eccleſiæ reſpondebit, quæ ipſo die ſub una tantum ſpecie corpus & ſanguinem ſumit? Dicat, ſi hoc ſufficit Papæ & omnibus epiſcopis & presbyteris, ipſo die paraſceves officium tenentibus, cur hoc non ſufficit laicis? Aut oportet adverſarium dicere, totam eccleſiam ſacrilegii crimen incurrere, aut pluribus annorum centenis turpiter erraviſſe. Sed quis hoc vult dicere de Romana eccleſia vel de omnibus ejus ſubjectis, & non potius erubeſcit, in quibus univerſitates famoſæ ſolennesque ſunt aut fuerunt. In quibus viri magni, ſancti, graves, oculati, imo arbuta floruerunt. Quomodo inquam illi tam grave peccatum, tam erroneum ſcandalum ac animarum periculum clauſis oculis pervidiſſent! O heu grave malum, imo Judæis & gentibus ſcandalum ex iſtis præſumtis ac temerariis novitatibus inde ſurgit. Poſſunt dicere Judæi: Noſtra fides potior eſt, non habet aliquas novitates nec aliquas varietates, ut fides Chriſtianorum jam ſic jam aliter immutatur. Ipſimet Chriſtiani neſciunt quid credere debeant. Hoc ipſum gentes de nobis dicere poſſunt. Sed væ illi, per quem ſcandalum venit. Videbuntur motiva fortia, aut parti adverſæ inſolubilia. Cur tam arduam cauſam ſolus temere definivit? Cur ſuper hoc conſilium ab eccleſia non petivit? Cur coram patribus in ſancta ſynodo non inſtitit, ut ejus ſententia per totam eccleſiam ſumeretur. Temeritatis heu magnum indicium, ſine magno maturoque conſilio rem tam arduam attentaſſe.* Hæc Doctor.

Hic Doctor in ſuis verbis more ſuo fucatis, magnificando traditionem & conſuetudinem modernorum Prælatorum ſupra apoſtolicam & evangelicam traditionem, comminatur & graviter impu- *Jacobellus.*

imputat mihi temeritatem & alia plura mala adſcribendo.

Sed *primum* poteſt ſcire Doctor, quod ego in aſſerendo, quod ſanguis Chriſti ſub ſpecie vini plebibus fidelibus & deſiderantibus debeat miniſtrari, non dico, quod ergo ex præcepto & ſub pœna mortalis peccati quotidie ab omnibus plebib9 bibendus eſt ſanguis Chriſti ſub ſpecie vini. Si ergo aliquo die plebes non ſumerent ſanguinem ſub ſpecie vini, & hoc vel ex aliqua incurabilitate vel ex aliquibus certis cauſis, rationabilibus vel irrationabilibus, adhuc hoc evangelicum & apoſtolicum dictum eſt verum, quod plebes fideles probantes ſe ipſos debent de pane illo edere & de calice bibere.

Argumentum ergo Doctoris, quod videtur implicare in ſuis verbis, non valet: *In die paraſceves, nec ſacerdotes nec plebes ſumunt corpus & ſanguinem Chriſti ſub utraque ſpecie:* Ergo nec aliis diebus debent ſumere ſub utraq; ſpecie. Item ſi paſtores veri animarum haberent in ſe divinum deſiderium ad paſcendum plebes uberrimis paſcuis, ſecundum ritum, modum ſive formam à Domino Jeſu inſtitutas, tunc, ſicut prædiſponunt multitudinem hoſtiarum, oblatarum conſecratarum ſub prima ſpecie, ſervando cum reverentia, ut decet, ſic poſſent diſponere magna & munda vaſa calicum conſecrata, & magna quinta feria in eis ſanguinem Chriſti ſub ſpecie vini poſt conſecrationem reſervare, etiam reverentia, qua decet. Nam de menſura unius Zeidlini plures quam ducentæ perſonæ poſſunt guſtare, ſinguli guttatim ſanguinem Chriſti ſub ſpecie vini.

Et hæc ſufficerent jam pro reſponſione ad comminationem & ſuſcitatam exprobationem. *Amplius* tamen *dico*, quod *rubrica*, à quibusdam introducta hominibus, ſive Prælatis, ſive aliis, in clerum, quod *in die paraſceves officiantes non ſumunt ſub utraque ſpecie, neque conſecrant*, quia ab hominibus eſt inſtituta, occurrentibus convenientibus circumſtantiis, tempore & loco opportunis, *poteſt rationabiliter immutari.* Cujus immutationis rationabilis cauſa poteſt eſſe iſta: Plebes in caſu fideles, divino deſiderio motæ, poſſunt rationabiliter deſiderare & poſtulare in die paraſceves à ſacerdotibus ſibi dari diviniſſimum ſacramentum ſub utraque ſpecie, ſecundum traditionem apoſtolicam. Imo & boni ſacerdotes in ipſo die paraſceves poſſunt accendi cum bonis laicis magno deſiderio ad guſtandum ſanguinem Chriſti ſub ſpecie vini, vivaciter memorando ignominiam crucis Chriſti Jeſu. Tunc in tali caſu valde expediens eſſet, tam ſacerdotibus, quam laicis bonis, ſic tali deſiderio accenſis, ipſo die ſumere corpus & ſanguinem ſub utraque ſpecie ſecundum antiquam & primævam legem Chriſti & traditionem apoſtolorum ſuorum.

Melius enim tunc eſſet, quod lex & mandatum Chriſti, ac apoſtolorum prudentiſſima inſtitutio, ad diem judicii tenenda, obſervaretur, & conditio *rubricæ* prædictæ, quam poſtea *homines peccabiles invenerunt*, immutaretur in meliorem Chriſti ritum. Quod ergo videtur inconveniens, *ſi in ipſo die paraſceves* traditio poſteriorum hominum cederet traditioni evangelicæ antiquæ primitivæ eccleſiæ?

Et quantum ego conſidero, hic Doctor in ſuis dictis videtur ſibi ipſi implicite contrarius. Nam concedit in ſuis dictis, *decretum Gelaſii, de conſecr. diſt. 2. Comperimus*, verum eſſe & catholicum. Ubi dicit: *Comperimus autem, quod quidam, ſumta corporis ſacri portione à calice ſacra cruoris abſtineant. Quare procul dubio, quoniam neſcio qua ſuperſtitione docentur aſtringi, aut integra ſacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia diviſio unius ejusdemque myſterii ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire.* Verum dicit Doctor eſſe hunc canonem, ſed de ſolis dicit ſacerdotibus intelligendum & verificandum. Et tamen magnificat illam *rubricam: In die paraſceves*, tanquam nullo modo immutabilem.

Illa autem *duo*, ſcilicet *rubrica & decretum*, videntur ſibi *contraria* quodammodo & incompoſſibilia. Et utraque iſta contraria concedit Doctor. Et ſic videtur ſibi ipſi eſſe contrarius. Concedit enim vere ſecundum *decretum Gelaſii*, ut

ut generaliter ſacerdoties aut integra ſacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, & quod diviſio unius ejusdemque myſterii ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire. Et ex illo conceſſo, ut videtur, oportet ipſum concedere, quod nec Papa nec Epiſcopi, nec alii presbyteri, in die paraſceves officium tenentes & integra ſacramenta non percipientes, ſed ſumentes corporis ſacri portionem, ſcilicet primæ ſpeciei, eam quoque plebibus etiam ſolam miniſtrantes, ſint ſacrilegi, & quod pluribus annorum centenis turpiter erraſſent. Et Doctor incidit in foveam, quam mihi vel verius ſibi fecit. Et ex alia parte *rubricam* illam magnificat ſupra Pauli evangelium de communione calicis inplebibus, ut ſuperius oſtenſum.

CAP. XXIX.
An Eccleſia poſſit errare & falli.

ET ſic videtur, quod Doctori interſit conſcientia anguſtiæ, ſicut undique. Et hoc forte ideo, quia reputat pro impoſſibili, quod Papa poſſet errare cum Cardinalibus & ceteris multis Epiſcopis & aliis multis Prælatis. Mihi autem videtur, quod Papa, Cardinales, Epiſcopi, Prælati, ſunt homines valde fragiles & peccabiles. Poſſunt enim eſſe valde avari & Simoniaci, non intrare per oſtium ſed aliunde, ceterisque vitiis poſſunt eſſe irretiti. Et omnium talium congregationem vocando *Romanam Eccleſiam* communiter, dico, quod talis eccleſia poteſt ſic peccare & errare in facto & in verbo, dicendo bonum malum & lucem tenebras, & e converſo. Et hinc iſto modo eccleſia etiam fallit & fallitur, ut fatetur, Papa, *V. Decretalium, de ſententia Excommunicationis, Cap. A nobis.* Confitetur enim ibi Papa de ſua Eccleſia, quod ſæpe fallit & fallitur, etiam de excommunicatione & abſolutione, ut jam maxime in proximis apparet. Si autem Romana Eccleſia, ſic capta, poteſt falli & fallere, tunc poteſt errare.

Quo poſſibili poſito in eſſe, his noviſſimis temporibus ſubjectis per eam & ſeductis, quare deberem erubeſcere, confiteri hanc veritatem, cum ita eſſet in re? Scilicet, Quia magnum bonum olim in primitiva Eccleſia veniebat, plebibus accedentibus frequenter digne ad ſacramentum ſub utraque ſpecie, quare adhuc & hodie ſic digne & meritorie accedentibus non eveniret magnum bonum?

CAP. XXX.
De variis ſcrupulis, ex novitate, Judæorum offendiculo, Academiarum ſtatutis &c.

ET iſtud mihi & aliis ſacerdotibus prædicare fideliter, non eſt *novitas*, ſed antiqua fides evangelica.

Et non eſt nobis grande malum, ſed magnum *bonum.* Dummodo ex radice charitatis & ad Dei gloriam perveniret. Nec veritas hæc evangelica ſic in primordiis Eccleſiæ prædicata, eſt ſcandalum, licet oculo nequam ſit petra ſcandali & lapis offenſionis.

Nec propter hoc tam ardua veritas & fructuoſa eſt culpanda & redarguenda, etſi *Judæi* poſſint dicere, occaſione male attenta, quod fides eorum ſit potior, non habens novitates & varietates, quam fides Chriſtianorum quæ aliter & aliter immutatur. Ego tamen Chriſtianus confiteor, unam fidem invariabilem, veritatem evangelicam, eſſe durabilem usque ad comſummationem ſeculi, licet conſuetudines & traditiones hominum, quæ ignorantibus apparent eſſe fides, continue varientur. Melius enim eſt, quod ſcandalum oriatur, quam quod veritas relinquatur.

De hoc autem quod dicit *Doctor* de *V. ſup.* c. 28. me: *Videbuntur motiva fortia aut forte adverſæ parti inſolubilia.* Ibi dico, quod omnia ſcripta Doctoris hic poſita non poſſunt deſtruere fundamentum hujus ſententiæ, ab Apoſtolis antiquis & ſanctis patribus obſervatæ. Et exiſtimo, ſi ampli-

amplius voluerit Doctor obſiſtere, non prævalebit.

Item ſimiliter ſapientes mundi in *univerſitatibus* ſolennibus quoad mundum poſſunt inflari in ſua ſapientia & extolli, & tradi in ſenſum reprobum & errare.

Sed dicat Doctor nominatim *ſanctos antiquos* approbatos, qui contradicerent, plebes capaces bibere ſanguinem Chriſti ſub ſpecie vini.

Broda. V. ſup. c. 28. Subdit *Doctor: Cur tam arduam cauſam ſolus temere definivit? Cur ſuper hoc ab Eccleſia conſilium non petivit?* *Jacobellus.* Reſpondeo, quod non ego, ſed Dominus Jeſus & ſuus Apoſtolus ab ipſo definivit, dicens: 1. *Cor. XI. Qu[illegible]tieſcunque manducave[illegible]itis panem hunc, & c[illegible]licem biberitis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.*

Et ſuper hoc recepi *conſilium ab antiqua ſanctorum Eccleſia*, quæ ſic tenuit, docuit, & obſervavit, ut patet legentibus ſcripta eorum. In fide enim quam Chriſtus & ſua Eccleſia inſtituerunt & obſervaverunt, non debeo titubare. *Multo* enim *plus in punctis fidei credendum eſt antiquæ Eccleſiæ, quam modernis Prælatis*, qui vocantur Eccleſia Romana.

Sic ergo in hoc conſormare ſe Eccleſiæ antiquæ non eſt *temeritatis*, ſed ut ſpero, pro electis Dei maximæ *utilitatis.*

CAP. XXXI.

De antiquorum Miſſalium teſtimonio.

ALlegavi ergo aliqua de *Canone* & *miſſali*, huic veritati evangelicæ deſervientia, præſertim, quod *in antiquis Miſſalibus* ſcribitur: *Communicando alios ſacerdos ſub prima ſpecie dicit: Perceptio corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti proſit animæ tuæ & corpori tuo in vitam æternam. Et tunc porrigendo calicem eisdem plebejis dicit: Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti proſit tibi in remiſſionem omnium peccatorum in vitam æternam, amen.* Quod non eſſet ſcriptum, niſi quia ab antiquo miniſtrabatur plebejis ſanguis Chriſti ſub ſpecie vini.

Sed ad hoc Doctor non dixit, propter Zelum vehementem, quo me invaſit gravius exprobrando &c.

CAP. XXXII.

De Legenda Donati, aliorumq; ſanctorum.

Broda. NOn *ceſſat adverſarius teſtimonia qualiacunque cumulare. Allegat legendam S. Donati, & narrat B. Gregorius in libro Dialogorum, ubi ſcribitur ita: Cum autem quadam die miſſa celebrata populus communicaret, & Diaconus communicantibus ſanguinem Chriſti propinaret, ſubito paganorum impulſu Diaconus cecidit & calicem confregit. De quo cum ipſe & omnis populus plurimum mœſtus eſſet, Donatus fragmenta calicis colligens, oratione ipſum in formam priſtinam reſtauravit. Et ſequenter contra me allegat legendam in Paſſionali contentam. Et negat legendam ſanctorum, Catharinæ nec non Margarethæ, virginum. Negat eas oraſſe pro ſe venerantibus cum tamen eccleſia canat de S. Catharina.*

Expecto pro te gladium,
Jeſu rex bone, Tu meum
Da paradiſo ſpiritum.
Et fac miſericordiam,
meam agentibus memoriam.

Similiter canit eccleſia de ſancta virgine Margaretha:

Ad mucronem cervix tenſa
orat voce cum immenſa
pro ſe venerantibus.

Rogo iſtum meum adverſarium, ut mecum, imò cum eccleſia, ſanctorum legendas piè ſuſcipiat. Quod ſi non vult, nec Donatum laicis fidelibus ſic alleget. Verum tamen dicere volo de iſto calice S. Donati, ſi fuiſſet aureus vel argenteus, cupreus, ſtanneus, ferreus aut plumbeus, quô caſu Diaconi calix iſte in partes fr[illegible]geretur? Si autem fuit vitreus a[illegible]t luteus, quid opus implorandi miraculum? cum in illis partibus vaſa vitrea aut teſtea in multa copia habebantur. Nonne melius erat petere, ut ſangvis Chriſti profuſus in terram, ut dicitur, conſervetur, & uſ-

& uſus communicantium rurſum præbeatur? Sed ne putes me quaſi velle ſanctis illudere, dico, qui potuit calicem integrum reſtituere, potuit illum ſuum venerabilem ſangvinem in ipſum calicem denuò reponere, nequid ejus veſtigium in terrà remaneret. Glorioſus eſt enim in ſanctis ſuis & quotidiè per ſanctos ſuos mirabilia operatur. Quid autem dicendum ſit ad hanc legendam, & reſpondendum fuerit, ex parte ſecunda, ſi Deo placuerit, apparebit. Vel dici poteſt, quod pius Deus tempore Donati potius permiſit frangi calicem, ne populus ſumeret, quod non deberet. Hæc Doctor.

Jacobell. Doctor malè de me percepit, non audita alia parte. Quod ego negarem legendam Catharinæ, nec non Margarethæ, virginum, vel quod negarem eas oraſſe pro illis, qui eas debitè venerantur: Malè utique attribuit mihi Doctor. Cùm & egomet ex inſufficientia mea nitor, quantum valeo vel debeo, *ſanctos venerari*. Imò prædico & dogmatizo in populis, ut fideles Chriſtiani venerentur ſanctos, non ſolùm in perſonis eorum, ſed in vita & moribus, per ſequelæ imitationem in eorum verbis & doctrina.

De veneratione ſanctorũ.

Et miror, quod Doctor exiſtens in tanta fama apud Prælatos audet publicè in ſcriptis ponere *dubia & incerta*, imo falſa pro veris. Et conformiter videtur quòd alia multa audivit *de me* Doctor falsè *dici* erronea vel hæretica, qvæ mihi nec ad animum aſcendunt, quibus fidem credititiam adhibuit, & ex ſuſpecto judicio ſuis occultis machinamentis me perſequitur ut blaſphemum.

De Legendis ſanctorum.

Sed ad propoſitum redeundo qvoad iſtas *legendas*, conſulo fidelibus, *ne amplius amplectantur iſtas legendas paſſionalium*, quàm *ſolidam legem Dei ſummè neceſſariam & ſufficientisſimam ad ſalutem*. Et, ne nimis exceſſivè fideles occupantes ſe cum *nimia multitudine legendarum & paſſionalium* minus utili, negligant meliora, certiora & ſaluti viciniora, in lege Domini pura & immaculata poſita & expreſſa.

Omnia namque *in lege Domini* poſita ſunt vera & ſecura. *In paſſionalibus* verò non ſunt ita ſecura. Sed licet multa vera ſint & conformia legi Dei, & exemplaria ad noſtræ vitæ emendationem: Tamen *in talibus legendis multa falſa* ſunt inſerta, *quæ ſub ſpecie pietatis ſapiunt quæſtum*.

Et hæc *cupiditas pſeudocleri* ut æſtimo eſt operata. Ut eſt illud, quod legitur *de S. Thoma Apoſtolo*. Cum ſederet in convivio nuptiarum, & puella Hebræa, fiſtulam manu geſtans, unumquemque laude aliqua commendabat, videnſque Apoſtolum, intellexit hunc eſſe Hebræum, eò quod non manducaret, ſed ad cœlum oculos fixos haberet. Cumq; puella hebraicè coram illo caneret, dicens: Unus eſt Deus Hebræorum, qui creavit omnia & fundavit maria: Apoſtolus eadem ipſam repetere faciebat. Videns pincerna, quod non manducaret nec biberet, ſed tantùm oculos fixos in cœlum haberet, Apoſtolum Dei in maxillam percuſſit. Cui apoſtolus: Melius eſt, ut in futuro detur tibi venia & tranſitoria plaga reddatur tibi in præſenti. Non hinc ſurgam, donec manus, quæ me percuſſit, à canibus huc afferatur. Quod poſteà factum dicitur eſſe &c. Hanc hujuſmodi ultionem factã reprobat *Auguſtinus in libro contra Fauſtum*, & à pſeudo aſſerit hoc fore inſertũ.

Abſit quod omnia, quæcunq; & qualitercunq; & à quibuscunq; inſerta *paſſionalibus* vel *legendis*, ſuſciperentur pro vero. *Multa* enim *ſunt ibi contra legem Dei & contra fidei veritatem ſubdolè introducta*.

Sed longè ab iſto iſtud, quod de me ſuſpicatur. Ergò talia cautè ſunt legenda. Et aliqua conformia legi Dei piè ſunt tanquam vera ſumenda; non autem ita firmè, ut Dei lex & fides ejus articulorum & veritatum in lege Dei poſitarum. Alia *contra legem Dei* conſcripta, ſuperſtitioſa, *quæ ſapiunt quæſtum pſeudoſacerdotum*, fugiant ut venenum.

Neceſſe eſt ergò in talibus habere *ſpiritum diſcretionis*, ad ſeparandum pretioſum à vili.

Nec illud, quod adduxi de communione calicis circa miraculum S. Donati, inſerui ego, ſolùm in legenda inventum, tanqvam dubium & incertum, ſed quia hoc ponit magnus ſanctus *Gregorius in libro dialogorum* tanquam certum & ſe-

& ſecurum, cui fides præcipuè in iſta materia eſt adhibenda. Unde ſi Doctor non credit Legendæ in hoc, credat libro dialogorum B. Gregorii, & eadem difficultas ſtabit. Et in hoc probabiliter concordo cum Doctore, quod ad orationem S. Donati non ſolùm calix eſt reſtauratus, ſed pretioſus ſangvis in calicem denuò repoſitus.

Sed, ſuppoſita veritate miraculi, Doctor in reſpondendo, ſi poſtea melius non ſolvet, jam ſatis malè ſolvit, dicens, *quod pius Deus tempore Donati potius permiſit frangi calicem, ne populus ſumeret, quod non deberet.* Nam ex quo mihi pro grandi peccato computas admittere vel promovere plebem ad bibendum ſangvinem Chriſti ſub ſpecie vini, tunc utique ſecundum exiſtimationem tuam grande peccatum fuiſſet tàm magno ſancto epiſcopo & vero paſtori gregis Dominici, quod admiſit plebem bibere ſangvinem Chriſti de calice ſub ſpecie vini. Et ſi iſte ſanctus in hoc tàm gravi peccato deliquiſſet, tunc indubiè non fuiſſet dignus ex Deo faciendi miraculum ad reſtaurandum calicem cum Chriſti ſangvine pretioſo. Nec propter hoc tàm grande peccatum verè ſanctus tunc appellaretur.

Sic dici poſſet de omnibus *martyribus*, veritatem evangelicam prædicantibus & confitentibus tempore & loco opportunis, cùm patiebantur perſecutiones, incarcerationes, mortem, martyrium, propter nomen Domini & ſalutem animarum ex radice charitatis, quod propterea paſſi ſunt, quia fecerunt, quod non debuerunt. Sic amici Job judicaverunt. Sicut *nunc*, ut æſtimo, multi ſimplices innocentes, veritatem fidei tenentes & confitentes, *patiuntur multa adverſa* à pſeudoclero, de quibus Doctor dicit cum aliis, *meritò patiuntur, quia faciunt, quod non debent.*

Cogitet ergò Doctor, ſi poteſt, de ſolutione alia meliori, aut ſine ſubterfugiis acquieſcat planè ſanctorum autoritati, ad bibendum ſangvinem Chriſti ſub ſpecie vini plebem invitanti fidelem. Quia reverà non eſt Doctoris evangelici, tàm magnorum & approbatorum ſanctorum & martyrum glorioſorum, ut *Cypriani, Donati, & B. Gregorii*, factum præfatum ſancti Donati approbantis, facta & ſcripta tàm ſiniſtrè in malum interpretari. Eoque miniſtrationem ſangvinis Chriſti ſub ſpecie vini tempore Martyrum obſervatam, aut omninò negat, aut in grande peccatum eis convertit. Eò quod plus appreciet præſentem conſvetudinem, tanquam zelator improvidus modernarum traditionum, quàm legis Chriſti & apoſtolorum ſaluberrimam inſtitutionem.

CAP. XXXIII.

De Gregorii & Auguſtini judiciis.

Broda. *POſt hac ad verba B. Gregorii, dicentis de conſecrat. diſt. 2. c. 73. 79. Cujus caro in ſalutem populi participatur, ejus ſangvis non jam in manus infidelium, ſed in ora fidelium funditur.* Similiter ad verba *B. Auguſtini, dicentis: Dum frangitur hoſtia, dum ſangvis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud, quàm Dominici corporis in cruce immolatio, ejusque ſangvinis de latere effuſio ſignificatur:* Reſpondet Doctor ad ambas iſtas auctoritates, dicens: *Iſti ambo ſancti dicunt, quod in ora funditur fidelium, ſacerdotum intellige, ſed non omnium laicorum.* Hæc Doctor.

Sed contra hanc ſolutionem, imò non ſolutionem, ſed evaſionem, animadvertant cuncti fideles, quomodo Doctor in ſuis ſolutionibus ſolùm *ſacerdotes* vocat *fideles*, & *laicos*, quantumcunq; timentes Deum, hìc non vocat *fideles*. Et audet hoc adſcribere ſanctis, Auguſtino & Gregorio, quod ipſi per *fideles* ſolùm intelligerent *ſacerdotes*, & non alios de aliis ſtatibus Deum fideliter colentes. Et tunc ex hoc videretur, quod ſoli ſacerdotes haberent, & alii non poſſent habere veram fidem, quâ deficiente in laicis tunc nullus Chriſtianus poſſet dignè accedere ad primam tantùm ſpeciem præter ſacerdotes. Sic enim in auctoritate Apoſtoli, illa ſciſicet: *Probet ſe ipſum homo, & de pane iſto*

edat, & de calice bibat, ſolvendo & reſpondendo gloſſavit præſumtuosè, quod hoc intelligitur de ſolis ſacerdotibus. Et oporteret, qvod ibi *homo* ſignificet & ſupponat ſecundum ſuam primariam ſive principalem ſignificationem *pro ſacerdotibus* ſolis converſis, & non pro aliis converſis Chriſtianis. Quaſi alii non eſſent homines. Sed ſuprà ſatis latè, prout potui, hanc gloſſam improbavi, quod non valet, nec poteſt fundari ſolidis ſanctorum dictis.

Ergo, ſicut ſuperiores auctoritates multorum ſanctorum & legis Chriſti ſiniſtrè expoſitæ ſunt de ſolis ſacerdotibus, ut claruit in deductionibus ſuperius declaratis, ſic nec iſta gloſſa Doctoris ex eodem priori fundamento convincitur valere.

Item confirmatur in iſtis auctoritatibus ſanctorum hoc, quod eſt, *fideles non debent capi pro ſolis ſacerdotibus.* Nam *B.Gregorius* alibi in aliis ſuis verbis *in homilia paſchali*, tractans illud *Exod. XI. Sument de ſangvine agni, & ponent ſuper utrumque poſtem*, dicit, ſic ad populum prædicando: *Quis namque ſit ſangvis agni, non jam audiendo ſed bibendo didiciſtis.* Ecce ad communem populum prædicando dicit: *bibendo ſangvinem didiciſtis.* Quod autem intellexit iſte ſanctus de bibitione ſub ſpecie vini, patet, quia conſeqventer addit, dicens: *Qui ſangvis ſuper utrumque poſtem ponitur, quando non ſolùm ore corporis, ſed etiam ore cordis hauritur. In utroque enim poſte agni ſangvis eſt poſitus, cum ori ad redemtionem expoſitum fuerit, ad imitationem quoque, intenta mente cogitatur.* Hæc Gregorius. Ecce quomodo iſta auctoritas exponit verè præcedentes duas, quod ſangvis Chriſti funditur & debet fundi ſub ſpecie vini in ora, non ſolùm fidelibus ſacerdotibus, ſed & ceteris plebibus. Ergò reſponſio doctoris cum ſua ſolutione non valuit.

CAP. XXXIV.
De Hieronymi conſenſu.

Broda. AD *Hieronymum in Sophoniam*, 1. q. 1. dicentem: *Sacerdotes, qui euchariſtiæ ſerviunt, & ſanguinem Domini populis ejus dividunt, impie agunt in legem Chriſti, putantes, euchariſtiam imprecantis verba facere, non vitam, & neceſſariam eſſe tantum ſolennem orationem, non ſacerdotum merita. De quibus dicit: Sacerdos in quacunque fuerit macula, non accedat offerre oblationes Domino.* Reſpondet Doctor adhuc pejus, quam prius, dicens: *Non tantum pro adverſario, quantum pro nobis loquitur ſanctus Hieronymus. Sic enim inquit:* Sacerdotes, qui euchariſtiæ deſerviunt, & ſanguinem ejus populis dividunt, impie agunt in legem Chriſti. *Adverte*, inquit, *lector, verba hujus ſancti:* Sacerdotes, *ait*, qui ſanguinem populo dividunt, impie agunt in legem Chriſti. *Talis proh dolor, eſt adverſarius cum ſuis complicibus in hac parte.* Hæc Doctor.

Miror, quod non erubeſcit Doctor Jacobel'. ſic extraneam gloſſam iterum dare ad verba hujus Sancti. Qui enim vult perpendere verba B. Hieronymi, & ad gloſſam ejus ordinariam reſpicere, tunc primo in illis verbis ponitur & ſupponitur, quod *ſacerdotes ſerviunt euchariſtiæ & ſanguinem Domini populis dividunt.* Sed ideo ponit & dicit Hieronymus, quod ſacerdotes ſervientes euchariſtiæ & ſanguinem Domini populis dividentes impie agunt in legem Chriſti, *putantes, euchariſtiam imprecantis facere verba, non vitam, & neceſſariam eſſe tantum ſolennem orationem, non ſacerdotum merita &c.* Ecce, quod ſacerdotes in hoc impie agunt, quod putant, euchariſtiam ſolum *imprecantis* facere *verba* non vitam, ſecundum gloſſam, quantum ad rem ſacramenti, vel ut digne conficiant, & neceſſariam eſſe tantum ſolennem orationem non ſacerdotum merita. Sed non vult B. Hieronymus, quod ſacerdotes impie agerent in hoc, quod dividunt ſanguinem Chriſti populis ſub ſpecie vini. Attendant omnes fideles, quod Doctor per ſuam ſomniatam gloſſam injuriam facit B. Hieronymo & ſuis verbis, aliter ea exponendo, quam ipſe catholice prætendebat. Impium ergo eſt credere

Digitized by Google

ſecundum Hieronymum in verbis ſupra dictis, *quod ſolum verba imprecantis ſacerdotis facerent euchariſtiam, i. e. rem vel fructum euchariſtiæ in eis, ſine bona vita*, vel quod *ſolum ſolennes orationes in eccleſiis cum clamoribus & aliis ceremoniis ſufficerent* ad ſalutem ſacerdotibus & non merita ſacerdotum. Et iſte ſenſus eſt verus ſecundum Hieronymum. Sed præſupponit alium, quod ſuis temporibus dividebant ſacerdotes ſanguinem Chriſti de calice populis, ſed non dicit, quod in hoc impie agerent, ſed præſupponit, quod hoc debuit fieri de lege Domini.

Iſta ergo gloſſa & aliæ prius poſitæ quia ſunt contra veritatem evangelicam & fundamentum non habent, ſunt exſufflandæ tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ. Nam ſancti primitivæ eccleſiæ ſacerdotes, dividentes ſanguinem Domini populis ſub ſpecie vini, eo ipſo non impie egerunt. Quia hoc ſecundum evangelicam inſtitutionem fecerunt.

Sic & nunc *ego cum aliis ſacerdotibus*, in hoc priores ſanctos imitando, dum *dividimus ſanguinem Chriſti ſub ſpecie vini populis plebeis*, non ideo impie, ſed pie agimus, ut fortiter ſperamus.

CAP. XXXV.

De alio Cypriani loco.

Broda. *Cyprianus expeditus eſt per B. Auguſtinum. Non oportet me cum illo occupare.*

Jacobellus. Sed nusquam oſtendit Doctor, quod alicubi S. Auguſtinus loquitur contra ſanctum Cyprianum, quod ſanguis Chriſti ſub ſpecie vini non debeat miniſtrari fidelibus plebibus. Sed magis *B. Auguſtinus* autorizat idem cum B. Cypriano. Sicut ergo prius nec verba *Cypriani*, nec *Auguſtini*, vere & pertinenter in iſta materia ſcivit improbare, vel gloſſas ſuas fictas contra fidei veritatem aliqualiter fundare: Sic & hic contra ſolidam veritatis petram prævalere non valens, dicit: *Cyprianus expeditus eſt, non oportet me cum illo occupare.*

Sed adhuc pro iſta fide adduxi *Cyprianum, in epiſtola tertia* dicentem, quod cuidam puellæ infanti, propter timorem à parentibus relictæ apud idololatras, panem vino mixtum idolo oblatum tradiderunt. Quam poſtea recipipiens mater ſecum detulit ad eccleſiam, ipſo Cypriano præſente & ſacrificante. Solennibus vero adimpletis, calicem Diaconus offerre præſentibus cœpit. Accipientibus ceteris, ejus ſcilicet puellæ locus advenit, faciem ſuam parvula inſtinctu divinæ Majeſtatis, os labiis ejus obturantibus premere, calicemque recuſare perſtitit. Tamen diaconus licet reluctanti de ſacramento calicis infudit. Utique ſic narrat *B. Cyprianus*, qui præſens aderat huic facto.

Ex quibus verbis patet, quod Diaconus auctoritate B. Martyris non ſolum puellæ, ſed & multis aliis adultis de plebe, & de ſacramento calicis infudit. Quia ita fuit tentum tempore martyrum. Et B. Cyprianus non erubuit hoc in ſua epiſtola ponere in futurum ad perpetuum memoriale ad noſtram doctrinam, præcipue cum neſcivit Diaconus, quod puella ſumſiſſet aliquid de idololatrico.

Broda. Cur ergo addit *Doctor*, dicens: *Miror de adverſario, quod hanc verecundiam non eſt veritus allegare B. Martyris Cypriani.*

Jacobellus. Credo & ſpero, quod ſanctus Cyprianus de iſta miniſtratione ſanguinis Chriſti ſub ſpecie vini plebibus non erubuit, nec hodie erubeſcit coram Deo, imo maxime gloriatur. Nam dicit *epiſtola 34. Quomodo autem poſſumus propter Chriſtum ſanguinem fundere, qui ſanguinem Chriſti erubeſcimus bibere.* Et quod parvulis infundebatur prius poſt baptiſmum ſanguis Chriſti ſub ſpecie vini, dictum eſt ſuperius, & allegatum per Innocentium tunc adhoc, quod dixi.

CAP. XXXVI.

De conſuetudine primitivæ Eccleſiæ communicandi ſub utraque.

PAtet ergo ex his omnibus, quod iſte *modus*, de quo ſuperius tactum eſt, fuit *obſervatus in primitiva Eccleſia.* Et ex quo Dominus Jeſus hunc modum communicandi inſtituit, & ſic Paulus tradidit omnibus Corinthiis, ſecundum quod a Domino dicit ſe accepiſſe, & ſic docuerunt ſancti & fecerunt: Et tota Eccleſia hoc tenuit per longum tempus, ſicut ſuperius jam eſt plane oſtenſum: Quis tam frontoſus & audax audebit tam ſolenni (*alias* ſalubri) inſtitutioni Chriſti Jeſu & tantæ multitudini ſanctorum contravenire? Niſi forte ſit agitatus ſpiritu Anti Chriſti, hoc attentare non præſumet.

Nullus ergo contradicat huic *modo*, *à Chriſto inſtituto & à ſanctis ſuis approbato.* Nullus remurmuret, nullus condemnet, nullus impediat, nullus derideat, ſed magis promoveat & veneretur. Quia durum eſt contra ſtimulum ſummi Pontificis recalcitrare. Quia, ſecundum *Johannem Andreæ & Hoſtienſem* in titulo, *Qui filii ſint legitimi, c. Per venerabilem, §. Paulus*, in iſta materia non recurritur ad fabulas, exempla vel mendicata ſuffragia, nec ad poſitum, quod ponitur vel deponitur, in quo eſt ſæpe pro ratione voluntas; ſed ad jus divinum & impermutabile. Et ſic iſte modus communicandi tam a miniſtris quam accipientibus ſine grandi peccato omitti non poterat.

CAP. XXXVII.

De jure mutandi ritum antiquum Eccleſiæ communicandi ſub utraque.

Broda.

COntra iſta *Doctor* ſic loquitur: *Reſpondere volens ad verba præmiſſa, peto adverſarium, quatenus dicat, quando eccleſia noſtra cœpit conſuetudinem primitivæ eccleſiæ immutare? Et quantis temporibus hoc in eccleſia primitiva fuerit univerſaliter obſervatum. Neſcio, ſi dare poterit. Nam inter apoſtolos non legimus hoc obſervatum. Sic enim legitur Actor. II. Erant perſeverantes in oratione & communicatione fractionis panis. Nil ibi dicitur de communione ſanguinis Chriſti. Et nominat hic Antichriſtum, dicens: Quis tàm frontoſus & audax audebit tam ſalubri inſtitutioni Chriſti Jeſu & tantæ multitudini contravenire, niſi fortè ſit agitatus ſpiritu Antichriſti? Dico quod diſcipulus Antichriſti frequentatur ingeminat voluntatem Antichriſti. Et [illegible] imò cer[illegible] eſt, qui non ſuſcipit vocem & ſententiam Jeſu Chriſti. Chriſtus Jeſ[illegible] Domi[illegible] Matth. 23. Super cathed[illegible] ſederunt ſcribæ & Phariſæi, omnia [illegible] dicunt, facite, ſecundum opera i[illegible] facere. Etiam Petro dixit & ſuis ſucceſſoribus: Quodcunque ligaveris ſuper terram &c. Ubi dicit Auguſtinus: Hoc eſt, Ego Dominus & omnis militia cæleſtis exercitus laudat & approbat, quod ligatis & ſolvitis. Sanè frontoſus videtur adverſarius, qui excommunicatus prædicat & officiat, ſacramentumque Domini ſub utraque ſpecie aliis, ut dicitur, porrigit ac miniſtrat. Frontoſus etiam & criminoſus eſſe videtur, qui contra eccleſiam ſub una tantùm ſpecie laicis ipſum venerabile ſacramentum porrigere videns, præſumſit & præſumit. Et temere, ſpiritu Antichriſti, velut præſumit, agitatus, tantæ multitudini non erubuit obviare. Præſumitur hic adverſarius eſſe antichriſtus, quia voluntatem ejus ſeminat & opera facit. Nam antiChriſti proprium eſt pacem rumpere, charitatem turbare, unionem duplare & diſcordiam multiplicandam inter notos & proximos ſeminare. Nunquam legimus Chriſti diſcipulos ſpolia procurare, homicidia, adulteria, furta, perjuria & quævis laicorum vitia molliter palpare, claves eccleſiæ contemnere, excommunicatos miſſare ac prædicare, & in caſibus à jure reſervatis abſolvere, quæ modò faciunt, veluti dicitur à pluribus hujus ſectæ & novitatis inventoribus. Conſideret, quæſo,*

queſo, ſeipſum adverſarius, & inveniet, prout vehementer timeo, ſe eſſe prædicatorem & diſcipulum antichriſti. Nam dicitur his temporibus ad tantum odium excreviſſe, quod rara domus ſit, ubi non ſint disſidentes & charitatem non habentes. Hæc revera ſunt opera & negotia ſeductorum, videlicet antichriſti, hæc ſunt veſtigia diſcipulorum & ſequentium antichriſtum. Salvator docuit arborem bonam vel malam ex fructibus noſci. Judicet lector, ſi hi ſunt arboris bonæ fructus. Rogo etiam inſtanter & ſupplico, ut adverſarius dicat, quid ſentiat de perſona antichriſti, utrum videlicet venire debeat in perſona propria, ſicut Chriſtus Jeſus venit: An ſecuturum Antichriſtum fideles intelligere debent quemlibet hominem facientem opera contraria Chriſto Jeſu, ſic, quod non eſſe debeat ſingularis perſona antichriſti. De hoc puncto per adverſarium ipſum cupio certus eſſe. Subdit adverſarius, ex quo ergò Dominus Jeſus hunc modum communicandi inſtituit, & Paulus tradidit omnibus Corinthiis: Reſpondeo prout ſuprà: Chriſtus ſuum corpus & ſanguinem non niſi duodecim apoſtolis tradidit, & hoc Paulus apoſtolus non aliter intellexit, prout ſuperius declaravi. Item ad Johannis Andreæ verba & Hoſtienſis dici poteſt: verum eſt, quod hèic, puta in materia fidei, recurritur & debet recurri ad jus divinum & impermutabile. Hoc enim non mutabitur uſq; ad diem noviſſimum, videlicet quod ſacerdotes Domini ſub duplici ſpecie ſumant ipſius Domini ſacramentum & offerant. Nec tamen ex hoc laicis fidelibus dabitur facultas, ita, ut per adverſarium dicitur, communicandi. Hæc Doctor.

Jacobellꝰ. Per iſtam autem tàm longam exprobrationem contra me non reſpondet plenè, & ex directo ad propoſitum. Sed reſpondendo non poteſt fundare, ſicut nec prius fundavit, nec in futurum fundabit, quod modus ſumendi diviniſſimum ſacramentum ſub utraque ſpecie, impermutabilis usque ad diem judicii, ſolis ſacerdotibus debeat & non aliis convenire. Eò, quod antiqui ſancti, imbuti ſpiritu Dei, inſtitutionem Chriſti de iſto ſacramento verè intelligentes & credentes, ſic docuerunt plebibus hoc ſacramentum miniſtrare ſub utraq; ſpecie, & ſic miniſtraverunt eorum temporibus & nobis in ſcriptis faciendum poſuerunt. Ergo tàm levi gloſſæ infundabili ſine ratione poſitæ, neque ſolida ſcripturâ fundatæ, quis fidelis vult credere? Revera nemo fidelium debet eam accipere, licet pluries inutiliter & infundabiliter repetatur.

Et ſi ille *modus communicandi ſub utraque ſpecie eſt impermutabilis* usque ad diem judicii, ut mihi Doctor concedit: Et quod olim fuit frequentatus iſte modus in populis: Ergò adhuc non deberet immutari usque ad noviſſima &c.

Sed petendo primum *Doctor* à me, *Quando cœpit eccleſia noſtra conſuetudinem eccleſiæ primitivæ immutare, & quantis temporibus hoc in eccleſia primitiva fuerit univerſaliter obſervatum?* Cur hæc Doctor quærit à me? Cùm propter odium, quô me perſequitur, etſi veritatem dixero, à me non ſuſcipiet, neqve credet. Sed remitto Doctorem ad ſcrutandum ſcripturas. Quando cœpit videri abominatio deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, & quando cœpit ſtare in loco ſancto: Quando incepit ſuperabundare iniquitas & refrigeſcere charitas longè & latè per orbem eccleſiæ: Quando impii impiè agentes, neq; intelligentes, ut prophetavit Daniel, cœperunt polluere ſanctuarium fortitudinis: Quando per orbem eccleſiæ impii cœperunt inteſtatum ſimulare fraudulenter: Tunc incepit auferri à plebium multitudine juge ſacrificium, ſecundum hunc modum communicandi, ſacramentalem ſimul & ſpiritualem, ſub utraque ſpecie, ut impleretur illud *Threnorum ultimo: Hæreditas noſtra verſa eſt ad alienos, domus noſtra ad extraneos, pupilli facti ſumus absque patre, matres noſtræ quaſi viduæ. Aquam noſtram pecuniâ bibimus, ligna noſtra pretio comparavimus, cervicibus noſtris minabantur, laſſis non dabatur requies. Ægypto dedimus manum & Aſſyriis, ut ſaturaremur pane &c.*

Legat Doctor ſcripturas divinas, ut myſteria intelligat, quando per mille annos regnarunt ſancti in eccleſia, & quando & quomodo poſt mille annos ſolutus eſt ſathanas de carcere ſuo, quando exivit & ſeduxit gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ, Gog

& Ma-

Digitized by Google

& Magog, & quando eas congregavit in prælium, quarum numerus eſt ſicut arena maris, quando aſcenderunt ſuper latitudinem terræ, & circuiverunt caſtra ſanctorum & civitatem dilectam, ut dicitur *Apoc. XX.* Qui liber, ſecundum *Hieronymum ad Marcellam de quinq; quæſtionibus novi teſtamenti*, totus eſt ſpiritualiter intelligendus. Et ſicut in *Prologo bibliæ* dicit, tot habet ſacramenta, quot verba.

Et ex illis perpendat Doctor, quando nimia *hypocriſis* redundavit *in populo Chriſtiano*, & maximè *in clero*, & ſuper modum *in clero Romano*, cùm eccleſia ſumma pace hujusmodi divitiis & gloria cœpit abundare. Quando de aperto puteo abyſsi fumus exhalavit, & de fumo exiverunt locuſtæ nimium multæ & nocivæ, hoc eſt, quando *hypocritæ* totam eccleſiam ſanctorum nimis repleverunt & gravarunt.

Iſta trutinet Doctor, & pulſet, ut oſtiarius aperiat oſtium ſcripturæ, & intelligat, quomodo & quando ablatum eſt juge ſacrificium. Et facta dictis compenſet. Quod ſi *in Annalibus* priorum temporum geſta voluerit revolvere, divinum ad hoc auxilium promerendo, quod quærit, & ſi columbina ſimplicitate inſtabit, poterit invenire.

Et quamvis *non eſt meum noſſe tempora & momenta* determinatè & diſtinctè usque ad ultimum, tamen *tempus*, non ſecundum meam, ſed ſecundum aliorum ſententiam, utcunqve *alibi declaravi, quando conſvetudo antiqua eccleſiæ cœpit immutari*, aut quantis temporibus hoc in eccleſia primitiva fuerit univerſaliter obſervatum. Sufficit hic de hoc aliqua jam dixiſſe, & aliqua ſcrutanda impoſterum reſervare.

Sed quod conſequenter addit *Doctor*, **Broda,**
dicens: *Neſcio ſi dare poterit. Nam inter apoſtolos non legimus hoc obſervatum, ſic enim legitur Actor. II. Erant perſeverantes in oratione & communicatione fractionis panis. Nihil ibi dicitur de communione ſanguinis Chriſti.*

Jam ſæpè eſt repetitum hoc Docto- **Jacobello,**
ris motivum, ipſummet, ſed non me, fallens. De quo jam dictum eſt ſuperius.

Ex eodem caſu & *à ſimili* arguerem; *Quod ſolus ſanguis Chriſti ſufficeret pro omnibus fidelibus ſub ſpecie vini. Nam Exodi XI. præcipit Dominus, quod ſumant de ſangvine agni & ponant ſuper utrumque poſtem.* Quod *S. Gregorius* exponit *in homilia paſchali*, ut ſupra allegatum eſt, quod intelligit de ſangvine Chriſti ſumendo ſub ſpecie vini. Et ibi in illo loco nihil ponitur de corpore Chriſti ſumendo ſub ſpecie panis, nec expreſsè, nec figuraliter ut videtur: Ergò nec alibi eſt de illo ſcriptum, vel, quod ergò fideles non deberent ſumere corpus Chriſti ſub ſpecie panis. Planum eſt, quod hoc argumentum non valet. Sic nec deductio Doctoris valebit, cùm procedat per locum ab auctoritate negativè. Talibus in præſens ſolutis & declaratis, ad quantum deficiant in probationibus, pro nunc non oportet amplius immorari.

CAP. XXXVIII.

De admittenda autoritate Eccleſiæ etiam in excommunicatione.

SEd ad hoc, quod vocat me *diſcipulum Antichriſti* frequentantem & ingeminantem vocabulum Antichriſti, & frontoſum & cervicoſum, non ſuſcipientem vocem & ſententiam Chriſti Jeſu, dicentis: *Super cathedram Moſis ſederunt ſcribæ &c.* Reſpondeo, negando Doctori, iſta verba evangelica me non ſuſcepiſſe. Imò ſuſcipio, in corde ea amplector & ore confiteor. Sed, ſequendo expoſitionem ſanctorum, Auguſtini præcipuè & aliorum, ſuper prædicto textu: Nunquam didici, quod ſcribis noſtris & Phariſæis in his, quæ ſunt contra legem Dei, debeam obedire. Non enim illa ſimulata, in ſe erronea & perverſa, ſub coloratiſſima apparentia boni & veri, ad quæ Doctor concitat, includuntur tanquam aliqua bona & vera ſub hoc, quod eſt, *Quæcunque.* Ergo ex hoc ſic ſolo non probat me eſſe diſcipulum Antichriſti.

Deinde ad hoc quod dicit, me non ſuſcipere Petro dictum & ſuis ſucceſſoribus: *Quodcunque ligaveris ſuper terram* &c. Broda. Ubi dicit Auguſtinus, hoc eſt, *Ego & omnis cæleſtis militiæ exercitus, laudat & approbat, quod vos ligatis & ſolvitis.* Hæc Doctor. Jacobell'. Reſpondeo, quod Doctor truncat verba B. Auguſtini, vel quia non vidit completam clauſulam verborum *Auguſtini in libro de vera & falſa pœnitentia*, vel ſi vidit, tunc non fuit auſus completè exprimere reſidua verba Auguſtini ad eorum ſenſum requiſita, quæ contra ſe allegaſſet & pro me. Ibi enim ſic dicitur: *Quodcunque ligaveris ſuper terram, hoc eſt, ego Dominus & omnes ordines cœleſtis militiæ & omnes ſancti in mea gloria laudantes, vobiscum confirmant, quod ligatis & ſolvitis. Non dixit, quos putatis ligare & ſolvere, ſed in quos exercetis opera juſtitiæ, alia autem opera veſtra in peccatores non cognoſco.* Hæc Auguſtinus.

Item beatus *Dionyſius* in *commento* ſuo *de eccleſiaſtica hierarchia*, loquens de eccleſiaſticis clavibus, ſic ad propoſitum dicit: *Epiſcopi claves habent, quibus fideles ab immundis ſegregant, tanquam manifeſtativi divinorum judiciorum. Non quod divina judicia irrationabilibus motibus epiſcoporum obſequantur, ut dicitur vulgariter, ſed quod juſti, à Deò dignè ſecundum merita diſcreti, recitative ab epiſcopis ſpiritus ſancti inſtinctu ſegregentur. Juxta quod Dominus in Apoſtolis autoritatem clavium eccleſiaſticis conferens, ait: Accipite ſpiritum ſanctum. Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt. Et beato Petro divinis revelationibus illuminato dicit Dominus: Quodcunque ligaveris &c. tanquam ipſi Apoſtolo, & conſimilibus ipſi epiſcopis, ſecundum factas ipſis revelationes divinas divinorum judiciorum, manifeſtando ipſa divina judicia, aſſumendo bonos ſicut Dei amicos, & expellendo per excommunicationem reprobos ſicut impios. Teſte enim Domino in Matthæo, B. Petrus non proprio motu, nec revelatione carnis & ſanguinis, ſed Deo ipſum docente, intelligibiliter proteſtatus eſt: Tu es Chriſtus, filius Dei vivi.* Hæc ibi.

Talem ergo ordinatum modum ſupermundanum, & divinum, non humanum, ſolvendi & ligandi, incluſum in illis verbis: *Quodcunque ligaveris &c.* iterum fideliter amplector ad ſenſum catholicum Auguſtini, Dionyſii, Hieronymi & aliorum.

Sed quod ego dogmatizo, plebes fideles debere ſuſcipere ſanguinem Chriſti ſub ſpecie vini, hoc non eſt contra legem Dei, imo eſt lex Dei, neque hoc usque modo probatum eſt eſſe erroneum vel hæreticum, neque ſanctorum patrum conſtitutionibus eſſe contrarium. Nec hoc in ſe eſt moraliter malum, cum abſolute de ſe hoc poteſt bene fieri, alias nec apud ſacerdotes poſſet bene fieri. Et nec ſum citatus nec vocatus.

CAP. XXXIX.

De Jacobo de Miſa excommunicato.

NEc circa iſtam *excommunicationem*, propter hoc contra me fulminatã, eſt ordo juris obſervatus. Nam cum quadam vice coram *Vicario in ſpiritualib'* comparerem, quæſivi ab eo informationem vel cauſam impediendi hoc evangelicum opus. Ibi certe nullam reperi informationem, nec cauſam aliquam rationabilem, propter quam non deberet miniſtrari ſanguis Chriſti plebibus ſub ſpecie vini. Unde firmiter credo, quod ex hoc ipſo vere coram Deo non ſum excommunicatus, licet prætenſe videar frivola excommunicatione vel ligatione apparenti in facie hominum, ex quorundam irrationabilibus motibus, irretitus.

Sed, ſi aliunde non peccarem, iſta prætenſa *apparens maledictio*, ſi eam humiliter ſuſtinuero, *vertetur mihi in benedictionem.* Cum magni ſancti ab antiquo ipſam creberrime ac gaudenter ſuſtinuerunt. Quia juxta ſententiam ſanctorum ſupra allegatorum *juſtitia divina non obſequitur irrationabilibus motibus talium ſimoniacorum.*

Imo tales injuſte alios excommunicantes ſeipſos excommunicant, ut habetur

betur *XI. q.* 3. ſub auctoritate Auguſtini. *Illud plane non temere dixerim, quod ſi quiſquam fidelium fuerit anathematizatus injuſte, ei potius oberit, qui facit, quam ei qui hanc patitur injuriam. Spiritus enim ſanctus habitans in ſanctis, per quem quiſque ligatur aut ſolvitur, immeritam nulli ingerit pœnam. Per eum quippe diffunditur charitas in cordibus noſtris, qui non agit perperam. Pax eccleſiæ dimittit peccata, & ab eccleſiæ pace alieno tenet peccata, non ſecundum arbitrium hominum, ſed ſecundum arbitrium Dei. Petra tenet, petra dimittit, columba tenet, columba dimittit. Item Salomon: Sicut avis in ventum volans, & paſſer, quolibet vadens, ſic maledictum fruſtra prolatum venit ſuper illum qui miſit illud.* Hæc Auguſtinus.

Item *Gregorius homil.* 26. 2. XI. q. dicit: *Plerumque contingit, ut judicis locum teneat, cujus ad locum vita minime concordat. Ac ſæpe agitur, ut vel damnet immeritos vel alios ipſe ligatus ſolvat. Sæpe in ſolvendis vel ligandis ſubditis ſuæ voluntatis motus non autem cauſarum merita ſequitur. Unde fit, ut ipſe ligandi & ſolvendi poteſtate ſe privet, quod hanc pro ſuis voluntatibus & non pro ſubditorum moribus exercet. Sæpe fit, ut erga quemlibet proximum moveatur paſtor. Judicare autem digne de ſubditis nequeunt, qui in ſubditorum cauſis ſua vel odia, vel gratiam ſequuntur.* Hæc Gregorius.

Et quia ſancti multi perfectisſimi, ſic ex odio & irrationabilibus motibus Pontificum & ſacerdotum *prætenſe excommunicati*, prædicaverunt, officiaverunt, & ſacramenta plebibus miniſtrarunt: Ut patet in *B. Johanne Chryſoſtomo*, qui fuit excommunicatus & ejectus & poſtea revocatus, contra voluntatem ſuperiorum, exiſtens ſic prætenſe excommunicatus, populis prædicavit: Quare *ego* non deberem imitari in hoc ſanctos, in prædicando, officiando, vel ſacramenta miniſtrando plebejis, non obſtante iſta prætenſa excommunicatione?

Nunc autem *Doctor* in facie hominum etiam excommunicatur. Sed iſtam excommunicationem ſibi illatam reputat prætenſam & nullam, ſed quæ contra me fertur, reputat juſtam. Sed valde timeat Doctor, ne forte non ſolum coram hominibus, ſed in conſpectu Dei ſit juſte excommunicatus. Eo, quod hæc excommunicatio contra me fulminata habet ortum ex quibusdam ſubdolis accuſationibus & ſubordinationibus, ut fertur, contra regulam fraternæ charitatis. O Domine Jeſu, ſis pax noſtra & aufer iſta mala de medio noſtri.

CAP. XL.

De accuſata præſumtione ac temeritate Jacobi de Miſa, qui à conſuetudine cleri abeat.

Etiam non ſequitur: *Magna multitudo cleri* ex longa jam conſuetudine omittit dare ſacramentum ſub utraq; ſpecie, ſed tantū ſub prima ſpecie miniſtrat populo, Ergo *ego* ex mala *præſumtione* audeo miniſtrare hoc venerabile ſacramentum plebeis ſub utraque ſpecie. Nam in hoc non de me præſumo, ſed de *ſolida veritate legis evangelicæ, & de primitiva eccleſia*, quæ ita ex ſpiritu ſancto ſenſit, & hunc modum miniſtrandi plebibus ſub utraque ſpecie obſervavit. Et ſic nos debemꝰ ſentire & obſervare hunc modum, & non aliter, in ſubſtantialibus ſive eſſentialibus hujus communionis, plebibus nihil diminuendo.

Conſuetudo enim *cleri obvians veritati debet cedere veritati.* Unde *Auguſtinus de unico baptiſmo, Libro* 2. & habetur in *canone, diſt.* 8. *Veritate manifeſtata, cedat conſuetudo veritati. Plane quis dubitet veritati manifeſtatæ conſuetudinem cedere.* Item, *Nemo conſuetudinem rationi & veritati præponat. Quia conſuetudinem ratio & veritas ſemper excludunt.* Item Auguſtinus de baptiſmo parvulorum dicit: *Qui contemta veritate præſumit conſuetudinem ſequi, aut circa fratres invidus eſt & malignus, quibus veritas revelatur, aut circa Deum ingratus eſt.* Et canon ſub auctoritate Cypriani, *diſt.* 8. dicit idem: *Conſuetudo, quæ apud quosdam irrepſerat, impedire non debet, quo minus veritas*

Digitized by Google

ritas prævaleat & vincat. Nam conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt. Propter quod relicto errore ſequamur veritatem, ſcientes, quia apud Esdram veritas vincit, prout ſcriptum eſt: veritas prævalet & invaleſcit in æternum. Hæc Cyprianus.

Quia ergo nimis ſunt multiplicati *carnales ſacerdotes, hypocritæ*, excesſive, ſuper numerum ſanctorum Chriſtianorum: Velut in diebus Regum Ahab, ubi Elias unus fidelis ex parte Dei & quadringenti falſi Prophetæ ex parte regis hujusmodi ſunt inventi: Et in tempore Domini Jeſu paucisſimi fuerunt, & tota communitas in Hieruſalem & Magiſtratus templi, principes ſacerdotum & ſeniores populi, erant ex parte regis hujusmodi: Ita accipiendum eſt de falſis Prophetis, amicis hujusmodi Chriſtianis carnalibus his diebus novisſimis, qui induti veſtimentis ovium i.e. ſpecie religionis, ex ſola conſuetudine, & ſpeciebus pietatis & confesſione Chriſti verbali & exteriori cultu ex conſuetudine à juventute imbuti, ſecundum mandata & doctrinas hominum, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Ad quorum multitudinem & inveteratam conſuetudinem non oportet attendere plus quam ad legem Chriſti.

Tendere autem ſic ad obſervantiam legis Chriſti: non eſt duci ſpiritu antichriſti. Sed ut ſpero, ſeu credo, hoc eſt agi ſpiritu novi teſtamenti in ejus ſanguine. Et tendere ad obſervantiam legis Chriſti, non eſt facere voluntatem vel opera antichriſti, ſed odiſſe. Et perſequi hanc legis Chriſti obſervantiam, ſub aliqua ſpecie apparenti pietatis, eſt veraciter voluntas & ſeminarium ac opus antichriſti.

CAP. XLI.

De ſcrupulo objecto: Rumpi concordiam Eccleſiæ.

VErum autem eſt, quod antichriſti proprium eſt *rumpere pacem* divinam, non quam mundus, vel ſpiritus hujus mundi dat, charitatem non fictam turbare, & unionem ſpiritus duplare, quantum in eo eſt, & diſcordiam malam & multimodam inter notos & proximos in Chriſto conjunctos ſeminare, principali intentione & per ſe prima voluntate mala. Sed obſervare ſic legem evangelii ad ſalutem electorum & Dei beneplacitum, hoc in ſe *non turbat charitatem*, ſed magis eam pacificat & auget. Hoc enim per ſe fructus perceptionis hujus ſacramenti ſub utraque ſpecie in electis Dei operatur.

Sed æſtimo, quod *ſimulata pax* in divitiis, deliciis & gloria ſeculi & mundana confœderatione, turbatur per hoc occaſionaliter. Et ſicut alia divina chariſmata, ſic & hoc *ſacramentum* aliis eſt in judicium condemnationis & *ſcandalum*, aliis in ſalutis profectum.

Pacem malorum rumpendam dixit Salvator: *Non veni pacem mittere ſed gladium.* Veritas enim evangelica de communione utriusque ſpeciei, ſicut & aliæ veritates, dividit electos à reprobis, ſecundum diſparem vitam & diſpares voluntates.

Sic namqve tempore Apoſtolorum occaſione prædicationis evangelicæ eorum multæ diviſiones oriebantur in populo. Unde *Chryſoſtomus de laudibus Pauli: Repugnabant & in commune omnes & ſpecialiter adverſus eos ſinguli dimicando. In commune quidem quaſi contra eos, qui publica diſciplinæ & legum ſcita deſtruerent, ſpecialiter vero, quaſi ſingulorum domos diviſionibus, divortiisque diſſolverent. Nam & filium tunc impugnabat pater, & filius patrem negabat, & maritum uxor oderat, & uxorem maritus. Filiæ quoque cum matribus disſidebant, cognati cognatos, amici impugnabant amicos. Eratque per omnes domos varium iſtud ac multiforme bellum, propinquos ſeparans, diſpergens curiam, judicia conturbans, cum utique mores patrii ſolverentur, feſtivitas & cultura dæmonum pelleretur, quæ alii legumlatores imprimis cuſtodienda decreverant. Cumque his omnibus etiam tyrannidis orta ſuſpicio undique eos faciebat expelli, & qui de proprio genere erant & deſtructionem legis impingerent, dicentes: Non enim ceſſat, inquiunt, loquens verba contra legem & locum*

ſan-

Digitized by Google

ſanctum. Veruntamen, undique invidiæ igne ſuccenſo, à domibus, ab urbibus, ab agris, à ſolitudine, à terra, à mari, à gentibus, à Judæis, à principibus, à plebibus, à regibus, à regum miniſtris, cum omnes ſe ad credulitatem mutuam coarctarent. Hæc Chryſoſtomus.

Si ergo propter evangelizationẽ tam magni Pauli tot erant diſturbia, tot diviſiones, quid *ego*, pulex vivus & canis mortuus, quod propter veritatis hujus evangelizationem multi occaſionaliter ſcinduntur & ſcandalizantur! Alii ex hoc ad partem veritatis accedunt, alii in pœnis proficiunt. Dolendum autem eſt valde, quod perverſi quaſi innumerabiles occaſionaliter in evangelizatione & expletione veritatis ſcandalizantur.

Non tamen evangelizatio & obſervatio veritatis, per quam electi proficiunt, eſt deſerenda. Quia ſicut prius dictum eſt, melius eſt, quod ſcandalum oriatur, quam quod veritas relinquatur. Propter quod dicitur *Apocal. ultimo: Qui nocet, noceat adhuc, & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc, & qui juſtus, juſtificetur, & ſanctus ſanctificetur adhuc. Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundum opera ſua.*

CAP. XLII.

De remiſſa correctione plebis & cleri: deq; libera abſolutione plebis apud Jacobum de Miſa impetrata.

Broda. AD hoc autem quod dicit *Doctor: Nunquam legimus Chriſti diſcipulos ſpolia procurare, homicidia, adulteria, furta, perjuria &c.* Verum eſt, quod

Jacobell'. hoc non pertinet ad Chriſti diſcipulos talia mala inducere. Sed ſi *Doctor* ſuſpicatur de me talia, *ego* nihil mihi conſcius ſum. Sed quod ego quævis vitia laicorum molliter palparem, non audeo me excuſare in toto. Nam timeo quod nonnunquam tempore & loco opportunis utiliter non corrigo geſta prava in proximis, & eos ad Chriſti legis obſervantiam non reduco.

Timeat ergo *Doctor*, qui converſatur quaſi quotidiè cum *ſimoniacis* & aliis ſceleratis, quod non corrigit affectuoſe talia in clero vitia, ſed quod molliter iſta palpat.

Ambo ergo, ego cum Doctore, hunc defectum deſidiæ & puſillanimitatis, quantum in nobis eſt, primum reprehendamus. Et poſtea irreprehenſibiliter & ſine crimine viventes excuſſâ vecordi puſillanimitate in aliis laicis & & clericis crimina arguamus. Aliàs, etſi perſonaliter adulteria, homicidia, fornicationes & ſimoniacam hæreſin & alia vitia non faceremus, tamen ſi talia facientes non reprehendimus, & puſillanimitate dejecti molliter palpamus, tacendo quaſi conſentimus, & cum talia adulteria, homicidia, furta agentibus, ſocietatis ſcrupulo non carebimus. Quia non ſolùm qui talia agunt, ſed qui conſentiunt, rei cenſentur.

Timeo etiam, quod Doctor, non ſolùm quia tacet, vel molliter palpat *vitia Prælatorum*, debet reprehendi, ſed quod ſic *avidè inſiſtit pro pluralitate beneficiorum* per forenſe litigium, per ſumtuoſas impenſas, per taxas, & cambia, & commutationes ſimoniacas, ut timeo, eſt vehementer *ſuſpectus de ſimonia.* Utinam reverteret ad cor, & ageret de hoc pœnitentiam fructuoſam.

Sed de hoc, quod dicit, quod *in reſervatis caſibus à jure* abſolverim: Reſpondeo, Feci hoc ſæpe præhabita auctoritate. Et cum aliqui repelluntur in confeſſionibus, nec volunt eos abſolvere in aliis parochiis, nec in caſtro: Conſiderans, quod ſacerdotes ſic Chriſti fideles ex odio perſequuntur, quia ad ſermones verbi Dei cum magno deſiderio concurrunt, *talibus venientibus ad me* in articulo neceſſitatis offero me ad fideliter conſulendum, in quantum ingenii mei parvitas ſuppetit, ne deſperent. Hoc enim teneor ex *officio meo ſacerdotali*, quod ſim paratus reddere rationem de fide, & de his, quæ ad fidem & ſalutem pertinent, omni poſcenti conſilium, & informationem fideliter tribuendo.

CAP. XLIII.

Diſputatio inter Brodam & Jacobellum de Anti-Chriſto.

Broda. DEinde quærit *Doctor* & rogat inſtanter, ut dicerem, *quid ſentirem de perſona Antichriſti? Utrum* ſcilicet venire debeat *in perſona propria*, ſicut Chriſtus Jeſus venit? An ſolum antichriſtum fideles intelligere debeant quemlibet hominem facientem opera contraria Jeſu Chriſto, ſic quod non eſſe debeat ſingularis perſona Antichriſti?

Jacobell'. Sed puto, quod *Doctor* quærit hoc à me, tentans & capere me volens, non ad charitative conferendum pro inveſtiganda ſalutifera veritate. Cum veritatem catholicam, ad ſalutem hominum neceſſariam, ex hoc, quod à me in populis prædicatur, non acceptat. In cujus rei ſignum *adverſarium me* vocat. Si enim non haberet odium ad me, ſed charitatem non fictam gereret erga me, veriſimile eſt, quod ex corde me *adverſarium* non vocaret, ſed fratrem in Chriſto Jeſu reputaret.

Veruntamen, volentem ſcire aliquid *de Antichriſto*, remitto ad magnum diſcipulum, quem Jeſus diligebat, ad illum, qui in cœna Dominica ſupra pectus Domini recubuit & ſcrutatus eſt ibi: Quis eſt ille Antichriſtus occultiſſimus, qui eum in Eccleſia tradet in perſona Judæ? Et ibi doctus à Domino poſtea, quid de hoc ſentiendum ſit, nobis expreſſit, dicens 1. *Joh. IV. Chariſſimi, nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſunt. Quoniam multi pſeudo propheta exierunt in mundum.* Et ſequitur ad propoſitum: *In hoc cognoſcitur ſpiritus Dei. Omnis, qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt, omnis ſpiritus, qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt: Et hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis, quoniam venit, & nunc jam in mundo eſt.*

Ubi eſt notandum, quod Dominus Jeſus habet *triplicem unitatem. Unam* cum patre & ſpiritu ſancto, in divinæ eſſentiæ identitate, *Joh. X. Ego & pater unum ſumus. Secundam* unitatem habet cum natura humana in perſonalitate, nam natura divina & natura humana in Chriſto non faciunt duas perſonas, ſed tantum unam perſonam. *Tertiam* unitatem habet cum illis, qui ſunt regenerati per ipſum in dilectionis conformitate. Quia qui adhæret ſibi per charitatem & amorem, efficitur unus ſpiritu cum eo.

Secundum ergo hanc *triplicem unitatem* in Chriſto, poſſet aliquis in Chriſto *triplicem ſolutionem* facere, & tripliciter Chriſtum ſolvere.

Ut ſolvendo Chriſtum in divinis à patre, ſcilicet dicendo, quod filius non eſſet ejusdem ſed alterius naturæ à patre, ut dixerunt Arriani, ſic ſolventes Jeſum.

Secundo modo ſolverunt Jeſum, dicendo, quod non fuiſſet verus homo Chriſtus in unitate perſonæ divinæ, ut ſunt Manichæi, qui dixerunt Chriſtum non habuiſſe veram carnem.

Tertio modo, quando quidam illam unitatem, quæ eſt inter Chriſtum & ſua membra, per dignam ſuſceptionem ſacramentorum & obſervationem legis Chriſti, ſolvunt per pravam doctrinam, per abominabilem vitam. Vel quando mali in ſtatu ſpirituali vel ſeculari poteſtative impediunt inductiva ſeu inducentia ad illam unitatem, ut verbum Dei & communionem diviniſſimi ſacramenti utriusque ſpeciei ad populum.

Talem ergo *unitatem ſub ſpecie pietatis* in Chriſti fidelibus *ſolvere* & perſequi, non eſt eſſe ex Deo. Et hic eſt Antichriſtus.

Tota ergo multitudo hypocritarum, quæ ſub ſpecie religionis nititur deſtruere, ne fideles ſint unum in Chriſto per imitationem ejus vitæ, habentes ſupra ſe ſuum caput, omnes ſimul & cum capite ſunt unus Antichriſtus & una perſona, ſicut & eccleſia electorum cum Chriſto eſt una ſingularis perſona cum Chriſto. Caput autem corporis Antichriſti eſt individuum, officiale, aggregatum, ſupremum, potens in malitia per membra ſua ad impediendum

dum in Eccleſia Chriſti ordinationem per ſuas coloratiſſimas ſubordinationes. Et ſic ſolvens Jeſum eſt Antichriſtus, & totalis magna perſona, & partialis ſimplex perſona, in ſupremo potentiſſimo officio Antichriſtiano.

Rurſum *duplex eſt eſſe Antichriſti*, quantum ad propoſitum; quoddam *eſſe materiale*, aliud *formale*. *Eſſe formale* dicitur *capitale & officiale*, potentiſſimum in malitia, ſub nomine Chriſti nomen ſuum magnificans. *Materiale eſſe* ſunt perſonæ ſuccedentes in eſſe Antichriſtinum. Materiale ergo eſſe Antichriſti, continue variatur, formale capitale longo tempore durat. Quando cœpit, quando deſtruetur, dimitto.

Sed hæc modica ſic debiliter poſita poſſunt intelligentes docere occaſionem accipiendi reſidua in iſta materia. Sic enim ſcriptum eſt: *Da occaſionem ſapienti & ſapientior erit.* Et alibi *plura poſui in Schola in Quodlibeto* probabiliter *de Antichriſto*: Iſta ergo ſufficiant pro præſenti de iſta materia.

CAP. XLIV.

De mente Cypriani, quoad imitationem Chriſti in uſu S. cœnæ.

ITem ad Cyprianum allegatum in alia epiſtola dicentem: *Quod conſtat Dominum feciſſe, faciamus*, ſcilicet *in ſumtione ac miniſtratione ſacramenti ſub utraque ſpecie*, ſcilicet *tam ſacerdotes, quam laici*: Reſpondet *Doctor*, male iterum

Broda. dicens: *Quod ipſe Epiſcopus*, ſcilicet *B. Cyprianus, loquitur ad Cæcilium Epiſcopum, qui in eo, quod ſacerdos, ſub utraque ſpecie ſumere debuit.*

Jacobell. Sed veraciter reſpondendo dico: Notum fore ex prioribus dictis *Cypriani*, quod loquatur de miniſtratione ſacramenti hujus *ad plebem*: Sicut enim Chriſtus fecit miniſtrando diſcipulis, gerentibus vicem futuræ plebis fragilis in illo loco: Sic Epiſcopi, paſtores, ſive ſacerdotes, debent etiam plebibus ſub utraque ſpecie miniſtrare. Priores ergo auctoritates Cypriani antepoſitæ declarant iſtam melius, quam Doctor, per contrarium exponens.

Et patet, quod reſponſiones Doctoris ad auctoritates omnino nihil valent.

Ad hoc autem, quod dixi, ſcilicet, quod iſte *modus communicandi in plebibus ſub utraque ſpecie* eſt ab iſto *inſtitutus*, qui omne opus ſuum valde rationabiliter & utiliter fecit, puta *à Domino Jeſu Chriſto*, magiſtro optimo: Reſpondet *Doctor*, dicens: *Certum eſt, quod eſt utilis valde his, qui ſic ſub utraque ſpecie ſumere debent, puta presbyteris. Sed inutilis, imo gravis fortaſſe & mortifer eſt modus his, qui ſic ſumere non debent.* *Broda.*

Iterum more ſuo reſtringit meum dictum ad ſolos presbyteros. Sed notum eſt, quod *laici humiles* & in gratia capaciores ad ſumendum ſibi ad vitam, quam *presbyteri hypocritæ, avari & ſimoniaci*, ſumentes ſibi ad judicium & damnationem. Ut patet de Uſà, qui ob hoc, quod tetigerat arcam, ſubito mortem non evaſit. *Jacobell.*

CAP. XLV.

De opinione Thomæ de Aquino de uſu S. cœnæ.

DEinde ad *Thomam de Aquino*, dicentem: *Quamvis totus Chriſtus ſit ſub utraque ſpecie, non tamen fruſtra. Quia hoc eſt uſui hujus ſacramenti conveniens, ut ſeorſim exhibeatur fidelibus corpus Chriſti in cibum, & ſanguis in potum. Quia corpus exhibetur pro ſalute corporis & ſanguinis pro ſalute animæ.* Reſpondet *Doctor* more ſuo, *quod hic per fideles intelliguntur ſoli presbyteri.* *Quaſi nullus alius Deo eſſet fidelis, nec poſſet eſſe fidelis, niſi presbyteri.* *Broda.*

Jacobell. Sed jam de hoc ſupra dictum eſt, qualiter iſtæ gloſſæ & reſponſiones ſint leviter excogitatæ ſine fundamento ſcripturarum & rationis.

Broda. Ideò ſubjungit aliam reſponſionem *Doctor*, dicens: *Vel ſic, ut ſeorſim exhibeatur fidelibus, ſcilicet laicis, corpus Chriſti in cibum, & ſanguis in potum, ſub una ſpecie panis tantum.*

Sed

Jacobell. Sed hoc eſt contra inſtitutionem, ut ſuperius declaravi.

Broda. Adducit Doctor poſt *Thomam, in P. III. Summa, q.* 70. ubi dicit: *Providè in quibusdam eccleſiis obſervatur, ut populo ſangvis Chriſti ſumendus non detur, ſed ſolùm à ſacerdotibus ſumatur.*

Jacobello. Sed penſanda ſunt iſta verba. Non enim dicit *Thomas*, quod ubilibet populo non datur ſangvis, ſed dicit ſolùm *in quibusdam eccleſiis*, ſed *non in omnibus.* Cujùs oppoſitum dixerat ante Doctor quod per totam eccleſiam ubique laicis daretur ſub prima ſpecie tantùm.

Et non habet iſte Doctor *antiquos ſanctos* pro ſua ſententia, niſi *modernos ſcholaſticos, qui opinative & ſcholaſticè locuti ſunt & in multis errarunt. Thomas* enim erravit in hoc, quod dixit, quod imagines ſunt adoratione latriæ adorandæ, hoc eſt expreſse contra legem & fidem Chriſtianorum. Ideò periculosè palpitat circa dubia & incerta.

CAP. XLVI.

An propter periculum aliquod externum poſſit quid omitti ab inſtitutione Chriſti?

TUnc ad hoc, quod dixi: *Nec iſte modus debet omitti propter aliquod periculum corporale incertum & præter voluntatem.* Quia dicit *Can. Lib. ult. Decretalium de Regulis Juris*: *Qui ſcandalizaverit &c.* Melius eſt, quod ſcandalum oriatur, quàm quod tam ardua & neceſſaria inſtitutio relinquatur. Et ſtatim Doctor reputat mihi pro inconvenienti, quod non poſui: Melius eſt quod ſcandalum oriatur, quàm veritas relinquatur. Sed non curo hoc. Quia pro eodem in propoſito poteſt convenienter accipi.

Broda. Sed reſpondet ulterius *Doctor. Dato illo, ſicut ponitur, tunc adhuc inſtitutio Chriſti non relinquitur. Quia in ſacerdotibus impletur.*

Jacobellus. Sed contrarium hic conſtat. Quia licet iſta Chriſti inſtitutio non relinquitur quoad ſacerdotes, relinquitur tamen quoad plebes, ex quo non modicum venit diſpendium animarum.

Broda. Poſtea *Doctor* adducit *gloſſatorem circa regulam juris de triplici veritate, vita, doctrina & juſtitia,* dicens: *Quod duæ ultimæ veritates poſſunt interdum omitti, ne ſcandalum oriatur. Sed prima veritas, ſcilicet vitæ, propter nullum ſcandalum debet omitti.*

Jacobellus. Ego autem hic plus dico, quod *veritas doctrinæ*, tempore & loco opportunis, ut eſt *de inſtitutione ſacramenti utriusque ſpeciei ad plebes*, tempore & loco opportunis, non debet omitti.

Similiter plebes guſtare ſangvinem Chriſti ſub ſpecie vini, eſt *veritas vitæ.* Ergo ad minimum tempore & loco opportunis nullo modo debet omitti à plebibus.

Et tunc ad *canonem Auguſtini, XXIII. q. 5. De occidendis*: *Abſit*, inquit Auguſtinus, *ut ea, quæ propter bonum aut licitum facimus, aut habemus, ſi quid per hæc præter noſtram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur* &c. reſpondet *Doctor*, quod *iſte canon loquitur de homicidio præter voluntario.* **Broda.**

Jacobellus. Hæc concedo Doctori: Et per hoc datur intelligi *conformiter de aliis præter voluntatem contingentibus* circa bona & ſalutifera opera, ut contingit circa bibitionem ſangvinis Chriſti ſub ſpecie vini plebibus.

Broda. Sed *Doctor* addit cum *gloſſatore*, dicens: *Si fuerit ferox beſtia, cujus ſævitiam poſſet cognoſcere fortis, ſi non interciperet, vel impediret, ſecundum legem Domini puniretur, prout habetur Exod.* XXI.

Jacobellus. Hoc iterum concedo Doctori. Sed quando tunc infert à ſimili, dicens: *Sic ad propoſitum, poſtquam eccleſia recepit in conſvetudinem ſub una ſpecie communicandi laicos, & cur hanc communionem aſſumſerit, expreſſit cauſas, pericula aſſignans: Quis contra Papam periculo ſe ſubmiſerit? Non venialiter peccat. Et præſertim, cùm præter autoritatem eccleſiæ, contra etiam conſuetudinem patriæ, ſe ad pericula determinata ſubmittit.* **Broda.**

Jacobell. Ibi poteſt reſponderi, quod , æquivoco in *Eccleſia*: Sicut eccleſia recepit in conſvetudinem *ſimoniam* contra legem Dei, ſic recepit eadem eccleſia

eccleſia conſvetudinem communicandi laicos ſub prima ſpecie tantùm. Sed hoc, ut jam ſuprà declaravi, eſt contra legem Chriſti. Et ſupra etiam dictum eſt, quod talis debet cedere veritati. Quam quidem veritatem antiqua eccleſia ſanctorum docuit, & in facto erga plebes obſervavit. Nec fidelibus debet verti in dubium, quod lex Chriſti docet, & *antiqua eccleſia* in facto expoſuit & approbavit. *Moderna* noſtra *eccleſia* (æquivocando in *Eccleſia*, ut ſuprà dixi) fallit & fallitur ſæpè. Ut, *De ſententia excommunicationis, Decr.l.5.t.39. c.28. A nobis*, 2. dicitur: *Nos igitur conſulendo tibi bene, reſpondemus, quod judicium Dei veritati, quæ non fallit nec fallitur, ſemper innititur. Judicium autem eccleſiæ nonnunquam opinionem ſequitur, quam & fallere ſæpè contingit & falli.* Ubi gloſſa dicit: *Judicium eccleſiæ, divinum debet imitari judicium, in quantum poteſt*, 11. q.3 *Tunc vera eſt.*

Et quia plebibus fidelibus ſumere ſangvinem Chriſti ſub ſpecie vini eſt divino judicio inſtitutum, & ab antiquo per ſanctos obſervatum, ut ſuprà patuit: Ideò fideles in iſto non debent dubitare, ſed firmiter tenere & amplecti. Quia non ſolùm eſt licitum plebejis guſtare ſangvinem Chriſti ſub ſpecie vini, ſed eſt valdè expediens ad ſalutem.

Nec ſequitur, *Chriſtus ad triginta annos omiſit prædicare veritatem, ergò nos veritatem ab antiquo prædicatam, & nobis ad obſervandum traditam omittere debemus*, ut malè Doctor arguit. Et per hæc multa motiva *Doctoris* ſolvuntur, ut, de omiſſione altaris, &, quòd Deus diſtulit ſalutem noſtram per multa millia annorum, quæ cauſâ brevitatis hic omnia adducere omitto. Nam qui habet intellectum fidei, videbit, quod talia Doctoris motiva nimis debilia nihil concludunt. Nec bibitio ſangvinis Chriſti ſub ſpecie vini plebibus fuit ſolùm aut eſt humana conſvetudo, ſed eſt divinum evangelium, quod per nullam conſvetudinem debet immutari.

CAP. XLVII.

An conſuetudo Eccleſiæ ſit mala, communicandi ſub una.

POſt hæc, ad hoc quod dixi: *Nec aliqua conſuetudo mala vel diſſvetudo ab hac divina inſtitutione retrahat vel removeat, vel aliquod præceptum hominis de novo factum. Quia Dei veritatem, non hominum conſvetudinem nos ſequi oportet. Neque oportet ſequi in hoc hominum præceptum contra Chriſti evangelium:* Reſpondet Doctor: *Conſvetudinem hanc eccleſiæ*

Broda. *non eſſe malam. Nec hoc eſt præceptum hominis, ſed eſt uſus eccleſiæ ſanctæ Dei, quæ eſt ſponſa ejus, quam Deus ita diligit, quod quicquid ipſa fecerit, ratum & gratum habet. Patet hoc Matth. XVIII. Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terra de omni re quamcunque petierint, fiet illis à patre meo qui in cœlis eſt.*

Jacobell°. Primò dicit *Doctor*, plebes ſuſcipere ſacramentum tantùm ſub prima ſpecie & non ſub altera, non eſſe *conſuetudinem malam.* Hoc non potuit, nec poterit probare Doctor. Sed quod iſta *conſuetudo* ſit *mala*, probatur ex prioribus. Quia omnis conſuetudo, contra obſervantiam evangelicam ab antiqua eccleſia tentam introducta, eſt mala: Sed plebibus miniſtrare hoc ſacramentum tantùm ſub prima ſpecie & non ſub altera, eſt conſuetudo contra obſervantiam evangelicam antiquam ſanctorum eccleſiæ, Ergò talis conſvetudo eſt mala. *Conſequentia* nota eſt. Et *major* patet. Quia ſecundum evangelicam obſervantiam olim tempore martyrum & antè miniſtrabatur plebi ſub utraqve ſpecie, ut ſuperius eſt deductum. Nunc autem contradictoria eſt conſvetudo, quia non ſub utraque ſpecie, ſed tantùm ſub una ſpecie miniſtratur. Ergò etiam & *minor* eſt vera.

Similiter, ſi eſt *mala conſvetudo*, tunc hoc eſt etiam *malus uſus.* Et ſi per aliquem ſuperiorem epiſcopum vel Prælatum præcipitur iſte uſus malus contra obſervantiam evangelicam, non eſt obediendum ſibi in hoc. Quia oportet Deo plus obedire, quàm hominibus.

Sed cùm addit, quod hic ſit *uſus eccleſiæ ſanctæ*: Ibi notandum eſt ſecundum *Broda.* *Jacobell°.* *Auguſtinum de doctrina Chriſtiana*, quod aliquando eſt hæc *eccleſia ſimulata*, vocata *ſancta*, & in facto non exiſtens hu-

Digitized by Google

jusmodi. Et iſta fortè introduxit illum *uſum*, imò verius *abuſum*. Et quia illam non inhabitat ſpiritus ſanctus, ideò non eam in illo, ſicut nec in alio uſu malo ſequi debemus. Aliquando eſt eccleſia ſanctorum, in qua habitat ſpiritus ſanctus. Modo notum eſt, qvod hanc ſponſam Chriſti non movit ſpiritus Chriſti ad illum uſum tenendum contra evangelicam obſervationem & inſtitutionem Domini noſtri Jeſu Chriſti, eò, quod ſpiritus ſanctus ſpiritus veritatis eſt, qui nunquam movet ad tenendum aliquid contra veritatem, quæ eſt Chriſtus.

Propterea *Doctor* ad probandum ſuum propoſitum non poteſt invenire, ubi vel qvando eccleſia ſanctorum conveniſſet in nomine Domini Jeſu Chriſti, & quod decreviſſet plebibus ſumere hoc venerabile ſacramentum ſub prima ſpecie tantum. Nec enim hoc ſcit probare ex *Decretalibus*, nec ex *Decreto*, nec aliquibus ſanctionibus ſanctorum.

Verum enim eſt iſtud evangelicum: *Si duo vel plures ex vobis conſenſerint ſuper terram.* Dicit enim, *ex vobis*, ſcilicet *electis & ſanctis*, tunc de omni re quamcunque petierint, fiet illis. Sed oſtendat Doctor, quando *eccleſia ſanctorum*, quæ agitur & dirigitur ſpiritu Jeſu, fuit ad hoc congregata in nomine Chriſti *in Concilium*, ut conſentiret, plebem ſumere hoc ſacramentum ſub prima ſpepie tantum. Niſi forte *eccleſia ſimulata*, prætendens ſe ſanctam, non cito admittens ad ſuum concilium filios Dei, qui ſpiritu Jeſu aguntur, antiquam conſuetudinem in iſto magis obſervet, quam evangelium.

CAP. XLVIII.

De periculo, ne laici officium ſacerdotale ſibi vindicent.

Broda. ADdit Doctor: *Et timeo ne paulatim creſcente hominum temeritate, laici vel non ordinati clerici, imo & quæ proniores ad malum ſeu in vetitum ſunt, mulierculæ, conficiendi ſacramentum Dominicum audaciam aſſumant. Nam temeritate ſua eos inſtigante dicere poſſent: In quo differimus à presbyteris? Sumimus & ſumere debemus, prout jam docemur, corporis & ſanguinis Chriſti myſteria, quemadmodum presbyteri, ſub duplici forma: Quis nobis prohibere poterit legere collectas, epiſtolas & evangelia Chriſti, nec non & alia ad miſſam pertinentia, cum illa ſint valde bona. Nonne bonus laicus melior & dignior coràm Deo eſt, quam concubinarius, & alius pravus ſacerdos? Ex his & ſimilibus argumentationibus timendum eſt ne ponerent ſe tales ad miſſarum ſolennia peragenda. Ut ergo notabilis inter bonos laicos & presbyteros appareat differentia, placuit ſpiritui ſancto, ut presbyteri ſub duplici, laici vero tantum ſub una communicent forma.* Hæc Doctor.

Jacobell. Hic animadvertant cuncti fideles, quod argumentum non valet. *Doctor* timet, ne *laici* ſumentes ſacramentum ſub utraque ſpecie *uſurpent ſibi officium ſacerdotale*: Ergo laici debite ſe præparantes & humiliter, non debent ſumere hoc ſacramentum ſub utraque ſpecie. Sicut nec hoc argumentum valet: Ego timeo, quod nimis multi ſacerdotes avari & ſimoniaci indigne accedentes judicium ſibi manducent, ſumentes hoc ſacramentum ſub utraque ſpecie: Ergo nullus ſacerdotum debet accedere, nec poteſt accedere meritorie ad utramque ſpeciem. Multi enim ſacerdotes ita abominabiliter viventes accedentes ad utramque ſpeciem tam graviter peccant, & gravius peccant, quam laici, ſi ſibi officium ſacerdotale uſurparent, & tamen non propter hoc ſacerdotali ſtatui totali prohibetur acceſſus ad utramque ſpeciem.

Verum quidem eſt, quod quilibet accedendo ad hanc ſacram communionem utriusque ſpeciei debet rationabiliter timere, ne ſibi judicium manducet & bibat, ſpe tamen in Dominum debet erigi, & humiliter accedere & confidenter, non omittat.

Et quare *antiqua eccleſia non ſic timuit de laicis*, quod prohibuiſſet eos ab acceſſu ſecundæ ſpeciei? Scivit enim hoc primæva eccleſia. Non, ob hoc, quod reprobi abuterentur hoc diviniſſimo ſacramento, quod ergo boni & electi prohiberentur meritorie accedere ad utrumque.

Vide

Digitized by Google

Videtur ergo Doctor eſſe de numero iſtorum, de quibus ſcriptum eſt: *Trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Nec ipſe forte de hoc multum timet, niſi quod quærit fucatum colorem ad impediendum evangelicam obſervantiam. Sed non proficiet. Et non timet, quod plebs ſumens ſacramentum ſub prima ſpecie uſurpet ſibi officium ſacerdotum. Timet autem ſi ſumeret ſub ſecunda ſpecie, quod uſurparet ſibi officium ſacerdotum. Qui habet intellectū judicet hoc dictum hujus Doctoris eſſe deriſione dignum.

Sed addit Doctor, quod canit eccleſia: *Sic ſacrificium iſtud inſtituit, cujus officium committi voluit ſolis presbyteris.* Sed fidelis plebecula non aufert hoc officium ſacerdotibus, nec hic deſiderat ſibi hoc uſurpare. Sed adjungit eccleſia: *Quibus ſic congruit, ut ſumant & dent ceteris.* Ecce, quod ſic congruit ex officio ſacerdotibus, ut ſumant ſub utraque ſpecie, & ſic dent ceteris. Sicut Chriſtus *dedit fragilibus corporis ferculum, dedit & triſtibus ſanguinis poculum, dicens: Accipite, quod trado vaſculum, omnes ex eo bibite.* Quod ſupra declaratum eſt. Et iſtud Doctor nolens plus adducit contra ſe quam pro ſe.

CAP. XLIX.

De intermittendis variis Eccleſiæ traditionibus.

Broda.

POſtremo restat ad B. Cypriani martyris verba, prout dabitur, reſpondere. Sic dicit Cyprianus, & habentur in canone, diſt. 8. Si ſolus Chriſtus audiendus eſt, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putaverit, ſed quid ante nos omnes Chriſtus prior fecerit. Neque enim hominis conſuetudinem ſequi oportet, ſed Dei veritatem. Cum per Eſaiam loquatur Dominus & dicat: Sine cauſa colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes. Hæc ille. *Ad hoc reſponderi poteſt,* inquit Doctor, *ſi ſcripturam hanc ita stricte veluti ſonare videtur cepirimus, multas traditiones eccleſiaſticas omittemus. Nos presbyteri horas canonicas non dicemus, nam Chriſtum eas legiſſe non invenimus. Non utemur caſulis, ſtolis albis, aliisque ſacerdotalibus veſtimentis. Non pulſabimus campanis. Nam nec albis uſus eſt Chriſtus. Non feſtivabimus dies Dominicos, nec ſanctorum celebrabimus feſta. Sed quis hæc ſine verecundia dicet? Sane reliquit hæc Chriſtus & alia plurima in eccleſia Dei per ſpiritum ſanctum ordinanda. Ipſe enim dixit apoſtolis: Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo, cum autem venerit iſte ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquitur à ſemetipſo, ſed quæcunque audiet, loquetur, & quæ ventura ſunt, annunciabit vobis, Joh. XVI. Etiam, ſi ſolum facere debebimus, quæ Chriſtus fecit, ſolis presbyteris dabimus corpus Chriſti & ſanguinem Chriſti, ſicut Chriſtus ſolis apoſtolis ſub duplici ſpecie præbuit ſua pretioſiſſima ſacramenta, & laici nedum ſanguine Chriſti ſub ſpecie vini, ſed & corpore Chriſti ſub ſpecie panis privabuntur. Si quis ergo aliquid in conſuetudinem contra Chriſtum vellet inducere, vult Cyprianus hoc non ſequi, ſed potius Chriſtum. Et ſic facimus & fecerunt patres noſtri, ſcilicet antiqui prædeceſſores presbyteri, communicantes ſub utraque ſpecie, laicis vero ſub ſpecie panis tantummodo porrigentes.* Hæc Doctor.

Jacobell.

Concedo ego cum Doctore, quod auctoritas B. Cypriani deberet teneri non ſolum ſecundum ſuperficiem, ſed ad intentionem dicentis. Et tunc *multas traditiones in eccleſia ſuperfluas & oneroſas eccleſiæ omitteremus*, impedientes obſervantiam legis Chriſti.

Memini enim Doctorem remurmuraſſe contra inſtitutionem multitudinis horarum, orationum, vocalium pſalmorum & multi cantus clamoroſi, exceſſivi & ſuperflui, quæ ſunt ad faſtum ſecularium & avaritiam cleri adinventa, quibus carnales clerici & ſeducti laici plus innituntur, quam ſequelæ & legi Domini Jeſu Chriſti.

Et quid eſſet inconveniens, ſi talia *ſuperflua* & impeditiva ſalutis ſub hypocriſi, deponerentur? Ad quid tam *exceſſivus pulſus & ſumtuoſus præ divitibus morientibus?* Vel ad quid *pompoſa curatio funerum,* cum exceſſiva ſplendentia exequiarum vel ſepulchrorum? Revera ſecundum *Auguſtinum L. 1. de C. D.* illa magis

magis ſunt ſolatia vivorum, quam ſuffragia mortuorum.

Non tamen volo negare, quin *conſuetudines laudabiles*, non impeditivæ, ſed promotivæ, facilitativæ ad obſervantiam legis Chriſti, ſint *cum moderamine tenendæ*, non tamen tantum, ſicut lex Chriſti, neque præponderantius ſupra Chriſti mandata, heu ut modo contingit generaliter per orbem eccleſiæ.

Hinc eſt, quod olim valde imputabat *Doctor* patribus illis, qui *tantis traditionibus* oneraverunt eccleſiam, perdurantibus usque modo.

Nec talia ſuperflua excesſiva & impeditiva, à ſpiritu veritatis, ſed à ſpiritu mendacii ſunt inventa. Sic enim ſimulata eccleſia per ſpiritum mendacii posſet introducere infinitas traditiones in populum Chriſtianum, graviores & plures, quam erant Judæorum in veteri lege, & legem Chriſti ponerent Chriſtianis in oblivionem, & asſcribere posſent hoc ſpiritui ſancto, quod tamen altitudo ſatanæ operaretur.

CAP. L.

De dicto Chriſti Joh. XVI. Adhuc multa habeo dicere.

ET valde impertinenter *Doctor* adducit ad propoſitum illud *Johannis XVI. Adhuc multa habeo vobis dicere* &c. Numquid, ſi Chriſtus dixiſſet diſcipulis de pulſatione campanarum, de caſulis, ornatibus, & horis, & aliis nunc currentibus conſvetudinibus, diſcipuli non potuiſſent iſta percipere? Numquid tàm gravia ſunt iſta ad intelligendum & graviora quàm iſta, quæ Chriſtus dixit diſcipulis? Niſi fortè *Doctor* vellet dicere, quod hoc, ſcilicet plebes ſumere ſacramentum ſub prima ſpecie tantùm, diſcipuli non potuerunt capere, ſed impoſterum hoc eſt reſervatum ſibi Doctori citius & facilius capiendum, quàm diſcipulis, qui hoc à Chriſto nunquam audierunt.

Broda. Deinde dat *Doctor* ſenſum verborum *Cypriani: Quod ſi quis aliquid in conſvetudinem vellet introducere, vult Cyprianus hoc non ſequi, ſed potius Chriſtum.*

Jacobell'. Cùm ergò antiqua eccleſia ſic accepit à Chriſto, ſcilicet plebem ſuſcipere ſacramentum ſub utraque ſpecie, & tenuit & docuit tenendum usque ad noviſſima tempora: Patet, quod non miniſtrare plebibus ſub utraque ſpecie ſed ſub una tantùm, eſt conſvetudo contra Chriſtum inſtitutorem & ſuam legem, ut ſupra poſuit & adhuc prætendit. Ergò Doctor cum illa gloſſa non poteſt auctoritatem Cypriani ſubterfugere commodoſe. Et Doctor committit fallaciam figuræ dictionis ſic arguendo: Si ſolùm facere debemus, quod Chriſtus fecit, ſolis presbyteris dabimus corpus Chriſti & ſangvinem, ſicut Chriſtus dedit ſolis apoſtolis ſub duplici ſpecie. Nam ibi diſcipuli in cœna non ſolùm ratione, qua fuerunt tunc ſacerdotes, receperunt ſub utraque ſpecie, ſed tenuerunt tunc temporis rationem & vicem plebis futuræ fragilis & debilis, ut ſupra dictum eſt. Nec op' eſt quod ſacerdotes dent ſacerdotibus, niſi forte infirmis. Ergò ſequitur quod ſacerdotes dent plebibus ſub utraque ſpecie.

Et revera *Doctor* ex omnibus dictis ſuis non habet ſcintillam ſolidæ ſcripturæ vel rationis contra iſtam ſententiam evangelicam primitivæ eccleſiæ. Sed omnes ſuæ deductiones ſunt ſophiſticæ non intelligentibus, & apparentes. Nec autoritatibus ſanctorum contra ſe allegatis potuit ſatisfacere. Idcircò adhuc veritas permanet immobilis & ſecura.

Unde malè infert, dicens: *Et hæc ſufficiant ſimplicibus ad reſpondendum obtrectationibus adverſantis.* *Broda.*

Ultimò concludit, dicens: *Si minus bene poſui, vel dixi, quod non debui, paratus ſum corrigi, & malè poſita, ſi quæ ſunt, ſtudioſius emendare.*

Jacobellus. O utinam ad cor rediret Doctor, ut, ſicut hìc in verbis dixit, in facto iſta melius emendaret, redeundo ad primordia antiquæ eccleſiæ, confitendo, quod porrigere plebibus ſacramentum ſub utraque ſpecie eſt evangelicum & catholicum, à ſanctis antiquis patribus obſervatum.

Digitized by Google

PARS II.

De jure mutandi antiquos Eccleſiæ ritus.

CAP. I.

De vero conſenſu Patrum primitivæ Eccleſiæ aliorumque Doctorum, quoad communionem ſub utraque.

SEquitur *alia pars deductionis* apparentis & non exiſtentis *Doctoris*, quæ, inſtar primæ, eſt parvulorum in Chriſto & ſimplicium ſeductiva. In cujus *exordio* ſic loquitur *Doctor: Prima pars hujus opuſculi reſpondit, prout valuit, objectionibus cujuſdam & motivis cujuſdam, porrigentis & ad porrigendum inducentis ſub duplici forma, panis videlicet & vini, laicis fidelibus corporis & ſanguinis venerabile ſacramentum. Sed quia nonnulli notabilis opinionis viri tentum hoc aſſerunt in eccleſia primitiva: Quomodo ergò plures eccleſiæ, non dico noſtris temporibus, ſed longè ante nos, hoc immutaverunt, & an hoc ipſum facere poterant, & propter quas cauſas hoc fecerunt, videamus.* Hæc Doctor. Breda.

Jacobello. Primum conſidero Doctorem dicere, quod viri notabilis opinionis tentum hoc aſſerant in eccleſia primitiva. Ex quo concipio, quod Doctor aſſerit *magnos viros ita ſenſiſſe de communicatione ſacramentali plebium ſub utraq; ſpecie*, & quod ita fuit tentum. Quare ergò Doctor non adhæret illis magnis viris, hanc ſententiam approbando, in quibus magis ſpiritus Domini Jeſu indubitanter viguit, quam cum modernis contrarium periculoſè ſentiendo, qui in comparatione ad priores magnos viros valde deficiunt à ſpiritu Domini Jeſu, & per conſequens, quorum moderna conſuetudo eſt multo periculoſior, quam contraria conſuetudo illorum magnorum virorum in eccleſia primitiva, tota pulchra, amicta ſole, quæ terribilis extitit, ut caſtrorum acies ordinata?

Et quæritur à Doctore, qui ſunt vel fuerunt, qui ita ſenſerunt vel tenuerunt, ſive tentum aſſeruerunt? Nonne *B. Cyprianus, Donatus, Gregorius, Origenes, Beda, Auguſtinus, Albertus M.* Imo magnus *Paulus* cum ſuo Domino & cum tota ferè reſidua *primitiva eccleſia.*

Cur ergo Doctor talium ſanctorum virorum magnorum verba & auctoritates ſiniſtrè gloſſavit, in contrarium ſenſum trahendo? Nam dicit, quod ſic tentum aſſerunt in primitiva eccleſia, & per conſequens ſic ſuas auctoritates intellexerunt in iſta materia. Ergo *Doctor* non debuit exponere per contrarium, aliter quam ſenſerunt.

Et ſic ipſe Doctor in ſuo proceſſu videtur ſibi ipſi contrarius, & injuriam facere illis magnis viris & ſanctis primitivæ eccleſiæ, quod communicare plebes ſub utraque ſpecie ſacramenti haberent ſolum pro opinione, & non pro lege ſeu veritate evangelica, ſcita ſive firmiter credita, eò, quod non habuerunt ſolum de hoc æſtimationem debilem cum formidine ad oppoſitum, quia ſic fuiſſent nimis perplexi, ſed *firmiſſime crediderunt*, tenuerunt, & in plebibus obſervarunt, & quamdiu vixerunt, nequaquam auſi fuerunt hoc aliqualiter immutare. Ad quid jam heu deventum eſt, quod nonnulli Doctores in eccleſia, qui deberent firmiter ſine hæſitatione tenere evangelicam veritatem, eamque firmiter defendere & prædicare, jam eandem vel in hæreſin vel errorem vel minimum in opinionem converterunt!

CAP. II.

De mutato per Eccleſiam ritu, poſt cœnam & feria quinta communicandi.

Breda. PRoſequitur *Doctor* ulterius partem ſuam, dicens: *Si ritus & conſuetudines eccleſiæ primitivæ tenebimus, antequam dicam* de aliis, communicare debebimus poſt *prandium*, aut poſt cœnam corporalem, & non niſi feria quinta, qua

Digitized by Google

ta, quæ Cœna Domini *nuncupatur. Sic enim Chriſtus fecit ipſo duntaxat die, & nusquam legimus Chriſtum alio tempore ante vel poſtea hoc feciſſe. Peribitq; frequentia miſſarum & communionum. Sufficiet enim cuilibet ante mortem imminentem ſemel & non plus communicare. Quod eſt contra canonem cap.* Omnes utriusque ſexus, De pœnitentia & remiſſione. *Et ſi modo ad hoc faciendum ſemel in anno quosdam vix compellimus, quid tunc fiet, ſi omnimoda vel ad horam ultimam dabitur libertas. Sed videns ſancta mater eccleſia hanc ſumtionem ſeu communionem ſerotinam, vel ſaltim non ſobriam, multis periculum eſſe, rationabiliter* ritum *illum in ſobrietatis conſuetudinem immutavit. Sumebant à Chriſto diſcipuli* non jejuni, *prout omnes evangeliſtæ ponunt. Attamen hoc immutans eccleſia ſanxit, ut de cetero, ſolum excepta neceſſitatis cauſa, non niſi à jejunis debeat ſumi. Unde B. Auguſtinus in libro reſponſionum ad Januarium dicit:* Salvator quò vehementius commendaret myſterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus, & memoriæ diſcipulorum, à quibus ad paſſionem digreſſurus erat: &c. ſervavit docendum. *Non eſt ergo calumniandum univerſa eccleſia, quod à jejunis ſemper accipitur. Placuit enim ſpiritui ſancto, ut in honorem tanti ſacramenti prius in os Chriſtiani dominicum corpus intret, quam ceteri cibi. Per univerſum orbem mos iſte ſervatur. Neque enim quia poſt cibos Dominus dedit, propterea pranſi aut cœnati fratres ad illud ſacramentum adimplendum convenire debent. Aut ſicut faciebant, quos Apoſtolus redarguit & emendat, menſis iſta miſcere. Propter quod de hoc ſacramento loquens dicit:* Cum convenitis ad manducandum, invicem expectate. Si quis eſurit, domi manducet, ut non ad judicium conveniatis. *Statim ſubjungit:* Cetera verò, cum venero, ordinabo. *Ubi datur intelligi, quod multum erat, ut in epiſtola totum illis agendi ordinem inſinuaret, Quod univerſa per orbem ſervat eccleſia, ab ipſo ordinatum eſſe, qui nulla horarum diverſitate variatur. Hæc inquit Auguſtinus, & habentur De conſecr. diſt. 2. c. 54. Liquido. Etiam hoc apoſtoli magni poſt aſcenſionem Domini mutaverunt, Actor. II. Erant perſeverantes in doctrina apoſtolorum, & communicatione fractionis panis. Nullaq; per totum librum illum fit mentio de ſanguinis Chriſti ſub ſpecie vini potatione, vel alia ſumtione.* Hæc Doctor.

Attendant hic per rudimenta veræ Logicæ mitrati, quod Doctor in his verbis ponit unam *conditionalem* falſam, æquivalentem malæ conſequentiæ, ſcilicet iſtam: *Si ritus & conſvetudines eccleſiæ primitivæ tenebimus, communicare debebimus poſt prandium, aut poſt cœnam, & non niſi quinta feria.* Hæc enim conditionalis valet hanc malam conſequentiam: *Ritus & conſuetudines primitivæ eccleſiæ debemus tenere vel tenebimus: Ergo debebimus communicare poſt prandium. Antecedens* enim eſt verum indefinite *de aliquibus ritibus* & conſuetudinibus primitivæ eccleſiæ, qui debent teneri ab eccleſia usque ad finem ſeculi. Nam multiplex obſervantia evangelica præceptorum & conſiliorum conſveta, eſt multiplex ritus & conſuetudo ſancta, quæ debet à fidelibus obſervari. Et tamen *conſequens* falſum, quod ſine neceſſitatis articulo debemus poſt prandium aut cœnam carnalem, & non niſi quinta feria, quæ cœna Domini nuncupatur, communicare. *Jacobell.*

Si autem aſſumeret pro antecedente Doctor: *Si omnes & ritus & conſvetudines tenebimus, tunc communicare debebimus, &c.* Tunc negaretur *aſſumtum*, quod omnes ritus & conſvetudines debeamus tenere. Nam *multi ritus & conſuetudines in primitiva eccleſia adhuc tenebantur de veteri lege,* ut patet de *circumciſione* corporali, & aliis plurimis, quæ jam non oportet obſervari. Nam non ſunt inſtituti *in lege nova* Chriſti ad tenendum plebibus usque ad finem ſeculi.

Ritus autem & conſuetudo, quæ eſt miniſtrare plebibus, & ſuſcipere ſacramentum venerabile ſub utraque ſpecie, eſt ritus & conſuetudo *in nova* poſita, & inſtituta plebibus fidelibus ad tenendum & obſervandum usque ad diem judicii.

Cum autem iterum ſic arguit Doctor: *Christus ſic fecit, ſcilicet dedit* ſacramentum *hoc, de ſero, poſt cœnam, & non niſi* *Broda.*

niſi feria quinta: Argumentum hoc iterum non valet. Quia quamvis *feria quinta* poſt cœnam typicam inſtituit Chriſtus hominibus fidelibus & ſeipſos probantibus de pane illo edere & de calice bibere usque ad finem ſeculi: Non tamen ſic hoc facere inſtituit, ſcilicet, quod fideles hoc *ſolum poſt ſuam cœnam corporalem* facerent, & *non niſi quinta feria*. Sic quod quamvis inſtitutio activa, qua inſtituit hoc venerabile ſacramentum duplicis ſpeciei plebibus, facta eſt quinta feria poſt illam typicam cœnam, non tamen intendebat, quod obſervantia hujus inſtitutionis poſtea *ſolum* fieret feriis quintis & poſt cœnam corporalem noſtram. Non enim voluit, quod imitaremur eum præciſè in omnibus illis circumſtantiis, ſcilicet *ubi* & *quomodo*. Hoc enim maniſeſtè ſolus Chriſtus dixit: *Hoc quotiescunq; feceritis*. Quaſi diceret: Filii Dei eritis & eſtis & ſpiritu Dei dirigimini, & ex illo ſpiritu quoties volueritis, loco & tempore opportunis, & non ſolum quinta feria, vel poſt veſtram poſtea cœnam, manducabitis. Verumtamen plebes eccleſiæ ſuſcipere debent hoc ſacramentum ſub utraque ſpecie jam poſt cœnam illam typicam veteris teſtamenti. Hæc enim cœna Dominica ſacramentalis duplicis ſpeciei, perdurans usque ad diem judicii, incipit & manet jam continuè, & ſumitur poſt illam typicam cœnam à Domino terminatam.

Et concedo quod *Eccleſia benè providit*, quod hoc diviniſſimum ſacramentum utriusque ſpeciei, excepta cauſa neceſſitatis, *non niſi à jejunis ſumatur*. Nec aliquam vidi certam ſcripturam, quod poſt reſurrectionem in primitiva eccleſia fuiſſet conſuetudo alicubi, ſumere fidelibus hoc ſacramentum tantum poſt cœnam corporalem & ſolum quinta feria. Et ad hoc, quod fideles *jejuni* accedere debeant, eſt auctoritas *B. Auguſtini* adducta per Doctorem, *in libro reſponſionum ad Januarium*, quam ego concedo. Nec ibi eſt aliquid in ea contra me, vel hanc ſententiam evangelicæ veritatis.

Sed ex hoc *Doctor* non poteſt inferre, quod communicatio plebi ſub utraque ſpecie ex eadem ratione potuit & debuit immutari. Quia ſecundum legem Chriſti injunctum eſt plebi ſumere ſub utraque ſpecie usque ad diem judicii. Ergo hoc non potuit nec debuit deponi.

Sumere autem ſacramentum ſolum *poſt noſtram cœnam & non niſi quinta feria*, hoc non eſt ſic injunctum. Ideo non mirum, ſi variatur & mutatur. Ergo per ſuum proceſſum diffuſum non poterit habere intentum.

CAP. III.

De jure Eccleſiæ, mutandi ritum communicandi, ita ut aqua pasſim admiſceretur vino.

SEd quod communicatio plebis ſub utraque ſpecie potuit deponi vel immutari, arguit ulterius *Doctor* per longum paſſum paralogizans, & hoc ſic: *Quod autem hoc immutare poterat apoſtolorum, vel etiam ſequentium eccleſia, videamus. Fides noſtra Deum unum, Dominum unum, unum Ducem legiferum omnipotentem, omniſcientem & incommutabilem profitetur. Qui cum ſit incommutabilis, prout ipſe dicit:* Ego Deus & non mutor, *Leges tamen varias ſecundum exigentiam & diverſitatem temporum dedit. Ipſe verus & opportunus muſicus (alias cytharœdus) citharam mundi hujus optima volens harmonia diſponere, nunc chordas aliquas ſurſum attrahere, nunc alias voluit ſubmittere, quatenus ex debitis proportionatisq; conſonantiis dulciorem promeret melodiam. Sic ad propoſitum. Non etiam ſimul & ſemel prout potuit, diſponere voluit, ſed interpellatim & ſucceſſive, jam iſta, jam alia, jam ſic, jam aliter poſuit & inſtituit, ac etiam hæc & alia, prout ſuæ majeſtati placuit, immutavit. Hoc per Ezechielem Dominus præcinuit, Dabo, inquit,* vobis novas leges, in quibus qui ambulaverit, vivet. *Hoc Paulus Apoſtolus ad Ebræos luculenter explanavit.* Hoc teſtamentum *inquiens* quod diſponam domui Iſrael. Poſt illos

Broda.

Digitized by Google

los dies, dicit Dominus, dabo leges novas in mentes eorum, & in cordibus eorum ſuperſcribam eas &c. *Et infra*: Dicendo nova, vetera amovit, *ut patet Ebr. VIII. Dedit, inquam, Dominus leges varias, ut aliter homo in ſtatu naturæ, aliter in ſtatu legis, aliter in ſtatu gratiæ ſalvaretur. Non quod tunc alia nec alia fides eſſet, ſed una eademq; per quam omnes juſti ab Abel adeò usq; ad noviſſimum placuerunt Domino. Nam ſcriptum eſt:* una fides, unum baptiſma, unus DEUS & Dominus omnium. *Item 1. Cor. X. Paulus inquit*, Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moſe baptizati ſunt in nube & in mari, & omnes eandem eſcam ſpiritualem manducavèrunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt; Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra, Petra autem erat Chriſtus. *Hæc mutatio non fidei ſed legum, non Domini, ſed ceremoniarum à Domino traditarum. Non legimus Chriſtum aquam ad vinum in inſtitutione hujus ſacramenti affudiſſe, neq; oculos elevaſſe, nec* Novi & æterni teſtamenti *dixiſſe. Et tamen hoc univerſalis eccleſia tenet.* Hæc Doctor.

Jacobello Ex iſtis verò ſermonibus *Doctoris*, jam dictis ante vel poſt, non oportet ſequi, quod traditio Chriſti, plebi Chriſtianæ de ſumtione ſacramenti utriusq; ſpeciei data ad tenendum usque ad finem ſeculi, debeat deponi vel immutari. Nec ex hoc, quod *aqua* miſcetur ad vinum, ſicut Chriſtus fecit, ut notat *Cyprianus in una ſuarum epiſtolarum.* Nihil horum poteſt infringere hanc veritatem. Ergò quando dicit Doctor inter cetera: *Ecce quod eccleſia facit, apponit aquam, quam Chriſtus non appoſuit, & facere videtur quod Chriſtus non fecit.* Hoc negatur Doctori, quod Chriſtus non appoſuiſſet: Et facere videatur, quod Chriſtus non fecit. Hoc negatur Doctori, quod Chriſtus non appoſuiſſet aquam ad vinum. Et ſi arguit: Non legimus Chriſtum aquam ad vinum in inſtitutione hujus ſacramenti affudiſſe, Ergo Chriſtus non affudit. Negatur conſequentia. Et de antecedente dico, quod ſi Doctor non legit, tamen *B. martyr Cyprianus*, plenus ſpiritu ſancto & ſpiritu veritatis, non audens falſum dicere, dicit verè epiſtola 34. *Calicem*, inquit, *docuit exemplo magiſterii ſui vini & aquæ communicatione miſceri.* Et infra modicum dicit: *Qua in parte invenimus, calicem mixtum, quem Dominus obtulit, & vinum fuiſſe, quod ſanguinem ſuum dixit. Unde apparet, ſanguinem Chriſti non offerri, ſi deſit vinum calici, & ſacrificium Dominicum legitima ſatrificatione non celebrari, niſi celebratio & ſacrificium noſtrum reſponderit paſſioni. Quomodo autem de creatura vitis novum vinum cum Chriſto in regno patris bibimus, ſi in ſacrificio Dei patris & Chriſti vinum non offerimus, nec calicem Domini Dominica traditione miſcemus?* Et infra: *Invenimus, non obſervari à nobis, quod mandatum eſt, niſi eadem, quæ Dominus Jeſus fecerit, nos quoq; faciamus, & calicem pari ratione miſcentes à divino magiſterio non recedamus.* Et ante circa principium ejusdem epiſtolæ dicit: *Nunquam aliud fiat à nobis, quam quod Dominus prior fecerit. Ut calix, qui in commemoratione ejus offertur, mixtus vino offeratur. Et infra: Venite & edite, inquit ſapientia, de meis panibus, & bibite vinum quod miſcui vobis. Vinum mixtum declarat idem, calicem Domini aqua & vino mixtum Prophetica voce pronunciat, ut appareat in paſſione Dominica id eſſe geſtum, quod fuerat ante prædictum.* Hæc ſanctus Cyprianus.

Quibus verbis oſtenditur, quod *calix* quem Dominus benedixit, fuit *mixtus* aqua & vino. Et ſic non eſt additum poſtea. Sed ſine poſteriori additione debet teneri ab Eccleſia, tanquam à Domino Jeſu inſtitutum.

Et tangitur hoc aliqualiter in canone *de conſecr. diſtinct. 2. Sicut in ſanctificando calice.*

Digitized by Google

CAP. IV.

De jure Eccleſiæ, mutandi aut abolendi ritum circumciſionis antiqvum; Nec non circumſtantias temporis in celebratione Paſchatis.

Broda. ET poſtea multa adducens *de circumciſione, in veteri lege tenta & in nova depoſita, ut patet Actor. XV.* poſt hæc omnia infert: *Ecce ſublatio imò annullatio circumciſionis, quæ debuit, ſub pœna mortis lata ab ipſo Domino, æternaliter obſervari.* Hæc Doctor.

Jacobell. Sed ſi circumciſio debuit æternaliter obſervari, tunc & in lege gratiæ & poſt diem judicii debuit obſervari juxta iſtam carnalem obſervantiam. Quod non eſt verum, ſed ſolum debuit durare ea carnalis circumciſio usque ad introductionem novæ legis gratiæ, & ſpiritualis circumciſionis in interiori homine in abſcondito. Et usque ad illud conſtitutum temp° non debebant omittere tempore & loco opportunis, niſi peccando omiſſivè.

Sic plebibus Chriſtianis ſumere venerabile ſacramentum ſecundum utramque ſpeciem eſt obſervatio evangelica à Domino Jeſu tradita usque ad præfinitum terminum, ſcilicet ad diem judicii, quæ debet obſervari tempore & loco opportunis, & non debet omitti, niſi peccando omiſſivè.

Et ſi Doctor vocat *ſecundum quod æternum* quodcunque *ævum* vel *ſeculum*, quoad aliquid incognitum, & *ſecundum quid interminatum* quoad intellectum gentis vel nationis alicujus: Tunc *ævitas circumciſionis*, ſi eſt vel meretur aliquo modo dici æternitas, ad introductionem novæ legis gratiæ ceſſat. Sicut ſumtio utriusque ſpeciei ſacramentalis ceſſare debet in fine ſeculi.

Et de celebratione paſcha, quod eccleſia limitavit tota obſervari tempore Aprilis, & in hoc orientales & occidentales prius diſcordes poſtea concordaverunt. Broda.

Hoc etiam concedo, ſed ex illis non ſequitur, quod ergo evangelium, de communione calicis in plebibus, ſicut & de aliis veritatibus, conſtitutum ad tenendum plebibus usque ad finem ſeculi, per quoscunque poſſet immutari, vel deponi ante terminum à Domino Jeſu præfinitum. Jacobell.

CAP. V.

De jure Eccleſiæ, mutandi communionem ſub utraque.

Broda. IDeo fruſtra conſequenter ſubinfert *Doctor*, dicens: *Sic ad propoſitum, poterat fieri à principio, quod quædam eccleſiæ ſub utraque ſpecie ſacramentum Domini porrigebant: Aliæ verò ſub ſpecie panis duntaxat. Nunc verò totalis eccleſia fidelibus laicis ſub una ſpecie panis porrigere uſitavit.* Hæc Doctor.

Jacobell. Ad hoc breviter dicitur, quod iſtæ eccleſiæ, quæ ſub utraque ſpecie ſacramentum porrigebant, benè fecerunt ſecundum obſervantiam evangelicam. Illæ verò eccleſiæ, quæ ſub ſpecie panis tantùm porrigebant, malè fecerunt. Quoniam ante hoc tota eccleſia potius & melius tenuit evangelium de ſumtione utriusque ſpeciei.

Nunc verò *totalis multitudo cleri*, quæ refriguit in charitate, ſi vocetur eccleſia, quia omnes dormitaverunt, omnes ſimul, & dormierunt, etiam cum prudentibus, ut Dominus prophetavit, *Matth.* 25. in hoc male faciunt prohibendo plebes, nec eas docendo ſumere ſacramentum ſecundum utramque ſpeciem.

CAP. VI.

De Jure Eccleſiæ, traditiones veteres mutandi.

Broda. INfert autem iterum *Doctor* ex dictis ſuis, iterum dicens: *Quapropter licet idem ſit rector & Dominus eccleſiæ, poſt paſſionem Chriſti & ante, potuit tamen ſponſa Chriſti, noſtra mater eccleſia, quasdam traditiones ex cauſis rationabilibꝰ immutare.*

Concedo etiam hoc, quod eccleſia Chriſti ſanctorum aliquas certas *traditiones* poteſt inſtituere rationabiliter *ad tempus permanſuras*, & poſtea poteſt eas deponere ex certis cauſis, videlicet accidentales & extrinſecas, ut ſuprà tactum eſt. Sed *evangelicas traditiones* à Domino Jeſu ſponſo rationabiliſſimè inſtitutas ad tenendum plebibus & clero usque ad finem ſeculi, non poteſt rationabiliter, nec debuit deponere eccleſia vel immutare. Propter quod nec ex *conciliis generalibus*, nec ex *decretis ſanctorum* invenitur hoc approbari, quod duntaxat ſub una ſpecie plebs debet communicare.

Nec hoc figuratum eſt in *Rebecca Geneſ.* 27. quæ induit Jacob filium ſuum veſtimentis Eſau odoriferis. *Ecce*, inquit Doctor, *quomodo mater diſpoſitionem filii mutavit, quam à Deo ſuſceperat: Quia lævis & non piloſus erat, quatenus benedictionem acciperet, & accepit.* Broda.

Jacobell. Sed in hoc, quod mater volente Deo mutavit diſpoſitionem filii, non poteſt verè figurare, quod ſponſa eccleſia deponeret vel immutaret traditionem ſive diſpoſitionem de communione utriusque ſpeciei, in populis usque ad diem judicii tenendam, à ſponſo & Deo ſupremo injunctam.

Sed videat Doctor *gloſſam ordinariam*, vel ſanctos alios, & inveniet in iſta figura aliud latens myſterium.

CAP. VII.

An ſufficiat plebi, ſub una ſpecie panis corpus Chriſti ſacramentaliter edisse & ſangvinem ſpiritualiter bibisse?

Broda. Iterum *Doctor* infert ſenſum, ſic dicens: *Ex quo patet, quod fidelis laicus & ſine mortali peccato, ſumens corpus Chriſti ſacramentaliter ſub forma panis, ſumit ſpiritualiter ſangvinem Chriſti.*

Jacobellus. Ad hoc dicitur, quod, cùm Dominus Jeſus non dixit, nec manifeſtavit bibitionem ſangvinis ſui ſpiritualem & ſacramentalem veram in prima ſpecie, ſed ſolùm in ſecunda: Quomodo Doctor certificatus eſt, quod laicus tantum recipit in prima ſpecie ſic ſola, quantum reciperet ſub utraque ſpecie? Præſertim cùm commodoſe utraque ſpecies poſſit haberi à laico tempore & loco opportunis. De hoc ſupra plus tactum eſt.

Broda. Inſuper addit *Doctor*, dicens: *Quod videns eccleſia pro ſalute hominum ſufficere, voluit ex cauſis illam moventibus à porrectione ſangvinis ſub una ſpecie potius abſtinere, quam ad periculum vel ad irreverentiam tanti ſacramenti populum ipſum ſubmitteret inproviſè.*

Jacobell. Ibi reſpondendo dico, quod laico fideli capaci in acceptione primæ ſpeciei datur gratia ſecundum certam menſuram limitatam donationis. Et in ſecunda acceptione ſecundæ ſpeciei datur modus alius certus gratiæ ſecundum aliam menſuram donationis à prima menſura donationis gratiæ. Quia eſt ad certum gradum: Non ſufficit ſe ſolo homini fideli laico, niſi aſſit alia certa menſura donationis ad alium certum gradum, dum poteſt haberi commodoſe, tempore & loco opportunis.

Et illi duo gradus ſive *duæ menſuræ donationis* ſunt *conjunctæ* & colligatæ. In cujus rei ſignum Chriſtus conjunxit illas duas ſpecies ſimul, ſcilicet formam panis & formam vini, & unam ſine reliqua non dedit.

Et ſicut in dando primam formam diſcipulis, in hoc etiam dedit laicis futuris & conſtituit dandum, ſic & ſecundam formam vini dando diſcipulis ordinavit dandam illis, quibus & primam.

Ego videtur, quod ſicut humano corpori naturali non ſufficit cibus naturalis ſine potu, ſic conformiter in ſpiritualibus & eccleſiaſticis juxta Chriſti inſtitutionem, non ſufficit laico bono manducare corpus Chriſti ſub ſpecie panis tantum, niſi etiam bibat ſangvinem Chriſti ſub ſpecie vini, dum ſcilicet commodoſe poſſunt haberi tempore & loco opportunis.

Ergo *multitudo cleri carnalis*, quæ vocatur eccleſia ſancta, non benè vidit, quod ſufficeret pro ſalute hominum tantum prima ſpecies, dum poteſt ſecunda haberi commodoſe.

Nam *antiqua eccleſia* vidit oppoſitum.

CAP.

Digitized by Google

CAP. VIII.

An ob metum periculi primævus communicandi modus ſit mutandus?

Breda. SEcundo dicit *Doctor: Eccleſia moderna voluit laicos abſtinere à ſecunda ſpecie propter periculum.*

Jacobell. Reſpondeo, quod *eccleſia antiqua* melius fecit, quod non omiſit ſecundam ſpeciem plebibus miniſtrare *propter imminens periculum futurum.* Eò quod plus ſpiritu Jeſu agebatur, ergò melius in hoc egit antiqua eccleſia.

CAP. IX.

An altera ſpecies, nempe vini, plebi potuerit ſubtrahi ob metum contemtus Sacramenti?

Breda. TErtio vult *Doctor, quod ſecunda ſpecies depoſita laicis eſt, ne contemneretur tantum ſacramentum.*

Jacobellus. O quantum contemnitur hoc diviniſſimum ſacramentum à multitudine ſacerdotum ſimoniacorum, concubinariorum, avarorum & hypocritarum, qui ſemper in prava & ſcandaloſa vita perdurantes, evangelicam veritatem ſemper perſequentes, quaſi quotidie accedentes turpis lucri gratia, & ibi ſine timore Dei ſemetipſos paſcentes, qui in divino & ſacramentali convivio ſunt ſibi ipſis maculæ.

Hi ridentes, leviter nimis, ex conſuetudine & obligatione, ſine deſiderio accedentes, vitam ſuam pravam nunquam in melius mutantes, vere nimis contemnunt hoc venerabile ſacramentum.

Et hoc eſt *gravius periculum damnationis* tantæ multitudini hypocritarum & perverſorum ſacerdotum. Et tamen eis non deponitur ſecunda ſpecies.

Attendant igitur omnes Chriſti fideles, qualiter omnia iſta ſcripta Doctoris ad ſtabiliendum ſuum propoſitum non habent robur vigoris. Apparent enim ſacerdotibus non intelligentibus aliquid, ſed nihil ſunt.

Non eſt enim timendum plebibus fidelibus Dei, quæ ſpiritu Jeſu aguntur, quod ex communi contrectatione ſacramenti nimia ejus familiaritas & *contemtus* pullularet. Hoc enim eſt & eſſe ſolet ſolum *in rebus corporalibus*, & ſecundum judicium carnis & hujus mundi. *In rebus* autem *divinis*, prout eſt hoc ſacramentum, nullum tale debet intelligi, ubi ſolum & principaliter ſpiritus Domini judicium operatur.

Quod ſi non ſunt de una fide, ſed fermento hypocriſis fermentati, tunc ſive ſint ſacerdotes ſive laici, vel quicunque alii, accedentes ad hoc terribile ſacramentum, ſive ſecundum unam ſpeciem tantum ſive ſecundum utramque, quia ibi non guſtant in interioribus in ſpiritu & veritate, quam ſuavis eſt Dominus: Talibus leviter vileſcit hoc mirabile ſacramentum, parvi pendentes ipſum, plus optantes vitam mundi, qui ſibi judicium manducant & bibunt, non dijudicantes corpus Domini. Talibus, inquam, venit in contemtum, præſertim magnæ multitudini cleri, avari, & cupidi, & nemo eſt, qui prohibeat eis utramque ſpeciem.

Plane ergo invalida ratio eſt, quod ſcilicet propter contemtum aliquorum reproborum electæ plebi Dei non deberet illud ſacramentum ſub utraque ſpecie miniſtrari.

CAP. X.

Eccleſiæ non eſſe jus mutandi primævas conſtitutiones ſacras.

SEd adhuc ut oſtendatur efficacius, quod noſtra evangelica inſtitutio, data plebibus ad tenendum & obſervandum usque ad finem ſeculi, non debet deponi vel immutari per quantumcunque magnos in Eccleſia, probatur per illud *Proverb. XXX. Omnis ſermo Dei ignitus clypeus eſt omnibus ſperantibus in ſe. Ne*

Ne addas quicquam verbis illius, ut arguaris inveniariſque mendax. Cum ergo evangelica hæc totalis inſtitutio eſt quidam ſermo Dei, patet, quod non licet ſibi *addere* ad meliorandum & perficiendum ipſum melius, quam Chriſtus Deus & homo. Et, ſi non licet alicui addere ad meliorandum, tunc omnino, à pari vel majori, non licet *diminuere* vel deponere aliquid alicui de perfecta inſtitutione evangelica.

Et quia communicatio utriusque ſpeciei ſacramentalis eſt evangelica inſtitutio perfecta, data plebibus Chriſti usque ad diem judicii, ut ſupra patuit, patet, quod per nullos ſuperiores hæc inſtitutio diminui vel dividi, vel ſecundum aliquam ſui partem plebibus deponi debeat.

Item *Apocal. ultimo* dicitur: *Si quis appoſuerit ad hac, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto, & ſi diminuerit de verbis libri Prophetia hujus, auferet Deus partem ejus de libro vita & de civitate ſancta, & de his, qua ſcripta ſunt in libro iſto.*

Cum ergo communicatio diviniſſimi ſacramenti ſub utraque ſpecie plebibus Chriſti tradita ad diem judicii non ſit minor quam prophetia libri apocalypſis: Videtur ſequi, pari evidentia, quod ſi quis aliquid depoſuerit plebibus de iſta communicatione ſacramentali totali utriusque ſpeciei, Deus auferet partem ſuam de libro vitæ & de civitate ſancta.

Item *Deuter. IV.* mandat Dominus: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, neque auferetis ex eo, cuſtodite mandata Domini Dei veſtri, qua ego pracipio vobis.*

Item *Chryſoſtomus* ſuper illud *Matth. VII. Erat enim docens, ſicut poteſtatem habens & non ſicut ſcriba eorum & phariſai,* dicit ſic: *Omnis Doctor ſervus eſt legis, quia neque ſupra legem aliquid addere poteſt de ſuo ſenſu, neque ſubtrahere aliquid ſecundum ſuum intellectum, ſed hoc tantum pradicat, quod habet in lege. Neque enim poteſt mens humana dirimire ſive deponere, quod ſapientia divina dictavit. Sicut enim ait Salomon: Non addas verbis Domini, neque detrahas inde: Qui auſus eſt hoc facere, putat ſe ſapientiorem eſſe, quam Deum, & incipit eſſe falſus teſtis. Quia illud dicit, quod nec audivit, nec vidit. Chriſtus autem legis Dominus eſt &c. Ideo mirabantur, quia non quaſi ſervus legis ſub poteſtate conſtitutus illud docebat, quod fuerat juſſum, ſed quaſi Dominus legis & habens poteſtatem ſua auctoritate addebat.* Hæc Chryſoſtomus.

Item 25. *q.* 1. dicit *Urbanus Papa*: *Sunt quidam dicentes, Romano Pontifici ſemper licuiſſe novas condere leges. Quod & nos non ſolum non negamus, ſed etiam valde affirmamus. Sciendum vero ſummopere eſt, quod inde novas leges condere poteſt, unde evangeliſta aliqui nequaquam dixerunt. Ubi verò aperte Dominus vel ejus apoſtoli & eos ſequentes patres ſancti ſententialiter aliquid definiverunt: Ibi non novam legem Romanus Pontifex dare, ſed potius quod pradicatum eſt, usque ad animam & ſanguinem confirmare debebit. Si enim quod docuerunt apoſtoli & Propheta deſtruere, quod abſit, niteretur, non ſententiam dare, ſed magis errare convinceretur. Sed hac procul ſint ab his, qui ſemper Domini eccleſiam contra luporum inſidias optime cuſtodierunt.*

Item ibidem *Marcellinus Papa* dicit: *Omne, quod irreprehenſibile eſt, catholica defendit Eccleſia.* Et infra: *Nequaquam quod contra evangelicam vel apoſtolicam vel Propheticam doctrinam conſtitutionemve eorum ſive patrum ſanctorum actum fuerit, ſtabit.*

Item *diſt.* 14. *Sicut*, dicit Leo Papa: *Id noverimus ſequendum, quod nec praceptis evangelicis contrarium, nec decretis ſanctorum patrum invenitur adverſum.*

Item *diſt.* 10. *Symmachus Papa* dicit: *Non licet Imperatori vel cuiquam pietatem cuſtodienti aliquid contra divina mandata praſumere, nec quicquam quod evangelicis aut apoſtolicis regulis obviet agere.*

Et Auguſtinus *de unico baptiſmo, Libr.* 2. *& habetur diſt.* 9. *Quis* inquit, *neſciat ſanctam ſcripturam Canonicam tam veteris quam Novi teſtamenti certis terminis ſuis contineri, eamq́; poſterioribus omnibus epiſcoporum literis ita praponi, ut de illa omnino dubitari & diſceptari non poſſit, utrum verum & utrum rectum ſit, quicquid in ea ſcriptum conſtiterit. Epiſcoporum autem literis qua poſt confirmatum canonem vel ſcripta ſunt, aut ſcribuntur, etiamſi per ſermonem fortè ſapientioris cujuslibet in ea re peritioris, & per aliorum epiſcoporum gra-*

viorem

Digitized by Google

viorem auctoritatem, doctioremq́ prudentiam, & per concilia licet reprehendi, ſiquid in eis forte a veritate deviatum eſt. Hæc Auguſtinus.

Item *XI. q. III.* decretum B. Iſidori dicit: *Si is, qui præeſt, ferat quicquam, quod eſt à Domino prohibitum, aut facere juſſerit, vel quod preceptum eſt, preterierit aut preterire mandaverit, ſancti Pauli ſententia ſibi eſt ingerenda, dicentis: Si nos vel angelus de cœlo evangelizaverit vobis, præterquam evangelizavimus, anathema ſit.* Idem; *Si quis prohibet vobis, quod à Domino preceptum eſt, vel rurſus imperat fieri, quod Dominus prohibet, exſecrabilis ſit omnibus, qui diligunt Deum.* Idem: *Is, qui præeſt, ſi præter voluntatem Dei vel quod in ſcripturis ſanctis evidenter præcipitur, dicit aliquid vel imperat, tanquam falſus Dei teſtis aut ſacrilegus habeatur.* Hæc ille.

Ex quibus omnibus patet, quod nulla evangelica inſtitutio tradita communitatibus eccleſiæ, obſervanda usque ad conſummationem ſeculi, debuit deponi, vel quomodolibet immutari. Nec ſponſa, ſancta eccleſia, quæ ſpiritu Jeſu agitur, potuit quicquam ex eodem ſpiritu de evangelica ordinatione ſui ſapientiſſimi ſponſi deponere, cum tunc ſpiritus Jeſu eſſet contra dictum Jeſum, & ſponſa ſponſi ſui ordinationem abjiceret, & contemneret, & aliam ſibi regulam vivendi meliorem inveniret. Quod dicere eſt abſurdum.

CAP. XI.

Communionem ſub utraque, eſſe Chriſti inſtitutionem & eccleſiæ antiquæ obſervantiam, eamque haud eſſe mutandam.

QVod autem ſumere plebibus corpus Chriſti ſub ſpecie panis & ſangvinem ejus ſub ſpecie vini eſt à Domino inſtitutum ad tenendum usque ad diem judicii, patet: Quia, non obſtantibus fictis ac deriſibilibus gloſſis Doctoris, cunctis plebibus fidelibus ex parte Domini præcipiendo & ſcribendo, *Paulus* dicit: *Probet ſeipſum homo, & de pane illo edat, & de calice bibat.*

Et ſic plebes ab apoſtolo hanc obſervantiam de utraque ſpecie intellexerunt, quod de pane illo ederent, & de calice conſecrato ſive ſacramentali liquore biberent.

Et hunc modum & formam obſervarunt, eò, quod ſecundum gloſſam ordinariam ſuprà allegatam offerebant divites panem & vinum abundanter, ut benedictione & conſecratione ſacramentali ſanctificarentur & Dominici corporis & ſangvinis conficerent ſacramentum. Poſt celebrationem verò ſacri myſterii & conſecrationem panis & vini, ſuas oblationes ſibi vendicabant, & aliis non communicantes ſoli ſumebant, ut etiam inebriarentur, aliis eſurientibus. Ubi apoſtolus non reprobat *Corinthios*, qui ſumebant ſub utraq; ſpecie, imò laudat eos: Sed hoc non laudat, quod inebriabantur, aliis eſurientibus. Ecce *obſervantia evangelica tenta in primitiva eccleſia.*

Sed quod hoc debuit & *debet obſervari* ſic plebibus usque ad diem judicii, patet ibidem per apoſtolum, dicentem plebibus: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem biberitis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Ubi gloſſa ordinaria: *Quaſi diceret: Mortem Domini pro vobis factam annunciabitis, id eſt, repræſentabitis. Quod utique faciendum eſt, donec Dominus veniat ad judicium. Quia hoc non mutabitur usque tunc, ſicut ſacramenta Judæorum, ſcilicet usque ad Chriſti adventum primum.*

Ecce ſolida ſcriptura, quod communicare plebem ſub utraque ſpecie eſt inſtitutio evangelica, ad tenendum & obſervandum plebibus usque ad diem judicii, quam nulli hominum licet immutare.

CAP. XII.

De judicio Thomæ de Aquino, propter effuſionis periculum plebem arceri à calice.

ET ex iſtis ante declaratis poteſt patere nutrito in recta fide, quid ſit dicendum ad *objectiones Doctoris* ſuperius motas & dictas, & jam ultimò finaliter memorandas.

Unde adhuc in ſuis deductionibus Doctor quaſi languendo procedit *contra me*, imò non contra me, ſed contra evangelicam veritatem, ſic: *Approbant hunc ritum ſancti famoſique Doctores. Et primò B. Thomas de Aquino in P. III. ſumma ſua, q. 70. ſic dicit:* Circa hujus ſacramenti uſum poſſunt duo conſiderari, unum ex parte ſacramenti hujus, ſecundum ex parte ſumentium. *Ex parte hujus ſacramenti, convenit, quod utrumque ſumatur corpus & ſanguis. Quia in utroque conſiſtit perfectio ſacramenti. Et ideò quia ad ſacerdotem pertinet hoc ſacramentum conſecrare & perficere, (aliàs, conficere,) nullo modo debet corpus Chriſti ſumere ſine ſanguine. Ex parte autem ſumentium requiritur ſumma reverentia & cautela, ne aliquid accidat, quod ingerat injuriam tanti myſterii: quod præcipuè poſſit accidere in ſanguinis ſumtione, qui quidem, ſi ſic incautè ſumerent, de facili poſſet effundi. Et quia creſcente multitudine populi, in qua continentur ſenes & juvenes & parvuli, eorum quidam non ſunt tantæ diſcretionis, ut cautelam debitam circa uſum hujus ſacramenti adhiberent: Ideò providè in quibusdam eccleſiis obſervatur, ut populo ſanguis Chriſti ſumendus non detur, ſed ſolùm à ſacerdote ſumatur.* Hæc Thomas.

Broda.

Jacobell. Sed penſemus verba hæc *Thomæ de Aquino*, quod ſolum dicit, quod in *quibusdam* eccleſiis obſervatur, ut populo ſanguis ſumendus non detur. Si intelligit S. Thomas, quod ſub prima ſpecie non datur ſanguis Chriſti populo communi, tunc erit hoc directe contra Doctorem, ſuperius dicentem, quod laicis etiam ſub prima ſpecie porrigitur ſanguis Chriſti. Si autem Doctor gloſſavit Thomam, quod populo ſanguis ſumendus non datur, id eſt, quod non datur ſub ſecunda ſpecie: Quare ſic non intellexit Doctor, de bibitione ſanguinis Chriſti, alios priores ſolidiores ſanctos de bibitione ſanguinis ſub ſecunda ſpecie? Hunc Thomam de Aquino de bibitione ſanguinis exponit de bibitione ſub ſecunda ſpecie, ſed ante allegatos antiquos ſanctos, loquentes de bibitione ſanguinis Chriſti, reſtringit ad ſuum placitum de bibitione incognita & incerta ſub prima ſpecie, de qua lex Chriſti nihil nobis expreſſit. Quare non eodem modo exponit ſanctum Thomam de bibitione, ſicut expoſuit ſiniſtre prius antiquos ſanctos? Et ideo non eſt ſuis confictis gloſſulis credendum.

Et ſanctus *Thomas*, dicendo, quod in quibusdam eccleſiis obſervetur, quod populo ſanguis Chriſti ſumendus non detur, per hoc non redarguit illas eccleſias, in quibus dabatur ſanguis Chriſti ſub ſpecie vini. Si ergo Doctor eſt inhabilis ad conſentiendum plene magnis ſanctis, plenis ſpiritu Jeſu, in primitiva Eccleſia, quod plebibus eſt dandum ſacramentum ſub utraque ſpecie, non redarguat, ſi in in aliquibus Eccleſiis miniſtretur ſanguis Chriſti ſub ſpecie vini.

Sed quando dicit ſanctus Thomas, quod providè obſervaretur in *quibusdam* eccleſiis, quod ſanguis non datur populo, loquitur *probabiliter, ſecundum ſuam ſcholaſticam opinionem*, non demonſtrans hoc ex ſolidis ſcripturis, neque efficacibus rationibus.

Nimius enim *timor*, & incauta, ut ſic dicam cautela, indiſtinctè homines removens à bibitione ſanguinis Chriſti ſub ſpecie vini, ne aliquid accideret, quod vergeret in injuriam tanti myſterii, *non* debet eſſe *ratio ſufficiens*, neque rationabilis cauſa ad omittendum plebi bibitionem ſanguinis Chriſti ſub ſpecie vini. Quia ſic plebes poſſent moveri, quod propter inordinatum nimium timorem, quem haberent ad corpus Chriſti ſub prima ſpecie, usque ad mortem non manducarent corpus Chriſti ſub prima ſpecie. Sed planum eſt quod hoc eſſet irrationabile. Ergo & reverentia inordinata & *exceſſivus timor* & inordinatus, non debet movere plebes, ut omittant bibere ſanguinem Chriſti ſub ſpecie vini.

Cum ergò *S. Thomas ſit multo poſterior quàm antiqui ſancti*, pleni ſpiritu Dei in primitiva eccleſia, & *multa falſa poſuit*: Ut, quod imagines arte humana fabricatæ ſint adoratione latriæ adorandæ, & alia plura quæ mitto: In hac parte debet cedere antiquæ eccleſiæ primitivæ ſanctorum, in quantum eſt eis contrarius.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XIII.

De periculo effuſionis & erroris, à Bonaventura jactato pro calice plebi ſubducendo.

Broda. Deinde *Doctor* adducit *Bonaventuram, ſuper quarto ſententiar. diſt.* XI. dicentem: *In ſacramento duo ſunt, efficacia & ſignificantia. Eſſe ergò de integritate ſacramenti dupliciter contingit: Aut quantum ad efficaciam, & ſic neutra ſpecies eſt de integritate, ſed in qualibet eſt totum, quod habet efficaciam: Aut quantum ad ſignificantiam, & ſic ſunt de integritate illæ duæ ſpecies, quia neutra per ſe exprimit res hujus ſacramenti ſed in utraque ſimul. Et hoc patet ſic: Chriſtus eſt cibus perfectè reficiens manducantes ſpiritualiter & ſacramentaliter: Perfecta autem refectio non eſt in pane tantum, nec in vino tantùm, ſed in utroque ſimul.* Et infra ad argumentum primum reſpondens dicit: *Etſi totum in utraque ſpecie contineatur, non tamen per alteram perfectè ſignificatur. Et ideò fideles perfectum ſacramentum recipiunt, quantum ad efficaciam. Sed quantum ad ſignificantiam ſufficit, quod eccleſia facit in eorum præſentia. Nec oportet, quod ipſi recipiant, propter periculum effuſionis, & propter periculum erroris. Quia non crederent ſimplices in altera ſpecie totum Chriſtum recipere. Exemplum patet de eo, cui exivit ſanguis de hoſtia. Quia non credebat quod eſſet ſanguis in ſpecie corporis.* Hæc Bonaventura.

Jacobello. Sed reſpondendo ad hunc Doctorem, ſcilicet *Bonaventuram*, adverto *primò*, quod dicit, *quantum ad efficaciam neutra ſpecies eſt de integritate ſacramenti, licet quantum ad ſignificantiam utraque ſpecies eſt de integritate ſacramenti.* Videtur iſtud dictum, ſalva informatione meliori, non eſſe verum. Nam *ſignificantia primæ ſpeciei* propter vim & auctoritatem imponentis Domini Jeſu utiq; eſt alicujus certæ efficaciæ. Cùm excitat & movet hæc prima ſpecies, ſecundum ſuam ſignificantiam, efficaciter, corda vivæ fidei, ad cogitandum, timendum, ſummâ reverentiâ exhibendum & afficiendum ad Dominum Jeſum, appropriatè ſecundum corpus beneficum ibi exiſtens. Et *ſignificantia ſecundæ ſpeciei* iterum propter vim & auctoritatem imponentis Domini eſt alicujus alterius certæ efficaciæ, ad cogitandum de Chriſto iterum ſecundum aliam rationem, puta ut ſuum ſangvinem fudit pro nobis in cruce, & prout potat mentem ſitientem. Et ita ſicut eſt alia & alia ſignificantia ſpecierum, ſic eſt alia & alia efficacia proportionabiliter.

Ergò ſicut ad integritatem hujus ſacramenti requiritur ſignificantia utriusque ſpeciei, ſic videtur, quod de integritate ſacramenti hujus ſit efficacia certa & ſpecialis alia & alia utriusque ſpeciei.

Item ſicut eſt inſita virtus efficaciæ naturalis à Deo ſtellis, herbis, ſoli, Lunæ: Sic videtur, quod modo ſupramundano his duabus formis ſacramentalibus à Deo ſunt inſitæ ſpeciales efficaciæ diſtinctæ. Eò quod *prima ſpecies* movet fideles mentes capaces ad ſumendum Chriſtum in ſe per modum cibi. *Secunda* autem *ſpecies* movet efficaciter mentes capaces ad ſumendum in ſe Chriſtum per modum potus. Et iſta eſt utique alia efficacia quàm prima. Et utraque illarum efficaciarum ſicut & ſignificantiarum requiritur ad integritatem ſacramenti. Et ſic tunc manducare ſacramentaliter & efficaciter corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & bibere ſangvinem Chriſti ſub ſpecie vini, utrumque eſt de integritate ſacramenti. Sic utriusque ſpeciei efficacia, exiſtens alia & alia, eſt de integritate hujus ſacramenti. Ergò dictum Bonaventuræ non videtur eſſe verum.

Et per conſequens *non ſufficit, quod eccleſia faciat in eorum præſentia.* Quoniam nec primitiva eccleſia voluit in hoc ſatis habere.

Nec *propter periculum effuſionis* debuit omitti bibitio ſanguinis Chriſti in plebe.

Tum, quia *maximum periculum eſt ſacerdotibus* avaris, ſimoniacis, hypocritis, concubinariis, in peccatis mortalibus perdurantibus, accedere ad altare, & ſu-

& ſuſcipere hoc ſacramentum diviniſſimum ſub utraque ſpecie. Hoc enim periculum eſt æternæ damnationis, quo majus non poteſt eſſe, cum ſibi judicio manducant & bibunt.

Tum, quia *ſapientior olim primitiva eccleſia* ſanctorum noluit omittere miniſtrationem utriusque ſpeciei plebibus propter hujusmodi periculum tuturum incertum, quod poteſt evenire vel non evenire.

Tum, quia *ſapientiſſimus legiſlator* Dominus *Jeſus* providit omnia talia pericula, & tamen non omiſit hoc ſacramentum ſecundum utramque ſpeciem conſtituere communitatibus eccleſiæ usque ad diem judicii, ut patet ex ſupra dictis.

Et magnus *Paulus* in cœleſti Schola edoctus propter hujusmodi pericula non omiſit plebibus fideliter dicere: *Probet ſeipſum homo, & ſic de pane iſto edat, & de calice bibat.*

Nec iterum, ut dicit Bonaventura, *propter periculum erroris* plebs debet omittere ſanguinem Chriſti ſub ſpecie vini: Eo quod, ut dicit, non crederent ſimplices ſub altera ſpecie totum Chriſtum recipere: Propter cauſas, ut prius.

Nam *multi inveniuntur doctiores & de ſpiritu Jeſu plus habentes in ſtatu laicali, quam cœci ſacerdotes plurimi.* Et tales indocti, cœci, poſſunt de facili ita cito, ſicut laici, errare circa utramque ſpeciem huj9 diviniſſimi ſacramenti. Et de facto errant, modicum vel nihil concipientes ſive credentes viva fide de hac utraque forma ſacramenti, ad quid ſit & propter quid ſit, & quibus, & quamdiu inſtituta, omnino ignorantes. Et tamen non prohibentur ab hac utraque ſpecie ſacramenti. Et labia ſacerdotis debent cuſtodire ſcientiam legis Dei, & debent docere plebes, quod non errent circa alteram nec circa primam ſpeciem. Sicut primitiva eccleſia etiam propter periculum erroris non omiſit, ſed docuit plebes, quid debuerunt credere circa hoc ſacramentum utriusque ſpeciei.

Ideo nec ſuffragatur *miraculum* allegatum de eo, cui exivit ſanguis de hoſtia, ſi ita eſt: Quia non credebat, quod eſſet ſanguis in ſpecie corporis. Quia ſi ſic *ſacerdoti erranti* contingeret, tunc nec ſacerdotes deberent ſumere ſub utraq; ſpecie. Imo tunc nec ad primam ſpeciem laici deberent accedere, cum aliquis laicorum erraret circa primam ſpeciem.

Nec *miraculum* allegatum per B. Gregorium, de muliere, quæ non credidit ibi eſſe verum corpus, neque ſanguinem Chriſti, probat intentum Doctoris. Quia tunc neque laici, vel ad minimum nullæ mulieres, deberent accedere ad aliquam ſpeciem.

Oportet ergo *Bona venturam* cum *ſancto Thomo de Aquino* cedere antiquæ eccleſiæ plenæ ſpiritu Jeſu, & ei humiliter & firmiter aſſentire.

CAP. XIV.

De Hieronymi ſententia quoad communionem calicis.

Broda. POſthæc *Doctor* ad confirmandum errorem ſuum, inqvit: *Poteſt etiam pro ritu ſupra poſito B. Hieronymus allegari. Et habetur in canone* 1. q. 1. *Sacerdotes, qui euchariſtia ſerviunt, & ſanguinem Domini in ſacramentum ſanguinis populis ejus dividunt, impie agunt in legem Chriſti.*

Jacobell⁹. Sed non audet addere & ſumere complete integra verba *S. Hieronymi* dicentis ſic: *Sacerdotes, qui euchariſtiæ ſerviunt, & ſanguinem Domini populis dividunt, impie agunt in legem Chriſti putantes euchariſtiam imprecantis facere verba non vitam; Et tantum neceſſariam eſſe ſolennem orationem non ſacerdotum merita. De quibus dicitur: Sacerdos in quacunque fuerit macula, non accedat offerre oblationes Domino.* In quibus verbis, ut ſupra expoſui, ſupponitur, quod tempore ſancti Hieronymi, ſacerdotes dividebant populis ſanguinem Chriſti. Sed hoc non dicit, quod in hoc ipſo impie agerent in legem Chriſti, imo ſecundum legem Chriſti, ſed quod *putabant, euchariſtiam imprecantis facere verba, non vitam, & neceſſariam eſſe tantum ſolennem orationem & non ſacerdotum merita*, ad ſenſum ſupra expoſitum, ut patet intuenti gloſſam circa hunc textum. Non

Digitized by Google

Non ergo auſus fuit *Doctor* complere verba ex integro, ne manifeſte appareret ſenſus verus Catholicus, communionem calicis in plebibus confirmans. Sed truncavit, ne alius ſenſus erroneus legentibus appareret.

Quod *ſi veniet ſuus tractatus ad publicam audientiam*, cum iſta doloſa truncatione & allegatione auctoritatis B. Hieronymi, & cum tam ſiniſtra & expreſſe extranea gloſſa, numquid honorem & gloriam reportabit?

CAP. XV.

De Lyræ effato de calice.

Broda. POſt hæc ſubjungit *Doctor*, allegans *Liram* ſuper iſto verbo: *Probet autem ſe ipſum homo, & de pane iſto edat, & de calice bibat*, 1. *Cor. XI.* Ubi ſic dicit. *Fit autem hic mentio de duplici ſpecie. Nam in primitiva eccleſia ſic dabatur hominibus fidelibus. Sed propter periculum effuſionis modo datur ſub ſpecie panis tantum. Sacerdos tamen celebrans recipit ſub utraque ſpecie, non tantum pro ſe, ſed pro aliis.* Hæc Lira.

Jacobell. Unam partem dicit hic *Lira*, ſcilicet, quod *in primitiva eccleſia dabatur ſub utraque ſpecie, & non omittebatur propter periculum.* In quo nos docet, ut ſupra tactum eſt, quod nec poſtea debet omitti propter periculum.

Ideo *Lira cedat auctoritati primitivæ eccleſiæ* cum S. Thoma & Bonaventura, & aliis, primitivæ Eccleſiæ contradicentibus.

CAP. XVI.

De ſenſu verborum Pauli 2. Cor. XIII. Cætera, cum venero, diſponam.

Broda. POſt Doctor, neſciens aliud ſubterfugium, ſubdit, dicens: *Poſſumus tamen dicere, quod, licet ita primitus fecerint Corinthii, non tamen erat de mente Pauli apoſtoli, ut ſic ſemper impoſterum ſumere deberent. Propter quod in fine cap. dixit:* Cetera, cum venero, diſponam. *Sed quia non venit, quamvis ter ad eos venire propoſuerit, ut patet 2. Corinth. XIII. Ideo, quod Paulus non ordinavit, ſupererat, ut ſancta mater eccleſia diſponeret ac ordinaret.*

O quam ſuper incerta ſibi, imo omnino falſa gloſſa Doctor ædificat. Dictum enim eſt jam, quod expreſſe eſt hoc de mente apoſtoli, dicentis: *Quotiescunque manducaveritis panem hunc, & calicem biberitis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Ubi gloſſa ordinaria dicit, *id eſt, ad diem judicii.* Nec hoc intendebat mutare, dicendo: *Cetera autem, cum venero, diſponam*, quod jam ſuperius declaratum eſt. Nec poſtea ſancta mater eccleſia oppoſitum ordinavit Paulo, ſed magis, quod ſanctus Paulus accepit à Domino, & tradidit eccleſiæ, hoc eccleſia primitiva poſt Paulum tenuit & obſervavit, ut jam ſæpe patuit.

CAP. XVII.

De alio Liræ cantu.

ET eodem modo dicitur ad *Liram* ſuper illud *Johannis VI. Niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habetis vitam in vobis.* Ubi dicit: *Non eſt intelligendum, quod hoc ſacramentum ſub utraque ſpecie ſit fidelibus exhibendum, ſed tantum hoc modo à ſacerdote ſumendum. Licet enim populus in primitiva eccleſia ſub utraque ſpecie communicaret, tamen poſtea provide ordinatum eſt, ut non communicet ſub ſpecie vini, propter periculum effuſionis, & quia ſub ſpecie panis accipitur quodammodo ſanguis, in quantum ibi continetur. Quia ſub utraque totus Chriſtus, aliter tamen & aliter. Quia ſub ſpecie panis eſt vera caro Chriſti ex virtute ſacramenti, cetera vero ſunt ibi ex concomitantia. Eodem modo ſub ſpecie vini eſt.* Hæc Lyra.

Planum eſt, quod *in hoc Lira non eſt tenendus.* Quia, ſi ſub utraque ſpecie eſt Chriſtus aliter & aliter, tunc à quibuscunque ſumitur meritorie ſub utraque ſpecie, alio modo & alio meretur: Ergo & in laicis ſecundus modus meritorius ſumendi ſub ſecunda ſpecie non eſt omittendus.

Et patet ex ſupra dictis, quod *plus eſt credendum in hoc primitiva eccleſia, quam Lira.* Non enim ſequitur: Chriſtus eſt totus ſub utraque ſpecie, ergo non debet à plebe ſumi ſub ſpecie vini, propter cauſas ſuperius allegatas. Nam poſtquam ſumitur à plebe ſub prima ſpecie per modum panis ſive cibi, etiam juxta modum & formam à Chriſto traditam poſtea debet ſumi per modum potus ſub ſpecie altera.

CAP. XVIII.

De variis cauſis ſublati calicis, maxime priſtino religionis ardore extincto.

Sed volens adhuc *Doctor* ſe juſtificare coram hominibus in iſta ſententia, proſequitur deductiones ſuas, ſic inquiens: *Fortaſſis adhuc aliquis diceret: Si ſic erat in primitiva eccleſia, ut ſacramentum Domini ſub utraque ſpecie ſumeretur, quid movit hanc, ut ita fatear, noviſſimam eccleſiam ritum priſtinum immutare? Dici poteſt, quod heu creſcente malitia hominum decreſcit & diminuitur devotio, & pene totius boni religio pejoratur. Nam proh dolor, ſuperabundante malitia, refriguit charitas multorum. In eccleſia primitiva erat multitudinis credentium cor unum & anima una, Actor. IV. Nam charitas Dei diffuſa erat in cordibus hominum, ut etiam certatim pro fide Chriſti ad mortem currere feſtinarent. Eo tempore neceſſarium erat hoc ſalubre viaticum ad mortem quotidie properantibus. Tunc etiam temporis nedum ipſum corporis & ſanguinis Domini ſacramentum in maxima reverentia habebatur, ſed & ſacerdotium magnopere à Chriſti fidelibus colebatur. Unde B. Marcus evangeliſta dignitatem perpendens ſacerdotii, amputaſſe ſibi poſt fidem pollicem dicitur, ut ſic ſacerdotio reprobus haberetur. Sic dicit de eo B. Hieronymus in prologo. Sed heu peccatis noſtris exigentibus nedum ſacerdotium, ſed ipſum venerabile Domini ſacramentum in minori, proh pudor, quam ante reverentia jam habetur. Vulgare proverbium eſt: Quod rarum carum, vileſcit quotidianum. Ut ergo prædictum ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti charius habeatur, & devotius ac ardentius appetatur & ſumatur, & ut pericula, quæ circa ſumtionem poſſunt currere, ſtudioſius evitentur, placuit ſanctæ matri eccleſiæ tantummodo ſub una ſpecie videlicet panis ſacramentum fidelibus miniſtrare. Nã ſummopere cavenda ſunt pericula circa tam venerabile ſacramentum. Quod Petrus de Tharantaſio dicit: Omne, quod periculoſum eſt circa ſacramentum, cavendum eſt: Sed tradi populo ſanguinem Chriſti ſub ſpecie vini, eſt periculoſum, propter effuſionem, ergo non eſt faciendum.* Hæc Doctor.

Broda.

Cui concedo, creſcente malitia in populo Chriſtiano, quod decrevit & immutata eſt devotio, & totius boni religio pejorata, & ſuperabundavit iniquitas & refriguit charitas. Sed in eccleſia primitiva erat multitudinis cor unum & anima una, & charitas diffuſa erat in cordibus hominum, ut pro fide Chriſti ad mortem feſtinarent. Sed unde hoc, quod in primitiva eccleſia ſic erant plebes diſpoſitæ, niſi ex crebra ac meritoria ſumtione corporis & ſanguinis Domini ſub utraque ſpecie? Quia hujus ſacramenti primus & principalis eſt effectus, eccleſiam in Chriſto unire, & membra eccleſiæ, quæ Chriſti corpus, cuilibet ſecundum ordinem ordinare, id eſt conjungere, quorum typum præfigurant res illæ, in quibus eſt hoc ſacramentum commendatum, prout dicit *B. Auguſtinus in homil: Quemadmodum panem unum multa grana faciunt, & in unum vinum multi rami confluunt, ita hoc ſacramentum ſua virtute divina multitudinem populi facit unum, juxta illud pſalmi: Qui facit unius moris habitare in domo.*

Jacobell.

Sicut ergo in primitiva eccleſia, poſita illa cauſa, ponebatur ille effectus in plebibus

plebibus, ſic in novisſimis deficiente illa cauſa, ſcilicet crebra & digna ſumtione integri ſacramenti ſub utraque ſpecie, deficit & effectus, ſcilicet unitatis & charitatis in populo Chriſtiano.

Ponamus ergo & *introducamus* cauſam in populum, ſcilicet *ſumtionem ſacramenti ſub utraque ſpecie, & reſuſcitabitur fervens ſpiritus in cordibus fidelium.*

Ergo Doctor, dicendo, quod in primitiva eccleſia fervebant in devotione & charitate plebes, ſumendo creberrime vel quotidie diviniſſimum ſacramentum ſub utraque ſpecie: Et, quod jam in novisſimis ſuperabundavit iniquitas, quando non ſumitur hoc ſacramentum ſub utraque ſpecie: Videtur in hoc agere contra ſe, ſcilicet, quod ad reſtaurandum unionem ſpiritus & fervorem devotionis & charitatis in plebibus, oportet, quod miniſtretur eis ſub utraque ſpecie.

CAP. XIX.

De calice plebi olim dato & dando ob perſecutiones & martyria.

Ulterius, ut Doctor tangit, ſicut olim neceſſarium erat hoc *ſalubre viaticum ad mortem quotidiè properantibus*, ut plebes ſumerent hoc ſacramentum ſub utraque ſpecie: Sic ego ſimiliter dico, quod in his noviſſimis & periculoſis temporibus, in quibus Principes ſacerdotum, magiſtratus templi, & Phariſæi, in divitiis, deliciis, & gloria hujus ſeculi viventes, fidem Chriſti cum ejus evangelicis veritatibus condemnant, ſub coloratiſſima ſpecie pietatis, & omnes, qui piè volunt vivere in Chriſto, crudeliſſimè perſeqvuntur, neceſſe eſt Chriſti fidelibus quotidiè vel ſæpè contra has antichriſtinas tribulationes ſumere hanc diviniſſimam euchariſtiam ſub utraque ſpecie, ad perſeverandum usque in finem. Ad quod nos hortatur *B. Cyprianus, ſuarum epiſtolarum epiſtola* 14. ſic dicens: *Scire enim debetis & pro certo credere ac tenere, preſſuræ diem ſuper caput eſſe cœpiſſe & occaſum ſeculi, atque Antichriſti tempora appropinquaſſe, ut parati ad prælium conſtemus, nec quicquam niſi gloriam vitæ æternæ & coronam confeſſionis Dominicæ cogitemus. Nec putemus talia eſſe, quæ veniunt, qualia fuerunt iſta, quæ tranſierunt. Gravior nunc & ferocior pugna imminet, ad quam fide incorrupta & virtute robuſta parare ſe debeant milites Chriſti, conſiderantes ſe idcircò quotidiè ſangvinis calicem bibere, ut posſint & ipſi propter Chriſtum ſangvinem fundere. Hoc eſt enim velle cum Chriſto inveniri, ſc. id quod Chriſtus & docuit & fecit imitari.* Hæc ſanctus Cyprianus.

Ergò ſicut fuit neceſſarium olim plebibus Chriſti propter pericula & perſecutiones, ſic hodiè eisdem plebibus Chriſti quotidie vel ſæpè bibere ſangvinem Chriſti ſub ſpecie vini eſt neceſſarium.

CAP. XX.

De calice plebi ſubducto, u[illegible]arius haberetur ſacramentum.

Sed de hoc tertio, quod dicit *Doctor*, ſangvinem Chriſti ſub ſpecie vini plebibus *non porrigi, ut prædictum ſacramentum carius habeatur*: Quia dicit, Quod rarum [illegible], viloſcit quotidianum: Ad hoc [illegible] reſpondetur, quod ſancti p[illegible] differentiam inter eſum & potum corporales & ſpirituales. Quia primi quantò exceſſivius ſumuntur, tantò plus tranſeunt in nauſeam & faſtidium, alii verò in fructum & lætitiam.

Broda.

Jacobello.

Unde *Gregorius in homilia* ſuper iſto: *Homo quidam fecit cœnam magnam*, ſic ad propoſitum loquitur, dicens: *Hoc diſtare, fratres chariſſimi, inter delicias cordis & corporis ſolet, quod corporales delitiæ, cùm non habentur, grave in ſe deſiderium accendunt. Cùm verò habitæ eduntur, comedentem protinus in faſtidium per ſatietatem*

tem vertunt. At contra ſpirituales deliciæ cum non habentur, in faſtidio ſunt, cum vero habentur, in deſiderio, tantoque à comedente amplius eſuriuntur, quanto & ab eſuriente amplius comeduntur. In illis appetitus placet, experientia diſplicet. In iſtis autem appetitus vilis eſt, experientia magis placet. In illis appetitus ſaturitatem, ſaturitas faſtidium generat: In iſtis autem appetitus ſaturitatem, ſaturitas appetitum parit. Augent enim ſpirituales deliciæ deſiderium in mente, dum ſatiant. Quia quantò magis earum ſapor percipitur, eo amplius cognoſcitur, quod avidius ametur. Et idcircò non habitæ, amari non poſſunt, quia earum ſapor ignoratur. Quis enim amare valeat, quod ignorat? Providè nos pſalmiſta admonet, dicens: Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus. Acſi apertius dicat: ſuavitatem ejus non agnoſcitis, ſi hanc minimè guſtatis. Sed cibum vitæ Chriſti palato cordis tangite, ut probantes ejus dulcedinem amare valeatis. Hæc Gregorius.

Unde *Eccleſiaſt. XXIV.* dicit ſapientia: *Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient.*

Et de iſto plus habetur *In Poſitione, quam feci in univerſitate de hac materia.*

Vid. ſup. f. 416. Dicitur ergo, quod cùm plebes Chriſti quotidiè vel frequenter deguſtarent hoc ſacramentum ſecundum utramque ſpeciem, plus appretiarent hoc ſacramentum, & in majori multò haberent reverentia. Eò quod res eximias intus abſconditas guſtando magni penderent. Præſertim tales plebes Chriſti, quæ ſpiritu Jeſu aguntur, quæ non ſola exteriori aſſveſactione vel obligatione humana ad hoc commoventur. Qui enim ſola aſſveſactione vel obligatione humana ad hoc moventur, qui interius non deguſtant in ſpiritu & veritate, non mirum, quod vileſcit eis utraque ſpecies. Uti patet hoc in pravis, avaris & aliis criminibus irretitis ſacerdotibus. Quibus tamen tanquam indignis nulla ſpecies ſacramenti prohibetur. Sed in bonis plebibus ſive ſacerdotibus non vileſcunt ſacramentales ſpecies, eò, quod Spiritus Jeſu & charitas innovat in eis deſideria vitaliter in intimis, ad corpus & ſangvinem Chriſti percipiendum. In quo namq; eſt ignis charitatis, nequaquam ſinit ſacramentum Dei venire homini in nimiam familiaritatem vel contemtum aut levitatem, faſtidiumque ex quotidiana euchariſtiæ utriusque ſpeciei ſuſceptione, ſive ſit in ſacerdotibus ſive in laicis. Reprobi autem in fide Chriſtiani, ſive clerici ſive laici, quicquid religionis Chriſtianæ extrinſecus faciunt, ex ſola conſvetudine vel obligatione humana faciunt, & ex habitu introducto, ut gentilis vel Judæus. Ideò inſipidè & ſine gaudio intimo operantur, & citò eis ea, quæ ſunt divina, veniunt in quandam vetuſtatem, & per conſequens in levitatem & contemtum, tàm clericis quàm laicis.

Propter tales autem reprobos, boni, qui Spiritu Jeſu aguntur, de plebe non ſunt prohibendi à meritoria communicatione utriusque ſpeciei.

Ergò per Doctorem contra electos Dei plebejos non eſt allegandus contemtus & reverentia, ad impediendum eos communicare ſub utraque ſpecie. Et Doctor in ſuis probationibus fruſtrà laborat.

CAP. XXI.

De variis periculis, & obſtaculis, propter quæ calix negatus.

SEd quia cauſæ jam poſitæ ad prohibendum plebibus bibere ſangvinem Chriſti ſub forma vini non erant convenientes: Attentat & quærit *Doctor alias cauſas* convenientiores, conſequenter dicens: *Quæruntur autem cauſæ, propter quas eſt ita, ut præmittitur ordinatum.* (*Broda.*) *Primò, propter infirmos longè ab eccleſia diſtantes. Nam pro talibus oporteret nos ſangvinem Chriſti etiam in ſacrario reſervare: Et eum per campos montes & ſylvas currendo vel equitando ad agros deferre. Quod eſſet periculoſum, propter lapſum tam hominis quàm jumenti. Quod ſi dicis: Sufficeret infirmis tantum ſub ſpecie panis: Sufficiat etiam laicis ſanctis tantummodo*

modo ſub ſpecie panis. Etiam, ſi ſic ſervaretur, prout hoſtiæ reſervantur, de facili in acetum transmutaretur. Item pro magna plebe & præſertim in tempore peſtilentiæ oporteret magna vaſa præparari. Item in bello juſto, ubi eſſent multa millia hominum, qui omnes vellent communicare, & deberent, mortem præſtolantes: Ubi quæſo ſic magnus ſumeretur calix, & quis poſſet eum elevare? Item, poſſent credere communicantes, quod totus Chriſtus non eſſet ſub utraque ſpecie. Et daretur occaſio erroris. Quæ non eſt ſimplicibus danda, qui judicant tantummodò ſecundum ſenſum. Item, ut veritas reſpondeat umbræ, quia in lege ſangvis ſuper altare fundebatur, Deuter. XII. Carnibus beſtiarum tuarum ipſe viſceris, ſangvinem fundes in altari. Item, ad vitandum periculum effuſionis. Nam in multitudine frequenter fit preſſura, & veniunt homines tremuli, barbati, infirmi, circa quorum ſumtionem periculum effuſionis immineret, ergò tutius eſt abſtinere. Nam qui ſe voluntariè & ex propoſito ſubdit periculo peccati mortalis, iſte peccat mortaliter. Sed ſacerdos porrigens ſangvinem Domini laico groſſo vel mulieri cuicunque, ſubdit ſe ex propoſito periculi peccati mortalis, ſcilicet effuſioni vel deſtillationi divini ſangvinis. Ergo talis mortaliter peccat, ut videtur. Tutius eſt ergò, communem eccleſiam ſequi, cum illius auctoritas ſit nimis magna. Hæc Doctor.

Jacobell'. Aliquæ hæ cauſæ prius tactæ tanto jam inutilius quanto pluries repetuntur, ſcilicet de periculis & aliis difficultatibus, de quibus jam ſupra dictum eſt.

Sed quia nec propter iſtas cauſas jam adductas periculorum & difficultatum, nec propter conſequentias alias futuras imminentes, Dominus *Jeſus* ſumme ſapiens continuit ſe ab ordinatione hujus communicationis utriusque ſpeciei pro ſuis fidelibus, ſed ex ſua infinita charitate ad plebes ſuas conſtituit eis ſic usque ad finem ſeculi obſervandum: Nec ſanctus *Paulus* & eadem ratione, ut ceteri apoſtoli, in eodem ſpiritu, propter iſtas vel alias cauſas, difficultates & pericula, prohibuerunt plebes ſanguinem Chriſti ſub ſpecie vini: Nec poſt apoſtolos *antiqua eccleſia*, abundans ſpiritu ſapientiæ & veritatis, propter ſimiles cauſas auſa fuit hæc prohibere plebibus: Ergo adhuc nec ad noviſſima tempora hoc idem deberet eis prohiberi. Præſertim cum *Chriſtus* dictam communionem inſtituens, & *apoſtolus* cum aliis ſanctis prædicando, non erant immemores aut dubii omnium periculorum hic allegatorum.

Et quod objicitur de *infirmis*, reſponderi poteſt revera: Quod ſi ſacerdotes haberent illum triplicem gradum diligendi Chriſtum, qui debet præſupponi in eis, juxta illud *Johan. XXI.* ter repetitum: *Paſce oves meas*, profecto excutientes vecordem torporem vehementer moverentur ad paſcendum oves Chriſti paſcuis uberrimis reconditis aut repoſitis pro omnibus ſub una ſpecie. Nil enim eſſet difficile ſic amantibus. Si enim Paulo non fuit difficile peragrare terras, maria, & multas perſecutiones & pericula ſubire pro ſalute animarum: Omnino ſacerdotibus ſic Chriſtum Deum amantibus, non implicantibus ſe negotiis ſecularibus & aliis non neceſſariis ad ſalutem, ſed vacantibus his, quæ Dei ſunt, eſſet facile in miſſa conſecrare calicem & in ſacrario reponere, & poſt biduum vel triduum renovare, & iterum conſecrare ne aceſceret, & in mundo vaſe ad hoc dedicato infirmos viſitare, & utrumque ſimul ad eos cum reverentia deportare, & hoc vel pedites & equites in jumentis.

Multa enim contingunt pericula ſacerdotibus viſitantibus infirmos tantum cum prima ſpecie, non tamen propter hoc debent omittere viſitare cum prima ſpecie. Et eadem eſt ratio de ſecunda.

Cum vero ſacerdotes ſic laborantes cum plebe eſſent pleni charitate ad ſic viſitandum infirmos cum ſacramentis, & in tali fideli labore *præter intentionem & præter voluntatem*, & omnem quantum in eis eſt diligentiam adhibitam, accideret eis aliquid hujusmodi ſenſibile & corporale *periculum*, videtur mihi, quod in hoc criminaliter *non peccarent*. Cum ſecundum Auguſtinum, *Peccatum adeo eſt ſolum peccatum, in quantum eſt voluntarium.*

Et quod inconveniens eſſet, quod pro magna plebe tempore neceſſitatis diſponerentur *plura & majora vaſa*, ſive tempore peſtilentiæ ſive alio tempore neceſſitatis? Dummodo debita reverentia & cetera paria ſervarentur.

Et quare *in bello juſto*, ubi eſſent multa millia hominum, & vellent ac deberent communicare, mortem præſtolantes in expectanti, non poſſent *plures ſacerdotes* proportionabiliter ad multitudinem populi multas miſſas celebrare coram populis, & eis euchariſtiam diviniſſimam ſub utraque ſpecie miniſtrare cum calicibus æque magnis, ut prius, vel modico majoribus.

Et ſi ibi non adeſſent multi ſacerdotes, pro tanta multitudine neceſſarii, ſicut poteſt accidere, quod nullus ibi adeſſet ſacerdos, ſic quod plures tunc non poſſent habere ſacramentum, nec de prima ſpecie nec de ſecunda, tunc in tali articulo neceſſitatis, ſummus Pontifex Chriſtus poteſt ſupplere vicem aliorum, & dare ſuum cibum & potum realiter & ſpiritualiter tantum, ſine ſacramento. Sane ex hoc non ſequitur aliquid hæreticum, ſive erroneum vel falſum.

Et ſi poſſent aliqui communicantes credere, quod totus Chriſtus non eſt ſub utraque ſpecie: Sic & ſacerdotes aliqui poſſent credere hoc idem. Non tamen ex hoc electis Dei, juſtis de plebibus & bene credentibus, eſt prohibendum ſumere ſecundam ſpeciem ſacramenti propter illos, qui ſic poſſunt errare. Sicut nec toti ſtatui cleri prohibendum eſt ſumere ſub utraque ſpecie propter hoc, quod aliqui ſacerdotes poſſunt errare circa hoc venerabile ſacramentum. Nec propterea boni darent ſcandalum vel occaſionem erroris errantibus, cum facerent, quod deberent.

Nec figura *Deuter. XII.* prætendit falſam ſententiam Doctoris. Scilicet quod populus plebejus Chriſti veſcatur ſua ſalutari hoſtia ſub ſpecie prima, & quod ſanguis Chriſti per ora fidelium plebejorùm ſub ſecunda ſpecie ſuper altare cordis fundatur.

Nec *propter preſſuram multitudinis* in eccleſia, vel ejus periculum, dictus modus ſumendi eſt omittendus. Poſſunt enim diſponi fideles in multitudine, quod *ordinatè & ſucceſſive* unus poſt alterum accederet, ſic quod nullum periculum eveniret. Quod ſi unquam accideret periculum tale aliquod, per hoc ille modus non debet univerſaliter in plebibus impediri.

Et *barbati* poſſunt ſuas barbas ita temperare, & in eis ita ſuperflua & nociva deponere, quod barba non impediret. Ut patet de ſacerdotibus veris orientalibus & multis Romanis etiam barbatis.

Sic & *pro tremulis & pro barbatis* poſſunt diſponi *cannæ*, per quas plebeji ſumerent reverenter unusquiſque parvam guttulam.

Nec ſequitur ex prædictis ſuis ſic debilibus perſuaſionibus, quod tutius ſit abſtinere à bibitione ſanguinis Chriſti ſub ſpecie vini. Nam propter nullum tale corporale periculum ſuſpicatum, eſt plebi, vel clero Chriſti, abſtinendum ab animarum ſuarum ſaluberrima medicina. Imo ſic abſtinendo, contra Chriſti ordinationem, incurrit eò majus periculum, ſicut infirmus incurrit periculum mortis, abſtinens à ſua optima & ſecuriſſima medicina.

Doctor tamen ſic arguit amplius: **Broda.** *Qui ſe voluntarie & ex propoſito ſubdit periculo peccati mortalis, iſte peccat mortaliter. Sed ſacerdos porrigens ſanguinem Domini laico groſſo vel mulieri cuicunq; ſubdit ſe ex propoſito periculo peccati mortalis, ſcilicet effuſioni vel deſtillatione divini ſanguinis: Ergo talis mortaliter peccat.*

Jacobellus. *Minor* iſtius conſequentiæ eſt neganda. Nam ſacerdos ex officio ſuo bonâ intentione & urgente charitate, porrigendo ſanguinem Chriſti ſub ſpecie vini laico capaci vel mulieri, facit quod debet, ſecundum obſervantiam legis Chriſti, & non intendit, nec vult, quantum eſt in eo, quod aliquod tale ſenſibile periculum ibi eveniat. Ergo ſi aliquod tale periculum eveniret præter ſuam intentionem & ſuam voluntatem, illud periculum, quod evenit ſibi, jam potius involuntarium, quam voluntarium. Et per conſequens nec per hoc erit ſibi mortale peccatum.

Non

Digitized by Google

Non ergo talis ſacerdos exponit ſe ex propoſito & voluntate mortalis peccati periculo. Cùm principaliter & voluntariè intendit explere in hoc divinam voluntatem, nunquã intendendo, vel volendo, illud periculum evenire.

Et ita apparet manifeſtè, quod *minor* argumenti Doctoris jam propoſiti eſt falſa. Ergò nemo ſacerdotum fidelium per hanc fallacem deductionem ſeducatur.

CAP. XXII.

Ex quo ſpiritu aut qua revelatione autor Jacobus hanc doctrinam de communione ſub utraque hauſerit.

Broda. Proſequitur *Doctor* in *ultimo capite* ſui ſcripti, ſic dicens: *Epilogando ergo præmiſſa, dici poteſt: Si dicit adverſarius, de hoc ſibi revelationem factam, probet illam, ſicuti Moſes probat Exod. III.*

Jacobellus. Hic Doctori dicitur, quod generaliter vocando *revelationem*, modũ cognoſcendi venientem ex ſcrutinio legis Domini, & ex ſolidis expoſitionibus & auctoritatibus antiquorum ſanctorum, ut Auguſtini, Cypriani, Bernhardi, Chryſoſtomi, & aliorum, eos in eodem ſenſu ſequentium, concedere poſſum, quod habeo revelationem. i. Quia habeo cognitionem ex lege & ſcriptis authenticis. Hæc *cognitio, noviter* per illum modum *acquiſita*, generaliter vocari poteſt revelatio. Quia per eam quodammodo velamen ignorantiæ intus deponitur, juxta illud pſalmi: *Revela oculos meos, conſiderabo mirabilia de lege tua.*

Et hanc cognitionem veram ſive revelationem probavi rationibus & ſcripturis, ut ſuperius patuit in iſto ſcripto, & alibi, & adhuc infrà patebit aliqualiter, quas Doctor in ſuo ſcripto ſuis perſvaſionibus nullo modo potuit improbare.

Nec oportet me ex hoc hanc cognitionem ſive revelationem, ut Moſes, *per ſigna probare.* Quia iſta generatio quærentium Dominum & faciem Dei, non quærit ſignã, ſed generatio prava & adultera quærit ſigna.

Broda. Sed ſubjungit *Doctor: Probate, inquit apoſtolus, ſpiritus, ſi ex Deo ſunt. Angelus enim ſathanæ transfigurat ſe in angelum lucis.*

Jacobellus. Sed huic dicto reſpondeo, quod hi ſunt utique duo ſpiritus contrarii, unus jam inducens plebes Chriſti ad bibendum meritoriè ſangvinem Chriſti ſub forma vini, qui olim movebat & inducebat plebes in primitiva eccleſia ad bibendum ſangvinem Chriſti ſub forma vini. Et Dominus augebat, qui ſalvi fierent, quotidiè in id ipſum. Quem *ſpiritum* accepit Paulus à Domino. Et ſecundum hunc tradidit eccleſiis hanc ordinationem evangelicam de communicatione plebis ſub utraque ſpecie, tenendam usq; ad finem ſeculi. Qui ſpiritus per Paulum docet hanc eſſe Domini traditionem.

Spiritus autem contrarius, eccleſiæ traditionem immutans, Chriſti fidelibus aufert ſaluberrimam medicinam animarum, & diſponit per hoc Chriſti ordinationem, & ſic quodammodo ſalutem Chriſti membrorum. Et per conſequens ſolvit quodammodo Jeſum. Igitur talis ſpiritus non erit ex Deo, ſed potius videtur, quod ſit ſpiritus Antichriſti, juxta illud 1. *Joh. IV. Omnis ſpiritus, qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt. Et hic eſt antichriſtus, de quo audiviſtis, quoniam venit, & nunc jam eſt in mundo.*

Attendant ergò omnes Chriſti fideles, & probent iſtos duos contrarios ſpiritus, quis horum eſt conformior ad legem Dei & ſua præcepta, & ad obſervantiam primitivæ eccleſiæ, & ad dicta antiquorum approbatorum ſanctorum. Et quis horum ad contrarium inducit & perſuadet. Et videbunt planè, quod ſpiritus, prohibens, ſub ſpecie pietatis & apparentis perſvaſionis, Chriſti plebibus bibere & deguſtare ſangvinem Chriſti ſub forma vini, eſt angelus ſatanæ transfigurans ſe in angelum lucis, quem fideles Chriſti debent fugere, ut toxicum venenoſum.

CAP.

CAP. XXIII.

Repetita diſputatio de ſenſu locorum Job. VI. Niſi manducaveritis &c. Et, Bibite ex hoc omnes. Et 1. Cor. II. Probet ſe homo &c.

Broda. POſteà dicit *Doctor*, quod hoc ipſum voluit Chriſtus, dicens: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis &c. Hæc verba docuit Chriſtus intelligi & exponi, dicens: Verba, quæ locutus ſum vobis ſpiritus & vita ſunt, ut dicit Auguſtinus ſuper Johannem, homil.24. id eſt ſpiritualiter intelligenda. Et ea B. Paulus apoſtolus 1. Cor. X. exponit, dicens: Nolo nos ignorare, fratres, quoniam patres veſtri omnes eandem eſcam manducaverunt, & omnes eundem potum biberunt ſpiritualem, bibebant autem de ſpirituali &c.* Hæc Doctor.

Jacobell9. Sed ſuprà dixi ad hoc, concedendo, quod verba, quæ locutus eſt Chriſtus, ſpiritus & vita ſunt. Et quod ſpiritualiter debet intelligi illud: *Niſi manducaveritis carnem* &c. & quod ſpiritualiter plebes Chriſti debent manducare corpus Chriſti ſub forma panis & ſpiritualiter bibere ſangvinem Chriſti ſub ſpecie vini. Non enim hæc plebs Chriſti debet carnaliter ſicut alias carnes de macello inſtar beſtiæ intelligere comedere, ſicut Judæi aut gentiles intellexerunt, ſed ſpirituali modo & ſacramentali. Et ita *B. Auguſtinus* intelligit, ut ſuprà declaravi.

Conf. Jacobelli op9 vera exiſtentia corporis Chriſti in Sacramento. Patet etiam ex ſuprà dictis, quod multiplex eſt manducatio ſpiritualis, & quomodo differentia eſt inter illam ſpiritualem manducationem & bibitionem in veteri lege, & iſtam ſpiritualem, quâ plebs Chriſti debet edere ſpiritualiter corpus Chriſti ſecundum rem & ſubſtantiam ſub forma panis, & bibere ſangvinem Chriſti realiter & ſecundum ſubſtantiam ſub forma vini. Ergò *replicatio* ſua nihil facit ad propoſitum.

Broda. Sed *Doctor* conſequenter trahens pro ſe gloſſam dicit: *Quoad illud, quod eſt, Bibite ex hoc omnes, & Marcus: Biberunt ex hoc omnes, dicit*, omnes, *ne Judam excludere videretur.*

Jacobell. Sed ego ibi reſpondendo Doctori, dico: Verum eſt, quod dicit *Omnes*, ne excluderet Judam: Sed non ſolùm dicit propter hoc, ne excluderet Judam, ſed etiam ne Petrum & alios & futuram ſuam plebem electam excluderet à ſecunda ſpecie vini. Nam ſi dicendo omnes non includeret plebem ſuam electam futuram, tunc nec iſta verba Domini: *accipite & comedite hoc eſt corpus meum*, pertinerent ad plebem futuram, & plebs Dei nec corpus Chriſti deberet manducare ſub forma panis. Quod non eſt verum. Si autem hoc dicendo: *Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum*, inſtituit futuræ plebi manducare corpus ſub forma panis: Non addendo, *omnes*, quantò magis addendo, *omnes*, & dicendo: *B.bite ex hoc omnes*, inſtituit taliter non ſolùm ſacerdotibus, ſed & ſuis plebibus bibere ſangvinem ejus ſub forma vini de calice.

Broda. Sed ulterius *Doctor* iterum phantaſiā ſui erroris non erubeſcit repetere, dicens ad verba *B. Pauli* 1. Cor. XI. *Probet ſe ipſum homo &c. Reſpondeo*, inquit, *quod Paulus poſt iſta verba dixit: Cetera, cùm venero, diſponam. Et quia non venit poſtea ad Corinthios, prout habetur 2. Cor. XIII. & ſic non ad plenum ordinavit, per conſequens ſpiritus ſanctus ordinandum eccleſiæ commiſit.* Hæc Doctor.

Jacobell. Sed ego, licet ad hæc ſuperius reſpondi, tamen dico adhuc, quod B. Paulus ſicut accepit, ſic tradidit fideliter & completè eccleſiis completum ſacramentum ſecundum utramque ſpeciem, ad manducandum ipſum ſecundum unam formam, & bibendum ſecundam alteram. Ergò quoad totale ſuum eſſentiale ſive ſubſtantiale ſecundum utramque formam tradidit completè & fideliter communitatibus eccleſiarum, & *finem* immediatum per ſe eis tradidit, gratia cujus eſt hoc ſacramentum inſtitutum, puta manducare & bibere hoc ſacramentum ſecundum utramque ſpeciem ſacramenti. *Modum* autem præparandi ſe ad ipſum ſecundum utramque ſpeciem, completè apoſtolus poſuit, dicens:

Digitized by Google

cens: Probet ſe ipſum homo, & de pane illo edat, & de calice bibat.

Complete etiam expreſſit ſic populis cum ſacerdotibus tenendum usque ad diem judicii, complete & intelligibiliter & expreſſe dicens: *Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem Domini bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Iſta enim quia apoſtolus certitudinaliter accepit à Domino, & tradidit ſic tenendum, non debuit immutare nec corrigere.

Et ſi veniſſet ad Corinthios, tunc de iſto totali ſacramento quoad utrumque eſſe eſſentiale ſacramenti utique non depoſuiſſet eis. Quia ſic poſt depoſitionem unius formæ remanſiſſet plebibus imperfectum & incompletum ſacramentum, tantū ſcilicet quoad manducationem ſacramentalem, & non quoad bibitionem ſacramentalem. Cum ergo apoſtolus fuit tunc temporis, quando Corinthiis à Domino accipiens tradidit hunc ritum, plenus ſpiritu Dei, tam completum & arduiſſimum ſacramentum ad eam arduam & neceſſariam manducationem & bibitionem ſacramentalem non intendebat immutare in verbis poſterioribus dicens: *Cetera, cum venero, diſpenam.* In ſignum illius antiqua primitiva eccleſia ſic accepit, tenuit & obſervavit, quod plebes biberunt ſanguinem ſub ſecunda ſpecie.

Alias oporteret, quod primitiva ſancta eccleſia, plena ſpiritu ſancto, in hoc graviter erraſſet, quod plebes ſumebant hoc venerabile ſacramentum ſub utraque ſpecie: Cum hoc apoſtolus in ſuis verbis non intendiſſet, ſed ſi veniſſet, hoc eis immutaſſet.

Non ergo credat *Doctor* ſuæ fictæ gloſſæ, ſed recurrat ad gloſſam ordinariam *B. Ambroſii*, dicentis: *Quaſi*, inquit, *diceret: Tenete, quod dixi. Cetera autem de eodem, id eſt, quæ ad ejusdem ſacramenti ordinem pertinent, cum venero, diſponam, ſed his carere non poteſtis. Ecce caput ſalutis ordine agendum oſtendit, ubi ſi erratur, non leve eſt peccatum. Cetera vero, quæ ad ædificationem eccleſiæ pertinent, in adventu ſuo ordinare promittit.* Ecce dicit primo, *tenete*, quod dixi, ſcilicet communicationem utriusque ſpeciei, & non immutate. Secundo dicit, *ſed his carere non poteſtis.* Ecce quod plebes Chriſti non poſſunt carere his à Paulo fideliter traditis, ſcilicet quoad ſumtionem utriusque, tanquam neceſſariis ad ſalutem, ſed eſt quodammodo quaſi caput principale ſalutis ſecundo ordine traditum. Si ergo his carere non poſſent, tunc ſi veniſſet apoſtolus, non hoc immutaſſet. Et conſtat ex his manifeſte, quod Doctor iſtam ſuam gloſſam habet à ſpiritu erroris, & non à ſpiritu veritatis. O ſi Doctor de hac gloſſa tacuiſſet, prudentior Theologus vel ſaltem Philoſophus apparuiſſet.

CAP. XXIV.

Repetita Diſputatio de jure Eccleſiæ, mutandi varias cœnæ S. circumſtantias, exemplo Moſis, circumciſionem populi in deſerto plane omittentis.

Breda. PRoinde iterum Doctor male infert, dicens: *Alias ſi ſic ſumere deberemus, ſicut tunc ſumebant Corinthii, poſt prandium vel poſt cœnam ſumere deberemus.* Hæc Doctor.

Jacobellus. Sed hic dicitur, quod finis mediate per ſe, gratia cujus eſt manducatio & bibitio digna hujus ſacramenti, ſecundum utramque ſpeciem nobis indicitur, tanquam completum ſacramentum quoad eſſe ſuum eſſentiale & ſubſtantiale comedendum & bibendum fructuoſe, Hoc nobis præcipitur. Sed illæ *remotæ circumſtantiæ*, ſcilicet *poſt cœnam*. Quamvis poſt cœnam dedit Dominus utramque ſpeciem, non tamen ſic mandavit poſt cœnam dari. Quia hæc circumſtantia vel alia ſimilis non eſt eſſentialis ſacramento, ſed remota nimis & per accidens. Malas ergo conſequentias & deductiones facit Doctor, in quibus proficere non poteſt, & de hoc prius iterum dictum eſt.

Iterum poſt Doctor dat ſe ad aliud ſophiſma

Digitized by Google

ſophiſma ad ſimplices ſeducendum, ſic dicens: *Sicut enim potuit eccleſia Chriſti ſumtionem quoad aliquid, ut ſic dicam, immutare, ita & potuit Pauli apoſtoli traditionem primariam immutare. Chriſtus dedit non jejunis, eccleſia dat jejunis, excepta neceſſitatis cauſa.* Hæc Doctor. *Broda.*

Jacobell'. Sed ibi dicitur, quod eccleſia quoad illas circumſtantias, factas à Domino per accidens, extrinſecas, quæ non ſunt ſimpliciter de eſſe ſacramenti, *horam* ſcilicet, & *locum*, & alia hujusmodi, potuit immutare quodammodo, vel aliter ſe habere, quam Dominus Jeſus fecit, quoad circumſtantias individuantes per accidens extrinſece, ut dixi. Scilicet quoad eſſentiale ſive ſubſtantiale ſacramenti, & quoad per ſe *finem* illius ſacramenti, ſcilicet manducandi & bibendi hoc ſacramentũ ſub utraq; ſpecie, quià voluit Dominus plebem ſuam obſervare usque ad finem ſeculi ſibi ad ſalutem, poſtea nunquam eccleſia hoc potuit deponere, vel quomodolibet immutare.

Non ergo ſequitur, ut ſophiſticat Doctor: *Eccleſia illas circumſtantias extrinſecas per accidens*, ſcilicet; *ubi, & quando &c. quas Chriſtus in inſtitutione hujus ſacramenti obſervavit, potuit & debuit immutare, vel aliter obſervare: Ergò quoad ſubſtantiale ſacramenti, & quoad per ſe finem immediatum illius ſacramenti manducationem dignam ſub prima ſpecie & bibitionem dignam ſub ſecunda, quam Dominus inſtituit, eccleſia ſic potuit immutare.*

Cognoſcant ergo fideles, quomodo Doctor mutat *quid* ſacramenti in *quale* per accidens, & ſic committit fallacem modum ſeducendi ſimplices per fallaciam figuræ dictionis, mutando quale in quid. Et cum in hoc Pauli traditio eſt Chriſti inſtitutio, patet, quod quoad hoc eſſentiale ſacramenti & ejus per ſe finem immediatum, nec Pauli traditio potuit immutari. Ideo hanc cognoſcentes fallaciam Doctoris laqueum fugiant. Sciant igitur hoc Doctoris argumentum fideles non valere: *Chriſtus dedit non jejunis, eccleſia autem dat jejunis,* excepta neceſſitatis cauſa: *Sic ergo, à ſimili, ſi Paulus dedit*, fortaſſe, ut ipſe dubitat, *ſub utraque ſpecie, eccleſia hoc potuit immutare.* Patet defectus ex jam dictis.

Sed quod dicit Doctor: *Sancta mater eccleſia hoc ex cauſis eam rationabiliter moventibus quoad laicos permutavit.* *Broda.* Oſtendat Doctor, ubi eccleſia vel ſanctorum congregatio approbatorum *Jacobell'.* ſolenniter depoſuit plebibus communicationem calicis ſub ſecunda ſpecie, ubi decreta fundata in lege Domini ad hoc militant. Sed credo, quod hoc Doctor non oſtendet. Unde ergò ſcit, quod eccleſia, id eſt congregatio ſanctorum, qui ſpiritu Dei aguntur, ſacram communionem utriusque ſpeciei in plebibus commutavit?

Cùm ergò hoc efficaciter non oſtenditur, niſi quod inveterata conſvetudo, obvians legi Dei & primitivæ eccleſiæ, autentius allegatur pro iſto errore, & appretiatur & creditur, quam evangelium & ejus obſervantia in eccleſia primitiva: Eadem ratione poſſet argui, quod *ſimonia*, altitudine Sathanæ, tàm latè per orbem eccleſiæ introducta, per eccleſiam ſanctam in facto eſſet approbata, & quod jam eccleſia ſancta moderna illam charitatem non fictam bene & rationabiliter in cupiditatem & ſuperabundantiam iniquitatis ſub ſpecie pietatis commutavit.

Subdit Doctor: *Si enim Moſes potuit præceptum circumciſionis intermittere, ſic eccleſia moderna poteſt intermittere communicationem plebi ſub altera ſpecie.* *Broda.*

Reſpondeo tibi & dico, ut dicitur *Jacobell'.* *Joſua V.* quod populus, *qui natus eſt in deſerto per quadraginta annos itineris altiſſimæ ſolitudinis incircumciſus fuit, donec conſumerentur, qui non audierunt vocem Domini, & quibus ante Dominus juraverat, ut oſtenderet illis terram lacte & melle manantem. Quorum filii in locum ſucceſſerunt patrum, & circumciſi ſunt ab Joſua, quia ſicut nati fuerant, in præputio erant, nec eos in via aliquis circumciderat.* Ex quo textu videtur, quòd patres antiqui in deſerto, qui non audierant vocem Domini, culpabiliter neglexerunt ſecundum præceptum Domini filios ſuos circumcidere. Nec ibi nec alibi dicitur, quod Moſes prohibuiſſet eos autoritativè circumcidi, ſed propter nimiam contradictionem, quam paſſus eſt Moſes à populo Iſraël, quia erant duræ cervicis, vide-

Digitized by Google

videtur, quod non potuit eos inducere ad circumciſionem legalem, quam patres filiis debebant fideliter procurare. Sed quia hoc culpabiliter omiſerunt, quia ſicut in aliis, ſic & in iſto vocem Domini non audierunt, propterea perierunt.

Sed ex hoc non ſequitur: *Si in deſerto à populo Iſraël ad tempus omiſſa eſt circumciſio, ergò eſt rationabiliter omiſſa.* Sicut non ſequitur: *Populus Iſraël dura cervicis non audiens vocem Domini omiſit culpabiliter circumciſionem in deſerto, ergò ſic eccleſia moderna debet culpabiliter omittere miniſtrare ſanguinem Chriſti plebibus ſub ſpecie vini.*

Licet fortè benè ſequeretur: Judæi culpabiliter in deſerto dimiſerunt circumciſionem filiorum: Ergò, à ſimili, in eccleſia moderna clerus cupidus ſeculi culpabiliter omiſit miniſtrare ſanguinem Chriſti ſub ſpecie vini plebibus Dei.

Et patet, quomodo *Doctor* deficit nimis in ſuis probationibus, exempla impertinentia adducendo. Cùm ergò traditio Pauli in iſta materia ſit Chriſti inſtitutio, patet, quod ſicut nec Chriſti, ſic nec apoſtoli, nec primitivæ eccleſiæ lex & ejus obſervantia evangelica, circa hoc punctum per modernam eccleſiam potuit immutari.

Concludens ergò *Doctor*, & ad ſua ante dicta legentes remittens, dicit, *Broda.* *Per quod ad omnes autoritates per adverſarium introductas poterit facillimè reſponderi.*

Sed ego ſecurè audeo dicere, quod *Jacobell'.* ad nullam ſanctorum ſuperius allegatorum auctoritatem ſatisfecit, cùm eas gloſſulis infundabilibus, noviter confictis, ſuperficialiter & evaſivè cum ſophiſtica apparentia ſalutavit, ut videri ſuprà poterit ex declaratis.

CAP. XXV.

De minis Brodæ contra Jacobum de Miſa, tanquam contemtorem conſuetudinum Eccleſiaſticarum.

Broda. SEd ulterius more ſuo male arguens & inferens dicit: *Qui ergò faciunt oppoſitum, poſſunt & debent ad non faciendum coërceri. Unde B. Auguſtinus ad Caſulanum presbyterum dicit:* Sicut prævaricatores legum divinarum ita contemtores conſvetudinum eccleſiaſticarum coërcendi ſunt. *Et habetur in Canone, diſt. XI. c. In his rebus. Item B. Hieronymus & habetur in canone, diſt. 12. Ubi ſic dicitur: Illud breviter te admonendum puto, traditiones eccleſiaſticas, præſertim, quæ fidei non officiunt, id eſt, non nocent, ita obſervandas, ut à majoribus obſervatæ ſint, nec aliorum conſvetudines contrario more ſubverti.* Hæc Doctor.

Jacobellus. Sed conſtat ex ſuperius declaratis, quod miniſtrantes & ſuſcipientes ſanguinem Chriſti ſub ſpecie vini, in hoc obſervando legem Chriſti inſtar primitivæ eccleſiæ, non deberent coërceri ad non faciendum.

Per hæc autem verba ſub apparenti perſvaſione ſophiſtica quaſi ſub ſpecie charitatis & pietatis, & non ex odio, nititur *contra me* concitare poteſtatem habentes, & *contra me procedere coactive,* usque ad terminum.

Sed committendo hoc judici ſummo, qui nec fallere nec falli poteſt, dico ulterius, quod Doctor recipit partem verborum Auguſtini. Sed quod ante ponit, per quod ſibi reſpondetur ad ſuum impertinens argumentum, omiſit. Sic ergò dicit integrè *Auguſtinus ad Caſellanum,* & habetur XII. *diſt. Conſvetudinem laudamus, quæ tamen contra fidem Catholicam nil uſurpare dignoſcitur.* Hæc Auguſtinus. Cùm ergò miniſtrare tantùm ſub prima & non ſub ſecunda ſpecie ſacramentum plebibus ſit contra evangelium & apoſtolicam traditionem, & per conſequens contra fidem, ſecundum Auguſtinum non eſt hujusmodi conſvetudo laudanda. Et tunc ibidem dicit plus Auguſtinus ad eundem in his verbis: *De quibus nihil conſtituit divina ſcriptura, mos populi Dei & inſtituta Majorum pro lege tenenda ſunt.* Et tunc ſeqvuntur verba per Doctorem allegata;

Digitized by Google

allegata; hæc ſcilicet: *Et ſicut prævaricatores legum divinarum, ita contemtores conſuetudinum eccleſiarum coërcendi ſunt.* Hæc Auguſtinus. Ecce, quomodo Doctor truncat verba prædicta, ne completus ſenſus verborum Auguſtini à fidelibus caperetur, ſed ut pars verborum ejus proderet alium ſenſum impertinentem & pravum, quo poſſet ſe in ſuo propoſito juvare.

Videant ergo fideles, quomodo dicit *primo:* quod *in his rebus, de quibus nihil conſtituit ſcriptura divina, mos populi Dei & inſtituta majorum pro lege tenenda ſunt*, & tunc prævaricatores *talium* vel contemtores ſunt *coercendi.* Modo de communicatione diviniſſimæ euchariſtiæ ſub utraque ſpecie plebibus ſcriptura divina conſtituit communicandum plebibus ſub utraque ſpecie, ut ſupra diſſerui. Ergo non poteſt ſequi hoc ex verbis Auguſtini, quod contra conſuetudinem pravam miniſtrantes & bibentes ſanguinem Chriſti ſub ſpecie vini ſunt coercendi. Ergo verba Auguſtini non ſunt contra.

Sed ſi ſecundum Auguſtinum contemtores legum vel conſuetudinum laudabilium, quæ non ſunt contra ſacram ſcripturam, debent coerceri, quantò magis prævaricatores legis divinæ & inſtitutionis Chriſti ſub ſpecie pietatis, debent coerceri.

Similiter eſt advertendum decretum *B. Hieronymi, diſt. 12. Illud te breviter admonendum puto* &c. ut ſupra.

Sed quia conſuetudo, ſive *traditio*, quæ prohibet ſanguinem Chriſti bibere meritorie plebi ſub ſpecie vini, eſt *nociva fidei, charitati* & *devotioni* ac *ſaluti:* De quanto enim plebibus meritoria bibitio ſanguinis ſub ſpecie vini olim profuit, & adhuc prodeſt, de tanto omiſſio ejus in communitate eſt nociva: Non ergo iſtæ auctoritates beatorum Auguſtini & Hieronymi juvant Doctorem ad ſuum propoſitum, ſed magis militant in oppoſitum ſatis planè.

CAP. XXVI.

Excuſatio Autoris, quod autoritatem Scholaſticorum recentiorum repudiet, & Scripturæ S. & antiquis Patribus inhæreat.

ERgo quoniam ſecundum beatum *Dionyſium de divinis nominibus*, valde ſumus longe, ratione aptitudinis, ab intelligentia noſtrorum Magiſtrorum, id eſt, Apoſtolorum, ad veritatem Theologiæ cognoſcendam: Et ideò propter illorum abundantem ſapientiam ad tantam devenimus reverentiam, ut nihil audeamus ſentire mente, vel verbo dicere, de intelligentia divinorum, niſi quæ veridicè accepimus à noſtris honorabilibus Theologis primitivæ eccleſiæ: Ideo nullam *ſcripturam irrevocabiliter veram credere* vel fateri tenemur de neceſſitate ſalutis æternæ, niſi eas, quæ canonicæ appellantur, vel eis, quæ ad eas de neceſſitate ſequuntur, vel hujus ſacræ legis veris interpretationibus, à ſanctis antiquis patribus traditis, à ſpiritu Jeſu abundantius ſurſum actis. Propter quod *auctoritatibus* ſacri canonis ſive *Scripturæ*, quæ myſtica expoſitione non indigent, & etiam ſanctorum probatiori adhæreamus ſententiæ. Quas vero ipſorum propria auctoritate præter ſcripturam probabiliter protulerunt ſententias, ſcripturæ ſive rationi conſonas, recipiamus, & diſſonas cum reverentia abjiciamus, *auctoritate ſcripturæ ſemper innitendo.* Hæc Dionyſius.

Sancti enim magni circa ſcripturam ſententiis ad invicem diſſidebant, ut *Hieronymus & Auguſtinus.* Et habetur in *gloſſa* ſuper illud *Gal. II. Cum autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat.*

Et rurſus A*mbroſius* cum Hieronymo, de virginitate Joſeph.

Et interdum idem ſibi ipſi ſanctorum aliquis diſſona profert.

Ergo nemo graviter ferat, ſi in iſta materia de communione calicis plebibus miniſtrandi *abjicio modernos ſcholaſticos, S. Thomam, Bonaventuram* vel *Lyram*. Præſertim in illis, & in tantum, in

Digitized by Google

in quibus & in quantum legi Dei, quæ eſt veritas, contradicunt. Et potius adhæreo ſanctis primitivæ eccleſiæ, in quibus abundantiora & majora ſpiritualia chariſmata viguerunt.

CAP. XXVII.

Brevis delineatio ſententiæ Doctoris Brodæ de communione plebis ſub una ſpecie, cum brevi refutatione.

EPilogando ergo ſupra dicta, dico quod intentio principalis *Doctoris* eſt in ſuo ſcripto probare *primo*, quod plebes Chriſtij non deberent bibere ſanguinem Chriſti ſub ſpecie vini. Et ſummatim ſua probatio ſtat negativa. Quia ſcilicet laici alii cum Apoſtolis nòn fuerunt in cœna Domini. Et in actibus apoſtolorum, dum mentio fit de communicatione fractionis panis, non fit ibi mentio de bibitione ſanguinis Chriſti ſub forma vini. Et iterum, dum arguit: Nuſquam legimus apoſtolos miniſtraſſe plebibus ſub utraque ſpecie. Ex quibus negativis, & aliis ſimilibus, infert indebite, quod ergo non debet miniſtrari plebibus ſanguis Chriſti ſub ſpecie vini.

Secundo, quod omnes gloſſæ, quas dat Doctor in exponendo legem Chriſti, & auctoritates ferè omnium ſanctorum, affirmantium expreſſè, debere plebes ſumere ſacramentum hoc venerabile ſub utraque ſpecie, ad hoc vadunt, ut ſecundum eum intelligantur de ſolis ſacerdotibus.

Tertio, quod communicatio calicis ſub altera ſpecie plebibus debuit & potuit omitti propter periculum effuſionis.

Primum deſtruit parvulorum in Logica rudimentum. Quoniam ab inferiori negato ad ſuum ſuperius negatum non valet argumentum. *Secundum & tertium* deſtruit ſanctorum *primitiva eccleſia*, plena ſpiritu ſancto, quæ plebibus euchariſtiam ſub utraque ſpecie ad magnum profectum miniſtrabat. Per quod innuit illa primitiva eccleſia, quod non ſolum verbis ſed & factis expoſuit, quod auctoritates evangelicæ & aliorum ſanctorum de communione calicis ſub ſpecie vini non de ſolis ſacerdotibus, ſed & de plebibus debent intelligi.

Hoc etiam *in facto* per ſuam obſervantiam oſtendunt, quod propter nullum tale extrinſecum & ſenſibile & corporale periculum bibitio ſanguinis Chriſti ſub ſpecie vini à plebibus eſt omittenda.

CAP. XXVIII.

Summaria commendatio communicationis laicalis ſub utraque ſpecie.

ITem omne illud eſt certiſſimum & ſecurum tenere Chriſtiano, quod Chriſtus ipſemet inſtituit, & per ſe & per ſuam primitivam eccleſiam fecit & faciendum aliis poſteris oſtendit & præcepit. Sed iſtum modum, puta manducare corpus Chriſti ſub prima & ſanguinem ſub ſecunda forma, per ſe ipſum cuilibet Chriſtiano Chriſtus ipſemet inſtituit, fecit, & ipſius primitiva & Apoſtolica Eccleſia aliis faciendum oſtendit & præcepit: Igitur certius & ſecurius eſt tenere illum modum manducandi corpus Chriſti & bibendi ſanguinem ej9 per ſe cuilibet Chriſtiano. *Conſequentia* nota eſt. *Minor* patet ex evangelio & epiſtola & per totam antiquam eccleſiam.

Item, ille modus debet à Chriſtiano judicari & credi optimus & utiliſſimus manducandi cibum ſuum & potandi traditum potum, in quo modo ipſe Deus & homo Jeſus Chriſtus præparavit per ſe ipſum perſonaliter & inſtituit [illegible] ipſum manducandum cibum & potum bibendum: Sed iſtum modum, ſcilicet manducare panem cœlorum, ſic ſub iſta prima, & bibere ſic ſanguinem ſub ſecunda ſpecie, per ſe ipſum in totali & integro ſacramento altaris Deus noſter & Dominus Jeſus Chriſtus ita ipſemet præparavit, & ita dedit, & ita faciendum

dum ſtatuit, juxta illud pſalmi: *Paraſti cibum illorum, quoniam ita eſt præparatio ejus:* Ergo Chriſtiano cuicunque laico vel plebi Chriſtianæ per ſe ipſum in ſacramento integro manducare corpus Chriſti ſub prima, & bibere ſanguinem ſub ſecunda ſpecie, eſt modus utilisſimus, & optimus & ſaluberrimus.

Item omnis modus ille debet à plebe teneri & haberi optimus, utiliſſimus & deſideratiſſimus, quo modo eſt ſibi poſſibile, ſcilicet plebi, propinquius, & intimius, dulcius & manifeſtius uniri cum Domino Deo ſuo: Sed manducare corpus Chriſti plebi per ſe ipſam ſub prima, & ſanguinem ejus bibere ſub ſecunda forma, eſt modus ille, quo plebs unitur Domino ſuo Jeſu Chriſto propinque, intime, dulciter & manifeſte: Eo, quod qui ſic manducat & bibit ipſum, manet in Chriſto, & Chriſtus in eo: Igitur, &c.

Item omnis, qui fundat ſe quoad ſuam ſalutem, ſuper fixo fundamento & certo ſic debet potius facere, quam fundando ſe ſolum in opinione incerta. Sed plebs cupiens guſtare panem vivum ſub prima, & bibere pretioſiſſimum potum ſub ſecunda ſpecie, digne fundat ſuam credulitatem in fundamento fixo, certo & manifeſto: Quia in facto ſecuriſſimo & promiſſo Dei ſtatuto in via à ſpiritu ſancto ordinata. Sed omnis, qui credit ſe vere guſtare ſanguinem Chriſti ſub prima ſpecie, ita bene ſicut ſub ſecunda, fundat ſe in incerto & valde occulto coram ipſo, quia ædificat non ſuper pactum Dei & ejus certam promiſſionem, & non vadit per viam communem, per Deum adhoc ordinatam & firmatam: Eo quod Dominus non dixit: Sub prima ſpecie bibite, ſed tantum ſub ſecunda: Igitur tutius eſt credere plebi, quod ſit melius ſibi, edere ſub prima & bibere ſub ſecunda forma.

CAP. XXIX.

Plebem à ſacerdotibus eſſe invitandam ad communicandum ſub utraque.

ITem ſi *ſacerdotes invitarent ſecum plebem ad ſic manducandum & bibendum ſub utraque ſpecie*, eſſet ſignum & probatio beneficentiæ & mutuæ charitatis. Sed deponere eis potum ſic bibere, ſicut inſtituit Chriſtus, eſt argumentum negligentiæ mutuæ dilectionis. Ideo melius & ſecurius eſſet ac ſalubrius, quod ſacerdotes invitarent omnes volentes, & provocarent ipſos, ut velint communicare ſub utraque ſpecie.

Item iſta *invitatio* eſt valde conformis ſcripturis, juxta illud pſalmi: *Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus, & Proverb. IX. miſit ancillas &c.* Item *Eſaia 55. Omnes ſitientes venite ad aquas*, Item apoſtolus: *Epulemur.* Sic namque eccleſia hodie invitans plebes, ait clamans: *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis.* Sed heu, cum venerunt, repulit turpiter venientes.

Item communicare alios ſub utraq; ſpecie, & ad hoc eos invitare, eſt conforme ſanctis primitivæ eccleſiæ & ſummo ſacerdoti, qui ſumſit & dedit aliis omnibus diſcipulis ſuis, & iſta mandavit eis poſtea facere. Qui ita fecerunt in eccleſia primitiva. Sed ſecundum, puta, ſacerdotes per ſe ipſos ſub utraq; ſpecie ſuſcipere pro ſe, communicantes laicis tantum ſub prima, & non ſub altera, eſt omnino difforme. Ergo primum eſt certius & utilius quam ſecundum, Et per conſequens eſt melius & ſecurius.

Item *primum* eſt multo convenientius officio ſacerdotum, qui ſunt miniſtri communitatis, ad hoc principaliter inſtituti, inveſtiti, & temporalibus adjuti ab eccleſia, ut diſpenſarent iſtum cibum & potum ſub utraque ſpecie omnibus volentibus, eos invitare, quam *ſecundum.*

Item *primus modus*, ſcilicet ſub utraque ſpecie plebi accedere & ſuſcipere à ſacerdotibus, & ſacerdotes miniſtrare eis, eſt fidelium paſtorum & largorum diſpenſatorum & piorum patrum ad ſuos ſubditos. Et hic modus daret ſacerdotibus multam occaſionem & circumſtantiam exercendi curam & charitatem

tatem

Digitized by Google

tatem, obſequia pia, ad ſuos ſubditos. Sed *ſecundus* eſt in pluribus negligentium ſacerdotum, & ſignum, quod ſunt ſine affectione, & ſignum infidelium diſpenſatorum, pigrorumque ſervorum ſui Domini.

Primus modus, ſcilicet plebem comunicari per ſacerdotes ſub utraque ſpecie, uniret & confœderaret in affectione pia plebem cum ſacerdotibus: Et è converſo plebes mutuò ad invicem in mutua dilectione, & Chriſtum ad plebem, & è converſo. Sed non eſt ita circa *ſecundum modum*, cùm ſecunda ſpecies eis prohibetur, quæ eſt maximæ virtutis & utiliſſimæ.

Item *primus modus* eſt manifeſtum ſignum & ſolenne argumentum divinæ immenſæ bonitatis, divinæ & infinitæ communicabilitatis, & Dei cum hominibus amiciſſimæ & dulciſſimæ ſocietatis. *Secundus* autem *modus* eſt ſignum magis ſubtractionis & coarctationis divinæ bonitatis & largitatis, qvàm prim'.

Igitur *primus* eſt melior.

Item *primus modus* eſt ſignum manifeſtisſimum & celeberrimum miſericordiæ Dei & Domini Jeſu ad omnes & per ſingulos dies. Sed *ſecundus* non ita, ſed magis eſt ſignum acceptionis perſonarum apud Deum, & quod quaſi ſolùm juſti vel ſacerdotes acceptentur à Domino Jeſu, & peccatores atq; communes homines excludi deberent, & quod non ita benè ſummus medicus animarum veniſſet propter animas plebium ſanandas & ſalvandas, quemadmodum propter animas ſolùm ſacerdotum. Igitur melius eſt & plebibus & ſacerdotibus atque ſecurius, tenere ſe circa *primum* communicandi *modum*, ſcilicet ſub utraque ſpecie.

Item *primus modus* eſt plus pro gloria Dei, appropriatus ſuæ communicabilitati, ſcilicet, quod ſit omnibus comunis & bonus, quàm *ſecundus*, Igitur &c.

Imò & ſacerdotum eſſet major gloria ſic miniſtrare, ſcilicet ſub utraq; ſpecie plebi, quàm ſub una tantùm.

Item *primus modus* eſt collectivus plebis Chriſtianæ, & exhortativus ad amandum ſacramentum Chriſti corporis & ſanguinis, ad frequentandum ipſum, & ad exercendum ſe in fide, ſpe & charitate, & in omni Chriſtiana beatifica diſciplina, & ad feſtinandum omnibus ad ſuum ſaluberrimum ſubſidium ſalutis, ad panem & vinum ſacramenti. Ex quo cibo & potu ſic ſub duplici forma habeant homines ſortiri ſibi omne bonum à Deo ſuo. Sed ſacerdotes non miniſtrare ſecundam ſpeciem plebi, eſt ſubtrahere & privare eam infinito bono ibidem recondito & deguſtando.

Item utilius & melius eſt de per ſe plebi, edere ſacramentaliter dignè, meritoriè, & bibere ſacramentaliter, meritoriè, quam ſolùm edere ſacramentaliter. Alias bibere ſacramentaliter meritoriè, eſſet ſuperfluum. Igitur &c.

Et melius eſt guſtare verè & delectari ſub utraque, quàm ſub una tantùm ſpecie. Igitur.

Item ſi Chriſtus tantum præcisè daret ſub prima ſpecie, quantum in ſecunda, tunc irritum ſuum pactum faceret, quò non dedit gratis utrumque, ſed ſub altera ſpecialiter meritoriè bibere dedit alio modo quàm ſub prima.

Item ſicut ex debita communione primæ ſpeciei plebi aliquid confertur gratiæ, ſic ex eadem ratione ex meritoria applicatione ſecundæ ſpeciei iterum confertur aliquid aliud gratiæ. Cùm illa ſecunda ſpecies ſit virtutis magnæ, & collativa ſaltem inſtrumentaliter gratiæ, ſicut prima. Ergò plebs ſuſcipiens hoc ſacramentum ſecundum utramque ſpeciem plus creſceret in donis gratiæ, cum ceteris paribus. Et per conſequens convenientius eſt plebi ſecundum utrumque ſuſcipere, quàm ſolùm ſecundum partem unam ſacramenti &c.

Confirmatur: Sicut Deus pactum fecit cum plebe ſua, ut quando ſuſcepit dignè vel meritoriè primam ſpeciem, quod ſibi accreſcat novus gradus gratiæ, ſic pepigit fœdus cum eadem plebe, ut quicunque ex ea meritorie guſtaverit altero modo guſtandi, quod alium gradum gratiæ ſuſcipiat. Sic autem ſecundum duplicem gradum ſuſcipere gratiam Chriſti eſt melius plebi, quàm ſecundum primam tantùm. Igitur &c.

Et iſta contra Doctoris ſententiam

ſufficiant

Digitized by Google

ſufficiant utcunque, pro præſenti, ſi fortè aliqualiter ſacerdotes poſſint movere ex amore ad miniſtrandum puſillo gregi Domini hoc beatificum [id eſt ſupercœleſte] ſacramentum ſub utraque ſpecie. Nam ſi adhuc fides Domini Jeſu debeat ſuperabundare ſuper terram rediviva,& charitas ardens in cordibus Chriſtianorum, neceſſe eſt, velint nolintve diſpenſatores, redire magna deſideria in Chriſtiano populo ad crebram communionem corporis & ſangvinis Domini ſub utraque forma: Et per conſequens crebra & importuna exactio plebis petitioque ſui panis & vini, myſtici, ſacramentalis, & quotidiana à ſacerdotibus.

In quo non introduceretur nova conſvetudo in populo Chriſtiano, cùm quotidiè à plebibus hoc ſacramentum ſub utraque ſpecie ſumeretur, ſed *reſtauraretur antiqua ſancta conſvetudo*, & ſaluberrima,& ſic rediret fides una ad Jeſum crucifixum & charitas primitiva.

CAP. XXX.

Concluſio cum obteſtatione Autoris.

NEc ignoro per iſta me patere morſibus plurimorum, qui, ſtimulante invidia, quod conſequi non valent, deſpiciunt.

Sed conſidero, quod in flammam odiorum manum mitto.

Proteſtor autem hic, quod iſtam materiam fidei, *de communione calicis plebibus miniſtrando*, prædico & explico in quantum valeo. Et ad hoc alios hortor. Ut regnum cupiditatis & antichriſti in aliquo purgetur, & ſpiritus fervoris & devotionis in populis Chriſtianis ab antiquo extinctus reſuſcitetur. Et ut ſaltem aliqui moveantur ad ſanctum Zelum Dei, pro decore & reædificatione domus Dei, juxta illud orantis eccleſiæ: *Benigne fac Domine in bona voluntate tua, Sion, ut ædificentur muri in Jeruſalem.*

Obſecro ergo quemlibet lectorem, ut probet iſta vel alia quæcunque dicta mea, & ſingula tentet usque in finem.

Et opto corrigi à quocunque tali, ſi dixi aliquid devium à veritate, aut aliquid extra regulam charitatis.

Ideo rogo univerſos, ad quos *præſens ſcriptum* pervenerit, piè & miſericorditer interpretentur,& ſupportent propter Deum. Et ſive lapſus ſim in verbo, ſive in allegatione, ſive in ſententiis, vel ſuperfluitate verborum, ſive forte in nimia & exceſſiva reprehenſione Doctoris, ſive in aliquibus verbis ſatyricis ad increpandum compoſitis, ut ad commotionem multorum, ſive zelo meo, ſi fortè eſt non ſecundum ſcientiam, ſive inepta expreſſione veritatum, pro omnibus inquam iſtis peto veniam.

Subjicioque me correctioni Dominatoris univerſorum, & ſuæ creaturæ, quam ad hoc ipſe voluerit deputare.

Si quid autem in his fuerit conveniens & utile, ſit in eo laus & gloria Deo, in ſecula ſeculorum. Amen.

Expliciunt Replicationes M. JACOBELLI, prædicatoris boni, contra BRODAM Doctorem, impugnantem communionem utriusque ſpeciei quoad vulgum. *Subſcriptio in MSCto. Vindob.*

F. A. 1698.
d. 12. Martii.

[*]

TOMI III. PARS XVII.

Vix orſus erat Pragæ A. 1415. proximè ante feſtum Paſchatos, *Jacobellus* cum quibusdam Miniſterii collegis, novum hunc ab aliquot ſeculorum lapſu ritum, ſub utraque ſpecie, ut ajunt, communicandi: Scriptisque viri docti ac Profeſſores Academici cum Jacobello de iſthoc negotio diſputare cœperant: Quando *Concilii Conſtantienſis Theologi*, re hac audita, frequenti congreſſu conſilia mature ceperunt, quid in hoc novo motu, ab Huſſitico diſtincto, agerent, quidve de iſthoc cœpto ſtatuerent aut definirent. Poſt varias itaque deliberationes concluſum tandem à Theologis, Conſtantiæ in Concilio congregatis, Huſſo adhuc vivo, morem illum à Jacobello tunc noviſſime reſuſcitatum, haud admittendum, ſed omni modo reprimendum eſſe. *Concluſionibus* proinde paucis, in Concilio per Theologos proditis, ſtetit mox & *publicum Concilii* ea de re *decretum*, Huſſo adhuc ſuperſtite publicatum, verbis ex iſtis Theologorum concluſionibus ſigillatim deſumptis.

En ergo *fundamentum Decreti Conſtantienſis Concilii*, contra communionem plebis ſub utraque ſpecie facti, ipſas ſcil. *Concluſiones Theologorum* prævias, haud poſtremum hiſtoriæ momentum. *Decretum Concilii hinc natum*, ſuppeditabit ſuo loco *Tomus IV.*

THEOLOGORUM CONSTANTIENSIS CONCILII CONCLUSIONES contra JACOBUM DE MISA & ejus doctrinam *DE COMMUNIONE PLEBIS SUB UTRAQUE SPECIE.*

A. 1415. menſe Junio in Concilio poſt varios congreſſus privatos prodita. Ex quibus definitiva & condemnatoria illius ſententia in Concilio mox eſt deſumpta, & *die Sabbati 15. Junii* in publica ſeſſione promulgata.

Ex antiquo Codice MSCto

ACADEMIÆ HELMSTADIENSIS,

h. tit.

Contra quosdam aſſerentes, quod oporteat populum communicare ſub utraque ſpecie, PER DOCTORES SACRÆ THEOLOGIÆ, IN SACRO CONCILIO CONSTANTIENSI EXISTENTES, *ponuntur Concluſiones infra ſcripta.*

CAP. I.

Sex Concluſiones Theologorum Conſtantienſis Concilii de Sacramento cœnæ.

Conf. infra Parte XVIII. ex Codice Lipſienſi.

PRima *Concluſio.* Chriſtus poſt cœnam *inſtituit & miniſtravit ſub utraque ſpecie, panis & vini, ſui ſacratiſſimi corporis ſacramentum.*

Secunda Concluſio. Non obſtante hujusmodi inſtitutione & miniſtratione, laudabilis & approbata conſuetudo Eccleſiæ conſervavit & ſervat, quod hujusmodi ſacramentum *non debet* confici

na non habet dare legem Eccleſiæ, ita nec licet ſibi conſuetudinem laudabilem pro lege habendam juxta ſuum libitum immutare.

Quinta Concluſio patet ex prædictis. Nam hoc, quod licitum eſt & laudabile & pro lege habendum, dicere ſacrilegium, certiſſime erroneum. Cum error ſit, falſi pro vero approbatio, ſecundum *Auguſtinum ſuper Pſ.* 33.

Corrolarie ſequitur, quod multum temerarie & præſumtuoſe fecerunt, qui contra univerſalem ritum Eccleſiæ, quem tot & tanti doctores laudant & approbant, & nullus famoſus Doctor reprobat, *præſumſerunt populum ſub utraque ſpecie communicare, & quod ſit communicandum populis, dogmatizare*, & hoc non facientes calumniari. Et ſatis mirandum eſt, quod *in regno & civitate, ubi eſt tam ſolennis univerſitas & clerus egregius*, iſta tolerantur.

Hi Jacobellus cum Collegis.

Academia Pragenſis.

Sexta Concluſio patet per hoc, quod ille, qui ſe pertinaciter opponit contra generalem, laudabilem, expedientem, & per doctores nullo contradicente approbatum ritum, miniſtrationem ſacramenti concernentem, merito debet haberi pro ſuſpecto de hæreſi. Itaque novarum opinionum contra laudabiles mores Eccleſiæ *inventor* vel *ſectator*, tanquam talis arcendus & puniendus, & Prælati, ſi ſunt iſta diſſimulantes, ſunt multum arguendi.

Jacobellus notatus.

CAP. III.

Examinata argumenta, pro Communione ſub utraque à Jacobello advecta.

Ad *rationes*, in quibus ſe fundare conantur iſti præſumtores, facile eſt reſpondere. Unde principaliter allegant pro ſe illud *Joh. VI. Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem.* Ad quam reſpondet *S. Thomas in gloſſa* ſuper eodem verbo. Quod qui ſoli corpori communicat, corpori communicat & ſanguini, cum ſub utraque ſpecie totus Chriſtus contineatur. *Richardus de media villa* dicit, quod illa autoritas intelligitur de manducatione & potatione ſpirituali. Et hoc ibi habetur ex dictis Auguſtini. Et quod oporteat dictam autoritatem exponere de manducatione & potatione ſpirituali, ſuadetur ex eo, quod *niſi* dicit neceſſitatem, Euchariſtia autem licet neceſſaria ſit voto, non tamen ponitur ſacramentum neceſſitatis. Sed manducatio & potatio ſpiritualis eſt ſemper ſtante lege de neceſſitate ſalutis, quam illi faciunt, qui manent in Chriſto, & Chriſtus in eis.

Item *allegant Apoſtolum* 1. *Cor. XI.* ubi dicit: *Dominus Jeſus, in qua nocte tradebatur &c. Reſpondendum*, quod licet Chriſtus poſt cœnam miniſtravit hoc ſacramentum ſub utraque ſpecie, non tamen præcepit, quod ſub utraque ſpecie ab omnibus ſumeretur, ſed hoc diſpoſitioni Apoſtolorum ſucceſſorum reſervavit, ut poteſt elici ex dictis Auguſtini ad Januarium ſupra allegatis in probatione concluſionis ſecundæ. Quia etiam Apoſtolus tunc non voluit illis agendi ordinem inſinuare, poſt verba prædicta ſubjunxit, *De cetero, cum venero, diſponam.* Etiam dici poteſt, quod qui communicat corpori, communicat & ſanguini. Et ergo, ſumere ſub una ſpecie tantum, non eſt contra traditionem Apoſtoli. Etiam ſecundum *Alexandrum de Halis*, Dominus inſinuavit modum conficiendi & ſumendi, ergo convenienter diſpenſavit ſub duabus ſpeciebus.

Item *allegant Gelaſium Papam*, qui dicere videtur, quod ſumentes ſub ſpecie panis tantum, judicantur rei peccati ſacrilegii. Quia diviſio unius ejuſdemque myſterii ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire. *Reſpondetur* ſecundum eosdem Doctores, *Alexandrum de Halis & S. Thomam*: Perfectio ſacramenti non eſt in uſu fidelium, ſed in conſecratione materiæ. Et ideo nihil derogat perfectioni hujus ſacramenti, ſi populus ſumat ſub ſpecie panis, dummodo ſacerdos conſecrans ſumat ſub utraque ſpecie.

Item, ſi forte *arguitur*, Quod ſumtio ſub utraque ſpecie ſit majoris meriti, ut conce-

Digitized by Google

concedit *Alexander de Halis* : Ergo ſic ſumi debet. *Reſpondetur*, Quod licet ſtaret, ſumptionem ſub utraque ſpecie, eſſe majoris meriti, ratione augmentationis devotionis, tamen videtur, quod ſumere ſub una ſpecie tantum, obediendo in hoc laudabili & approbatæ conſuetudini Eccleſiæ, ſit in laicis majoris meriti, quam exigere vel ſumere ſub utraque ſpecie. Quia quaſi ſcelus idolatriæ eſt, nolle acquieſcere,

TOMI III. PARS XVIII.

DEcreverat Concilium, ex Theologorum in Concilio præſentium ſententia jam jam recenſita, Jacobellum, ejusque de Communione plebis doctrinam, reprimi vel verbis vel armis oportere. Non poterat publicum hoc Concilii negotium diu latere. Quod igitur Jacobello & Bohemis ſociis mox denunciatum fuit Theologorum non minus Conſtantiæ congregatorum quàm Concilii ſtatutum, effugere *Jacobelli cenſuram aut reſponſionem* haud ſuſtinuit. *Hic* ergo abſque mora utrisque, Theologorum Conſtantienſium Collegio concludenti, & Concilio definienti ac publicanti, datâ *reſponſione* ſatisfacere allaboravit. Quam hiſtoriæ partem, qua ſine iſtud Concilii negotium fataque illius temporis publica intelligi non poſſunt, ſuperioribus ſincere & abſque omni affectu jungere, hiſtoriæ fides poſtulavit.

JACOBI DE MISA
APOLOGIA
PRO COMMUNIONE PLEBIS
SUB UTRAQVE SPECIE
Contra Concluſiones Doctorum in Conſtantienſi Concilio editas,
Et contra publicum Conſtantienſis Concilii decretum condemnatorium
d. 15. Jun. A. 1415.
ſolenniter publicatum.

Ex antiquo Codice MSCto ACADEMIÆ LIPSIENSIS.

CAP. I.
PRIMA CONCLUSIO

Conſtantienſis Concilii Doctores.

Chriſtus poſt cœnam inſtituit & miniſtravit ſub utraque ſpecie panis & vini ſacratiſſimi corporis & ſangvinis ſui ſacramentum.

Patet prima concluſio ex Evangeliis Matth. XXVI. Marc. XIV. & Luc. XXII. & per Apoſtolum 1. *Cor. XI.*

Jacobell.

FUndamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus, 1. *Corinth. III.*

Venit vox de nube, dicens: *Hic eſt filius meus chariſſimus, audite eum, Marc. IX.*

Dicit mater ejus miniſtris: Quodcunque dixerit vobis, facite, Joh. III.

Spiritus Domini ſuper me, eoque unxit me,

Digitized by Google

me, evangelizare pauperibus miſit me. Luc. IV. Pœnitemini & credite evangelio, Marc. I. Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſangvinem, non habebitis vitam in vobis. Joh. VI. Qui miſit me, verax eſt, & ego quæ audivi ab eo, hæc loquor mundo, & à memetipſo facio nihil; Sed ſicut docuit me pater, ita loquor. Quare loquelam meam non cognoſcitis? Quia non poteſtis audire ſermonem meum, Joh. VIII. Qui ſpernit me, & non accipit verba mea, habet qui judicet eum. Sermo, quem locutus ſum, iſte judicabit eum in noviſſimo die. Quia ego ex me ipſo non ſum locutus. Sed qui miſit me, pater, ipſe mihi mandatum dedit, quæ dicam & quæ loquar. Et ſcio, quia mandatum ejus vita æterna eſt. Quæ ergò loquor ego, ſicut dixit mihi pater, ſic loquor. Joh. XII. Qui habet mandata mea, & ſervat ea, iſte eſt, qui diligit me. Joh. XIV. Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt, Matth. XXIV. Jota unum aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Matth. V. Ego ſum via & veritas Joh. XIV.

Moſes quidem dixit ad patres noſtros: Prophetam ſuſcitabit vobis Dominus Deus de fratribus veſtris; tanquam me. Ipſum audietis juxta omnia quæcunque locutus fuerit vobis. Erit autem omnis anima, quæcunque non audierit Prophetam iſtum, exterminabitur de populo, Actor. III. & Deut. XVIII.

Ait Angelus: *Erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur, Luc. I. De Spiritu S. eſt. Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum, Matth. I.*

Ecce agnus Dei, qui tollit peccata. Qui me miſit baptizare in aqua, iſte mihi dixit: Super quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in ſpiritu ſancto. Et ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt filius Dei, Joh. I. Cujus ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum in horreum ſuum, paleas autem comburet igni inextingvibili, Matth. III. Ecce, poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum, cui contradicatur. Luc. II.

Vobis igitur credentibus, honor, non credentibus autem, lapis, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli, & lapis offenſionis & petra ſcandali, his qui offendunt in eo, neque credunt *in eum in quo poſiti ſunt.* 1. Pet. 2. *Hic eſt lapis, qui reprobatus à vobis ædificantibus factus eſt in caput anguli.* Et non eſt in aliquo alio ſalus. *Nec enim nomen aliud eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat ſalvos fieri, Actor. IV. Et præcepit nobis prædicare populo, & teſtificari, quia ipſe judex vivorum & mortuorum. Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem accipere per nomen ejus, omnes qui credunt in eum, Actor.* X.

Unus eſt enim legiſlator & judex, qui poteſt perdere & ſalvare, Jacob. IV. Unus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus, qui dedit ſemetipſum in redemtionem pro omnibus, Coloſſ. III.

Si ſacerdotes Dei & Chriſti ſumus, non invenio, quem magis ſequi debeamus, quàm Chriſtum. Quoniam in Evangelio maximè dicit: *Ego ſum lumen ſeculi, qui me ſecutus fuerit, non ambulabit in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.*

Ne ergò in tenebris ambulemus, Chriſtum ſequi, & mandata ejus obſervare debemus. Quare, ſi lumen Chriſti habere voluerimus, à præceptis & monitis ejus non recedamus, & eadem, quæ Magiſter fecit & docuit, diſcipulos quoque decet obſervare & facere. Neque ipſe apoſtolus, nec angelus de cœlo poteſt annunciare aliter, præterquam Chriſtus docuit, ſimul & apoſtoli ejus annunciaverunt. Sicut alio in loco dicit: *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis*, &c. Quod ſi nec minima de mandatis Dominicis licet ſolvere, quantò magis tàm grandia, tàm ad ipſum Dominicæ paſſionis & redemtionis noſtræ ſacramentum pertinentia, fas non eſt infringere, aut in aliud, quàm quod divinitus inſtitutum ſit, humana traditione mutare. Quidam Epiſcopi vel ignoranter vel ſimpliciter in calice Dominico ſanctificando & plebi miniſtrando non hoc faciunt, quod Jeſus Chriſtus & Dominus noſter ſacrificii hujus autor & Doctor fecit & docuit. Religioſum pariter & neceſſarium duxi, de hoc literas facere, ut, ſiquis in hoc errore adhuc tenetur, veritatis luce perſpecta, ad radicem atque originem traditionis Dominicæ revertatur. Hæc *S. Cyprianus*, Doctor famoſus. *Verba Cypriani.*

Si

Digitized by Google

Verba Simonis de Caſſia.

Si Chriſto & Apoſtolis perverſi non credunt, quomodo credent homini? Et ſequitur porrò: Si ad morum correctionem evangelio Chriſti non creditur, deſperandum eſt, cui alteri melius credatur. Subterfugia ſunt, excuſationes ſunt, fidem nolle ſimpliciter ſervare, nolle à criminibus explicari. Nam, ſi omnes angeli evangelizarent, ſi ſpiritus mundi lingvis humanis prædicarent, ſi omnes mortui revocarentur ad vitam cum ſcientia & poteſtate loquendi, ſi oſtenderentur oculis humanis ſuperna bona & inferna mala: Ad hæc omnia plus eſt Chriſtus, cui præ omnibus adhibenda eſt fides. Hæc Doctor famoſus, & modernus, *Simon de Caſſia* dictus.

Ex dicto illius Doctoris ſcire debent *omnes Doctores Conſtantienſis Concilii*, imò & totius mundi, Chriſtum primam firmiorem & efficaciorem habere vocem, cui præ omnibus eſt adhibenda fides. Nec putent, poſſe immutare leges & tempora, quod eſt proprium Antichriſti, *Daniel. VII.* Hujusmodi enim Doctor putat ſe eſſe ſapientiorem quàm Deum, & incipit eſſe falſus teſtis, ſecundum *Chryſoſtomum*. Eſt enim falſus Doctor gladius anceps, ſcindit opere, & exemplo percutit, & percutit verbis iniquis & doloſis, ut dicit *Hieronymus De norma vivendi.* Unde dicit *Salvator Matth. XV. Omnis plantatio, quam non plantavit pater meus cœleſtis*, & doctrina *ab homine inventa, quæ non eſt legi ipſius Dei conſona, eradicabitur*, quia non habet firmum fundamentum, ut dicit *Lira*, ibi. Vel ſecundum *gloſſam interlinearem*, Omnis plantatio, id eſt, Doctores cum ſequacibus ſuis, qui non habent fundamentum Chriſtum, cor figentes in terrenis, quam non plantavit pater meus cœleſtis, ſed carnalis cupiditas, cui conſulunt, eradicabitur de terra viventium. Hæc ibi.

CAP. II.

Secunda Concluſio.

Conſtantienſis Concilii Doctores.

Non obſtante bujusmodi inſtitutione & miniſtratione, laudabilis & approbata conſuetudo eccleſiæ ſervavit & ſervat, quod bujusmodi ſacramentum non debet confici poſt cœnam, nec recipi à fidelibus, niſi in caſu infirmitatis, aut alterius necesſitatis mortem comminantis.

Secunda Concluſio *patet ex obſervantia eccleſiæ univerſalis*, quam Spiritu ſancto inſpirante acceperunt, ut in honorem tanti ſacramenti in os Chriſtiani prius Dominicum corpus intret, quam ceteri cibi. Ut habetur ex dictis *Auguſtini ad Januarium De conſvetudinibus eccleſiæ, libro I.* Ubi etiam dicit: Quod Salvator quo vehementius commendaret inſtitutionis iſtius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ diſcipulorum, à quibus per paſſionem deceſſurus erat. Et ideò non præcepit, quo deinceps ordine ſumeretur: Ut Apoſtolis, per quos eccleſias diſpoſiturus erat, reſervaret hunc locum, dicit Auguſtinus, *De Conſecrat. diſt. 2. cap. 54 Liquido.*

Jacobellus. De Conſecr. diſt. 2. c. 34.

ET ſequitur immediatè poſt verba poſita in probatione Doctorum ſic: *Nam ſi hoc iſte monuiſſet, ut poſt cibos alios ſemper acciperetur, credo quod eum morem nemo mutaſſet.* Quia, ſecundum eundem, XXVIII. *q.* I. *c.* 9. *Sic enim:* Nullo modo quod Dominus jubet, ſervus bonus prohibet. Et in *gloſſa dicti c. Liquido*, dicitur: Quod enim Dominus jubet, ſervus bonus non mutat. Si ergò dixiſſet Chriſtus: Niſi poſt cibos alios hoc feceritis, Vel: Hoc facite poſt alios cibos in meam commemorationem, Sicut dixit: Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſangvinem, non habebitis vitam æternam:

Digitized by Google

nam: Nemo etiam Apoſtolorum hunc morem mutaſſet, ſecundum Auguſtinum, ſuprà. Nam & Apoſtolus nullo modo faceret contra Dominum, ut in dicto *capitulo* 9. *Sic enim*. Non enim revocantur à filio, quæ à patre geruntur. *Cod. De Teſtamento militis, qui à patre.*

Ubi enim *paterfamilias largus eſt*, quia inſtituit & dedit ſub utraque ſpecie, ut ex prima concluſione habetur, *diſpenſator non debet eſſe tenax*, denegando alterum, vel nonnunquam utrumque ſimul retrahens, ſicut filius Belial cum filiis Eli populum à ſacrificiis Dei. Ad hoc Chryſoſtomus, XXVI, *q.7.c.12. Alligant.*

Utique talis ſacerdos verè vice Chriſti fungitur, quando id, quod Chriſtus fecit, imitatur. Non poteſt Evangelium in parte conſiſtere, & in parte mutari. Aut utrumque oportet quod valeat, aut utrumque vim neceſſitatis amittat. Ita martyres nihil poſſunt, ſi evangelium ſolvi poteſt. Si autem evangelium non ſolvi poteſt, contra evangelium facere non poſſunt, qui de evangelio martyres fiunt. Hæc *Cyprianus martyr.*

Sic dicit *de juramento* idem *Auguſtinus* : In novo teſtamento dictum eſt, ne omninò Juremus. Quod quidem propterea dictum eſſe videtur, non quia jurare peccatum eſt, ſed quia perjurare immane peccatum eſt, à quo nos longè eſſe voluit, qui omninò ne juremus, commonuit. Hoc ille.

Quis ergò audet immutare, quod Dominus commonuit? Utique nemo, per ſuperius dicta Auguſtini.

CAP. III.

Tertia Concluſio.

Conſtantienſis Concilii Doctores.

Licet in primitiva eccleſia hujusmodi ſacramentum reciperetur à fidelibus ſub utraque ſpecie; Tamen ad evitandum aliqua pericula potuit ſimili aut ratione majore introduci, & introductum eſt, quod à fidelibus conficientibus ſub utraque ſpecie, & à laicis ſub ſpecie panis tantùm ſuſcipiatur. Tertia concluſio quoad primam ejus partem manifeſta eſt. Quoad ſecundam partem patet per hoc: Quia ſicut eccleſia primum modum, ſcilicet communicare poſt cœnam, potuit immutare propter reverentiam ſacramenti: Ita & ſecundum, ſcilicet communicare populum ſub utraque ſpecie, potuit immutare propter pericula quæ pluries accidiſſe creduntur in tanta multitudine populi fidelis. Unde iſte famoſus Doctor *Alexander de Halis*, in *IV.* in *materia de ſacramento* recitat *duo pericula*, ſcilicet *effuſionis ſangvinis* & periculum *infidelitatis*, quod ſe non immerito fidelium mentibus ingeret, ſi ſemper ſub ſpeciebus panis & vini daretur. Poſſent enim credere, quod Chriſtus non integrè contineretur ſub altera ſpecie tantùm, ſicut quandoque contigit. Et circa hoc idem Doctor recitat hanc hiſtoriam. Aliquibus religioſis appetentibus & inſtantibus, ut ſub utraque ſpecie ſumerent ſacramentum, ſacerdote pie quodam celebrante, cùm faceret fractionem, concavum patinæ totum viſum eſt repleri ſangvine. Ad quod obſtupuerat ipſe, & circumſtantes. Sed cùm conjungeret partes hoſtiæ, totum viſum eſt reintegrari. Et petitioni & tentationi iſtorum fuit penitus ſatisfactum. Unde iſte Doctor aſſerit ex intentione, quod quia Chriſtus integrè ſumitur ſub utraque ſpecie, inde licet ſumere ipſum ſub ſpecie panis tantùm. Idem dicit alius famoſus Doctor *Richardus de media villa, Libr. IV diſt. X. q.6.* & allegat pericula eadem. Et iſte notabilis Doctor, *Petrus de Tharentaſia* dicit: Quod, quia efficacia æqualis eſt ſub utraque ſpecie, ideò omni-

Digitized by Google

omnibus traditur ſub altera ſpecie, in qua tradi poteſt ſine periculo. A majoribus vero,& presbyteris & miniſtris ſumitur ſub utraque ſpecie. Quod vero dicit de miniſtris altaris, in pauciſſimis eſt locis conſvetum. Et *S. Thomas in III. Parte ſummæ ſuæ q.* 80. ſalvat conſvetudinem, quâ populus communicatur ſub ſpecie panis tantùm. Et non occurrit aliquis *famoſus Doctor*, qui damnare præſumat conſvetudinem communicandi populum ſub ſpecie panis tantum.

Jacobell. EX prima ergò concluſione, & ex principio hujus tertiæ, colligendo, patet, quod Chriſtus ſic inſtituit & miniſtravit, & in primitiva eccleſia à fidelibus hujusmodi ſacramentum ſub utraque ſpecie ſumebatur. Et hoc eſt manifeſtum. Quid ergò ad hoc egemus teſtibus? Ecce, nunc audivimus ab ore ipſorum, Chriſti eſſe inſtitutionem, ſicut eſt in primitiva eccleſia tentum. Hoc eſt fundamentum, ſuper quo ædificamus. Quia ubi Chriſtus non eſt fundamentum, nullius boni operis ſupereſt ædificium, ut dicit *Gregorius*, 1. *q.* 1. *Cum Paulus*. Hoc tenere deſideramus, quod eccleſia primitiva tenuit, in hoc ſupra *petram Chriſtum* ædificata. Contra quam non tantum *Doctores Conſtantienſis Concilii*, ſed nec portæ inferi prævalebunt, uti patet *Matth. XVI*. Ubi dicit *Hieronymus, in gloſſa ordinaria*: Portæ inferi ſunt peccata, minæ, blandimenta, hæreſes, quibus infirmi ruunt in mortem, qui non verè ſupra petram, ſed ſupra arenam domum profeſſionis credendi ſunt ædificaſſe. Hæc ille.

Non eſt autem Chriſti inſtitutio, ut illo vel illo determinato tempore, ſcilicet *ante cibos* vel *poſt*, recipiatur. Nam ſi hoc monuiſſet, nemo mutaſſet, de quo in præcedenti concluſione. Non potuit ergo de jure oppoſitum introduci, quod nunc de facto introductum eſt, quod ſub una ſpecie tantum datur. Scilicet *illud poſſumus, quod de jure poſſumus*. Eſt enim hoc Antichriſti, putare, ſe poſſe mutare leges & tempora, *Daniel. VII.* Vendicant enim quidam ſecundum leges ſuas regere totum mundum, & tamen neſciunt ſecundum legem Dei regere ſe ipſos, vel ſuos domeſticos. Quid expaveſcimus in Antichriſto, niſi quia nomen ſuum honorificaturus eſt, & nomen Domini contemturus. Hæc *B. Auguſtinus*. Qui, ſcilicet Antichriſtus, ſermones contra excelſum loquitur, & ſanctos Altisſimi conterit, *Daniel. VII.*

Patet ergo ex dictis, quomodo valde claudicat ſimilitudo Doctorum, ſcilicet, quod eccleſia, ſicut potuit primum modum, ſcilicet poſt cœnam communicare, immutare: Ita & ſecundum, ſcilicet communicare populum ſub utraque ſpecie. Nam, in primo non recepit Eccleſia inſtitutionem Chriſti ſive monitionem, ut ſcilicet poſt cœnam communicaret. Et ſic mutavit. Quam monitionem ſi recepiſſet, ut in ſecundo, ſcilicet communicare ſub utraque ſpecie, credendum eſt cum B. Auguſtino, quod hunc morem nemo mutaſſet, de quo ſupra.

Nec obſtat, quod allegant *de periculis*. Alias habent Doctores concedere & ſtatuere, ut deinceps ad ſacerdotes nullus promoveatur. Quia eſt periculoſum, ut beatus Auguſtinus ad Valerium ſic dicit: *Cogitet religioſa prudentia tua, nihil eſſe in hac vita, maxime in hoc tempore, difficilius, laborioſius, periculoſius, Epiſcopi aut Presbyteri aut Diaconi officio. Sed apud Deum nihil beatius, ſi eo modo militetur quo Imperator noſter jubet*. Hoc ille.

Si ergo, ſecundum dicta iſtius Doctoris, militare eo modo, quo imperator noſter jubet, eſt beatius: Ergo, per oppoſitum, non ſic militare, eſt damnabilius. Et per conſequens, ſacerdotibus, non miniſtrare ſacramenta eo modo, quo Imperator noſter jubet, eſt periculoſisſimum.

Videant ergo, quomodo evadant *periculum damnationis*, ut videntur innuere verba dicti Doctoris.

Conſulitur ergo *Doctoribus Conſtantienſis Concilii, & toti Concilio*, ut, ſi quis adhue

adhuc in iſto errore detineretur, ſcilicet Epiſcopus vel Presbyter, ex ignorantia vel ſimplicitate, quod in calice Dominico ſanctificando & plebi miniſtrando non hoc faceret, quod Jeſus Chriſtus Dominus & Deus noſter, ſacrificii hujus autor & Doctor, fecit & docuit: Quod, exemplo Cypriani, cujus ſunt hæc verba, *literas & conſtitutiones faciant*, ut veritatis luce perſpecta ad radicem atque originem traditionis Dominicæ revertantur, ut ſic evadant damnationis periculum. De quo non immerito, ſcientes & ex propoſito non facientes ſecundum legem Chriſti, habent timere. Quia ſervus ſciens voluntatem Domini & non faciens, plagis vapulabit multis.

Iſtud ergò *periculum damnationis* timentes ſancti in *primitiva eccleſia*, Chriſto crediderunt, & ſecundum legem ipſius operati ſunt & practicaverunt. Quæ practica adhuc viguit temporibus B. Cypriani & S. Donati.

Et dicit *Guilielmus de Monte Lauduno*, quod adhuc in multis locis communicantur cum pane & vino, id eſt cum toto ſacramento.

Quid, rogò, eſt in uſu hominum, unde non poſſit pernicies irrogari, ut dicit *B. Auguſtinus*, XXIII. *q.* 5. *De occidendis*. Et ibi pulchrè & multa loquitur de illis periculis. Excuſationes, heu! ſunt, ſubterfugia ſunt, legem Chriſti nolle ſimpliciter ſervare, ut ſuprà. Pax autem multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum, ut patet in pſalmo. Non enim curavit *Chriſtus* aliquid de illis exprimere periculis, cùm tamen omnia ſcivit. Nec *ſancti in primitiva eccleſia* occaſione ipſorum omiſerunt.

Sic conſulitur cuilibet fideli ſacerdoti in lege Chriſti, ut ſecundum primitivam eccleſiam miniſtret ſacramentum, & diligentiam ſuam faciat. Et cum gratia & Dei adjutorio evadere poteſt periculum æternæ damnationis, quod fortè incurreret, ſi non ſic miniſtraret, de quo ſuprà.

Allegant poſtmodum famoſum Doctorem eorum, *Alexandrum de Halis*, quem dicunt dicere, quod *periculum infidelitatis* ſe non immerito fidelium mentibus ingereret, ſi ſemper ſub ſpeciebus panis & vini daretur: Poſſent enim credere, quod Chriſtus non integrè converteretur ſub altera ſpecie tantùm. *Reſpondetur*. Quod ſi hoc credere eſt infidelitas, tunc *Bartholomæus Brixienſis* eſt infidelis, qui dicit, *De conſecr. diſt.* 2. *Quid eſt: In ſolam enim carnem panis convertitur & vinum in ſangvinem.* Et *idem* dicit *eadem diſt. Comperimus.* Hæc non eſt concedenda: Vinum transſubſtantiatur in corpus Chriſti. Nec iſta, Panis transſubſtantiatur in ſangvinem Chriſti. Sed panis tantùm in carnem, & vinum tantùm in ſangvinem. Tamen ubicunque eſt caro, ibi eſt ſangvis per communicationem, ſicut anima eſt ibi per unionem, non per transſubſtantiationem. Hæc ibi. Et idem *Johannes* cum eo. Et hæc communis ſententia Theologorum. Etſi aliter diceret *Alexander de Halis*, vel *Doctores Conſtantienſis Concilii*, ſcilicet, quod ſub altera ſpecie integrè converteretur, niſi aliter uterentur illo termino, quam ut ſuprà dictum eſt, judicent ipſi, an ſint fideles, an infideles, cum *Alexandro de Halis*. In hoc enim ſtilus meus omninò hebetatus eſt. Et ne videar os ponere in cœlum. Sed manifeſtum eſt, quod ex hoc, *Non datur ſangvis ſub ſpecie vini*, magnum *periculum infidelitatis*, ſcilicet *idololatriæ*, ingeſſerit ſe mentibus multorum, qui, audientes in precationibus de manducatione & bibitione, dum accedunt ad calicem, credunt ſumere ſangvinem, & pro tali venerantur, cùm non ſit tamen niſi purum vinum, niſi aliquando lotio manuum vel digitorum.

Verba Brixienſis.

Dicunt inſuper, eundem *Doctorem Alexandrum* recitare hiſtoriam de quibusdam religioſis, de qua ſupra. Dicendum, quod in hoc eſt famoſus Doctor *facti*. Sicut *communiter Doctores moderni temporis*, *magis ſequuntur facta, ſeu conſvetudines, vel potius corruptelas modernas, quas plus appreciantur & ponderant cum conſtitutionibus humanis, quam legem Chriſti*. Cùm *ut plurimum legem Chriſti cum gloſſis eorum & additionibus trahunt ſecundum facta currentia, & ad hominum conſvetudines*, ſimul aliquando *corruptelas* exca-

& cuncta vincendi. Hoc eſt, quod dicitur 1. *Maccab. VI.* Oſtenderunt elephantibus figuram uvæ & mori, ut acuerent eos in prælio. Ex natura enim habet hoc aliquid, quod audax & bonæ ſpei efficitur, quando aliquid ſimile videt ſangvini. Quia elephas propter caſtitatem & fortitudinem virum ſanctum ſignificat, qui acuitur ſangvine Chriſti in prælium, qui de uva Chriſti & mero, qui Chriſtum ſignificat propter ſimilitudinem peccati, quam à nobis accepit, exprimitur. Ille enim ſangvis valdè nos facit audaces &c. Ut ibi.

Et quia Chriſtus inſtituit, etiam eccleſia primitiva ſic tenuit, ut prædictũ eſt, nullam prætendens excuſationem: Non immerito debemus idem facere, ſi ſaltem cum Chriſto & de eccleſia ſua volumus computari.

Sed *diceres:* Quid? Ergò peribunt homines, qui ſic non receperunt aut dederunt? Ad quod *reſpondeo* breviter: Me in præſenti opuſculo diſputare nolle de his, quorum Deus judex eſt, ſed nos inſtruere, ne ſub judicio decedamus.

Ad hoc conſimilis quæſtio per *B. Hieronymum, De conſ. diſt. V. Nunquam, in fine.* Ad idem dicit *B. Cyprianus*: Frater chariſſime, id quod conſtat Dominum feciſſe, faciamus. Si qvis autem de anteceſſoribus noſtris vel ignoranter vel ſimpliciter non hoc obſervavit & tenuit, quod nos Dominus facere exemplo & magiſterio ſuo docuit, poteſt ſimplicitati ejus de indulgentia Domini venia concedi. Nobis verò non poteſt ignoſci, qvi nunc à Domino moniti & inſtructi ſumus. Hæc ille.

Contemtus enim & malitia, & ex propoſito reſiſtere, damnatur. Neceſſitas autem legem non habet, ut eſt communis ſententia Doctorum.

Demum autem ſecundum *Thomam* ſalvare conſvetudinem, qvâ populus communicatur ſub ſpecie panis tantùm, dicendum, qvod in hoc, qvod nititur ſalvare conſvetudinem in his rebus, in qvibus divina ſcriptura aliqvid certè conſtituit, *potius eſt ab eo declinandum, & certum ſtatutum Dei*, qvod non fallit neqve fallitur, *tenendum* & ſeqvendum.

Ad hoc, qvod per *Auguſtinum XI. diſtinct. In his rebus*, *& per Cyprianum* & multos alios ſuprà in principio poſitum, & plenius patebit intrà in concluſione ſeqventi.

Sed qvod *S. Thomas* modum communicandi ſub utraqve ſpecie non reprobat, ſed magis approbat, in hoc tanqvam Chriſti coadjutor eſt reverenter audiendus. Dicit enim *P. III. q. LXXVI. artic. 2. Quamvis totus Chriſtus ſit ſub utraque ſpecie, non tamen fruſtra. Quia hoc eſt conveniens uſui hujus ſacramenti, ut ſeorſim exhibeatur fidelibus corpus Chriſti in cibum, & ſangvis in potum. Quia corpus exhibetur pro ſalute corporis, & ſangvis pro ſalute animæ.* Ecce in hoc doctorem evangelicum, non conſvetudinum tantum. Ideò dicimus eum audiendum.

Poſtremò ponunt, qvod non occurrit aliqvis famoſus Doctor &c. *dicendum*, qvod iſte famoſus magiſter Chriſtus Jeſus, & magnus Propheta, filius chariſſimus Dei Patris, præcipiens nobis, ut ſuprà in principio, eum audire, dicit *Joh. III. Qui non credit, jam judicatus eſt, quia non credit iſte in nomine unigeniti filii Dei.*

Ex dicit iſte famoſus Doctor *Johannes Chryſoſtomus* ſuper Matthæum, De imperfecto: *Credere Chriſto eſt obedire Chriſto.* Qvi ergò ſic confitetur Chriſtum, qvomodo iſte mandavit, iſte Chriſto credit. Qvi autem non ſic confitetur, nec converſatur, qvomodo iſte mandavit, non credit Chriſto, nec introibit in regnum cœlorum.

Et famoſus Doctor *Cyprianus* dicit errorem, & condemnat, ut ſuprà. Et famoſus Doctor *Auguſtinus* ſuprà dicit: Nihil eſſe periculoſius, ſi non militetur ſicut Imperator noſter jubet.

Taceo de Doctore gentium *S. Paulo*, qvi ſic à Domino accepit & Corinthiis tradidit. Per factum ergò ſuum voluit, ſed oppoſitum reprobavit, ſcilicet iſtius, qvod Dominus monuit. Qvia iſtud nemo mutare audet, ut ſuprà per Auguſtinum.

Illorum ergo ſententias ſeqvi cupimus, qvos jam cum Chriſto regnare credimus,

Digitized by Google

CAP. IV.

Quarta Concluſio.

Conſtantienſis Concilii Doctores.

Cùm hujuſmodi conſvetudo ſit ab eccleſia introducta, & diutisſimè ex cauſis rationabilibus obſervata, habenda eſt pro lege, quam non licet reprobare, aut ſine autoritate eccleſiæ immutare pro libito.

Patet hæc concluſio in *Decretis, diſt.* 1. *cap. In Conſvetudine*, in *textu* & in *gloſſa*. Illo addito, quod, ſicut ſingularis perſona non debet dare legem Eccleſiæ, ita non licet ſibi conſvetudinem laudabilem pro lege habendam juxta ſuum libitum immutare.

Jacobell^o. G*Regorius: Si conſuetudinem fortasſis opponis, advertendum eſt, quod Dominus dicit: Ego ſum via, veritas & vita. Non dixit: Ego ſum conſuetudo, ſed veritas.*

Et certe, ut B. *Cypriani* ſententia utamur: *Qualibet conſuetudo quantumvis vetuſta, quantumvis vulgata, veritati omnino eſt poſtponenda. Et uſus, qui veritati eſt contrarius, eſt abolendus.*

Item *Auguſtinus*: *Qui contemta veritate praſumit conſuetudinem ſequi, aut circa fratres malignus eſt & invidus, quibus veritas revelatur, aut circa Deum ingratus eſt, inſpiratione cujus eccleſia eſt inſtructa. Utique veritate manifeſtata cedat conſuetudo veritati. Quia & Petrus, qui circumcidebat, ceſſit Paulo veritatem prædicanti. Igitur cum Chriſtus veritas ſit, magis veritatem quam conſuetudinem ſequi debemus. Quia conſuetudinem ratio & veritas ſemper excludit. Plane quis dubitet, veritati manifeſtatæ conſuetudinem cedere. Nemo conſuetudinem rationi & veritati præponat. Hæc* 8. *diſt. c.* 6. *Qui Contemta & c.* 5. *Si conſuetudinem, & c.* 4. *Veritate.*

Et quia communicationem ſub utraque ſpecie, ut *per ſe dicunt Doctores* ſupra *in prima concluſione*, inſtituit & miniſtravit Chriſtus, qui eſt veritas, qua ratione audent hic *in quarta concluſione*, dimiſſa veritate, allegare contrariam conſuetudinem? Cum tamen hujusmodi, ſecundum ſententiam Auguſtini ſupra, ſit invidus & malignus. In hoc enim oſtendunt ſe eſſe *Doctores conſuetudinum, & non veritatis*, quæ eſt Chriſtus.

Ideo quilibet veritatem diligens dimisſis hujusmodi Doctoribus, etiamſi esſet legio Doctorum hujusmodi, veritatem, Chriſtum, magnum iſtum Prophetam & Dei patris filium charisſimum, ſecundum præceptum ejus audiat, non ſolum in iſta veritate evangelica communionis, ſed & in omni alia veritate ſua infallibili: A qua *conſuetudinarii* ſemper fideles ſub ſpecie conſuetudinis ſubtrahere nituntur.

O quam venenoſa res eſt hujusmodi temporibus, ut magis infra patebit.

Prætendunt deinceps hujusmodi, & dicunt, *conſuetudinem ab eccleſia introductam*. Unde dicit *Archidiaconus*, ſecundum quod allegat eum *Johannes Andreæ de Electionis fundamento, Libr. VI. In Novella, Et de hoc per eum, de Conſecr. diſt.* 1. *Eccleſiam*, ponens differentiam inter eccleſiam & ſynagogam, quod *eccleſia* nomen Græcum in Latino ſonat idem quod *convocatio*, quia ad ſe omnes vocat, & dicitur *catholica*, quod idem ſonat quod *univerſalis*. *Convocari* autem proprium eſt utentium ratione. Et ſic in eccleſia populus fidelium ad unam fidem, ad Dei judicia, ad Chriſti convivium convocatur. Hæc ibi.

Quid autem eſt hoc *convivium*? Audi *Auguſtinum*, qui ad hoc aſſumit verba poſita *Sap. IX.* inquiens: *Sapientia ædificavit ſibi domum, paravit menſam ſuam, miſit ſervos ſuos, convocans omnes & dicens: Venite & edite de meis panibus, & bibite vinum, quod miſcui vobis. Et iſtam menſam præparavit ſervis & ancillis ſuis in conſpectu eorum. Ut quotidie in ſimilitudinem corporis & ſanguinis Chriſti panem & vinum ſecundum ordinem Melchiſedech oſtenderet: Oſtendendo nos cibaret in ſacramento.* Hæc *Auguſtinus*.

Ergo eccleſiæ Chriſti eſt convocare ad convivium ſuos, & non impedire, ſive ab

Digitized by Google

ve ab eo retrahere per contrariam conſuetudinem, quam non approbat, nec ex intentione introducit: Sed potius Synagoga contrarium introduxit & introducit. De qua dicit idem *Archidiaconus*, ubi ſupra, allegans ad hoc *Hugonem*. *Synagoga idem eſt quod congregatio. Congregantur autem etiam pecora. Congregatur ergo in iſta grex irrationabiliũ.* Hæc ibi.

Unde pro iſta materia, ſecundum *gloſſam c. Eccleſ. De pœnitentia, diſt.* 1. eſt notandum. Quod *ſunt quidam in eccleſia nomine & re, ut boni Catholici, ut XXIV. q.* 1. per Hieronymum c. 10. *Omnibus. Omnibus conſideratis, puto me temere non dicere, alios ſcilicet bonos eſſe in domo Dei, ut ipſi etiam ſint eadem domus Dei, quæ dicitur ædificari ſupra petram, quæ unica columba appellatur, quæ pulchra ſponſa ſine macula & ruga, & hortus concluſus & fons ſignatus, puteus aquæ vivæ, & paradiſus cum fructu pomorum. Quæ domus etiam claves accepit ac poteſtatem ſolvendi. Hanc domum ſi quis corrigentem corripientemque contempſerit, ſit tibi, inquit, tanquam ethnicus & publicanus.*

Item *Ambroſius, de pœnitentia diſt.* 1. *Eccleſia Chriſti eſt nullam habens maculam, neque rugam, aut aliquid hujuſmodi. Qui ergo peccator eſt, aliqua ſorde maculatus eſt, de eccleſia Chriſti non poteſt appellari, nec Chriſto ſubjectus dici. Poſſibile eſt autem, ut quomodo eccleſia, quæ prius rugam habuit, & maculam, & immunditiam, & poſtea reſtituta eſt: Ita & peccator currat ad medicum: Quia nullo opus habent ſani medico, ſed male habentes. Ut curet vulnera ipſius & fiat de eccleſia, quæ eſt corpus Chriſti.*

Item *Lira Matth. XVI.* ſuper iſto: *Ex porta inferi &c.* dicit. *Ex quo patet, quod eccleſia Chriſti non conſiſtit in hominibus ratione poteſtatis vel dignitatis, eccleſiaſticæ vel ſecularis. Quia multi Principes & ſummi Pontifices & alii inferiores inventi ſunt apoſtataſſe à fide. Propter quod eccleſia conſiſtit in illis perſonis, in quibus eſt notitia & vera confeſſio fidei & veritatis.*

Item *Guilielmus de monte Lauduno in Sacramentali* ſuo dicit: *Notandum eſſe, cum Chriſtus dixit:* Rogavi pro te Petro, *quod per* Petrum *intelligebatur* tota univerſalis eccleſia, *quæ deficere non poteſt, cujus fundamentum eſt Chriſtus, columnæ apoſtoli, lapides Chriſti fideles, per cæmenta roris divinæ gratiæ Chriſto capiti, velut Chriſti corpus proprium, virtute articulorum fidei conjuncti. Qui omnes ordinant unam eccleſiam, rugam vel maculam non habentem. Cujus eccleſiæ Deus eſt pater, Chriſtus hæres & unicus filius, ſpiritus ſanctus nutrix, lactando ſua gratia.*

Cum ergo quæritur: An oratio facta pro Petri fide extendatur ad fidem ſucceſſorum ſuorum, ut nunquam poſſit deficere, & ſic nunquam damnari, dic: Aut loqueris *de ſucceſſoribus officii & meriti*, quod ſic. Si autem *de ſucceſſoribus officii tantum*, non extenditur: Sed proprie peccatore omiſſo extenditur oratio ad alios *fideles eccleſiæ*, qui proprie dicuntur *ſucceſſores*, & in ipſis oratio exauditur, ut ibi. Et ſic notatur in gloſſa ſuper iſto verbo, *Luc. XVII. Rogari pro te, Imo pro omnibus.*

Quidam nec nomine nec re ſunt in eccleſia, ut *præſciti*, de quibus *XXIII. q. IV. Si quis à catholica.*

Alii nomine tantum. *De Conſecr. diſt. IV. Eſt unitas*, dicitur: *Mali enim homines ſunt in eccleſiâ, ſicut mali humores in corpore. Et XXIII. q.* 4. *Quantus.* Ubi dicitur: *Mali ſunt ſicut zizania, boni triticum.* Et large ſumitur *eccleſia*, ut granum & paleam complectatur, ut *XXXII. q. III. Recurrat.* Aliud enim eſt eſſe *quaſi de eccleſia*, aliud eſt eſſe *in eccleſia.* De quo in gloſſa dicta, *Eccleſia, de pœnitent. diſt.* 1. Iſti ergo mali humores & zizania nituntur triticum ſuffocare.

Sicut ergo *eccleſia eſt rationabilium*, non introducit, nec approbat, niſi conſuetudines rationabiles, quæ ſunt in his rebus, in quibus divina ſcriptura nil certi ſtatuit, ut *Auguſtinus XI. diſt. In his*, ut etiam dicit *capitulum Conſuetudo, diſt. I.* per Doctores pro ipſis allegatum. Dicit enim ſic: *Conſuetudo eſt jus, quod de moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, cum deficit lex.*

Et quia, ut notum eſt, lex non ſolum puri hominis, imo & filii Dei, hic non deficit: Quare ergo audent dicere: Huic legi conſuetudinem contrariam tenere, & locum habere, cum *capitulum Conſuetudo* per ipſos allegatum, nihil facit ad propoſitum pro bono eorum, ut patuit.

Digitized by Google

Sic ſicut *Synogoga eſt & irrationabilium*, ſic introducit & approbat facta irrationabilia & conſuetudines irrationabiles, & corruptelas, quæ ſunt contra jus naturale, & contra ſcripturam canonicam. Et ſumitur jus naturale pro jure divino, quod continetur in lege & evangelio. Et ſcriptura vocatur vetus & novum teſtamentum, uti patet 9. *diſt.* per totum. Et ibi in ſumma concordat *Extravag. De accuſatoribus, Qualiter & quando*, 2. c. 24. in principio.

Et ideo nulla conſuetudo valet contra jus naturale, etiamſi omnes homines de mundo facerent, cujus ignorantia neminem excuſat. Et ibi nihil intereſt in vitio, decipere vel decipi. De quo dicitur: *Domini ſunt mandata, & omnis qui ignorat, ignorabitur.* De hac materia patet *Extravag. De conſuetudine c. ultimo*, & in gloſſa.

Hæc ergo altera res multum venenoſa, quod ſicut Synagoga nomine eccleſiæ ſe nominat, ſic & ſuas corruptelas conſuetudines vocat, & per hoc incauti decipiuntur. Attendite ergo à falſis Prophetis & pſeudo Chriſtis, qui confitentur ſe noſſe Dominum, factis autem negant, cum ſint abominati, & ad omne opus reprobi, *Tit. I.*

Capitur etiam eccleſia à modernis & alia ſignificatione, ſecundum quod poteſt colligi ex dictis *M. Stanislai & Stephani Palez in tractatibus eorum De Eccleſia, ſic: Eccleſia Romana eſt caput Papa, & ſummus pater in terris, imo cor, fons & alveus, continens plenitudinem poteſtatis, univerſas oves Chriſti informandi, illuminandi, dirigendi, certificandi. Collegium vere Carʒinalium corpus myſticum manifeſti & veri ſucceſſoris Principis Apoſtolorum Petri, & collegii aliorum Apoſtolorum, in officio eccleſiaſtico cognoſcendi, definiendi in univerſa materia catholica & eccleſiaſtica. Et illud corpus Cardinalium eſt ex triplicibus partibus. Una veluti ſuprema, quæ eſt Epiſcoporum Cardinalium, ſecunda media, quæ eſt cœtus Presbyterorum Cardinalium, tertia infima, quæ eſt Diaconorum Cardinalium. Hi cum Papa ſunt eccleſia ſancta, quæ non debet eſſe alicui in præcepto vel in inſtitutione aliqua, ſuſpecta cæteris*, ut ibi.

Er in iſta acceptione communiter accipiunt moderni eccleſiam, cum loquuntur de eccleſia Romana. Similiter & *Doctores* ſic videntur accipere, cum *in concluſionibus* eorum dicunt, *conſuetudinem Eccleſiæ ſervandam*, & contra obſervationes ipſius & ſtatuta non eſſe attentandum.

Et de conſuetudine *iſtius eccleſiæ* pulcherrime in *Speculo aureo* dicitur, quod alias intitulatur *Petrus Paulus. In his verbis inter cetera planctum pro affectu & dolorem heu corde auximus. Qua voce intonare & ipſe debeam, quis ſcribendi ſtylus, quiſve modus eloquentiæ explicare ſufficiat, in cor hominis non aſcendit, tantam peſtem mortificantem animas, in populo Chriſtiano graviſſime ſævientem. En ſchiſmata, en hæreſes & errores ubilibet infiniti. Nonne duriſſima plaga Domini deſcendit in Iſrael? Quam in ſe experitur his temporibus noſtra ætas. Sed heu vile aurum in tantum catenavit modo mentem Moſi, qui nedum non placare indignantis animum, ſed mala malis accumulans machinatur quotidie ad deteriora provocare. In contraria ſupra omnem modum res agitur. Ut inde exemplar omnis mali progrediatur, unde ſanctitatis proceſſerat omnis norma. Et unde tota eccleſia Chriſti, ædificante Deo conſtructa, ſumſit exordium, inde patitur jam ruinam. Illic jugum ſuave Domini abjicit & frangitur lex divina.* Et ſequitur: *Sicque vere tota Romana curia, à planta pedis uſque ad verticem capitis patenter erroribus excœcata, ipſa ſuorum errorum veneno inebriavit fere ſingulas mundi partes, acſi immenſam creatoris omnipotentiam ipſa ad ſuum libitum poſſet immutare. Omnes quidem de hoc murmurant, nullus clamat.* Et ſequitur: *Heu quoties tot & tantos errores conſpicio in eccleſia Chriſti, quos fere nedum totus mundus ſcit, ſed ruinam maximam & corruptionem patitur, & eſt paſſus, & ſcandalizatus per ea quæ fiunt in Romana curia continue. Te namque certifico, ſi etiam per inſpirationem Dei notorium eſſet de aliquo facta electio, & parva, quantumlibet utilis & docta, atque ſancta, nec dederis pecuniam vel de ſolvendo prius pacaverit, quaſi ſupervacuo pro ſua confirmatione, aut alias pro quocunque beneficio eccleſiaſtico laborabit. Nonne totum hoc ſua venalitate Romana curia propagavit, cum ſic exorbitanter promoventur epiſcopi,*

Digitized by Google

ſcopi, inutiles, idiotæ, ſcandaloſi, ambitioſi, avari. Aliisque beneficiis Eccleſiaſticis tam curatis quam non curatis ſine differentia diſcretionis & indifferenter præficiuntur lenones, coqui, ſtabularii equorum, & pueri. Tot ibi ſunt pactiones, tot quotidie ibi veniunt ſolutiones, quot ſine omni timore & verecundia tractatores ſeu mediatores ſimoniæ, quaſi forum conſtituentes publicum. Jam pro ſignatura Papæ ſuper tali beneficio vel gratia debes dare tantum, jam pro diſpenſatione ſuper talibus incompatibilibus tantum, prò tali indulto tantum, pro abſolutione à tali excommunicatione vel irregularitate tantum, pro talibus indulgentiis tantum, & ſic illis publicè paciſcuntur & forizant. Et iſte plus diligitur, qui aſtutiori ſollicitudine, & majori ſollicitudine plures ſimplices decipit, & plures denarios ſcit venari Tot & tanta etiam fiunt exorbitantes gratiæ, ſed revera multo verius dicerentur merçantiæ. Nunc fiunt & appellantur, De die obitus, nunc dies obitus declaratoriæ, nunc Perpetuum ſilentium, nunç, Cum clauſula anteferri, nunc, De proprio motu Papæ, nunc, Cum clauſula retineri quæ tollit jus quæſitum. Nunc fiunt anticipationes datarum, nunc datæ Cardinalium conceduntur, jam revocantur, jam mutantur, jam ad certum tempus duratura limitantur, jam renovantur, jam Prælati de una eccleſia ad aliam transferuntur, jam beneficiis ſuis propter pecuniam ſpoliantur. In omnibus his tota devotio conſiſtit, ut denarius acquiratur. Et ſequitur: *Quiſnam tam ſimplex eſſe poterit, qui non intelligat hoc ex avaritiæ radice procedere? Quis tàm juſtus, qui in bonum tam exorbitantia facta interpretari valeat? Quis tam ſanctus, ut non expaveſcat vel non ſcandalizetur? Imo toti clero ambitionis datur materia. Via gravibus & plurimis litibus aperitur. Et notandum quanta homicidia ex hoc ſequuntur. Imo certum eſt. Nam vix contingit vacare beneficium eccleſiaſticum, ubi duo tres, quatuor, quinq; ſex impetrantes ad acceptandum non currant, & ſæpius ipſi vel amici eorum hac occaſione ſe armis invadunt bellicis & mutuo ſe occidunt. Currunt quoq; ribaldi ad curiam ſicut ad forum publicum. Et ubi duo vel tres pro prima vel ſecunda ſalutatione ſe ſuſcipiunt, quærunt: Quanti jam valent Data* Papæ, *quantum*, Cardinalium, *quantum*, proprius motus Papæ, *quantum*, tales indulgentiæ, *quantum*, tales abſolutiones? *Quomodo ergo errores eſſe non debeant, ubi Chriſtus vera lux non illuminat, ſed cæca avaritiæ corda venalitate obfuſcat. Plane non regitur ſic eccleſia, ſed deſtruitur, ut ait B. Bernhardus, ſuper Cantica ſcribens, ſermone LXXIIX. Non eſt hoc cuſtodire, ſed perdere, non eſt defendere, ſed exponere, non eſt inſtituere, ſed proſtituere, non eſt paſcere gregem Dominicum ſed mactare & devorare, dicente Domino: Qui devorant plebem meam, ſicut eſcam panis. Nec rectores ſed deſtructores dici debent tam promoventes quam promoti. Et ſi bene adverto, non ſolum promoti his temporibus in Romana Curia, ſed quaſi totius mundi clero videtur hoc convenire, quod non intrat per oſtium, ſcilicet Chriſtum, hoc eſt dicere, quod Chriſtus debet eſſe cauſa collationis in conferente, & etiam receptionis in ſuſcipiente, ſed aſcendit aliunde, ſicut fur & latro, id eſt propter aliam cauſam quam propter Chriſtum principaliter, ut puta propter pecunias, propter conſanguinitatem, obſequium, preces carnales, favorem patriæ & linguæ, timorem humanum, aut adulationis, mendacii, lenocinii, vel cujuſcunq; peccati cauſa & non propter Chriſtum. Per quem ſi quis introierit, ſalvabitur. Ergo à contrario, ſi quis per ipſum non introiret, condemnabitur. Nec multitudo errantium aut error multitudinis hanc poterit veritatem aliquatenus immutare, ſed potius ſequendus eſt Chriſtus, qui eſt via noſtra, veritas & vita, quam tumultus errantium, quantumcunq; peritorum: Qui non minus ardebunt, quia cum multis ardebunt, 2.q.1.* Hæc ex *Speculo aureo, De eccleſiaſticis titulis*, collecta ſunt.

Patet ergo ex dictis & experientia, quæ eſt optima rerum magiſtra, quomodo dicta eccleſia in conſuetudinibus ſuis & factis populo Chriſtiano eſt valde ſcandaloſa. Nec aliquis ſanæ mentis diceret fidelem Chriſti amatorem & ſuæ legis miniſtrum ſequi debere hujusmodi conſuetudines ſive facta.

Quærit ergo *Bartholomæus Brixienſis, XXIV. q.1. ſuper c. A recta. De qua eccleſia intelligas, quod non poſſit errare? Si de ipſo Papa, qui eccleſia dicitur, certum eſt*

eſt quod Papa poteſt errare. Reſpondeo; Ipſa congregatio fidelium eccleſia dicitur. Et ſic eccleſia non poteſt errare. Nam ipſe Dominus orat pro eccleſia. Et pro voluntate ſuorum labiorum non fraudabitur. Hæc ibi,

Sic capiendo *eccleſiam*, eſt ipſi non immerito obediendum, ut dicitur *XXI. diſt. Quamvis*, in fine. *Romana eccleſia non habens maculam neq; rugam, nec aliquid hujusmodi.* Super quo dicit gloſſa Archidiaconi: *Quod ubicunq; ſunt boni, ibi eſt Romana eccleſia.*

Sicut ergò idem Dominus Jeſus Chriſtus voluntate labiorum ſuorum non fraudabatur, ſed exauditus eſt pro reverentia ſua, ſcilicet preces offerens ſupplicationesque cum clamore & lacrymis, *Hebr. V.* Ob reverentiam mandati patris ſui, Dei omnipotentis, quò dixit: *Ipſum audite*, ut ſuprà, & ſui ipſius, quò dicit: *Pœnitemini, & credite evangelio: Niſi manducaveritis carnem &c.* de quo etiam ſuprà, *duximus* eum exaudiendum.

Et ſecundum quod ipſe inſtituit & practicavit, & eccleſia primitiva poſt eum, ut concedunt doctores, & benè, *incepimus ſub utraque ſpecie*, in nomine ipſius, *cuilibet* piè deſideranti *porrigere ſacramentum*, non pro noſtro libito, ut prætendunt Doctores, ſed ſecundum primitivam inſtitutionem filii Dei, *longa & matura ſuper hoc præhabità deliberatione cum magiſtris & aliis legem Chriſti diligentibus.* Res enim de facili ad naturam ſuam, & ad ſtatum, à quo incepit, redit, ut *Digeſtis, De factis, Si unus.* Utendum eſt enim aliquo ad eum uſum, ad quem fuit inſtitutum, ut *45. diſtinct. Licet.*

Sed an *compoſitores præcedentium concluſionum* pro libito ſuo, ſub ſpecie pietatis, ſcilicet conſvetudinis ſive obedientiæ, & inunctis verbis, quantum in eis eſt, nituntur evangelium Chriſti pervertere & immutare, judicat ille, qui nihil ignorat, & quilibet fidelis ſanæ mentis exiſtens, quaſi vellent Dei omnipotentiam ac Chriſti mentem ad libitum eorum limitare, de quibus ſufficienter ſuperius patuit ex *Speculo.*

CAP. V.

QUINTA CONCLUSIO

Conſtantienſis Concilii Doctores.

Dicere, quod hanc conſvetudinem ac legem obſervare, ſit ſacrilegium aut illicitum, cenſeri debet erroneum.

Concluſio iſta patet ex prædictis. Nam hoc quod licitum eſt & laudabile & pro lege habendum, dicere ſacrilegium, eſt certiſſimè erroneum. Cùm error ſit falſi pro vero approbatio, ſecundum Auguſtinum ſuper Pſalm. XXX.

Correlariè ſequitur, quod multum temerariè & præſumtuosè fecerunt, qui contra univerſalem ritum eccleſiæ, quem tot & tanti Doctores laudant & approbant, & nullus famoſus Doctor reprobat, præſumſerunt populum ſub utraque ſpecie communicare, & quod communicandus ſit populus dogmatizare, & ſic non facientes calumniari. Et ſatis mirandum, quod in regno & in civitate, ubi eſt tàm ſolennis univerſitas, & clerus egregius, iſta tolerantur.

Jacobell⁹. IMò ſecundum dicta *Auguſtini* ſuprà: Qui contemta veritate præſumit conſvetudinem ſequi, invidus eſt & malignus. Et maximè illicitum & erroneum eſt credere, quemcunque vel quoſcunque, quot vel quanti ſunt, poſſe aliquid condere, laudare vel approbare adverſus veritatem. Unde dicit *Urbanus Papa, 25. q. 1. Sunt quidam dicentes, Romano Pontifici ſemper licuiſſe novas condere leges.* Et ſequitur: *Sciendum verò ſummoperè eſt, quod inde novas leges poteſt condere, ubi evangeliſtæ nequaquam aliquid dixerunt. Ubi verò apertè Dominus vel ejus apoſtoli & eos ſequentes ſancti patres ſententialiter aliquid definierunt, ibi non novam legem Romanus Pontifex dare, ſed potius, quod prædicatum eſt, usque ad animam*

Digitized by Google

mam & ſanguinem confirmare. Si enim quod docuerunt apoſtoli & Prophetæ, deſtruere, quod abſit, niteretur, non ſententiam magis dare ſed errare convinceretur.

Item *Marcellus Papa ibi in c. Omne: Nequaquam quidem ſtabit quod contra evangelicam vel apoſtolicam vel Propheticam doctrinam conſtitutionemve eorum ſive ſanctorum patrum actum fuerit.*

Item *Symmachus Papa*, 10. *diſt. Non licet Imperatori vel cuiquam pietatem cuſtodienti aliquid contra divina mandata præſumere, nec quicquã, quod evangelicis, Propheticis aut apoſtolicis regulis obviet agere.*

Item *Auguſtinus*, 9. *diſt. Quis neſciat ſanctam ſcripturam canonicam tàm veteris quàm novi teſtamenti certis ſuis terminis contineri, eam paſtoribus, omnium epiſcoporum literis, ita præponi, ut de illa omninò dubitari & diſceptari non poſſit, utrum verum vel rectum ſit, quicquid ſcriptum conſtiterit eſſe.* Et ſequitur in c. ſequenti, *Ego. Ego ſolis eis ſcriptoribus, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum ſcribendo erraſſe audeam credere. Aut ſi aliquid in eis inveniatur, quod videatur contrarium veritati, vel aliud quid, mendoſum eſſe codicem, vel non eſſe aſſecutum interpretem quod dictum eſt, vel me minimè intellexiſſe, non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate, quantalibet doctrina polleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi per alios autores, vel canonicas vel probabiles rationes, quod à vero non abhorreant, perſuadere potuerunt.* Et ſumitur hìc canonica ſcriptura ut ſuprà.

Et idem, VIII. diſt. dicit: *Neque quorumlibet diſputationes quamvis catholicorum & laudatorum velut ſcripturas catholicas habere debemus, ut nobis non liceat ſalvâ honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum ſcriptis improbare atque reſpuere, ſi fortè invenimus, quod aliter ſenſerint, quam veritas habeat, divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego ſum in ſcriptis aliorum, quales volo eſſe intellectores meorum. Noli meis literis quaſi canonicis inſervire. Negare non poſſum, nec debeo, ſicut in ipſis majoribus, ita multa eſſe in tàm multis opuſculis noſtris, quæ poſſunt juſto judicio & nulla temeritate culpari. In eo quippe merito ſumus, ut non dedignemur nobis, etiam dictum ab apoſtolo recipere, Et ſi quicquam aliter ſapitis, hoc quoque Deus revelabit.* Hæc Auguſtinus 8. & 9. *diſt.* per totum. Unde multa ipſe poſtea retractavit, ut XII. *q.* 1. *Certè*, & XXIII. *q.* 6. *Vides.*

Et ſic patet, quod eſt valde illicitum & erroneum, contra veritatem quicquam præſumere, etiam quocunque prætextu. Omne enim, quod eſt irreprehenſibile, catholica defendit eccleſia, ut *ut XXV. q.* 1. *Omne.* Et id novimus ſequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium eſt, nec decretis ſanctorum inveniatur adverſum, ut 3. *diſt. Sicut.*

Non eſt ritus eccleſiæ Chriſti & Catholicæ, ut prætendunt *conſuetudinarii Doctores*, dimiſſa Chriſti veritate & apoſtolorum, aliquam conſuetudinem contrariam approbare, cum ſciant ſcriptum, *XXV. q.* 2. *Amputato*, *Quod ea, quæ ſunt ab apoſtolis eorumque ſucceſſoribus inſtituta, nulla deſidia negligantur, nulla diſſenſione violentur, nulla concertatione conturbentur.*

Utinam *Doctores* ad iſtas ſcripturas attenderent, forſitan conſtitutionem Chriſti & in primitiva eccleſia tentam non impugnarent, & non tantum de *nomine Doctoratus* confiderent, & de eorum multitudine, quod ſunt tot & tanti, ut dicunt, qui laudant & approbant.

Ideo dicitur in *gloſſa* dicta, *c. Ego*, 9. *diſt.* Quod non eſt magis credendum honorabili perſonæ, quam alii. Quia veritas à quocunque prolata ſemper præferenda eſt, ut 2. *q.* 7. *Quæritur.* Ubi dicitur: *Non æquamus filium Patri in honore, ſed præponimus filium Patri in veritate, & ſic tribuimus honorem debitum, ut non perdat æquitas meritum.* Nec ſanctitas perſonæ proderit, ut citius credatur, ut ſupra in *c. Ego, & c. Neque*, 50. *diſt. Si quis præpoſtera*, Ubi dicit *Cyprianus: Mandant martyres aliqua fieri, ſed ſi ſcripta non ſunt in lege Domini, quæ mandant, ante eſt, ut ſciamus, iſtos de Deo impetraſſe, quæ poſtulant, & tunc facere, quæ mandant. Neque enim ſtatim videri poteſt de divina poteſtate conceſſum, quod fuerit humana pollicitatione promiſſum.*

Non ergo ſequitur: Doctores laudant & approbant, ergo fidelis Chriſtianus approbare debet, niſi in quantum Dominus approbat in lege ſua. Unde dicit *Auguſtinus: Sedendo in cathedra Moſi docent legem Dei, ergo Deus per illos dicit. Illa vero ſiqui nolint docere, nolite audire, nolite facere.* Certe tales ſua quærunt, non quæ Jeſu Chriſti. Quia, ſecundum Dionyſium, qui ex propriis loquitur, mendax invenitur. Et ſecundum Chryſoſtomum, omnis Doctor ſervus eſt legis. Et ſi de ſuo ſenſu aliquid velit addere vel ſubtrahere ſecundum proprium intellectum, dicitur falſus teſtis. *Proverb. XXX.* dicitur: *Omnis ſermo Dei ignitus clypeus eſt omnibus ſperantibus in ſe. Ne addas quicquam verbis iſtius, ne arguaris inveniariſque mendax.*

Ideo dicitur Deuter. *XXVII. Non addetis ad verbum, quod loquor vobis, neque auferatis ex eo. Maledictus, qui non permanet in ſermonibus legis hujus, nec opere eos perficiat.*

Concordat pulchre *Apoc. ult.*

Sancti enim *Doctores habent ſcientiam à ſcriptura, quia humiliter ſe ſubjiciunt ſcripturæ, ſenſum ſuum illi coaptantes. Sed hæretici Doctores habent ſcientiam in manu ſua. Quia quaſi Doctores illam ſuo ſenſu coaptant.* Hæc gloſſa, *Apocal. VI.*

Et optime concordat *Auguſtinus in Enchiridio*, de quo ſupra in *III. Concluſione.*

Et in hanc inſipientiam cadunt, qui eum ad cognoſcendum veritatem impediuntur aliquo obſcuro, non ad Propheticas voces, non ad apoſtolicas literas, nec ad evangelicas autoritates, ſed ad ſemetipſos recurrunt, & ideo magiſtri erroris exiſtunt, quia veritatis diſcipuli non fuerunt. Iſti vertuntur in laqueum tortuoſum, in omnibus locis ponentes ſcandalum. Ut immutent mendacio veritatem, cum aliud prædicant, quam ab apoſtolis acceperunt. Hæc *XXIV. q. III.* per totum. Et ibi per Hieronymum. *Et de iſta materia alibi eſt plus dictum.*

Inſuper dico cum Doctoribus, quod, ſicut dicunt, *in regno & civitate, ubi ſic communicatur populus, eſt valde ſolennis Univerſitas.* Suppoſita cujus volunt, ut communiter, & fere omnia volunt regi, & dirigi & inſtrui ſecundum legem Dei. Quam in eccleſia Dei ſumma diligentia venerari ſtudent, & memorialiter tenent, ut præcepit Dominus in Deuteronomio.

Verum tamen eſt, Communiter non incedunt ocreati, variati & togati, ut per iſta dignitas appareret, de quibus dicit *Johannes Andrea De exceſſibus Prælatorum Apoſtolicorum, libr. VI.* Nec magnificant fimbrias ſuas, ſicut iſti de quibus Matth. XXIII. dicit Salvator; *Dilatant* enim *phylacteria ſua, & magnificant fimbrias. Amant primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & ſalutationes in foro, & ab hominibus vocari Rabbi &c.*

Videant, quos tangit, qui ita exceſſive dilatant fimbrias & cucullas ſuas, ut equus ſive mulus, cui inſident, vix incedere poſſit. Taceo de ſervis ſuſtentantibus.

Sed de *Univerſitate*, ubi ſupra, ut communiter in abjectis ambulant. Scientes, quia *Johannes Baptiſta* ex eo erat idoneus teſtis Chriſti, quia auſterum habitum habuit, ut dicit *Lira Matth. III.* Ideo dicit *Apocal. XI. Et dabo duobus teſtibus meis amiciri ſaccis, & prophetabunt.* Hujusmodi erant iſti Doctores, quibus non erat dignus mundus, de quibus *Hebr. XI. Circumiverunt in melotis, in pellibus caprinis &c.*

Et communiter non ſunt ingroſſati, impinguati, dilatati, qui recalcitrant Deum factorem ſuum, & recedentes à deo ſalutari ſuo, ut patet *diſt. XXXIII.* Sientes, quod ſecundum B. Hieronymum *XXXV. diſt. c.3. Eccleſiæ confuſio & ignominia eſt, Jeſum Chriſtum crucifixum pauperem & eſurientem farcitis ſive farſis prædicare corporibus, & jejuniorum doctrinam rubentes buccas tumentiaque ora proferre. Si in apoſtolorum loco ſumus, non ſolum ſermonem eorum imitemur, ſed & converſationem & abſtinentiam.* Hæc ille.

Nec ſic de iſtis, de quibus dicitur *Ezechiel. XXXVIII. Et cadent ſepes*, dicit Lira, id eſt *multi de religioſis & doctoribus tempore Antichriſti, qui propter pugillum panis & pinguia beneficia quaſi canes muti non valent latrare*, de quibus Eſaias Propheta.

Sed

Sed de *univerſitate iſta ſolenni* multi jam vicerunt, propter ſanguinem agni, & propter verbum teſtimonii ſui, & non dilexerunt animas ſuas usque ad mortem, ut *Apocal. XII.*

Scire autem debetis, & pro certo credere ac tenere ſecundum Cyprianum: *Preſſuræ diem ſuper caput eſſe cœpiſſe, & occaſum ſeculi atque Antichriſti tempora appropinquaſſe, ut parati omnes ad prælium ſtemus, nec quicquam, niſi gloriam vitæ æternæ & coronam confeſſionis Dominicæ cogitemus. Nec putemus talia eſſe quæ veniunt, qualia iſta, quæ tranſierunt. Gravior nunc & ferocior pugna imminet, ad quam fide incorrupta & virtute robuſta parare ſe debeant milites Chriſti, conſiderantes, ſe quotidie calicem ſanguinis Chriſti bibere, ut poſſint & ipſi pro Chriſto ſanguinem fundere.* Concordat etiam ſupra in concluſione tertia.

Ideo non eſt mirandum, quare clerus Chriſti egregius ſic communicat fideles, ut ſcilicet fortes ſint in bello, & audaces veluti elephantes ad pugnam procedentes, ſecundũ Albertum ſupra, & ut gigantes exultando in via præſentis miſeriæ ad currrendum, ad bravium æternæ gloriæ apprehendendum.

CAP. VI.

Sexta Concluſio.

Conſtantienſis Concilii Doctores.

Pertinaciter aſſerentes oppoſitum præmiſſorum, ſunt hæretici cenſendi, & tanquam tales arcendi & puniendi.

Patet concluſio per hoc, Quod iſte, qui pertinaciter ſe opponit contra generalem, laudabilem, expedientẽ, per Doctores, nullo contradicente, approbatum ritum, miniſtrationem ſacramenti concernentem, merito debet haberi pro ſuſpecto de hæreſi, & tanquam novarum opinionum contra laudabiles mores eccleſiæ inventorꝰ & ſectator, & tanquam talis arcendus & puniendus. Et Prælati ſuper iſtis diſſimulantes ſunt multum redarguendi.

Jacobellꝰ.

O Mirum dictum Doctorum & grandis permutatio eccleſiæ eorum, quantum ad eccleſiam primitivam! Cum id, ſcilicet communicare ſub utraque ſpecie, quod in concluſione prima dicunt Chriſti inſtitutionem & miniſtrationem, & in tertia concluſione dicunt in eccleſia primitiva à fidelibus ſic receptum, in præſenti concluſione per indirectum, ſub ſpecie conſuetudinis ſive ritus eorum eccleſiæ, videntur hæreticare, & tenentes illud dicunt novarum opinionum inventores vel ſectatores, ſicque tenere volentes in hunc ritum & conſuetudinem eccleſiæ primitivæ, fundatum ſuper firmam petram, ſcilicet Jeſum Chriſtum, dimiſſa conſuetudine, temporibus noviſſimis ſuper arenam ædificata, utputa ſuper multitudine, quia tot Doctores approbant, ut dicunt, & tanti, & quia periculum, & cetera, de quibus ſupra, hæreticant: Et non potius è contrario: Cum, ſecundum Auguſtinum ſupra, invidus eſt & malignus, qui dimiſſa veritate, præſumit conſuetudinem ſequi. Et non poſſunt de jure dicere conſuetudinem tenere in his rebus, in quibus divina ſcriptura aliquid certi ſtatuit, ut etiam dictum eſt ſupra per Auguſtinum & alios.

O bone *Jeſu*, cum tu inveniſti & inſtituiſti, ut per ſe fatentur: Et tu, ſancte *Paule*, vas electionis, a Domino dicis te ſic accepiſſe, ſicut omnibus Corinthiis tradidiſti, & dicis *Galat. I. Notum vobis facio, fratres, evangelium, quod evangelizatum eſt à me, quia non eſt ſecundum hominem. Neque enim ego ab homine accepi, neque didici, ſed per revelationem Jeſu Chriſti!* Quomodo ergo dicunt hujusmodi veritatem *novam ſectam!*

O ſancte Paule, dic eis de iſta ſecta, *Actor. XXIV. Confiteor hoc tibi, quia ſecundum ſectam, quam dicunt hæreſim, ſic deſervio Patri Deo meo, credens quæ in lege & Prophetis ſcripta ſunt,*

ſunt, ſpem habens in Deum. Hæc verba Pauli ibi. Ubi Eccleſiam vocant ſectam Nazeræ̃orum. Et *Actor. ultimo* dixerunt ad Paulum: *Nam de ſecta hac notum eſt nobis, quia ubique ei contradicitur &c.*

Ecce, ab initio Chriſti ſecta eſt perſecuta & hæreticata, ideo dictum eſt ſupra: *Quod poſitus eſt in ſignum, cui contradicetur. Et hic eſt agnus, qui occiſus eſt ab origine mundi,* ut dicit *Johannes in Apocalypſi.* Quia ſecundum *Cyprianum epiſtola XXVIII.* in Abel occiſus, in Iſaac immolatus, in Joſeph venundatus, in Eſaia ſectus, in homine crucifixus eſt. *Et idem epiſtola XXVI. adverſus Judæos* dicit: *Iſrael populus conſuevit perſequi Chriſtum, non tantum in carne corporaliter apparentem, ſed & cum à Prophetis nunciaretur, longe ante eis per ſpiritum loquentem. Univerſos etenim vates perſecuti ſunt, ex quibus quoſdam lapidibus inſectando, alios indigne excruciando, peremerunt, non tam ipſos, quam in ipſis Dominum Jeſum Chriſtum. Hoc eſt namque hujus rei probatio, quod ſcilicet ſimulatores perfidos & mendaces Prophetas & Chriſto contrarios ſuſceperunt, bonos autem & fidei plenos impugnaverunt. Moſen enim maledicebant, quoniam Chriſtum annunciabat, Dathan vero diligebant, quoniam Chriſto contradicebat. Aaron repudiabant in ſacerdotio, quoniam Chriſti ſimilitudinem præferebat. Abiron conſtituebant, quoniam Chriſtum invidebat. David odio habebant, quia Chriſtum canebat: Saul extollebant, qui Chriſto non obediebat. Achan ſervabant Chriſtum reticentem, Joſuæ contradicebant Chriſti præcepta ſervanti. Jeremiam lapidabant, Chriſtum vaticinantem, Ananiæ obediebant Chriſto adverſanti. Eſaiam ſecabant Chriſtum vociferantem, Manaſſe magnificabant Chriſtum perſequentem. Johannem decollabant Chriſtum demirantem, Herodi credebant Chriſtum trucidanti. Zachariam lapidabant Chriſtum diligentem, Judam amabant Chriſtum tradentem. Videtis ergo, quomodo Chriſtum diligentes odiunt, & quomodo Chriſtum odientes ſemper diligunt. Non enim tantummodo teſtes Domini impugnaverunt, ſed perfidi coloni ipſi Domino patri ejusque filio contumeliam fecerunt.* Hæc & multa alia per eum ubi ſupra.

Poſito ergo pro poſſibili, quod veniat Chriſtus cum primitiva [illegible] *in medium Concilii Conſtantienſis,* cum [illegible] ſua apoſtolica & praxi ſua evangelica & dicat ibi turbis, ſicut in Capernaum docens dixit: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem &c.* Et volens ibi practicare ſacramentum, ſicut inſtituit, putasne habebit audientiam & locum, rebus ſtantibus, ut nunc? Grave eſſet. Imo videtur, quod non abirent retro, ſicut iſti in Capernaum ſcandalizati abierunt, ſed ſecundum condemnationem eorum hæreticarent & condemnarent, dicentes: Non eſſe eorum conſuetudinem.

Bene ergo cecinit vir ſecundum cor Dei, *pſalmo XC. Quoniam tu es, Domine, ſpes mea, altiſſimum poſuiſti refugium tuum* &c. Bene ergo prophetavit de vobis hypocritis *Eſaias,* ſicut ſcriptum eſt: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe a me. In vanum autem me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominum, relinquentes autem mandatum Dei tenentes traditiones hominum, ut Marci VII.*

Ad idem *Chryſoſtomus ſuper Matth. De imperfecto c. XX. ſic inquit: Quando vides, ſcripturas Prophetarum & evangelii traditas eſſe in manum falſorum ſacerdotum & Scribarum, non intelligis, quia verbum veritatis traditum eſt principibus iniquis & ſcribis. Et ſicut tunc ſacerdotes condemnaverunt Chriſtum morte, vel propter vanam gloriam vel propter avaritiam, cogitantes, quoniam ſi tenuerint Chriſtum, ipſi ſacerdotes eſſe non poſſent ſecundum legem, nec ipſi ſolennia lucra percipere: Ita nunc impii ſacerdotes & Scribæ veritatis verbum dignum interire cogitant. Quia ſi verbum veritatis tenuerint, ipſi ſalutaria lucra percipere non poſſunt. Trahunt autem verbum veritatis perverſis expoſitionibus ad illudendum & crucifigendum. Deludunt enim verbum veritatis, quando ſimulant ſe ſequi Chriſtum & diſputare de eo ſine timore Dei, non propoſito inveniendæ veritatis, ſed ſtudio [illegible]tendi. Hoc autem modo deludunt, [illegible] verbum veritatis, crucifigunt autem [illegible] & interficiunt, quando falſa profe[illegible] [illegible] verbum veritatis ſuffocant [illegible] in ſe occidunt. Et ſicut tunc ſacerdotes [illegible] nullam culpam idoneam invenientes in Chri-*

ſto

[illegible] *[illegible]ationem detulerunt adverſus [illegible] modo nullam rationem habentes di[illegible] verbum veritatis, falſa interpre[illegible], & falſa proferunt teſtimo[illegible] adverſus verbum veritatis, ſicut tunc [illegible] ſubornaverunt contra Chriſtum. [illegible] tunc ſacerdotes & ſcribæ cognoſcentes quidem eum, qui vere Chriſtus eſt, [illegible] malificum. Sic & modo ſacerdotes & [illegible] hæreticorum, cognoſcentes, quia verbum veritatis eſt, ſecundum ſcripturas, quas legunt, tradunt his populis, gentibus, ad illudendum & crucifigendum. Populi autem per ignorantiam verbum veritatis deludunt & crucifigunt, quaſi mendacem. Sed ignorantia eorum non excuſat eos, ſicut nec illos. Quoniam ſi vellent tantum judicio quærere, invenire poterant veritatem.* Hæc Chryſoſtomus.

Videant, quos iſta ſcriptura tangit, qui verbum veritatis *de communione ſub utraque ſpecie* fatentur Chriſti inſtitutionem & in primitiva eccleſia tentam, tamen illudunt, præponentes ei conſuetudinem eorum, alii periculum, alii multitudinem non tenentium, tandem [illegible] falſos teſtes, ſcilicet contra eandem veritatem practicantes.

Dicunt etiam poſt cœnam debere miniſtrari ſacramentum. Quod utique conſtat falſum, cum nullus repertus eſſe conſtat hujuſmodi, qui ſic dogmatizaſſet ſive prædicaſſet poſt cœnam, neceſſitate excluſa, quam per ſe excipiunt dicti condemnatores.

Procedentes tandem ad dicta ſive ſcripta iſtorum teſtium, ad hæreticationem & condemnationem, tradunt demum gentibus ad crucifigendum, hæreticandum & *puniendum.* Non advertentes, quod dicitur *XXIV. q. 3. Non [illegible]*, in gloſſa, *Quod judices non [illegible] participes ad excommunicandum.* Concordat *Extravag. De appellatione, [illegible], Et De ſententia excommunicationis, [illegible] mater, Libr. VI.* Iniquitas enim omnia præcipitat. Virtus autem lenta eſt omnium percunctatrix, ut de *pœnitentia dist. 3. Inter hæc.*

Tradunt demum *curiæ ſeculari*, dantes brachium ſeculare ad [illegible]candum iſtud contra omnes prædicantes hujuſmodi Chriſti inſtitutionem & eccleſiæ primitivæ ritum, prout patebit infrà in condemnatione eorum.

O Domine Deus, reſpice in teſtamentum tuum, quia obſcurati ſunt, qui repleti ſunt tenebris in domibus iniquitatum, de quo in pſalmo.

O Jeſu Chriſte, qui es inſtitutor [illegible] veritatis, nonne, quantum in eis eſt, te [illegible] hæreſiarcham? Et nihilum[illegible] [illegible] contra te & tuam [illegible] eccleſiam primitivam, ſi hodie teneret ritum ſecundum tuam inſtitutionem, brachium ſeculare. [illegible] vocari.

Verum ſicut tempore Chriſti Hanna & Caiphas, & [illegible] Phariſæi & ſacerdotes [illegible] in morte Chriſti & [illegible] non introierunt in prætorium, ſive in domum gentilis, ſcilicet Pilati, ne contaminarentur, ut manducarent Paſcha, ut *Johan.* XVIII. Juſtum tamen & innocentem petebant crucifigi, & Barrabam dimitti latronem inſignem: Ipſe enim Salvator primo in domo ſacerdotum, Hannæ & Caiphæ, ſubſannatus, blaſphematus verbis & factis, & prius ab eis extra ſynagogam ductus, *Johann.* IX. quaſi degradatus, traditus eſt curiæ ſeculari, ſcilicet dicentibus ipſis: Nobis non licet interficere quenquam: Sic & nunc ex omni parte blaſphematus ab hujuſmodi.

Primò enim infamant, deinde citant, excommunicant, & tandem breviter rapiunt & degradant, & maledicendo in corpore & in anima, quantum in eis eſt, tradunt curiæ ſeculari. Et ſicut tunc dixerunt Judæorum ſacerdotes: *Si dimiſeris hunc, non es amicus Cæſaris:* Sic dicunt: Domine poteſtas: [illegible] foro veſtro, & eccleſia non habet ultra, quid faciat. Ideo per ſecularem comprimendus eſt poteſtatem. Ut patet in proceſſu decretalium & conſtitutionum Papalium, de quibus longum eſſet ponere, latius enim infrà [illegible] videbimus de proceſſu [illegible].

O quàm periculoſè & hypocritice ſe hujuſmodi [illegible] & hominem tradunt, ut dicit [illegible] *De pœnitentia dist. Pœnitentia [illegible] qui [illegible]*

eos tantùm homicidas eſſe, qui manibus hominem occidunt, & non potius & eos, per quorum conſilium & fraudem & exhortationem homines exſtingvuntur. Nam Judæi Dominum nequaquam propriis manibus interfecerunt, ſicut ſcriptum eſt: Nobis non licet interficere qvenqvam; Sed tamen illis Domini mors imputatur, quia ipſi eum lingva interfecerunt, dicentes: Crucifige eum. Et ſeqvitur: *Qui ergo hominem tradidit, ille interfecit eum, Domino dicente: Majus peccatum habet, qui me tradidit tibi. Unde pſalmiſta: Filii hominum dentes, arma & ſagittæ, & lingva eorum gladius acutus. Subjiciant ergò ſe pœnitentiæ, quorum conſilio ſangvis funditur, ſi veniam mereri voluerunt.* Hæc Auguſtinus ubi ſuprà.

Hujusmodi traditiones Dominus præſciens, ait *Matth. X. Cavete ergo ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, & in Synagogis ſuis flagellabunt vos, & ad reges & Præſides ducemini propter me, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* Deberent enim potius lætari de deſiderio populi ad ſacramenta percipienda, & evangelica veritate tenenda, quam contra tales conciliare, & ad oppoſitum quaſi in mortem ducere. Similes illis, de quibus *Ambroſius, De pœnitentia, diſt.* I. *Quantaslibet*, ſic: *In tanta vero Domini gratia, tantoque divini muneris miraculo cum oportet univerſos lætari, commovebantur impii, & adverſus Chriſtum concilium congregabant, Lazarumq; interficere volebant. Nonne merito eorum ſucceſſores vos eſſe cognoſcitis, quorum duritia heredes eſtis? Nam & vos indignamini, & contra eccleſiam congregatis concilium, quia videtis mortuos in eccleſia reviviſcere & peccatorum indulgentia reſuſcitari mortuos. Itaque quantum in vobis eſt per invidiam vultis iterum interficere reſuſcitatos. Sed Jeſus non revocat beneficia, imo cumulos liberalitatis amplificat, reviſit ſollicite ſuſcitatos, & celebrata reſurrectionis gratia lætus ad cœnam venit.* Hæc Ambroſius.

O rex regum & Domine dominantium. Anguſtiæ ſunt undique, pater æterne. Si enim filium tuum chariſſimum ſecundum tuum præceptum audiero, & ut ipſe idem filius tuus chariſſimus juſſit, evangelio credidero ſuo, & more primitivæ eccleſiæ vixero, excommunicabor, hæreticabor, condemnabor, cremabor, vel aliis trucidabor ab iſta eccleſia Romana, quæ non ſapit naturam ſive morem primitivæ. Si autem evangelio non obedivero, mors mihi æterna & flammæ perpetuæ dabuntur in revelatione Domini noſtri Jeſu Chriſti de cœlo, cum angelis virtutis ejus in flamma ignis dantis vindictam in his, qui non noverunt Deum, nec obedierunt evangelio Domini Jeſu Chriſti, quia pœnas in interitu æternas dabunt a facie, ut 1. *Theſſal. I.*

Quid eligam jam? Sed ſcio, quod ſi hominibus placerem, ſervus Jeſu Chriſti adhuc non eſſem, *Galat. I.* Melius ergo eſt incidere in manus hominum, quam peccare in conſpectu Dei, *Daniel. XIII.* Multæ enim miſericordiæ ejus ſunt, 2. *Reg. ultimo.*

Nonne tempore Antiochi, qui præferebat figuram Antichriſti, dum libros legis Dei combuſſerunt igni, ſcindentes illos, & apud quemcunque inveniebantur libri teſtamenti divini, & quicunqve obſervabant legem Domini, ſecundum edictum regis trucidabant eos? Sed ſurrexit Mathathias & dixit: *Væ mihi, ut quid natus ſum videre contritionem populi mei! Quæ erat libera, facta eſt ancilla. Quid ergo nobis adhuc vivere?* Et ſcidit veſtimenta ſua & cperuerunt ſe ciliciis, planxeruntque valde, & dixerunt magna voce: *Et ſi omnes gentes regi obediunt, non eſt nobis utile relinquere legem & juſtitias Dei. Non audiemus verba regis, nec ſacrificabimus, transgredientes legis noſtræ mandata, ut eamus altera via,* ut 1. *Macc. I. & II.* Et ſequitur ibidem: *Vos autem filii, confortamini & viriliter agite in lege. Quia, cum feceritis, quæ vobis præcepta ſunt a Domino Deo noſtro, in ipſo glorioſi eritis.*

Sic legitur de Eliazaro, 2. *Maccab. VI.* & de ſeptem fratribus cum matre, ibi c. *VII.*

Imo omnes, qui placuerunt Deo per multas tribulationes tranſierunt fideles. Et nos ergo, non vileſcamur pro his, quæ patimur, ſed reputantes, peccatis noſtris hæc ipſa minora ſupplicia eſſe, ut Judith. VIII. Nolite ergo timere eos, qui occidunt corpus. Capillus capitis noſtri non peribit ſine patre noſtro. Sed in patientia veſtra poſſidete animas veſtras.

CAP.

CAP. VII.

Conſtantienſis Concilii Doctores.

Ad rationes, in quibus ſe conantur fundare prædicti præſumtores, facile eſt reſpondere. Unde principaliter allegant pro ſe illud Joh. VI. Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis &c. Ad quam reſpondet ſanctus Thomas, in gloſſa ſuper eodem verbo, dicens: Quod qui ſoli corpori communicat, non tantum facit propter hoc contra ſententiam Domini. Reddit cauſam, dicens, Quia qui communicat corpori, communicat ſanguini, cum ſub utraque ſpecie totus Chriſtus contineatur. Richardus de media villa dicit, quod iſta autoritas intelligitur de manducatione & bibitione ſpirituali. Et hoc etiam habetur ex dictis Auguſtini. Et quod oporteat dictam autoritatem exponere de manducatione & potatione ſpirituali, ſuadetur ex eo, Quod Niſi *dicit neceſſitatem. Eucharistia autem licet ſit neceſſaria voto, non tamen ponitur ſacramentum neceſſitatis. Sed manducatio & potatio ſpiritualis eſt ſimpliciter ſtante lege de neceſſitate ſalutis, quam illi faciunt, qui manent in Chriſto & Chriſtus in eis.*

Jacobellus.

ALlegant pro ſe primò Doctores ſanctum *Thomam*. Manifeſtè patet, *P. III. q. 73. De euchariſtia*, quod ipſe loquitur in caſu, cum nocumentum timeatur, ſcilicet cum communicandus eſſet infirmus, cui vinum noceret. Dicit tamen, quod vinum in modica quantitate ſumtum, non poteſt ægrotanti multum nocere. Sic videmus, quod cum timeatur de vomitu infirmi, quod nec ſub ſpecie panis ſibi de facili porrigitur corpus Chriſti, ſed inducitur, ut fidem habeat & votum ſive deſiderium ſacramentum percipiendi.

Et idem q. 80. de uſu hujus ſacramenti articulo 12. dicit, *Quod in quibusdam eccleſiis obſervatur, ut populo ſanguis ſumendus non detur*. Ecce non dicit ipſe, eſſe generalem ritum, quod non detur populo, ſed quarundam eccleſiarum. Nec ipſe improbat, condemnat, ſeu practicam iſtam hæreticat evangelicam, ſicut de quo Deus doleat, cujus eſt veritas hæc & praxis. Ut *Doctores* facere videntur, quaſi volentes ad libitum ipſorum limitare. Cum tamen dicat *apoſtolus, 1. Timoth. VI. Si quis aliter docet & non acquieſcit ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ei quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ, ſuperbus eſt*, ſicut talis Doctor, *nihil ſciens*. Unde dicit 1. *Cor. III. Dei enim ſumus adjutores & verbi, non ad deſtructionem ſed ad ædificationum*. *De* quibus magis infra patebit circa finem.

Ideo dicit *Coloſſ. II. Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum*. Illis enim imprecatur æternum væ, *Eccleſiaſt. XLI.* ubi dicitur: *Væ vobis, viri impii, qui dereliquiſtis legem altiſſimi Domini, & ſi nati fueritis, in maledictione naſcemini, & ſi mortui fueritis, in maledictione erit pars veſtra. Durum eſt enim contra* ſtimulum recalcitrare. Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur. Super quem vero ceciderit, conteret eum, ut *Matth. XXI.* Unde dixit diſcipulis ſuis, *Matth. X. Siquis non* receperit vos, neque audierit ſermones *veſtros*: *Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomæorum & Gomorrhæorum &c.*

Quid ergo illis, qui noviſſimis iſtis temporibus periculoſiſſimis non ſolum non recipiunt verbis & factis ſermones apoſtolorum ſed & blaſphemant, hæreticant, & condemnant? Duriſſima ſequetur eos pœna. Potentes enim potenter tormenta ſuſtinebunt, ut dicit *ſapiens*.

De altero, quod non ſolum *Richardus* imo nullus ſanæ mentis ignorat, quod dicta autoritas intelligatur ſpiritualiter, quia caro nihil prodeſt quicquam, id eſt carnalis intellectus: *Corporalem intelle-*

intellectum vocat eorum, qui credunt corpus Chriſti per partes dividi. De hoc enim Chriſtus reprehendit Judaos, quod tale ſumere intelligere volebant, quod caro ſua eſſet dentibus laceranda. Ex quo fuerunt ſcandalizati, credentes, quod vellet dare carnem ſuam propriam, ſicut venditur in macello. Et ipſi ex hoc receſſerunt ab eo. Sic gloſſant *Albertus, Guilielmus.* Et eſt *gloſſa De conſecr. diſt. 2. Prima.* Sed ſpiritus, id eſt ſpiritualis intellectus eſt, qui juſtificat. Quaſi diceret: *Non in eadem ſpecie vel groſſitie, qua me videtis, & qua me pati videbitis, manducabitis carnem meam, & ſanguinem meum bibetis, ſed in ſacramento,* ut in *gloſſa* dicti *c. Prima.* Ubi ſic dicit inter cetera: *Spiritualiter intelligite, qua locutus ſum. Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi eſtis, & bibituri iſtum ſanguinem, quem effuſuri ſunt qui me crucifigent. Vobis ſacramentum aliquod commendavi.* Imo ſecundum gloſſam ordinariam *Matth. XVIII.* ſuper iſto, *Et transfiguratus eſt &c. Illud corpus, quod habuit per naturam dedit diſcipulis ſuis in cœna, non mortale non corruptibile.*

Ex quo patet, quod non intelligit *Auguſtinus* neceſſitate incluſa, ſic ſpiritualiter tantum, ſcilicet excluſo ſacramento. Imo ſecundum *Guilielmum*, aliqui hæretici ex his verbis: *Spiritus & vita ſunt*, volebant probare, quod erat tantū caro ſpiritualiter intellecta. Sed male. Quia per hoc verbum: *Spiritus & vita*, non negatur, quin ſit ibi realiter caro, non ut cibus corporis & ventris, ſed ut cibus animæ & mentis. Unde *Matth. XV.* dixit Petrus: *Ediſſere nobis parabolam iſtam*, volens ſecundum gloſſam intelligi, quaſi myſtica eſſet intelligentia. Ideo dixit Salvator: *Adhuc & vos ſine intellectu eſtis, & putatis myſticum, quod eſt proprie dictum.* Unde dicitur in gloſſa ordinaria ibidem: *In hoc nos percutimur, qui plana Chriſti verba multipliciter exponimus, ut iſtud, de non poſſidendo argento, & non habendis duabus tunicis, & ceteris moralibus.* Concordat ſupra *Auguſtinus in Enchiridio*, Et dicit Hieronymus ibidem: *Ordinariè, quod aperte dictum eſt, putant apoſtoli parabolam dictam.* Vitioſus eſt auditor, qui vel obſcura manifeſtè vel manifeſte dicta obſcurè vult intelligi. Unde exponens idē Salvator dixit: Vos intelligitis, quia omne, qvod in os intrat, in ventrem vadit & in ſeceſſum emittitur. Ecce, non expoſuit verba ſua parabolicè ſeu myſticè, ſicut diſcipuli intellexerunt, ſed ad literam.

Sic ſuo modo planè & ſimpliciter dixit: Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, &c. Quod poſtea exponendo dixit: Spiritus & vita ſunt. Et ad quem ſenſum intellexerit, aperuit hoc, cum in cœna diſcipulis ſuis ſuum corpus ſeorſum miniſtravit. Non enim tunc dixit: Credite tantum & manducaſtis, ſed, Accipite, & dividite inter vos, hoc eſt enim corpus meum. Similiter & calicem. Sic & ſanctus Paulus & primitiva eccleſia intellexerunt.

Et quis audeat nunc aliter exponere & pervertere evangelium Chriſti, niſi eſſet antichriſtus, & anathema, *Gal. I.*

Si autem articulus neceſſitatis, & non contemtus religionis, ſacramentum excluderet, dicimus cum Auguſtino: *Quid paras dentem & ventrem? Crede, & manducaſti.* Sicut & iſte, in quo baptiſmus non ex contemtu religionis, ſed per articulum neceſſitatis excluditur, non amittit fructum baptiſmi, ſed baptiſmus baptiſtæ flaminis in ſpiritu ſancto repræſentatur. Hæc per *Albertum.* Sic patet intellectus prædictorum verborum. Et ſiquis velit aliter intelligere, & ſine neceſſitate ſacramentum excludere, non debet audiri, tanquam ex propriis loquens, ſecundum Dionyſium ſuprà, & per Doctores prædicta verba exponentes, de quibus etiam ſuprà.

Et quod dicunt, quod *eucharistia, licet ſit neceſſaria voto*, &c. dicit *Thomas*, ubi ſuprà, *q. 79.* quod ſpiritualis manducatio includit votum ſive deſiderium percipiendi hoc ſacramentum. Et ideò ſine deſiderio percipiendi hoc ſacramentum non eſt ſalus. Fruſtrà autem eſſet votum, niſi impleretur, quando opportunitas adeſſet. Et ideò manifeſtum eſt, quod homo tenetur hoc ſacramentum

tum ſumere, non ſolum ex ſtatuto eccleſiæ, ſed etiam ex mandato Domini dicentis: *Hoc facite in meam commemorationem.* *Et, Niſi manducaveritis carnem filii hominis &c.* Et ſequitur per eum.

Et ideo non poteſt eſſe laudabilis homo talis, ſed contra præceptum Chriſti & eccleſiæ, ſi quis à communione abſtineat. Non enim præceptum fuit centurioni, ut Chriſtum in ſua domo reciperet. Et ſequitur per eum, quantum ad adultos: Utrumque, ſcilicet baptismus & hoc ſacramentum, eſt neceſſitatis. Et dicit, quod peccatores magnum detrimentum patiuntur ex hoc, quod repelluntur à perceptione hujus ſacramenti. Unde per hoc non ſunt melioris conditionis. Et licet in peccatis permanentes, non excuſentur propter hoc à transgreſſione præcepti. Hæc *Thomas.*

Et dicit *Albertus*: Nec iſta ſunt egena elementa, de quibus Paulus Gal. IV. ſed potius elementa, in quorum effectum Deus conſtituit ſalutem noſtram. Quia quamvis talibus corporalibus elementis ſalutem non alligaverit; tamen in illis elementis ſalus invenitur, & perditur vita, quando non requiritur in articulo neceſſitatis, & non contemtus religionis elementum ſacramentale excludat.

Et ſi *euchariſtia* non ponitur *ſacramentum neceſſitatis*, ut dicunt Doctores, quare *Innocentius III. Extravag. De pœnitentia & Remiſſione c. Omnes*, præcipit *ad minus in paſcha ſuſcipi euchariſtiæ ſacramentum. Alioquin & vivens ab ingreſſu eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana ſepultura careat.*

Quare videtur, quod euchariſtia cadit ſub præcepto, cujus oppoſitum prætendunt Doctores. Et quia ſecundum Auguſtinum, ſupra, Dominus, cum dixit: *Niſi manducaveritis &c.* nobis ſacramentum commendavit. Et ſecundum Doctores, ly *Niſi*, dicit neceſſitatem, & cadit ſub neceſſitate, & præcepto etiam, ſicut baptismus ſecundum Thomam, ſupra. Et maxime quoad adultos. Sicut ergo de baptiſmo dicitur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei:* Sic hic dicitur in materia communionis: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis &c.*

Sic eſt conſimilis locutio: *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quam ſcribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum, Matth. V.* Ubi inter cetera Chriſti mandata minima, ſecundum Chryſoſtomum, quartum, ſcilicet, *de non jurare omnino*, ponitur, cum dicit Dominus, exprimens juſtitiam antiquorum: *Iterum audiſtis, quod dictum eſt antiquitus, Non perjurabis; Reddes autem juramentum Domino.* Subjungit ſtatim, in quo noſtra juſtitia debet abundare, cum dicit: *Ego autem dico vobis: Non jurate omnino &c.* Quod Innocentius Papa *Extravag. De jure jurando, c. 26. Et ſi Chriſtus*, dicit, quod *Chriſtus præcepit ſecundum evangelicam veritatem, quod ſermo noſter eſſe debeat, eſt, eſt, non, non.* Et tamen nihilominus *in c. Excommunicamus, Extravag. de hæreticis, & in c. Et ſi quoties, Extravag. de ſimonia*, pro hæreſi condemnat.

Vid. Jacobelli opusculum de Juramento.

CAP. VIII.

Conſtantienſis Concilii Doctores.

Item allegant Apoſtolum 1. *Corinth. XI Ubi dicit*: Dominus Jeſus, in qua nocte tradebatur, accepit panem &c. *Reſpondetur, quod licet Chriſtus poſt cœnan miniſtravit hoc ſacramentum ſub utraque ſpecie, non tamen præcepit, ut deinceps ab omnibus ſumeretur, ſed hoc diſpoſitioni diſcipulorum & ſuorum ſucceſſorum reſervavit, ut poteſt elici ex edictis Auguſtini ad Januarium ſupra allegatis in probatione ſecundæ concluſionis. Quia etiam Apoſtolus non poterat illis totum agendi ordinem inſinuare, poſt verba prædicta ſubjunxit:* Cetera, cum venero, ordinabo. *Etiam dici poteſt, quod qui communicat corpori, communicat & ſanguini. Et ergo ſumere ſub una ſpecie tantum, non eſt contra traditionem apoſtoli.*

Digitized by Google

Etiam ſecundum Alexandrum de Halis Dominus inſinuat modum conficiendi & ſumendi. Ergo convenienter diſpenſavit ſub duabus ſpeciebus.

Jacobell. Supra in *reſponſione ſecunda concluſionis* dictum eſt de ſimilitudine iſta: Scilicet, Sicut mutatum eſt poſt cœnam communicare, ſic & immutari poteſt, ſcil. communicare ſub utraque ſpecie. Quod valde claudicat. Ubi patet per Auguſtinum, quod bene verum eſt, quod non ſemper poſt alios cibos ſumeretur. Sed ſi Dominus hoc monuiſſet, nemo immutaſſet, ut ibi. Sed, quod homo tenetur hoc ſacramentum ſumere ex mandato Domini, dicentis: *Hoc facite in meam commemorationem* &c. & iterum: *Niſi manducaveritis*, patet manifeſte ſupra *in reſponſione præcedentis concluſionis* per ſanctum Thomam & alios, ut ibi.

Et ſic dicit *Lyra* 1. *Corinth. XI.* quod apoſtolus ibi arguit Corinthios de hoc, quod male ſe habebant circa ſacramentum euchariſtiæ, quantum ad cibum. Quia aliqui eorum pranſi ſumebant. Ideo dicit: *Quid dicam vobis ſuper hoc facto? laudo vos* de hoc? Interrogative dicit, & reſpondet: *In hoc non laudo.* Poſt hoc oſtendit hujus ſacramenti dignitatem, inſtitutionem & uſum eccleſiæ circa ſacramentum, inducens fideles ad ejus debitam ſumtionem, ibi: *Hoc facite, quotieſcunq; biberitis, in meam commemorationem.* Itaque vel quinquies facit mentionem de manducatione & bibitione calicis, & de hoc non reprehendit eos. Nullo enim modo, quod Dominus jubet, ſervus bonus prohibet, ut ſupra.

Et quia ſecundum *Thomam*, ſupra, mandatum eſt Domini, dicentis: *Hoc facite in meam commemorationem*, Et iterum: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis &c.* Et per Doctores dicentes, quod Niſi dicit neceſſitatem: Si ergo apoſtolus ſic diſpoſuit Corinthiis hujusmodi uſum ſacramenti, & ſic habuit diſpoſitum eccleſia primitiva & ordinatum, ſicut concedunt Doctores tanquam manifeſtum in principio tertiæ concluſionis: Et in præſenti reſponſione dicunt, quod hoc reſervavit diſpoſitioni apoſtolorum: Mirum ultra modum, quare Doctores hujusmodi diſpoſitionem nituntur impedire, quam apoſtoli in primitiva eccleſia ordinaverunt, cùm à fidelibus ſic ſumeretur ſub utraque ſpecie, ut per ſe fatentur, & nihilominus condemnare ſub prætextu conſvetudinis eorum, quæ tamen non liberavit, ſed veritas liberavit nos.

Allegant poſtea *Alexandrum de Halis.* Si velit Alexander cum Doctoribus, quod conficientes ſic debent ſumere, aliis tamen fidelibus non excluſis, benè. Si autem volunt, quod conficientes tantùm, habent contra eos eccleſiam primitivam, quæ omnibus fidelibus ſic miniſtravit, ut ſæpè dictum eſt ſuprà.

Ideò Chriſtus dicit *Johannis XVII. Non pro eis rogo tantùm, ſed pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me.* Et *Marc. XIII.* dicitur: *Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate.* Ubi dicit *Lyra*: Oſtendens quod non loquebatur pro diſcipulis, ſed pro omnibus fidelibus, præſentibus aut futuris. Ideò dicit *Chryſoſtomus*, quod Chriſtus docuit apoſtolos duodecim, & ſub apoſtolis ſeptuaginta duos, & ceteros Chriſtianos. Unde poſt reſurrectionem ſuam dixit *Matth. ultimò*: *Docentes eos ſervare, quæcunque mandavi vobis*, videlicet ſecundum Lyram, ſacramenta à Chriſto inſtituta, & alia ad fidem catholicam pertinentia. Non enim ait *Joannis ultimò*: Petre amas me, paſce te ipſum, ſed, *paſce oves meas.* Paſcite ergò, qui in vobis eſt, gregem Dei.

CAP. IX.

Conſtantienſis Concilii Doctores. *Item ablegant Gelaſium Papam, qui dicere videtur, quod ſumentes ſub ſpecie panis tantùm judicantur rei peccati ſacrilegii. Quia diviſio unius ejusdemque myſterii ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire.*

Re-

Digitized by Google

Reſpondetur ſecundum eosdem Doctores, Alexandrum de Halis, S. Thomam & gloſſatores decreti, quod canon iſte intelligitur de conficientibus. Et ſecundum ſanctum Thomam, Perfectio ſacramenti non eſt in uſu fidelium, ſed in conſecratione materiæ. Ideò nihil derogat perfectioni ſacramenti hujus, ſi populus ſumat ſub ſpecie panis, dummodo ſacerdos conſecrans ſumat ſub utraque ſpecie.

Item ſi fortè arguitur, quod ſumtio ſub utraque ſpecie ſit majoris meriti, ut concedit Alexander de Halis: Ergò ſic ſumi debet. Reſpondetur, quod licet ſtaret, ſumtionem ſub utraque ſpecie eſſe majoris meriti ratione augmentationis devotionis: tamen videtur, quod ſumere ſub una ſpecie tantùm, obediendo in hoc laudabili & approbatæ conſvetudini eccleſiæ, ſit in laicis majoris meriti, quàm exigere vel ſumere ſub utraque ſpecie. Quia quaſi ſcelus idololatriæ eſt, nolle acquieſcere.

Jacobell'. GElaſius Papa nullam facit mentionem de conficientibus, ſed de ſumentibus, cùm dicit: *Comperimus, quod quidam ſumta tantùm corporis ſacra portione.* Et ſequitur: *Aut integra ſacramenta percipiant* &c.

Et quare *ſacerdos*, in ſumendo non integrum, committeret ſacrilegium, & non *laicus*, non videtur ratio. Cum ratione communicationis, non eſt ſacerdos præferendus, nec è contrario. Sed qui ſe melius pro devotione diſponit. Sacerdos enim ratione characteris conficit, ſed ratione devotionis communicat. Sic Man bonis ſapiebat, prout volebant, deſerviens uniuſcujuſcunque voluntati. Ad quod quisque volebat, convertebatur, ut *Sapient. XVI. & Lyra Marc. XI.* Nec gloſſa Decreti, *c. Comperimus*, excludit alios à conficientibus, cùm dicit: *Nam infirmus vel ſanus in neceſſitate poteſt ſine vino ſumere.* Et ſic excipit neceſſitatem, quæ legem non habet, de quo ſuprà. Chriſtus enim non conficientibus, imo, ſecundum *Wilhelmum*, laicis in perſonis laicalibus exiſtentibus ſic dedit. Et eccleſia primitiva ſic tenuit. Et hoc ſufficit diſcipulo, ut ſit ſicut magiſter, *Matth. X.*

Et dicit *Lyra* 1. *Cor. X.* Quod euchariſtiæ ſacramentum eſt quoddam ſpirituale nutrimentum: Et ideò ſit de duplici ſpecie, ſcilicet potus & cibi. Quia utrumque requiritur ad rationem nutrimenti perfecti.

Et *Thomas* ubi ſuprà, *q.* 73. dicit manifeſtè, quod dicitur unum ſacramentum, quia ordinatur ad ſpiritualem refectionem, quæ corporali conformatur. Ad corporalem autem refectionem duo reqviruntur, ſcilicet cibus, qui eſt alimentum ſiccum, & potus, qui eſt alimentum humidum. Et ideò etiam ad integritatem hujus ſacramenti duo concurrunt, ſcilicet ſpiritualis cibus & ſpiritualis potus, ſecundum illud *Johann. VI. Caro mea verè eſt cibus, & ſangvis meus verè eſt potus.* Ideò *q.* 76. dicit, quod hoc eſt conveniens uſui hujus ſacramenti, ut ſeorſim exhibeatur fidelibus corpus Chriſti in cibum, & ſangvis in potum, de quo multoties etiam ſuprà per *Guilielmum.*

Idem dicit *Julianus Papa, De conſecr. diſt.* 2. *Cùm omne: Illud verò, quod pro complemento communionis intinctam tradunt euchariſtiam populis, nec hoc prolatum ex evangelio teſtimonium receperunt.* Et ſequitur: *Seorſim enim panis & ſeorſim calicis commendatio memoratur.* Sic enim Chriſtus inſtituit, & primitiva eccleſia tenuit, prout ſuperius ſæpius patuit.

Quod etiam *majoris meriti* dicitur eſſe, prout allegant Doctores ſecundum *Alexandrum de Halis.* Quamvis in iſto dicto non eſt cum ipſis Doctoribus famoſus Doctor, nec approbant ſive recipiunt eum, ſicut ſuperius *in tertia concluſione*, in eo quod videbatur pro eis, tanquam famoſum Doctorem receperunt. Hic autem gloſſant, *& ſub ſpecie obedientiæ* nituntur evadere. Cum tamen ſubditi non tenentur Prælatis obedire,

Digitized by Google

dire, in quantum deviant à Chriſto, 1. *Corinth. XI. Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Inferiora enim naturaliter imitantur ſuperiora. Et in hoc conſiſtit perfectio eorum. Primum autem verum exemplar imitationis eſt filius Dei, *Johann. I. Omnia per ipſum facta ſunt.* Propter quod omnium perfectio conſiſtit in imitatione hujus exemplaris. Ideo dicitur *Matth. XIII. in homilia ſuper iſto: Simile eſt regnum cœlorum homini, qui ſeminavit bonum ſemen &c.* quod Chriſtus in Petro mandat omnibus, quæ Petro: *Sequere me.* Ac ſi dicat: *Imitando me mihi conformis efficere.* Inſinuat hoc Dominus loquens Moſi, & in Moſe cunctis eccleſiæ rectoribus: *Omnia, inquit, facies ad exemplar, quod tibi monſtratum eſt in monte.* Quid eſt *ad exemplar hoc?* Ad uniformitatem. Et hoc *in monte*, id eſt in Chriſto. Extra hunc montem præcipitium eſt, digreſſio eſt, in digreſſione diſcorrectio, in diſcorrectione diſſimilitudo, in diſſimilitudine difformitas, in difformitate monſtrum invenitur. Quoniam ipſa difformitas eſt monſtrum. Ergo ſi extra hunc montem es, extra formam es. Quoniam ipſa forma in monte, id eſt in Chriſto eſt. Omne enim membrum, quod ſuo capiti non congruit, à conformitate recedit, monſtrum facit. *Hæc & plura alia ibi.* Ipſi namque Prælati nihil habent præcipere, prout & quando eis placet. Cum non ſint Domini ſubditorum, ſed eorum miniſtri, ut dicit *Lyra*, 1. *Corinth. III.* ſuper iſto: *Omnia noſtra ſunt, & Coloſſ. I.* ſuper iſto: *Cujus factus ſum ego miniſter.*

Relinquitur ergo, quod contra eorum prohibitionem ſine trepidatione poſſunt fideles accipere ſacramentum, ſecundum quod ſuperior, ſcilicet Chriſtus, inſtituit. Quia *lex ſuperioris per inferiorem tolli non poteſt, ut De Electione c.2. Ne Romani, in Clementin.* cum nec habeat imperium par in parem, ut *Extravag. de Election. Innotuit.*

Unde Propheta ait: *Numquid gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea? aut exaltabitur ſerra contra eum, qui trahit eam? His ita ex divina ſcriptura commemoratis, ſole clarius probavimus, quemquam non poſſe, qui minoris autoritatis, eum, qui altioris poteſtatis & autoritatis eſt, judiciis ſuis addicere, aut propriis definitionibus ſubjugare.* Hæc *XXI. diſt. c. 4. Inferior.*

Cum ergo Chriſto data ſit omnis poteſtas in cœlo & in terra, quis auderet eum ſubjugare propriis ſuis definitionibus, legem ſuam evangelicam ad libitum ſuum limitando, niſi eſſet filius perditionis, qui extollitur ſuper omne id, quod dicitur Deus. Ipſe enim putavit ſe poſſe immutare tempora & leges, ut ſupra. Quod enim Deus inſtituit, nefas eſt crimen appellari. Cum non poſſint inter peccata deputari, quæ lex præcipit. Quia quid bene geſtum fuerit, & inter præcepta legalia cuſtoditum, non poteſt facientibus deperire, ut *XXVI. diſt. Deinde.*

Præ omnibus ergo audiendus eſt Chriſtus, ut ſupra, ſecundum *Simonem de Caſia*, & in *Concordantiis.* Imo non debent eſſe nobis melioris conditionis, quam Pilatus, qui *Joh. XIX.* dicit: *Quod ſcripſi, ſcripſi.* Sufficit ergo, quod ita ſcriptum ſit.

Et patet, quod valde impertinenter ad propoſitum allegant, quod ſcribitur 1. *Reg. XV.* & allegative *LXXXI. diſt. c. 15. Si qui*, ſcilicet, quod *ſcelus idolatriæ eſt, nolle acquieſcere.* Cum non intendat ſcriptura iſta, obediendum eſſe contra legem Dei & ſanctorum ritum, ut videntur prætendere, qui allegant eam ad præſentem materiam communionis. Sed ſecundum legem Dei non obedire, etiam eſt reprehenſibile cuicunque. Et in iſto ſenſu allegatur in dicto *c. Si qui*, per Gregorium, ſcribentem omnibus per regnum Italicum & Teutonicorum, ut ſic: *Si qui presbyteri ſunt, Diaconi, vel ſubdiaconi, qui in crimine fornicationis jaceant, interdicimus eis ex parte Dei omnipotentis, & ſancti Petri autoritate, eccleſiæ introitum, uſque dum pœniteant & emendent. Si qui vero in peccato ſuo perſeverare volunt, nullus veſtrum eorum audire præſumat officium. Quia benedictio eorum vertetur in maledictionem, & oratio eorum in peccatum, teſtante Domino per Prophetam:* Maledicam *inquit,* benedictionibus veſtris. *Qui vero huic ſaluberrimo præcepto obedire noluerint, idolatriæ peccatum incurrent, Samuele teſte, & B. Gregorio inſtruente.* Pec-

Peccatum hariolandi eſt non obedire, & ſcelus idololatriæ eſt nolle acquieſcere. Peccatum ergo paganitatis incurrit, quiſquis dum Chriſtianum ſe eſſe aſſerit, ſedi apoſtolicæ obedire contemnit. Hæc ibi. In illa etiam ſententia reſidet apoſtolus, cum dicit: *Si quis frater nominatur fornicator, aut avarus, cum hujuſmodi nec cibum ſumere, nec ave dicere, nec in domum recipere*, ſed ſecundum dictum Salvatoris *eſſe debet ſicut ethnicus & publicanus*, niſi in ſterquilinium utilis eſt, *Luc. XIV.* Sic ſuo modo dicitur 1. q. 1. *Pervenit ad nos fama ſiniſtra, quod quidam epiſcoporum non ſacerdotibus propriæ diœceſeos decimas atque Chriſtianorum oblationes conferant, ſed potius laicalibus perſonis, videlicet militibus ſive ſervitoribus, vel, quod gravius eſt, conſanguineis. Unde ſi quis à modo epiſcopus inventus fuerit hujus divini præcepti transgreſſor, inter maximos hæreticos & Antichriſtos non minimus habeatur.* Hæc Gregorius VII. ibi.

CAP. X.

Invectiva in Conſtantienſe Concilium ob Reformationis jactantiam. Et de decretis ac conſtitutionibus ejus in genere.

ET quot putas hujusmodi invenirentur *in Concilio Conſtantienſi?* Qui tantum & tale teſtimonium dederunt de *capite* eorum, quod quondam dicebant *ſanctiſſimum*, ſed quale nunc, oſtendit *condemnatio eorum*, & *articuli* contra ipſum collecti.

Johannes 23. Papa damnatus in Concilio Conſtant.

Quid putas in membris invenirentur? Cum heu, ut dicitur in homilia, ubi ſuprà, *nullus locus* vacat à Zizaniis inimici hominis. Profectò, non paradiſus, vel ipſum empyreum, non apoſtolorum collegium. In empyreo peccatum ſuperbiæ, in paradiſo culpam inobedientiæ, in apoſtolorum collegio ſeminavit traditionem Judæ.

Quid putas, quod nunc facit *in Conſtantienſi congregatione?* An fortè neſcit ibi viam, aut introire non audet? Quoniam non eſt ſanctorum locus, qvem non tenuerit pes ejus. Ubique generat, ubique ſeminat. Nonne factum eſt, cùm quadam die veniſſent filii Dei, & ſtarent coram Domino, affuit inter eos & ſathan, *Hiob II.* Numquid comparitione Dei juſtificabitur, aut factore ſuo prudentior erit vir. Ecce, qui ſerviunt ei, non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit pravitatem. Quanto magis hi, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, *Jobi IV.* Concordat 2. *Petri c. 2.*

Nec adhuc, ſecundum B. Bernhardum, ad Eugenium Papam ſcribentem, revelavimus occulta dedecoris, nec parietem effodimus, ut abominatio major appareat. Nihil enim adhuc locuti ſumus de *ſimonia*, prima hæreſi & præcipua, ut 1 *qu. ultima* patet. De qua tamen vide ſupra in *collectis ex Speculo Aureo.*

Inſuper timendum eſt de multis *monſtris inibi congregatis*, de quibus in dicta homilia, ubi ſuprà, pulchrè ſic inquit: *ô clerice, vel canonice, tu qui plures habes eccleſias, an ignoras, quia in uno corpore plura capita, vel ſub uno capite plura corpora, tibi conſtituens, monſtrum te facis, bicapitalis nimirum vel tricapitalis, dum tu duas vel tres eccleſias tenes. Et ſic deinceps, quo tibi plura ſuccreverunt beneficia, plura ſuccreſcunt capita. Et quo plura creverunt deformius, coram Chriſto & eccleſia apparebis & indeformis. Quia cum Chriſto conformis cum Chriſto non es, qui unus ſponſus una contentus ſponſa, unum caput uno contentum corpore. Quid ergo amplius eſt? Monſtruoſum eſt. Si quis enim vult pingere aut ſculpere imaginem hominis vivi, & iſtum pingit vel ſculpit bicorporem vel tricorporem ſub uno capite, vel è contrario, nonne potius imago iſta repræſentabit monſtrum quam hominem? Sic & tu ſacerdos, qui plures habes eccleſias, plures curas. Tu Prælate, qui plures tenes præbendas ſive dignitates, magis prænotas, magis repræſentas monſtrum, quam Chriſtum. Ergo figura es mendax, imago fallax.*

O Domine Jeſu, qualia & quanta *monſtra* tu vides *in eccleſia. Quisnam locus ſanctorum, qui non habeat monſtrum? Habet parochia, habet canonia, habent & ipſa monaſteria. Habet parochia monſtrum ſacerdotem trium vel duarum eccleſiarum, tanquam*

quam ſub uno capite duo vel tria corpora geſtantem. Habet canonia monſtrum, Canonicum duarum vel trium prabendarum, tanquam unum corpus duarum vel trium facierum. Habent denique & ipſa monaſteria monſtrum ſuum, tanquam unum bicapitem negotiatorem. Olim ſane dicebantur clauſtra à claudendo, hodie potius dicuntur à claudicando. Quoniam viri clauſtrales, temporalibus rebus inhiantes, quaſi in utramque partem claudicant, dum ſervire Deo volunt & mammona, religioni & ambitioni, polo ſimul & foro. Hæc & multa alia ubi ſupra.

Hujusmodi ergo monſtra, hæreticos, & Antichriſtos non minus, de quibus ſupra in *c. Pervenit*, primum de medio eorum abjicientes, demum ordine debito, & ſine errore procedere poſſunt ad corrigendum exceſſus, *ad reformandum mores aliorum.* Quia ut dicit Felix Papa, qui trabem geſtat in oculo, probatur non poſſe educere feſtucam fratris ſui de oculo. Et eſt evangelium *Matth. VII. & Luc. VI.* Item *Gregorius in Moralibus: Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in iſtam lapidem mittat. Ad aliena punienda peccata ibant, & ſua relinquebant. Revocentur itaque intus ad conſcientiam, ut prius propria corrigant & tunc aliena reprehendant.* Et ſequitur: *Prius ipſi purgandi ſunt per quos aliorum culpa feriuntur. Ut ipſi jam mundi per ultionem veniant, qui aliorum vitia corrigere feſtinant.*

Item *Ambroſius* ſuper *Beati immaculati: Judicet iſte de alterius errore, qui non habet in ſeipſo quod condemnet. Judicet iſte, qui non agit eadem, qua in alio noverit punienda. Ne cum de alio judicat, in ſe ferat ſententiam. Judicet iſte, qui ad pronunciandum nullo odio, nulla offenſione, nulla levitate ducatur.* Et poſt pauca: *Bonus judex non ex arbitrio ſuo facit & domeſtica propria voluntatis, ſed juxta leges & jura pronunciat, & ſicut ſe habent jura, decernit. Obſequitur legibus, non adverſatur, examinat cauſa merita, non mutat. Diſcite judices, quem in judicando tenere debeatis affectum, quam ſocietatem, quam ſinceritatem. Qui judicat, non voluntati ſua debet obtemperare, ſed tenere quod legum eſt. In judicando cordi magis eſt cuſtodia veritatis quam obedientia voluntatis.*

Item *Gregorius: Poſtulatus Dominus judicare de peccatrice, non ſtatim dedit judicium, ſed prius ſe inclinans deorſum digito ſcribebat in terram. Typice nos inſtruens, ut, cum qualibet errata proximorum conſpicimus, non hac antea reprehendendo judicemus, quam ad conſcientiam noſtram humiliter reverſi digito diſcretionis eam ſolerter exculpamus, & quod in ea creatori placeat, quidve diſpliceat, examinatione dirimemus. Habetur 3. q. 7. c. 3. Qui ſine, c. 4. Judicet, c. 6. Poſtulatus*, & in concordantiis ibi poſitis.

Si ergò *in concilio* ſic procedatur, excluſo odio, & à ſe ipſo incepto, non ſecundùm arbitrium propriæ voluntatis, ſed juxta legem, dicimus ſine errore judicatum. Scientes, quod ſicut ſtellas cœli non exſtingvit nox, ſic mentes fidelium, inhærentes firmamento ſacræ ſcripturæ, non obſcurat mundana iniquitas, ut XXXVIII. *diſt.* Si autem per oppoſitum, tunc ſecus eſt credendum, ſed legi Dei adhærendum, non obſtantibus quibuscunque, vel quorumcunq; conciliis, in ipſa non fundatis, ut dicit *Iſidorus XI. q. ult. Si aliàs qui præeſt, fecerit, aut cuiquam quod à Domino prohibitum eſt facere juſſerit, vel quod ſcriptum præterierit aut præterire mandaverit, ſancti Pauli ſententia ingerenda eſt, dicentis: Etiamſi nos aut angelus de cœlo aliud evangelizaverit vobis, quàm vobis evangelizavimus, anathema ſit. Siquis prohibet quod à Domino præceptum eſt, vel rurſus imperat, quod Dominus prohibet fieri, execrabilis ſit omnibus, qui diligunt Deum. Is qui præeſt, ſi præter voluntatem Dei, vel præter quod in ſacris ſcripturis evidenter præcipitur, vult aliquid, vel imperat, tanquam falſus teſtis, aut ſacrilegus habeatur.*

Item *Fabianus Papa* ibidem. *Qui omnipotentem Deum metuit, nec contra evangelium, nec contra apoſtolos nec contra Prophetas, nec ſanctorum Patrum inſtituta agere aliquid ullo modo conſentit.*

Concludo ergò ſecundum *Johannem Chryſoſtomum* ibidem: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, ne fortè, propter timorem mortis, non liberè dicatis, quod audiſtis, nec fiducialiter non prædicetis omnibus, quæ in aure ſoli audiſtis.*

Sicut ergò ex his verbis oſtenditur, non ſolùm iſte proditor eſt veritatis, qui transgrediens veritatem, pro veritate palam menda-

mendacium loquitur: Sed etiam iſte, qui non liberè veritatem pronunciat, quam liberè pronunciare oportet, aut non liberè veritatem defendit, quam libere defendere convenit, proditor eſt veritatis. Nam ſicut ſacerdos debitor eſt, ut veritatem, quam audivit à Deo, liberè prædicet, ſic laicus debitor eſt, ut veritatem, quam audivit à ſacerdotibus, probatam quidem in ſcripturis, defendat fiducialiter. Quod ſi non fecerit, prodidit veritatem. Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem Hæc ibi. Concordat ſupra in quarta & quinta Concluſione.

CAP. XI.

Decretum Conſtantienſis Concilii, contra Communionem ſub utraque & contra Jacobellum. *A. 1415. Die XV. menſis Junii.*

Cùm in nonnullis partibus quidam temerariè aſſerere præſumant, populum Chriſtianum debere euchariſtiæ ſacramentum ſub utraque panis & vini ſpecie ſuſcipere, & non ſolùm ſub ſpecie panis, ſed etiam ſub ſpecie vini populum laicalem communicare; Etiam poſt cœnam, vel alias, non jejunum communicandum eſſe, pertinaciter aſſerant, contra laudabilem eccleſiæ conſvetudinem rationabiliter approbatam, quam tanquam ſacrilegam damnabiliter reprobare conantur: Hinc eſt, quod ſacrum Conſtantienſe concilium adverſus hunc errorem ſaluti fidelium providere ſatagens, maturâ plurium Doctorum tàm divini quàm humani juris deliberatione præhabita, declarat, decernit & definit: Quod, licet Chriſtus poſt cœnam inſtituerit & ſuis apoſtolis miniſtraverit ſub utraque ſpecie panis & vini hoc venerabile ſacramentum, tamen, hoc non obſtante, ſacrorum canonum autoritas, laudabilis & approbata conſvetudo eccleſiæ, ſervavit & ſervat, quod hujuſmodi ſacramentum non debet confici poſt cœnam, neque à fidelibus recipi, niſi in caſu infirmitatis aut alterius neceſſitatis, à jure & ab eccleſia conceſſo & admiſſo.

Decretum hoc ex concluſionibus Doctorum ſuperioribus formatum. Vide ſupr. Parte XVII. CAP. I.

Et ſicut hæc conſvetudo ad evitandum pericula aliqua & ſcandala rationabiliter introducta eſt, ſic potuit ſimili vel majori ratione introduci & rationabiliter obſervari, quod, licet in primitiva eccleſia reciperetur hoc ſacramentum à fidelibus ſub utraque ſpecie, tamen poſtea à conficientibus ſub utraque ſpecie, & a laicis tantummodò ſub ſpecie panis ſuſcipiatur.

Et firmiſſimè credendum, & nullatenus dubitandum, integrum corpus Chriſti & ſangvinem tam ſub ſpecie panis quam ſub ſpecie vini veraciter contineri. Quoniam hujuſmodi conſvetudo ab eccleſia rationabiliter introducta & diutiſſimè obſervata ſic habenda eſt pro lege, quam non licet reprobare, aut ſine autoritate eccleſiæ pro libito immutare.

Quapropter dicens, quod hanc conſvetudinem aut legem obſervare ſit ſacrilegum, aut illicitum, cenſeri debet erroneum. Et pertinaciter aſſerentes oppoſitum præmiſſorum, hæretici ſunt cenſendi, & graviter puniendi per diœceſanos eorum aut Officiales eorum, aut hæreticæ pravitatis inquiſitores, in regnis ſeu provinciis, in quibus contra hoc decretum forſitan fuerit attentatum, juxta canonicas & legitimas ſanctiones, in favorem catholicæ fidei contra hæreticos & eorum fautores ſalubriter adinventas.

Item

Item ipſa ſancta ſynodus decrevit, definivit & declaravit ſuper, iſta materia reverendis in Chriſto Dominis Principibus, primatibus, archiepiſcopis & epiſcopis, & eorum inſecutoribus, Vicariis, ubilibet conſtitutis, proceſſus eſſe dirigendos, in quibus eiſdem committatur & mandetur nomine hujus ſacri concilii, ſub pœna excommunicationis, ut effectualiter puniant contra hoc decretum excedentes.

Eos verò, qui communicando populum ſub utraq; ſpecie exorbitaverint, & ſic faciendum decreverint, ſi ad pœnitentiam redierint, ad gremium eccleſiæ ſuſcipiantur, injunctâ eis pro modo culpæ pœnitentia ſalutari.

Qui verò ex illis ad pœnitentiam redire non curaverint, animo indurato, per cenſuras eccleſiaſticas per eos ut hæretici ſunt coërcendi, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis.

Jacobell'. NEſcitis, cujus ſpiritus eſtis. Filius hominis non venit perdere, ſed ſalvare *Luc* IX. Hanc enim legem, ut legitur in Chronicis, Machmet docuit ſuos, ut ſcilicet perſequerentur, & occiderent, non Chriſtus. Et hoc propriè luporum, ſecundum *Chryſoſtomum* ſuper Matthæum de imperfecto. Ubi inter cetera ſic inquit: *Numquid lupum ovis perſequitur aliquando? Non, ſed lupus ovem. Sic enim & Cain perſecutus eſt Abel, non Abel Cain. Sicut Iſmael perſecutus eſt Iſaac, non Iſaac Iſmael, ſic Eſau Jacob, non Jacob Eſau, Judæi Chriſtum, non Chriſtus Judæos, hæretici Chriſtianos, non Chriſtiani hæreticos.* Ergò ex eorum fructibus cognoſcetis eos, ſcilicet, qui dant brachium ſeculare ad invocandum contra evangelicam veritatem practicantes.

Et ſequitur per eundem: *Quem videris ergo in ſanguine perſecutionis gaudentem, lupus eſt.*

Et alibi dicit idem: *Qui vult eſſe Chriſtianus verus, non ſolum non perjuret, ſed nec juret, non ſolum non percutiet, ſed nec percuſſus repercutiat, non ſolum ſincere diligat amicos, ſed & inimicos.*

Item Ambroſius: *Aggrediantur adverſarium non fuſte, non ſaxo, ſed manſuetudine, ſed bonis operibus. Hæc ſunt arma fidei noſtræ. Præcepta Chriſti arma ſunt Chriſtiani.*

Antichriſtus autem, ſecundum *Thomam in compendio*, compellit per minas & tormenta, quos aliter vincere non poteſt. Tanta verò, ut ait Dominus, tunc erit tribulatio, ut in errorem ducantur electi, ſi fieri poteſt. Et hoc innuitur *in Apocalypſi*, ubi dicitur: *Pedes ejus ſimiles orychalco, ſicut in camino ardenti.* Per *pedes* ultima membra Chriſti, per *caminum* verò tribulatio vehemens deſignatur. Excedent enim cuncta, quæ in martyribus præcedentibus ſunt impleta genera tormentorum. Et ſicut dicit *Haymo*: Iſta tentatio non per partes, ſed totum mundum ſimul exanimabit. Solventur enim dæmones, nec poſſunt vocare, quantum vellent. Fideles vero iſto tempore non prædicabunt. Quia tanquam excommunicati habebuntur tunc boni. *Nec vendetur eis aliquid, nec emetur ab eis quicquam, niſi habeant characterem & figuram, aliquid eis ad literam, ut adhærentes ſibi cognoſcantur, & alii interficiantur, & nomen beſtiæ, id eſt confesſionem ejus, aut numerum nominis ejus, id eſt multitudinem operum, & legem Chriſti pro poſſe deſtruet. Impedient nihilominus Apoſtoli Antichriſti, ne ſecundum veritatem à Catholicis ſcriptura exponatur Doctoribus, vel audiatur à fidelibus. Et ſicut Antichriſtus crudelior erit perſecutoribus, ita ſancti tunc temporibus erunt fortiores omnibus retro martyribus.* Hæc *Thomas*, ubi ſupra.

Et in hac tribulatione ſecundum *Lyram* Daniel VIII. debet auferri juge ſacrificium, & ſacramentum altaris, quod tempore Antichriſti ceſſabit, quantum ad ſolennitatem. Quia tunc miſſæ non celebrabuntur publice, ſed tantum occulte, propter rabiem iſtius perſecutionis. Hæc *Lyra*, ibi.

Anne

[illegible] ad hoc prætendat *condemnatio?* Qui habet aures audiendi, audiat. Cum utique oporteat Deo plus obedire, quam hominibus. *Beati ergo eritis* inquit *Cyprianus, epiſtola* 14. *cum odio vos habuerint homines & ſeparaverint, & maledixerint nomini veſtro, quaſi nequam, propter filium hominis. Gaudete & exultate in illa die. Gaudere & exultare voluit in perſecutionibus Dominus. Qu*[illegible]*unt, tunc da*[illegible]*tur corona* [illegible] *tur milites Dei, tunc martyr*[illegible] *li. Non enim ſic n men militia* [illegible]*, ut pacem tantummodo cogitare, ac* [illegible] *aut recuſare militiam debeamus,* [illegible] *ipſa militia primus ambulavit Dominus, humilitatis & temperantiæ & patientiæ magiſter, ut quod fieri docuit, prior faceret, & quod pati hortatus eſt, prior ipſe pateretur.*

Sic ante oculos, fratres chariſſimi, quod, qui omne judicium a patre accepit ſolus, & qui venturus eſt judicare, jam judicii ſui & cognitionis futuræ ſententiam protulit, pronuncians & conteſtans, confeſſurum ſe coram patre ſuo confitentes, & negaturum ſe negantes. Si mortem poſſemus evadere, merito mortem timeremus. Porro autem, cum mortalem mori neceſſe ſit, amplectamur occaſionem de divina promiſſione & dignatione, venientem fungamur exitu mortis, cum præmio immortalitatis, nec vereamur occidi, quos conſtat, quando occiduntur, coronari. Et ſequitur: *Solus namque non eſt, cui Chriſtus in fuga comes eſt. Solus non eſt, qui templum Dei ſervans ubicunque fuerit ſine Deo non eſt. Etſi fugientem in ſolitudine ac montibus latro oppreſſerit, fera invaſerit, fames aut ſitis aut frigus afflixerit, vel præcipiti navigatione tempeſtas aut procella ſubmerſerit,* [illegible] *militem ſuum Chriſtus ubique pugnantem* [illegible] *& perſecutionis cauſa pro nominis ſui* [illegible] *morienti præmium reddit, quod daturum* [illegible] *reſurrectione promiſit. Nec minor eſt* [illegible] *gloria non publice & inter multos* [illegible] *pereundi cauſa ſit, propter* [illegible]*. Sufficit ad teſtimonium martyrii* [illegible]*, qui probat martyres & coronat.* [illegible] *Abel juſtum, qui initiavit martyria,* [illegible] *Daniel. Quid in* [illegible] *rum ſeptem fratres cum m*[illegible] *juſti occiduntur propter juſtitiam* [illegible] *quoque docuerant?*

Et idem in epiſtola 28. inquit: *Igitur ad exemplum Dominicæ paſſionis, atque ad omne teſtimonium Chriſti animam tuam ponas, nec fundere ſanguinem tuum metuas. Martyrii inæſtimabilis eſt gloria, infinita menſura, immaculata victoria, nobilis virtus, immenſus triumphus, & propria confitentis laude præfertur. Unde velut ſocius Chriſti* [illegible] *decoratur.* Hæc ille.

[illegible] ergo perſeveraverit usque in finem [illegible] *Matth. X.* Sed ma[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] bus ſuis facere judicium [illegible] [illegible] de omnibus operibus [illegible] tis eorum, quibus impie [illegible] omnibus de [illegible] quæ [illegible] cum peccatores impii.

Hi ſunt murmuratores [illegible] ſecundum deſideria ſua ambulantes, & os illorum loquitur ſuperbiam, admirantes perſonas quæſtus cauſa, ut in *epiſtola Judæ II.* Unde dicit [illegible] *Joel III. Ecce, congregabo* [illegible] *& deducam eos in vallem* [illegible] *ptabo cum eis ibi ſuper populo meo.* [illegible] *niet cum millibus, &* [illegible] *lus, & qui eum pupugerunt &* [illegible] *mortem procurando*: Sicut Judæi [illegible] tendo, Pilatus in exequendo, gentiles reiterando. Sicut jam [illegible], qui vident, magis crucifigentur. Et ideo ſequitur: *Tunc plangent ſe ſuper eum* [illegible] *tribus terræ*, id eſt dolebunt reſpicientes eos, qui fundati ſunt ſuper eum [illegible] non tantum dolebunt de tormento [illegible] cut quod dejicientur de conſortio illius. Ideo ſequitur: *Et de ore* [illegible] *ex utraque parte acutus exibat*, id eſt [illegible] mea judiciaria ſive poteſtas [illegible] videt bonos a malis per [illegible] puniendi reprobos in corpore & anima. Hæc *Apoc. I.* cum *gloſa*.

Unde dicit [illegible]

Vidi ſubtus altare animas [illegible] *propter verbum Dei, &* [illegible] *quod habebant, & clamabant* [illegible] *c*[illegible] *usquequo Domine* [illegible] *judicas &* [illegible] *de his, qui habitant in terra.* [illegible]

huc modicum, donec impleatur numerus conſervorum & fratrum eorum, qui interficiendi ſunt, ſicut & illi: dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum. Veruntamen filius hominis veniens putas inveniat fidem in terra, Luc. XVIII.? Beati ergò, qui lavant ſtolas ſuas in ſangvine agni, ut ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitatem. Foràs autem canes & venefici & impudici, & homicidæ, & omnis qui amat & facit mendacium. Nec intrabit in illam aliquid coinquinatum, & faciens abominationem & mendacium, niſi, qui ſcripti ſunt in libro vitæ & agni. Timidis autem & incredulis & execratis & homicidis, fornicatoribus & veneficis, idololatris, & omnibus mendacibus pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda. Veni Domine Jeſu. Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt reddere unicuique ſecundum opera, & jam venio. Hæc *Apoc. XXI. & ultimo.*

Et ibidem *c. XX.* dicit *Johannes: Et vidi thronum magnum, & candidum & ſedentem ſuper eum, à cujus conſpectu fugit terra, & cœlum, & locus non eſt inventus ab his, & vidi mortuos magnos & puſillos ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ, & judicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta ſunt in libris ſecundum opera eorum.* Gloſſa: *Libri conſcientiarum tunc aperientur, in quibus legentur merita ſingulorum. Et alius liber in præſcientia Dei, quæ modò latet, tunc aperta erit omnibus, Quia tunc omnes ſcient, qui tunc ſunt ſalvandi & qui damnandi.*

Cùm ergò venerit filius hominis in majeſtate ſua, & omnes angeli cum eo, ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hædis, & ſtatuet oves à dextris, hædos autem à ſiniſtris. Tunc rex his, qui à dextris ejus erunt, dicet: Venite benedicti patris mei, poſſidete regnum paratum vobis à conſtitutione mundi. Eſurivi enim & dediſtis mihi manducare, ſitivi, & dediſtis mihi bibere, &c. Matth. XXV. Tunc ſtabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt, & qui abſtulerunt labores illorum, Sapient. V. Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors non erit ultra, nec luctus, nec clamor, nec dolor erit ultra, quæ prima abierunt, *Apocal. XXI.*

Tunc dicet & his, qui à ſiniſtris: *Diſcedite à me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus. Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare, ſitivi, & non dediſtis mihi bibere, Matth. XXV.* Quaſi diceret: maledicti, qui eratis diſpenſatores ſacramentorum meorum, & animas mihi dilectiſſimas, à me, quantum in vobis fuit, crudeliter repuliſtis. Ite ergo cum diabolo, & angelis ejus. Non enim eſtis digni guſtare cœnam meam, à qua fideles meos fugaſtis. Et ſervus nequam & infidelis, qui noluit miſereri conſervi ſui, ab irato Domino traditur tortoribus, id eſt, dæmonibus, qui in hoc ſunt executores juſtitiæ divinæ, *Matth. XVIII.*

Et Lyra ibi: *Unicuiq; qua menſura menſus eſt, remetietur*, & per hæc quæ coluerunt, recipient tormenta, ut narratur in *Horologio ſapientiæ*. Raptores namque prædones & eorum complices, & hi qui pauperes & amicos Dei indebitè per actiones afflixerunt & ſpoliaverunt, ad patibula quædam infernalia ſupra humanam æſtimationem pœnalia rapti violenter ſuſpendentur, & modo indicibili cruciabuntur. Nonnulli etiam qui ſub habitu equino mentem leoninam occultaverunt, qui ſervos Dei per opprobria & maledicta moleſtaverunt, & iniqua perſecutione læſerunt, ibidem à canibus infernalibus amariſſimis morſibus corrodentur. Unde dicitur Deuteron. XXXII. devorabunt eos aves morſu amariſſimo, dentes beſtiarum immittam in eis cum furore trahentium ſuper terram atque ſerpentium. Dæmones enim volucres dicuntur, quia ſpiritualis naturæ, ſeu quia per aera volitant, ut dicit *Rabanus Matt.* XIII. ordinarie! *Ibi ſuperbi* pro gloria temporali & mentis elatione, quo inflati ceteros præire ambiebant, tanta pœnarum mole ac pondere prementur, quantùm aliquis premi poſſit, qvi maximam turrim ſuper ſe ſuſtineret. Quia qui ſe exaltat, hic humiliabitur, & e contrario. Bibuli vino & crapuloſi, qui ventri ſuo ſervire ſtuduerunt,

fuere-

incredibili fame & ſiti ibi cruciabuntur, cupientes minimam guttam frigidæ aquæ,& nemo eis dabit. De verbo ubi ſuprà, *Conſumentur fame.* De vinea Sodomorum vinum eorum, & de ſuburbanis Gomorrhæ uva eorum, uva fellis & botrus amariſſimus, fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile. Luxurioſi quoque & qui in deliciis carnem ſuam emacerant, à ſerpentibus devorabuntur, & à bufonibus ignitis aculeis usque ad viſcera torquebuntur. Et qui hic ſocii ſunt in culpa, tunc ſocii erunt in pœna. Ut quantum ſe glorificaverunt in deliciis, tantum dentur eis tormenta. Supra modum autem cupidi & avari ac quæſtuarii malè torquebuntur. Nam in foveis metalleis plenis balneabuntur, & exilire cupientes absq; miſericordia reimpingentur. Judicium tunc duriſſimum his, qui malè præerant. Fortioribus fortior inſtabit cruciatio, & potentes potenter tormenta patientur, & judicium ſine miſericordia his, qui miſericordiam non fecerunt. O quis dicere queat, quantum ibi judices impii, rectores iniqui, clerici turpis lucri cupidi, monachi laſcivi, laici violenti, mulieres procaces, ambitioſæ & ſaltatrices, & diverſi quique falſi Chriſtiani periclitantes habebunt. Ideò dicit Dominus *Eſa. III.* In die iſta auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, i.e. inciſiones ad modum lunæ factas in ſoccularibus, vel ſunt quædam parvæ bullæ aureæ dependentes circa collum: & torques, id eſt ornamentum in ſuperiori parte veſtimenti factum circa collum & deſcendens usque ad pectus: Et monilia, id eſt ornamentum ad conjungendam diviſionem, quæ erat in ſuperiori parte pectoris: Et armillas, id eſt ornamenta brachiorum. Et mitras & diſcernalia, id eſt pectines. Et periſcelides, id eſt ornamenta brachiorum circa manum: Et murenulas, id eſt ornamenta, quæ figebant in finibus veſtimentorum contexta ex diverſis: Et olfactoriola, id eſt vaſa parva aurea vel argentea, quæ reponebantur ungventa, ut magis provocarent homines: Et inaures, id eſt ornamenta aurium, & annulos, id eſt digitorum, & gemmas in fronte pendentes, id eſt ſcuta ex gemmis. Et mutatoria & palliola, vel pallia, id eſt exteriora veſtimenta, & linteamina i.e. interiora juxta carnem; Et acus, ſunt inſtrumenta, cum quibus aptabant ornamenta corporibus ſuis: Et ſpecula & ſindones, ſubtilia velamina, in quibus operiuntur humeri: Et vittas & teriſtra, i. e. veſtis linea, qua mulieres utuntur in æſtate, & dicitur à terio, quia teruntur, ut fuerint rugæ multæ & tenues pro curioſitate. Et erit pro ſuavi odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro criſpanti crine calvitia, & pro faſcia pectorali cilicium, & eſt vitta tenuis & delicata, cum qua conſtringuntur mammillæ, ne ex ſua groſſitudine turpitudinem ingerant.

Tunc poteſt eis objici voce exprobrationis & opprobrii: Ubi ſunt nunc hi, qui ab initio à diebus antiquis mundo huic ſervierunt toto deſiderio, qui voluptuoſe viventes variis ſe deſideriis dederunt? En, quid proſunt nunc omnia, quæ tanquam umbra velociter tranſierunt? Quam brevis delectatio tam longam veſtem poſt ſe trahit æternæ miſeriæ. O ſtulti & vecordes ubi nunc verba illa, quæ cum lætitia cantare & cordis tripudio dicere ſolebatis: Venite & fruamur bonis, quæ ſunt, utamur creatura tanquam in juventute celeriter. Quid juvant autem quibus celeriter perfruiti eſtis? Siquidem à contrario vobis nunc plangere convenit & plangendo exclamare: Væ, væ nobis jam, nunc & in perpetuum. Væ, quia nati ſumus, nec ultra mori valemus. Væ, quia malè torquemur, nec à tormentis unquam liberabimur. O quis eſt, qui iſta recogitet ſupplicia, & hæc noſtra ad cor tormenta ponit? Nos inſenſati vitam eorum, ſcilicet juſtorum, æſtimabamus inſaniam, & finem vel vitam eorum ſine honore! Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter electos ſors illorum eſt. Hos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem

„ nem improperii. Erravimus à via veritatis. Et lumen juſtitiæ non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis. Cur deteſtati ſumus diſciplinam, & increpationibus non acquieverunt corda noſtra, nec audivimus vocem docentium nos, & magiſtris non inclinavimus aurem noſtram, pene fuimus in omni malo. Ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit ſuperbia, aut divitiarum jactantia contulit nobis? Tranſierunt omnia; tanquam umbra tranſiit, quod temporale fuit. Sed proh dolor nunc manſit quod in æternum nunquam finem habiturum, perpetuum mortis ſupplicium. O finis ſine fine, mors gravior omni morte, ſemper mori & tamen nunquam mori poſſe. O mi pater, qui me in hunc mundum genuiſti, ô mater, quæ me maternis viſceribus lactaſti: O vos omnes amici mei & ſocii mei, valete nunc, quia nunc eſt hora ſeparationis amariſſimæ, quæ eſt amarior omni morte. En ducor ad infernale ſuſpendium, en trahor ad metuendum ſupplicium, nunquam vos de cetero cum gaudio viſurus. O lacrymæ inceſſanter perfluite, oculi plorate, omnia viſcera mea ululate ſuper hac infelici ſeparatione, quæ eſt à ſummo bono, à facie illa glorioſa & jucunda, & à conſortio angelico, nec non iſto feliciſſimo numero electorum. Oculi noſtri miſeri nunquam aliud videbunt niſi miſeriam, aures nihil audient niſi væ, væ, & triſtitiam. O montes cadite ſuper nos, colles operite nos, abſcondite nos à facie iſta terribili furoris Domini, à facie iræ Dei. Heu, heu, ſententiante divina juſtitia, præcluſa eſt nobis ſalutis via, miſericordia negata, ſpes omnis ablata. O dolores & miſeriæ in æternum permanſuræ. Quid plura? Nos miſeri & miſerabiles tantum affligimur, & dolemus de illo æterno væ, ut qualiſcunque terminus excogitatus, dummodo finitus, eſſet nobis ſolatioſus. Ibunt hi in ſupplicium æternum *& clauſa eſt janua.* Hæc ubi ſupra.

Iſti curiæ tradentur, ſcilicet infernali, omnes fornicatores, ſimoniaci, avari, ceterique, qui digni ſunt morte, & non ſolum facientes, de quibus apoſtolus *Rom. I.* Juſti autem, ſcilicet juſtitiam Dei operantes, & legem Dei practicantes, intrabunt in vitam æternam. Quam nobis concedat, qui ſuos miſeros aſſecurat, dicens: *Ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit.* AMEN.

TOMI III. PARS XIX.

QVandoquidem vix ſuſcitatum hoc à Jacobello Euchariſticum negotium, non ſolum *ſententiam Conſtantienſis Concilii* erat expertum, ſed & *à Jacobello vindicari* cœperat: Quieſcendum haud rati & alii Theologi, vel Jacobello obviam ituri, vel Concilii definientis autoritatem defenſuri. Oppugnatus proinde mox à pluribus viris clariſſimis illius ætatis Jacobellus. Hos inter *Anonymus*, quem hic ſiſtimus, haud videri poterit poſtremus. Quem, ſive in Concilio exſtiterit, ſive ab illo abfuerit, ob rerum geſtarum lucem fidemque pleniorem diſſimulare nefas fore viſum.

ANONYMI THEOLOGI TRACTATUS

A. 1415. Sub Conſtantienſi Concilio editi

contra

JACOBUM DE MISA BOHEMUM,

& ſpeciatim contra doctrinam ab illo tunc reſuſcitatam

DE COMMUNIONE LAICORUM SUB UTRAQVE SPECIE.

Ex antiquiſſimo Codice MSCto

CÆSAREO VINDOBONENSI.

PARS I. Generalis.

De variis dogmatibus Jacobi de Miſa, & aſſeclarum ejus Bohemorum, necnon Wicleſiſtarum illius temporis.

CAP. I.

Invectiva in Jacobum de Miſa,

Ob Communionem ſub utraque, in Bohemia tunc per illum introductam.

E*Stote ſine offenſione eccleſiæ DEI*, ſcribitur, 1. *Corinth.* X.

ANNO NATIVITATIS DOMINI M CCCC XV.

In PRAGA nonnulli, ut reor, ut rumoroſi, qui plus quàm oportebat ſapere videntur, intra ſe vident, ſed extra ſe vid[illegible]olunt. *Ritum eccleſiæ verbo & ſcripto* [illegible]*e præſumunt*, Pauli immemores: [illegible]*e offenſione eccleſiæ Dei.* Populo *pr*[illegible] graviter ponendo, teſte Hilario, quod de his rebus ponendum eſt.

Sub duplici ſpecie aſſerunt vulgum communicandum. Scripturas, quibus ſtringi videntur, in medium proponunt laicorum. Uno oculo latius reſpicere volunt, quàm infiniti poſſunt videre. Conſtat tamen, plures pupillos latitudinem ſpecierum capere extenſiorem, quàm unus poterat continere. Apoſtoli immemores: *Eſtote ſine offenſione eccleſiæ Dei*,

Popu-

Populus enim offenditur, incredibilitas exoritur, gens Chriſti turbatur, charitas proximi exſtingvitur, mala ſama acquiritur.

Credunt *nonnulli*, per ſolam panis ſpeciem diminutè communicari. Sangvinem in calice credunt, in panis ſpecie dubio relinqvunt. Et ſic ſangvinem Chriſti loco & ſpatio credunt à corpore diſtingvi & ſeparari. Ecce primum malum.

Sunt *alii*, qui nec ſic volunt communicari, animum turbando. Quod ſic faciendo ſuſpenſi manent ſine communione. Secundum malum.

Sunt & alii *tertii*, rancorem ad proximum gerentes: Tu malè ſub una, malè ſub duabus communicas ſpeciebus. Egò recipio totum ſacramentum, tu partem. Ac ſi dicatur: Ego recipio totum Chriſtum, tu partem Chriſti. Tertium malum.

Ceterique alii vicinarum partium adjacentes ſunt obligantes, *Bohemos* infamando de mala fide, nunciantes, quia ritum eccleſiæ impugnant nimis doloſe. Ecce malum quartum.

Et quanta offenſione, quam Paulus præcipit fugere, dicens: *Eſtote ſine offenſione eccleſia Dei.* Non conſiderant, ritui & obſervationi eccleſiæ eſſe inſiſtendum, ſe eidem conformando; Quæ tamen ſpiritu regularisſime regitur & gubernatur. Et qui extra eccleſiam eſt, infidelis eſt. Nam per *noſtrum prædicare* tenenda non decidentur, ſed magis ad alterum ſunt referenda, cujus intereſt definire. Nam ſi nomine Dei quid facimus, nobismet non placeamus, teſte Apoſtolo, 1. *Corinth. Ego per omnia omnibus placeo, ſicut nemo ſibi ipſi ſed placet aliis.*

Nec dicatur, *licitum eſt talia prædicare.* Verum quidem, ſed non expedit, nec ædificat. Ergo fruſtra prædicatur. Unde Apoſtolus 1. *Cor. Multa licent, ſed non omnia ædificant.* Multa enim membra unum corpus ſunt, videlicet ipſa *eccleſia Dei*, cujus caput Vicarius Chriſti demonſtratur, ne totum corpus eccleſiæ monſtrum videatur. Nemo itaque extra eccleſiam Dei cadere debet, neque alios ad caſum inducat, ne ſimul in foveam cadant.

Non modicæ igitur autoritatis quis eccleſiam reputet, atque ipſius ritum & obſervationem levipendat, cum B. *Auguſtinus* obſervationem & autoritatem eccleſiæ plus evangelio comparavit, loquens *contra Fauſtum: Evangelio non crederem, niſi autoritas eccleſiæ me commoveret.* Nam utique oculus capitis eſt, & extra caput oculus non eſt. Et ſicut ad motum localem capitis oculus locatur, movetur, & è contrario: Sic quilibet oculus, qui eſt *eccleſiæ membrum*, ad motum capitis movetur, alias oculus eccleſiæ non dicitur. Nam ſicut quicquid oculus capit, judicio capitis præſentat, & non extra, vel è contrario, quia ſine capite nullum judicium oculi eſt: Sic etiam oculi noſtrarum intelligentiarum, quod imaginatione aut ex ſcripturis gravibus apprehenderunt, judio eccleſiæ aut ipſius capiti tenentur præſentare.

Si autem quis oculorum ſcandalizatus fuerit per inobedientiam, eccleſiæ ſe non conformando, abjiciendus eſt, per illud Matthæi: *Si oculus tuus ſcandalizatus fuerit in te, abjice ipſum abs te.* Caput enim eccleſiæ eſt, cui Chriſtus ait illud *Johann. XXI. Simon, diligis me plus his? Paſce oves meas. Quia antequam vocarem te, novi te*, & ſuper plebem meam conſtitui te Principem, & claves regni cœlorum & omnia regna tradidi tibi. *Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Quæ omnia & ſingula Chriſtus ad ſucceſſores Petri ſignificavit.

Ecce, ne oves per lupos diſtrahantur, ſcribit *Apoſtolus in actibus apoſtolorum*, dicens: *Nam ex vobis exſurgent viri loquentes perverſa ut abducant vos per ſe poſt ſe, propter quod vigilate, & memores noſtri ſitis. Ego ſcio, quod intrabunt poſt diſceſſum meum lupi rapaces in vos, non parcentes gregi, ideo vigilate.* Hæc ille.

Gregi ergo Dominus Jeſus providens omnia, ſuo paſtori tanquam capiti ipſum poſt ſe relinquens, dixit ei: *Paſce oves meas.* Non aliis dixit, niſi quantum fluxum habuerit ab iſto. Quomodo igitur alii audent aliter paſcere, quam ille paſcit, cui primo præ ceteris Chriſtus

[illegible] commiſit? Nam non congru[illegible] eſt, ſanguinem Domini barbas lai[illegible] abluere, eundemque in terram [illegible]ere, ceteraſque irreverentias [illegible] exhibere.

Non [illegible] immerito apoſtolus ait: *[illegible] offenſione eccleſiæ Dei.* Eccleſia [illegible] offenditur, dum ab ejus obſer[illegible] receditur. Mira res utique eſt, quod toti eccleſiæ aut parti [illegible] pla[illegible], ut paucis diſplicere debeat. Cum tamen omnibus ad ſummum debet ha[illegible] recurſus, teſte *Ambroſio & Augu[illegible]: Si vis diſputare, vade Romam.* Nam ad imitationem capitis utique [illegible]torum debet imitari voluntas.

Nemo enim eccleſiam ſanæ mentis Dei dicat errare. Mira utique res eſt. Cum tamen eædem *ſcripturæ, quibus ipſi videntur ſua motiva concludere*, ante mul[illegible] centena annorum ſpatia à ſanctis patribus & ſapientibus Doctoribus, tam Theologicæ quam ſacrorum canonum facultatis, ſunt viſæ, lectæ, & optime intellectæ, imo in optimo fundamento [illegible], *per ſingula Studia univerſitatum* [illegible]. Nam utique, ſi ſecundum [illegible] Chriſti eſſet de neceſſitate [illegible] ſub utraque ſpecie communicare, *tam magni viri* in eccleſia Dei & [illegible] ſancti hoc providiſſent, & ad duplicem ſpeciem pro laicalibus redu[illegible], ut præceptum Chriſti obſervaretur. Cujus tamen oppoſitum eſt manifeſtum. Non veriſimile eſt igitur, *tam longo tempore*, quaſi *mille annorum ſpatio*, errare & adhuc ſtare in errore. Cum tamen Dei eccleſia ſemper ſpiritu regularisſimo regitur & gubernatur, teſte Paulo 1. *Cor. Idem Deus eſt, idem & ſpiri[illegible] qui operatur omnia in omnibus*, uti pa[illegible] *XII. Metaphyſicor. Entia & univerſa* [illegible] *male diſponi.* Quare timendum eſt, quod tales eccleſiæ impugnatores errant, Paulum non verentes: *Eſtote ſine offenſione eccleſiæ Dei.* Videant, ne dicatur de ipſis illud Auguſtini, de ſecta hæreticorum: *Multi, credentes plus aliis ſapere, dev[illegible]. Nam propria præſumtio ſemper ſ[illegible] caſum facit.*

Quare ſi [illegible] *unius ſpeciei* damnaret [illegible]et reci[illegible]pientes utrique [illegible] fuiſſet proviſum, ut [illegible] non tranſiret. [illegible], qui per hunc modum [illegible] ſpeciei vulgares communicaſſent, [illegible] & hodie eſſent in periculo ſalutis. Quod abſurdum eſt dicere.

Nec poteſt dici per colorem: Quod [illegible] mortem pœnituiſſent. Talis evaſio eſt prætenſa vel odioſa.

Etiam non congruit dicere, quod *eccleſia* huc uſque ad diem hodiernum *erraſſet*, & hodie in errore ſtaret. Repellendus eſt ſermo iſte. Licet *tempore Chriſti*, ut dicunt Doctores, [illegible], tamen ad hanc [illegible] non [illegible] uſque ad [illegible] devenire. Juravit enim Dominus David veritatem, & non fruſtrabitur eum.

Videant igitur [illegible] ipſi ex propria [illegible] [illegible] moleſtiam incurrant periculo. Sicut ait [illegible] *XII. [illegible] eſſe prudentes apud [illegible].* Nam tales, propria imaginatione perculſi, crebrius cadere videntur, teſte Paulo 1. *Corinth. Qui ſe æſtimat ſtare, videat ne cadat.* Et per Philoſophum patet in *libro de* [illegible] *[illegible]ntum perpetuum.* Mirandum eſt, [illegible] [illegible] obſervata [illegible] longo [illegible] ſtatutum eccleſiæ [illegible] & repugnare, Pauli [illegible] *[illegible] ſine offenſione eccleſiæ Dei.* In qua quidem obſervatione unius ſpeciei, tam longiſſime & legitime præſcripta, nullus Doctorum contradictor repertus eſt, cujus improbationem eccleſia approbaſſet. Igitur mira eſt res, quod tales in proprias præſumant [illegible]tiones, plus ſibi ipſi [illegible] quam toti Chriſtianitati, aut ejus [illegible]. Tales enim vident [illegible] circa ſcripturas videndo [illegible]. [illegible]enim vident, [illegible] eccleſiæ non vident. Nam Pauli [illegible]: Eſtote ſine offenſione eccleſiæ Dei. Non credunt, ſi quid [illegible] fuiſſet in eccleſiam inducendum, [illegible] repellendum, utique in tali longo ſpatio fuiſſet inductum, aut repulſum. Cum tamen eccleſia ipſa ſpiritu regulariſſimo diſponitur & regitur. Quod igitur unus aut pauci videntur plus ſapere quam tota [illegible] Chriſti fidelium congregatio, comparatio videtur nulla.

[illegible]

CAP. II.

De ſententia Jacobi de Miſa, Eccleſiam ad primævam formam eſſe reducendam.

SIc etiam faciunt illi, qui laicalibus prædicant, *totum tempus, & obſervationem eccleſiæ modernorum, debere reduci ad tempus & ad mores ſeu conſvetudines Apoſtolorum*, clerum nihil aut modicum habendo, nec poſſidendo. Videtur enim non ſimile. Apoſtoli nihil habebant aut poſſidebant: Quia habere nolebant: Omnia tamen in ſpiritu poſſidebant.

Nam tales prædicatores, *tempus aut conſvetudines modernas ad tempus apoſtolorum limitantes*, ſunt Dei limitatores. Volunt, inquam, potentiam Dei infinitam limitare ad finitam, videlicet ad tempus apoſtolorum. Credunt tales, quod Deus aliter non poſſit nec debeat hunc mundum fidelium regere, quàm quod rexit tempore Apoſtolorum. Et ſic iſti volunt potentiam Dei infinitam limitare, ad *ſemper ſic eſſe, ſicut fuit tempore Apoſtolorum*, & non aliter eſſe aut fieri. Et infinitum volunt facere finitum, quod eſt contra *Philoſophum*, *L.* 1. *cœli*, dicentem: *Potentia infinita non terminatur ad ſic eſſe, quia eſt interminabilis.*

Ita, quod fecerunt in Aſia & partibus ejus, poſtquam laicales *clerum reduxiſſent ad tempus apoſtolorum*, nihil habendo, ſpoliato clero de poſſesſionibus, *populus* gravius cœpit peccare. Dum etiam per ſacerdotes fortius corriperetur pro peccatis, expulerunt ſacerdotes undique. Et converſus populus in paganos in hodiernum diem. Ecce quantum *malum* eſt, *clerum nihil habere nec poſſidere*, aut *de poſſesſionibus ſpoliari*. Quando tamen vulgus populi, *cleri potentiam* reſpiciens, timet majora mala perpetrare.

Apoſtoli namque nihil habuerunt, quia habere noluerunt. Non ex præcepto Chriſti. Nam Chriſtus nullibi præcepit, quòd ſacerdotes nihil debeant habere aut poſſidere, poſſesſionibus non uti.

Nam *ſcriptura* tàm *veteris* quàm *novæ legis* oſtendit copioſè, quod *clerus debet habere*, imò & poſſeshonibus uti. Nam ſcribitur *libro Numerorum*, quòd *Levitæ* habebãt oppida & villas & alias poſſeſſiones. Quæ erant figura, quod ſacerdotes novæ legis ſimiliter debent habere dominia temporalia, & poſſesſionibus uti. Et in nova lege ſcribitur per apoſtolum Paulum 1. *Corinth. Quis paſcit gregem, & de lacte ejus non manducat? Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus, non magnum, ſi & veſtra metemus. Si alii poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potius nos? Neſcitis, qui altari ſervit, de altari participatur. Ita Dominus ordinavit his, qui evangelium nunciant, de evangelio vivant.* Hæc Paulus. Etiam, ex quo non eſt præceptum Chriſti, ut presbyteri nihil poſſideant, qualiter ergò non debeant poſſeſſiones habere? Quia habere poſſesſiones ipſum clerum, non eſt contra præceptum Chriſti.

Verum quidem, quod *ſuperflua nimietas*, ſaltim *quoad indignos & ignaros*, non eſt laudanda. Ex eo, quod mergit ipſos ad profundum, ratione *non ſatisfactionis*. Cùm pro quolibet quadrante dabitur aſpera ratio, quomodo bona eccleſiæ expoſita ſint an ad laudem Dei.

CAP. III.

Longa deſcriptio Wicleſiſtarum & Bohemorum illius temporis ex Reinheri, ordinis Prædicatorum celebris Theologi, libro de erroribus hæreticorum.

SIcut igitur multi ſunt, qui cum eorum opinionibus & imaginationibus faciliter cadunt in errorem, de quibus *erroribus & ſignis* cognoſcantur homines, qui declinant aut declinabiles ſunt in errorem, copioſe ponit *frater Reinherus, Ordinis Prædicatorum*, in *ſuo libro* quem compoſuit, *De erroribus hæreticorum*. In quo confitetur fuiſſe decem & ſeptẽ annis hæreſiarcha, Ponens primo ſigna

communia & generalia. Et deſcribit *primo*, quomodo *hæreticus* cognoſcatur per ſigna. *Secundo* quomodo cognoſcantur iſti, *qui declinant ad errores.*

De *primo* dicit, quod *hæretici* cognoſcantur

per *mores* & *per vitam*,

per *verba.*

Sunt enim in omnibus *compoſiti & modeſti.*

Superbiam in veſtibus non habent, nec pretioſis utuntur veſtibus.

Negotiationes non habent, propter mendacia, juramenta & fraudes, quæ fiunt circa mercimonia.

Sed tantùm vivunt de labore eorum.

Majores diſcipuli ſunt ſutores, ſartores, textores. Qui ulterius alios per angulos docent.

Divitias non multiplicant, ſed ſolùm neceſſariis ſunt contenti.

Et freqventer caſti ſunt & temperati.

Tabernas non viſitant, nec alias vanitates.

Semper aliquid operantur, vel diſcunt, vel docent.

Ideò parum dant.

Nec horas Canonicas laudant, dicentes: *Melius eſt unum Pater noſter, vel duo, cum devotione, quàm longa hora ſine devotione.*

Libenter communicant.

Prædicationes viſitant. Sed libenter prædicatorem capiunt in ſermone.

Non jurant. Dicunt: Jurare ſit grande peccatum.

Et quando contra eos proceditur, per interrogationes, quæſtiones, rarò directè reſpondent. Ut, ſi eſſet laicus & ab ipſo quæritur: *Scis tu hoc, vel hoc?* Ipſe reſpondet: *Quis me docuiſſet? Hoc pertinet ad magnos viros: Ego autem ſum ſimplex.*

Semper ingerunt ſe familiaritati nobilium & aliorum potentum, ut frequenter prædicent, ſi ſunt ſacerdotes, quod laicalibus placet, & quæ clero diſplicent.

Semper ſunt contra clerum.

Novitates ſemper inducunt, quæ ſunt contra obſervationes eccleſiæ Dei, ſeu Romanæ eccleſiæ.

Nam eccleſiam Romanam pro modico aut pro nihilo reputant.

Multa falſa circa vera immiſcent, Sic populum ſeducunt.

Sacram ſcripturam exponunt aliter, quàm ſancti expoſuerunt, aut quam Romana eccleſia acceptavit.

Ut frequenter ſunt inobedientes Romanæ eccleſiæ, quod ipſam pro nihilo reputant.

Populum per prædicationes provocant contra illos, qui cum eis non tenent.

Parum loqvuntur, & humiliter.

Et ſunt de bona vita apparenti coram hominibus.

Et ut frequenter ſunt pallidi.

Et ſemper per eorum prædicationes populus ſcinditur, unus ab alio. De charitate prædicant, & totum odium in populo generatur.

Et multa alia ſigna ſunt, de quibus ad præſens propter brevitatem omittitur.

Item *ſigna communia*, à quibus cognoſcuntur homines *ad errores declinabiles.*

Primum, ſi quis teneret & oſtenderet, quod Romana eccleſia non ſit omnium eccleſiarum mater, & caput totius obedientiæ Chriſtianitatis, talis ſtatim teneret errorem.

Item, ſi quis diceret & teneret, Romanam eccleſiam eſſe eccleſiam avaritiæ, cupiditatis, ſimoniæ.

Item, qui dicunt, quod à Silveſtro Papa incepit eccleſia deficere, propter ſuſceptionem bonorum temporalium à Conſtantino collatorum.

Item, qui dicunt, quod per prædicationem eccleſiæ in temporalibus audita eſt vox, dicens: Hodiè infuſum eſt venenum in eccleſiam Dei.

Item, qui dicunt, quod eccleſia Romana non ſit rector & rectrix totius univerſi fidelium.

Item, qui dicunt, quod Papa ſit Antichriſtus.

Item, qui dicunt, quod Papa ſit avarus, cupidus, ſimoniacus, ſeductor populi Chriſtiani.

Item dicunt, quod Papæ non ſit ſcribendus ille titulus: *Sanctiſſimo in Chriſto Patri*, ex eo, quia eſt peccator, ſicut &

alter homo. Quare igitur debet appellari *ſanctus*, cum ſit peccator?

Item ſicunt, quod Papa non ſit majoris autoritatis, quam ſimplex presbyter.

Item: Papæ non debet ſcribi: *Pater*, ſed *frater*, quia omnes ſumus fratres, unius Patris, ſcilicet Adam.

Item, qui dicunt, quod Papa non ſit ſummæ autoritatis, ſummus Pontifex, ex eo, quod omnes apoſtoli fuerunt ejuſdem autoritatis ſecum, æqualis cum autoritate S. Petri. Sunt ſic omnes presbyteri æqualis autoritatis cum Papa.

Item qui dicunt, quod Imperator ſit ſuper Papam, & quod Imperator poteſt deponere Papam.

Item qui dicunt, quod Papa debeat obedire Imperatori.

Item qui dicunt, quod Papatus non habet ſummum Dominium univerſi poſt Chriſtum.

Item qui dicunt, Papam non eſſe invictum Vicarium Chriſti.

Item dicentes, quod Papa, Cardinales in magnis cappis cum multitudine equorum equitantes, ſunt pompa mundi & deriſio diaboli.

Item, dicentes, Eccleſiam Romanam quandam eſſe Synagogam.

Item dicunt, quod Silveſter Papa erravit in ſuſcipiendo bona temporalia. Similiter Conſtantinus Imperator in dotando eccleſiam.

Item dicentes, Papam eſſe venditorem ſacramentorum, & mercatorem.

Item dicentes, quod ſtatuta eccleſiæ & conſuetudines Papæ ſunt quædam inventiones propter quæſtum &c.

Item dicentes, quod *Decretum* ſit quædam humana traditio, *& Decretales & alia jura* ſint quædam epiſtolæ & correctoria, imo verius ſint quædam operatoria, continentia lucrum & quæſtum.

Item dicentes, quod *Concilia generalia* ſint quædam hominum conſpirationes, quandoque ad bonum quandoque ad malum.

Item dicentes, Nullam ſcripturam eſſe tenendam in lege Chriſti, quam quatuor evangelia & epiſtolas Pauli, & quatuor Doctorum ſcripta, Ambroſii, Gregorii, Hieronymi, Auguſtini.

Item, qui dicunt, quod Papæ non ſit obediendum.

Item dicunt, qvod excommunicatio Papæ nihil ſit. Quia quem Deus non excommunicat, nemo excommunicare poteſt.

Item dicunt, qvod juſta excommunicatio nihil ſit.

Item dicunt, qvod ſolus Deus aut Chriſtus habet excommunicare, & non ſacerdos.

Item dicunt, qvod profanatio nihil ſit, nec irregularitas: Qvia propter nullum officia diurna & ſervitium Dei omitti debent.

Item qvi dicunt, qvod ſacerdotes propter peccata mortalia debent ſpoliari per Patronos.

Item dicentes, qvod ſacerdotes nihil debent de propriis habere, ſed ſolum debent manibus laborare & de labore vivere, ſicut fuit antiquitus.

Item dicentes, quod ſacerdotes nec aurum nec argentum nec cingulum nec peram debent habere aut portare. Et ſacerdotes in eqvis magnis eqvitantes ſunt à ſecularibus ſpoliandi. Nec gladios debent portare. Quia Chriſtus non eqvitavit magnos eqvos, nec gladios portavit: Et tamen Chriſti actio fuit noſtra informatio. Etiam Chriſtus dixit: *Neque portabitis aurum, nec cingulum neque peram.*

Item dicentes, qvod ſacerdos in mortali peccato non poteſt conficere, neqve abſolvere, neqve ligare, neqve excommunicare. Qvia ex qvo per ſe eſt ligatus, qvomodo alios poſſit ligare vel abſolvere.

Item dicentes, qvod epiſcopi & ſacerdotes ſunt Scribæ & Phariſæi. Et propter eorum peccata non ſit eis obediendum.

Item dicunt alii, qvod Epiſcopi in mortali peccato non poſſunt ordinare vel conſecrare.

Item, qvi dicunt, qvod qvilibet ſacerdos poteſt prædicare ubi & qvando vult. Qvia Chriſtus dixit: Ite in orbem univerſum & prædicate Evangelium. Item

Digitized by Google

Item dicentes, qvod qvilibet ſacerdos poteſt audire confeſſionem: Teſtamenta eccleſiæ non ſunt facienda.

Item dicentes qvod ſuffragia eccleſiæ, eleemoſynæ, miſſæ defunctorum non proſunt animabus in illo ſeculo, ut dixerunt Eucharii hæretici.

Item qvi dicunt, qvod qvilibet Chriſtianus, vir vel mulier, poteſt conficere corpus Domini, ut tenent Paterini. Dum modo niſi qvis ſcit. Qvod non ſit offerendum, ne ſacerdos habeat concubinæ ſuæ aliqvid dare & exponere, ſed potius eſt dandum propter Deum.

Item qvi dicunt, qvod imagines non ſunt habendæ in eccleſiis, ne fieret idololatria. Ut Græci faciunt, qvi paucis utuntur imaginibus.

Item qvi dicunt, qvod Græcorum ritus ſit melior qvam Romanæ eccleſiæ.

Item qvi dicunt, qvod ſacramentum euchariſtiæ poſſet aut deberet fieri in pane fermentato, ſicut Græci faciunt.

Item qui dicunt: ornamenta eccleſiæ, ut alba, ſubula, cortinæ, & alia plura, eſſe inventa propter pompam. Quia talibus apoſtoli non utebantur.

Item dicentes, quod in locis non conſecratis, ut in domibus, poteſt miſſa celebrari ſine ornamentis eccleſiæ. Ex eo, quod apoſtoli nulla habuerunt veſtimenta, quando miſſas celebraverunt.

Item dicentes, quod clamor eccleſiæ, ut cantus, & alia, non prodeſſet multum. Quia unum Pater noſter cum devotione plus valet quam una miſſa cum clamore. Et quod melius eſt, dicere quandoque unum Pater noſter cum devotione, quam pſalterium ſine devotione. Et longæ horæ, quia tædium inducunt, non multum proſunt. Et ſic fuerunt ſacerdotes, qui horas non dixerunt, ſed ſolum pater noſter ſæpius pro horis reſumſerunt.

Item qui dicunt, *indulgentias* non eſſe alicujus utilitatis, ſed ſolum ſunt pecuniarum depoſitiones. Quia in bullis dicitur, *Manus adjutrices porrigentibus*, dicitur, *confeſsis & contritis.* Nam ſi homo confitetur, tunc omnia peccata ſibi dimittuntur, ut dicit ſcriptura: Qvotiescunque peccator ingemuerit, Deus ſibi peccata dimittit. Pro quo igitur valent indulgentiæ?

Item, qui dicunt, Quod ſacerdotes percutere & clericos, non ſit peccatum, nec pro iſto eſt confitendum.

Item qui Papam maledicunt, & dicunt, quod non ſit peccatum, ipſum maledicere, nec pro iſto confitentur.

Item qui dicunt, quod quilibet Princeps in ſua terra ſine conſenſu Papæ poteſt omnia beneficia in ſua terra conferre.

Item dicentes, quod parvuli immediate poſt baptiſmum debeant commumunicare.

Item qui dicunt, quod præceptum Chriſti ſit, laicales ſub utraque ſpecie communicare.

Item qui dicunt, quod laicales poſſunt evangelia & ſacram ſcripturam exponere, & per angulos ſeu in publicis locis prædicare.

Item qui dicunt, quod vita ſanctorum in ſermone non eſt exponenda, nec paſsio alicujus ſancti. Ex eo, quod multa falſa ponuntur in *Legendis ſanctorum.*

Item qui dicunt, quod malum, clauſtra fundare.

Item qui dicunt, quod nullus eſſe debet eccleſiæ cenſualis.

Item qui dixerunt, quod decimæ ſunt puræ eleemoſynæ, & poſſunt à ſacerdotibus auferri, propter peccata ſacerdotum.

Ecce, quot & quanta ſigna ponit *Reinherus frater ordinis Prædicatorum*! Communia & generalia *ſigna*, per quæ homo declinat aut declinabilis eſt ad errorem. Ideo à quolibet Chriſti fidelium talia ſigna ſunt fugienda, ut non teneantur defenſivè & temerariè.

CAP. IV.

Succincta reſponſio ad ſingula ſuperiora dogmata.

HAbitis *ſignis*, quibus cognoſcitur homo ad errorem declinabilis, ſequuntur *ſcriptura*, cum quibus poteſt *obviari iſtis ſignis errorum*, & iſtis qui tales tenerent errores.

Primo, ſi quis teneret defenſive, quod Romana eccleſia non ſit prima eccleſiarum, dicitur 22. *diſtinct.* Ubi Nicolaus Papa & Anacletus dicunt in Decreto, quod non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino, Romana eccleſia ceterarum eccleſiarum primatum obtinet.

Item, qui dicunt, quod Romana eccleſia non ſit caput omnium eccleſiarum fidelium, dicitur in *decreto* 22. *diſt. Nulli dubium eſt, quin Romana eccleſia mater ſit & caput omnium eccleſiarum, à cujus nos regulis nullatenus convenit deviare.*

Item contra hos, qvi dicunt, qvod ab eccleſia Romana poteſt diſcedi, qvemadmodum Græci receſſerunt, contra hos eſt 2. *diſt. Non decet à capite membra diſcedere.* Sed juxta ſcripturæ teſtimonia omnia membra caput ſeqvuntur.

Item qvi dicunt, qvod præcepta & ſtatuta Romanæ eccleſiæ poſſint transgredi, *Gregorius* 19. *diſt.* in decreto dicit: *Nulli fas eſt transgredi apoſtolicæ ſedis præcepta.*

Item, qvi dicunt, qvod ſtatutis & conſtitutionibus eccleſiæ & ipſius Papæ non ſit obediendum, dicit *Gregorius eadem diſt.* 19. *Quisquis apoſtolicis & eccleſiæ voluerit contraire decretis, deinceps inter ſacerdotes non habeat locum, nec de ejus judicio quisquam curam habeat, quoniam jam damnatur.* Et alibi 12. *diſt.* Sic ſancta Romana eccleſia, qvæ nihil obſunt ſaluti credentium per diverſa loca & tempora conſtitutiones & conſuetudines ſtatuit obſervandas.

Qvi dicunt, Romanæ eccleſiæ non eſſe obediendum, hoc eſt contra *S. Bernhardum*, ubi oſtendit vitium inobedientiæ, dicens: *O quantum vitium eſt inobedientia, qua angelus cœlum, Adam paradiſum, Saul regnum, Salomon amorem perdidit divinum.* Et Proverb. *Beatus qui obediens & timens eſt.* Et Samuel: *Melius eſt obedentia quam victima.* Et Paulus 1. *Corinth. Qui reſiſtit poteſtati per inobedientiam, ordinationi Dei reſiſtit. Et qui Deo reſiſtit, damnationem ſibi acquirit.* Tunc de primo ad ultimum, qvi Papæ reſiſtit per inobedientiam, damnationem ſibi acqvirit. Et ita *Græci* per inobedientiam ſtant in periculoſa ſalute à multis centenis annis, qui continue ſunt & fuerunt in majori excommunicatione, in qua etiam & moriuntur. Et tamen evangelium dicit: *Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis &c.* Igitur ſtant in periculoſa ſalute. Et etiam errant ex fide eo, qvia non credunt ſpiritum ſanctum procedere à filio, ſed à ſolo Patre. Et in pluribus errant, qvi errores ex inobedientia Romanæ eccleſiæ eis accidunt. Igitur malum eſt ab obedientia Papæ & eccleſiæ Romanæ reſilire.

Item contra illos, qvi Papam maledicunt & ipſum judicant de mala vita, dicitur 17. q. 4. §. *Quia nunc ſacrilegii inſtar eſt diſputare de ſtatu Papæ & ipſum judicare.* Et alibi in ſcriptura dicitur; *Qui maledixerit Principi, morte moriatur.* Et cum Papa eſt totius mundi Princeps, ut dixit Chriſtus: Tu es princeps apoſtolorum, paſtor ovium, claves regni cœlorum & omnia regna tradidi tibi, Qvodcunqve ligaveris &c. Ecce qvam malum maledicere eſt Papam, & ipſum ad malum judicare.

Item contra iſtos, qvi dicunt, Papam avarum, cupidum, ſimoniacum, faciunt iſti contra Paulum, dicentem: *Noli fratrem judicare. Stabimus omnes ante tribunal judicandi. Qui alterum judicat, ſe ipſum condemnat.* Nam ex eo, qvia Papa, aut Notarii ejus, à bullis & à confirmationibus Epiſcoporum pecuniam recipit, tunc tales judicant propter hoc Papam ſimoniacum, cupidum & avarum. Sed hoc non eſt verum. Qvia ſimonia committitur, qvando ſpirituale, ut dona ſpiritus ſancti, & ſacramenta, vendun-

Digitized by Google

venduntur pro re temporali, ut pro pecuniis, vel annexum rei ſpirituali, ut eccleſiæ, ſi præciſe vendantur cum uſu earum. Et ſi ſic Papa præciſe vendens ſit eccleſias aut annexum eccleſiæ, ut ſacramenta, committet ſimoniam; & ſic diceretur *ſimoniacus*. Alio modo non dicitur ſimoniacus. Notandum qvod *ſimonia* dupliciter ſumitur, uti patet *De officio delegati c. Ex parte N. nobis innotuit*: In gloſſa capituli 4. *Cum pridem*, *De pactis*, ubi in gloſſa dicitur: *Quod in his, quæ in ſua natura ſimoniaca ſunt, ut ſacramenta vendere, non excuſat autoritas Papæ. Sed in his quæ fiunt pro conſtitutione eccleſiæ, & quæ ſic per ſimoniam inducit, excuſat autoritas Papæ. Quia in illis poteſt diſpenſari. Ut patet De conceſſione præbendæ, Propoſuit.* Ex qvibus patet, qvod *dupliciter ſumitur ſimonia*, uno modo *penes jus ſpirituale*, Ut ſacramenta vendere, videlicet baptiſmum, confeſſionem, corpus Chriſti. Et ſic eſt ſimonia. Et talis cadit in Papam, pro qua deponitur. Alio modo attenditur *ſimonia penes impoſitum*. Ut dare pro bullis, pro confirmationibus præbendarum, & ſic non eſt ſimonia propriè loquendo, & certe, ſicut homo depictus. Niſi eſſet gravis & nimius exceſſus. Et ſic ſolum ad illa, quæ ſunt ſacramenta eccleſiæ, & dona ſpiritus ſancti, ſeu alia quæ Chriſtus inſtituit, extendit ſe ſimonia. Sed ad illa, quæ Papa inſtituit, non extendit ſe ſimonia, ſaltem dummodo non tangantur ſacramenta, ſeu Dei & Chriſti inſtitutio. Etiam quod *pro bullis dare* ſeu *pro confirmationibus*, non ſit ſimonia, patet ex eo: Quia ſimonia eſt, quando res ſpiritualis, ut eccleſia, vel aliquid annexum, ut ſacramenta, venduntur pro re temporali, ut pecuniis, tunc ſimonia. Modo bullæ non ſint ſpirituales, nec annexum rei ſpirituali. Quia bullæ non ſunt annexum eccleſiæ, ut ſacramenta, ſed ſunt res extra eccleſiam. Quia ſunt ſolum literæ teſtimoniales, quibus oſtendi & probari poteſt, quod tale beneficium eſt ſibi collatum propter Deum. Nam Papa facit ſignaturam purè propter Deum. Et ſuper ſignaturam accipitur una litera pro teſtimonio, per quam oſtenditur, quod tale beneficium ſit homini conceſſum & datum. Et ſic tales *literæ* & *bullæ* ſunt res temporales, quia pergamenum & incauſtum, zona, plumbum, labor Notarii, quæ poſſunt dari pro pecuniis, ſecundum majus & minus, gravius & levius, ſecundum quod beneficium ſe extendit. Ex quibus patet, quod pro bullis recipere non eſt ſimonia, nec pro confirmationibus epiſcoporum.

Contra illos, qui dicunt, Papam non eſſe caput eccleſiæ, nec majoris autoritatis quam ſimplex presbyter. Dicunt tales, quod ſicut omnes apoſtoli fuerunt æqualis autoritatis cum Petro, ſic omnes ſacerdotes cum Papa. *Anacletus Papa in decreto*, 12. *diſt. c. Sacroſancta*, *dicit*, *Quod inter apoſtolos fuit quædam diſtinctio.* Et licet omnes eſſent apoſtoli, *Petro tamen conceſſum, & ipſi inter ſe voluerunt id ipſum, ut reliquis omnibus præeſſet apoſtolus Cephas & principatum teneret apoſtolatus.* Et *diſtinct.* 19. *c. Ita Dominus*, dicit ibidem: *Cùm Petrus fuit caput apoſtolorum, ut ab ipſo quaſi quædam dona ſua velut in corpus omne diffunderet.*

Contra hos, qui dicunt, Imperatorem majorem omni Papâ: Falſum eſt. Imò epiſcopus eſt major Imperatore. Tunc, à fortiori, Papa. Uti patet per *Gelaſium* Papam, dicentem: Quod Ambroſius, non univerſalis eccleſiæ epiſcopus, Theodoſium M. Imperatorem ab eccleſia excluſit, & manu ſua extra eccleſiam duxit & excommunicavit. Tunc, à fortiori, Papa. Et quæritur quis major eſt, vel ille qui ligat, vel qui ligatur? Et patet, quod qui ligat, ut Papa.

Contra hos, qui dicunt, quod decreta, jura, canones, ſunt humanæ inventiones, quæ tempore ſuo poſſunt rumpi: Et quod non ſemper eccleſia Romana eſt imitanda, dicitur *De electione & electi poteſtate*, *c. Significaſti*: *Non malum eſt ab imitatione ſedis apoſtolicæ reſilire? Et contra canonum ſtatuta prorumpere? Quod multi etiam poſt ſacramentum præſumſerunt. Hoc nimirum malum neceſſitate compellitur, juramentum quod profitetur pro obedientia requiretur.* Hæc Gregorius, loco allegato.

Contra illos, qui dicunt, quod non omnibus conſvetudinibus Romanæ eccleſiæ ſit obediendum, quæ per pigritiam

Digitized by Google

tiam ſacerdotum in eccleſiam introducta, & ideo non obſervanda, dicit *Innocentius* Papa, ſcribens Decentio Epiſcopo, *diſt.*11. in Decreto: *Ab omnibus obſervari debet, quod Romana eccleſia obſervat. Et te ſcire volumus, ut indicare non differas, ut ſcire valeamus, qui ſunt qui novitates inducunt, æſtimantes alteram, quam Romana eccleſia conſvetudinem eſſe ſervandam.* Et alibi, de antiquis juribus, *De hæreticis c. Ad abolendam*, dicit Lucius Papa: *Univerſi, qui de ſacramento corporis & ſanguinis Chriſti aliter ſentire & docere non metuerint, quam ſacroſancta eccleſia Romana prædicat & obſervat, vinculo perpetuo anathematis innodamus.*

Contra hos, qui clerum ſpoliant, ut Patroni, vel alii, dicitur in *Decretalibus, De injuriis & damno, C. In quibusdam provinciis:* Quod Patroni & ceteri qui bonis eccleſiaſticis pro ſua voluntate ſe ingerunt, ſententiam excommunicationis meruerunt.

Contra hos, qui dicunt, quod Papa in mortali peccato non poteſt conficere: Ex eo, quia Deus peccatorem non exaudit: Nec judex poteſt ſententiam ferre, exiſtens in mortali peccato. Contra hoc eſt *S. Ambroſius De ſacramentis*, in decreto, ubi dicit, *Quod non merito perſonarum ſed autoritate officia & dignitatem Deus conſiderat*, uti patet 1.q.1. Et ibidem dicit *Ambroſius: Non ſacerdotum vitam, ſed quæ docent & ingerunt, conſiderare tantum debemus.*

Et hoc eſt etiam contra illos, qui dicunt, quod prædicator malæ vitæ non eſt audiendus. Et hoc dictum *Ambroſii* videtur contra illos, qui dicunt, quod nullus ſacerdos in peccato mortali poteſt confeſſionem audire, ex eo, quia nec ſic poteſt homines abſolvere nec peccata dimittere. Quod ad hoc, quod ſacerdos poſſit peccata dimittere, reqviritur, quod habeat ſpiritum ſanctum, & tunc poteſt dimittere peccata, per illud evangelium: *accipite ſpiritum ſanctum.* Quidam exponunt, id eſt, autoritatem ſpiritus ſancti & ipſum ſpiritum ſanctum. Quâ autoritate remiſeritis peccata, id eſt remiſſa annunciaveritis, illorum ſunt remiſſa. Et ſic non debet intelligi, quod de neceſſitate requiritur ad abſolutionem peccatorum, quod ſacerdos ſit ſemper ſine mortali peccato, & ſemper habeat ſpiritum ſanctum. Sufficit quod habeat autoritatem ſpiritus ſancti, ſi aliquo tempore eſſet in mortali peccato. Aliàs nullus in mortali peccato poteſt conficere. Quod non eſt verum. Imò & *S. Thomas* declarat in uno *ſermone ſuo De corpore Chriſti*, qui incipit: *Memoriam fecit mirabilium ſuorum*, dicit, *Quod ſacerdos excommunicatus & irregularis hæreticus, imò degradatus, poteſt conficere.* Et dicit S. Thomas, & aſſignat rationem, *Quia ſacramentum euchariſtiæ & conſecratio fit in fide eccleſiæ & non in fide perſonæ ſingularis. Quia talis character*, ut dicit S. Thomas, *ſacerdotii eſt indelebilis, quoad Deum. Deletur tamen quoad eccleſiam & quoad poteſtatem ordinatam. Quod amplius in eccleſia non habet locum, nec poteſtatem conficiendi, nec ejus miſſa debet amplius audiri, ut ejus peccata non augerentur. Et poſt degradationem æquè benè obligatur ad horas tenendas & dicendas in vita ſua. Nec uxorem ducere poteſt, ſed potius religionem mutare.* Hæc S. Thomas.

Notanda differentia eſt inter illos textus, licet quandoque unum capitur pro reliquo, videlicet: *Quodcunque ligaveris vel ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis*, & inter iſtum: *Quorum remiſeritis peccata aut retinueritis, remittentur eis.* Primus textus reſpicit claves eccleſiæ Dei, id eſt excommunicationem, ſed ſecundus textus, *Quodcunque retinueritis*, reſpicit theſaurum eccleſiæ, id eſt indulgentias Papæ generales & confeſſionem. Nam ſuper hoc iſto textu fundantur iſtæ *indulgentiæ* principaliter. Nam per theſaurum, ſeu per indulgentias, remittitur pœna purgatorii, id eſt minoratur pœna purgatorii. Sed per confeſſionem remittitur culpa.

Contra hos, qui dicunt, quod Principes & Domini ſeculares poſſunt ſibi clerum ſubjicere in ſuis terris, cùm talis Dominus ſit Dominus eorum, *Gregorius*, 95. *diſt.* dicit: *Quis dubitat, ſacerdotes Chriſti, regum, Principum, omniumque fidelium Patres & Magiſtros cenſeri. Nonne miſerabilis inſania eſſe cognoſcitur, qui iniquis obligationibus illum ſuæ poteſtati ſubjicere cona-*

Digitized by Google

conatur, à quo credit non ſolùm in terra ſed in cœlis ſe per ipſos poſſe ligari & ſolvi. Item *Gelaſius Papa* Imperatori Auguſto ſcribit: *Tu Imperator pendes ex iſtorum judicio, non illos poſſe ad tuam redigi voluntatem.* Et *Gelaſius* 100. *diſt.* dicit: *Quippe cùm tu videris regum & Principum colla ſubmitti genibus ſacerdotum & oſculata eorum dextra credunt ſe eorum orationibus communicari.*

Contra hos qui dicunt: Sacerdotes ſunt concubinarii, meretricarii, & nequam, dicit evangelica veritas; *Qui fratri dixerit: Racha, fatuus, reus erit ignis gehennæ.* Et *Nicolaus Papa* Ludovico Imperatori ſcribit exemplum Conſtantini Imperatoris, ubi Conſtantinus dixit: *Si verè propriis oculis vidiſſem ſacerdotem peccantem, cum clamyde ipſum cooperuiſſem, ne ab aliquo videretur confuſus.* Ubi nunc talia tempora & tales Principes ſunt?

Contra hos, qui dicunt, quod quilibet ſacerdos tenetur prædicare, per illud: Ite in orbem univerſum &c. Reſpondetur, quod eſt ſimpliciter verum, ut dicit apoſtolus 1. *Corinth. XIV. Si quis non fuerit interpres, taceat in eccleſia Dei, ſibi autem loquatur & Deo.* Hæc Paulus, ac ſi dicat: Oret & ſerviat Deo. Nam ibidem dicit Paulus: *Nam ſicut multa membra corporis non eandem habent actionem neq; idem officium, ſic ordines in eccleſia, ſed non omnes idem habent officium,* ut de ſimplicibus. Alios Dominus Prophetas, alios Doctores, alios qui annunciant evangelium, fecit.

Contra hos, qui dicunt quod quilibet ſacerdos poteſt prædicare, ubi vult & quando vult, imo ſine ſuperiori conſenſu, Paulus 1. *Corinth. Quomodo prædicabunt niſi mittantur?* Et *Innocentius Papa* in canone *De hæreticis, Excommunicamus*, dicit: *Nonnulli ſacerdotes autoritatem eis prædicandi vendicant & uſurpant non miſſi, Apoſtolo contrariando, Mandamus epiſcopis, ut prohibeant talia fieri.*

Contra hos, qui dicunt, quod quilibet homo poteſt confiteri & communicare ubi vult, & ſic populum abſtrahunt, quod non confitentur, nec communicantur in propriis parochiis, dicitur in *De pœn. & remisſione, c. Omnis utriusq; ſexus*, Clemens Papa III dicit: *Omnis fidelis utriusq; ſexus minimum ſemel in anno communicet in ſua eccleſia, licet prius ſtatutum fuerit ter communicare quemlibet Chriſtianum, in nativitate Domini, in paſcha, in Pentecoſte,* ut habetur ex concilio Agathonenſi in Decreto, *de conſecrat.* Sed hodie minimum ſemel in anno, per *c. Omnis utriusq; ſexus.* Niſi eſſet legitima cauſa. Tunc ex licentia proprii plebani poteſt alibi confiteri, aliàs non. Secus ſiquis fecerit & alteri confeſſus fuerit, ſciat ſe non eſſe abſolutum. Cum alienus paſtor nullam poteſtatem ſuper oves alienas habet. Quia nemo debet dimittere falcem in rem alienam, ſeu in meſſem alienam. Et ſiquis alteri ſacerdoti fuerit confeſſus, & alibi communicatus, ſciat, quia indignè & in peccato corpus Domini recepit, ex eo, quia alter ſacerdos ſibi peccata dimittere non potuit. Sic in c. et ſic in gloſſa: *Omnis utriusq; ſexus.*

Contra hos, qui adhuc ſemel in anno nolunt communicare, propter inimicitias, vel propter luxuriam continuandam avertunt ſe à communicatione, ex concilio Martini Papæ, *diſt.* 1. in *Decreto* dicitur: *Qui ſic conſtitutam regulam violat, avertens ſe à communicatione, projiciendum eſſe de catholica eccleſia decernimus*, id eſt de communitate fidelium. *Similiter & ingreſſus eccleſiæ, ac Dominica ſepultura talibus eſt prohibenda, donec pœnitentiam agant & fructum pœnitentiæ oſtendant, quod digni ſunt communicatione & receptione.* Hæc ille.

Contra hos qui dicunt, non eſſe offerendum, habetur libro *Exodi*, quod quilibet homo tenetur offerre. Quia ibidem dicitur: *Ter in anno apparebis coram Domino munera offerens, & feſta celebrando.* Et *Gregorius* 7. *diſt. c.* 1. dicit: *Omnis Chriſtianus procuret ad miſſarum ſolennia aliquid offerre.* Nam homo, qui offert, non offert plebano, ſed Domino, licet plebanus accipit nomine Domini. Quid mihi *de peccato plebani*, dum ego facio illud, ad quod ſum obligatus? Quia quilibet homo eſt obligatus Domino offerre.

Contra hos qui dicunt, quod decimæ ſint puræ eleemoſynæ, reſpondetur, quod non. Nam eleemoſyna eſt

libera

Digitized by Google

libera donatio & voluntas aliquid pro peccatis exhibere. Decimæ vero non ſunt donationes tales voluntariæ, imo ſunt præceptoriæ & involuntariæ, ut habetur *L. II. paralipom. Decimas dabunt filii Jſrael juſſu Regis & ſecundum legem.* Nec propter peccatum ſacerdotis patronus debet decimam retinere. Imo tenetur eam malis ſacerdotibus dare ſub pœna excommunicationis. Quia decimæ ſunt Dei, quas Deus præcipit dare. Et ſic decima non eſt eleemoſyna, ſed præceptum Chriſti in antiqua lege.

Contra hos, qui percuſſionem cleri pro modico reputant, *Alexander Papa De excommunicatione*, dicit: *Nulli dubium eſt, quin hi, qui violentas manus injecerunt in clerum aut religioſum converſum, ex conſtitutione concilii generalis ſententiam excommunicationis incurrant eo facto. Nec niſi in articulo mortis ſine Romani Pontificis diſpenſatione poſſunt beneficium impetrare.* Et vocatur ſententia excommunicationis juris, quia de jure & à jure excommunicati ſunt. Licet nondum ſuper eos tranſivit ſententia judicis, tamen eſt ſententia juris, & coram Deo eſt data ſicut judicis.

Contra hos qui dicunt, quod excommunicatio Papæ nihil ſit, *Joannes Chryſoſtomus ſuper una epiſtola ad Habreos* dicit: *Nemo contemnat vincula eccleſiaſtica. Non enim homo eſt, qui ligat, ſed Chriſtus per hominem, cui hanc poteſtatem dedit, & homines fecit Dominos & tanti eſſe honoris.* Etiam ſic duplices ſunt violatores clavium eccleſiæ & evangelii offenſores, *Quodcunq; ligaveris ſuper terram* &c. Et iſti non credunt iſtum articulum evangelii, quod Chriſtus protulit: *Quodcunq; ligaveris* &c. Et omnes tales, qui in tali perſiſterent propoſito, quod excommunicatio nihil ſit, ſunt puri hæretici, combuſti aut comburendi &c.

Contra hos, qui dicunt, quod juſta excommunicatio ſit aliquid, ſed injuſta nihil eſt: Et omnem vocant *injuſtam*, quæ contra eos eſt, & quæ pro eis, vocant juſtam, *Gregorius* ſic dicit: *Sententia paſtoris ſive juſta ſive injuſta timenda eſt. Imò homo juſtus injuſtè excommunicatus, ſi ex temeritate aut pigritia noluerit ſuam innocentiam expurgare*, declarans ſe juſtum & innocentem, eo facto ſententia injuſta erit juſta, & juſtus homo erit injuſtus, ratione inobedientiæ, & ſi moritur, ſic periculoſum erit de ſalute ipſius. Nam excommunicatio damnat hominem, multis experientiis & miraculis repertis. Quemadmodum excommunicatorum corpora non poterant putrefieri. Et quàm citò mortua corpora excommunicata abſolutionem receperunt, ſtatim in cinerem converſa fuerunt. Igitur non parvæ autoritatis eſt excommunicatio, imò à quolibet ſanæ mentis homine eſt fugienda, qvia cœlum & terra tranſibunt, verbum Domini permanet fixum, qui dixit: *Quodcunque ligaveris ſuper terram.*

Contra hos qui dicunt, quod nullus debet excommunicari niſi ſit in mortali peccato qvi excommunicatur, Reſpondetur, qvod non verum eſt. Qvia tunc omni die deberent quaſi jure *civitate Pragenſis* excommunicari, ex eo, quia omni die præſumitur, quod *media civitas* hominum *eſt in mortali peccato*. Pro quo ſciendum, quod *duplex* eſt *excommunicatio*. Quædam *occulta*, quæ à ſolo Chriſto procedit. Et tali excommunicatione ſolus Deus & Chriſtus Jeſus excommunicat. Quia quam citò homo perpetrat mortale peccatum, coram Deo eſt excommunicatus, id eſt à regno cœlorum excluſus. Et talis excommunicatio eſt nimis impropria. Alia eſt excommunicatio *manifeſta*, quæ fertur à judice vel à jure. Quia talis procedit ab hominibus, & etiam qui in ea perſeverat, mortale peccatum committit. Nam ſola inobedientia qvandoqve facit peccatum mortale, & tum excommunicatus ſemper includit inobedientiam. Niſi nimia paupertate eſſet comparatus, quod non poſſet parere.

Per hoc igitur ſolvitur illud, qui dicunt, quod ſolus Deus habet excommunicare, & qvod nullus excommunicari debet niſi pro mortali peccato. Jam dictum eſt, qvod omnis homo jacens in excommunicatione jacet in mortali peccato, pro quo mortali peccato excommunicatur.

Con-

Digitized by Google

Contra hos, qui dicunt, quod excommunicato majori excommunicatione participare non ſit peccatum: Talis incurrit hunc canonem de excommunicatione: *Qui excommunicato ſcienter & ſponte ſe participat, eadem excommunicationis ſententia innodatur, nec abſolvi poteſt niſi per ſedem apoſtolicam.* Nam ſic participans videtur ejus crimen confortare, & ſibi in crimen conſentire. Sed in canonibus dicitur, quod facientes & conſentientes pari pœna puniuntur.

Contra hos, qui tempore generalis interdicti divina celebrant: Manifeſtè in contemtum clavium eccleſiæ: Aut qui conſenſum ad hoc conferunt: Tales facientes & conſentientes ſunt inhabiles ad omnes actus eccleſiaſticos. Et ſi eis in principio ſuper tales exceſſus non providerent de remedio diſpenſationis, certas & legitimas cauſas aſſignando, pro quibus oportuit aut oportebat eos profanare, dicit *Alexander Papa III. in c. De excommunicatione*, Perpetuæ depoſitionis ſententiam incurrunt, & beneficiis & dignitatibus priventur, & ſi fuerint religioſi ad arcta monaſteria pro pœnitentia intrudantur. Hæc idem dicit *Innocentius III. c. Qualiter clerici, ibidem in decretalibus, de Excommunicatione.*

Contra laicos, qui in privato conventicula faciunt & ſcripturas vulgariter exponunt. Dicit *Reinherus*, quod *fuit* una *mulier, quæ ſcivit mentetenus librum Job de verbo ad verbum vulgariter.* Contra tales ponitur *canon Gregorii, De hæreticis, & Innocentii Papæ, c. Sicut in uno corpore, in Decretalibus: Verendum eſt, ne apud tales laicos ſub ſpecie virtutum vitia ſubintrent. Mandamus epiſcopis, quatenus interdicant laicis univerſis, cujuscunque ordinis cenſeantur, talia evitare.*

Contra hos qui dicunt, quod libri hæreticorum poſſint legi, & libri Wicleff, dicitur *De hæreticis c. Fraternitatis tuæ: Gregorius ſcribens Anaſtaſio epiſcopo dicit: Cùm Cœleſtinus atque Pelagius in Ephesina ſynodo ſunt damnati, quomodo potuerint capitula recipi, quorum damnantur autores. Nam veritas mixta falſitati cum autore ſunt damnanda.*

Contra hos qui dicunt, quod reliquiæ ſanctorum & imagines non ſint adorandæ, ſed ſolus Deus eſt adorandus. Et propter hoc volunt, quod imagines non habeantur in eccleſiis, quemadmodum fecerat Marſilienſis epiſcopus, combuſſerat imagines, ne adorarentur. Contra quos & alios ſcribit *Gregorius, de Conſecratione, in Decreto, diſt. 3. c. 27.* eidem epiſcopo Marſilienſi: *Relatum ad nos pervenit, quomodo inconſiderato zelo imagines ſuccendiſti, ne adorentur. Adorare non debere laudamus, cremaſſe verò reprehendimus. Nam aliud eſt per picturam adorare, & aliud per picturam, quod ſit adorandum, didiciſſe. Nam quod legentibus ſcriptura, idiotis parat pictura, juxta verſum: Chriſtum, non iſtum, ſed Chriſtum crede per iſtum.* Pro quo notandum quod *adoratio* eſt *quadruplex: Latria*, qua Deus adoratur: *Dulia*, qua Deus & corpus Chriſti in altari adorantur: *Hyperdulia* qua imagines & reliquiæ ſanctorum & ſanctarum adorantur. Quarta dicitur *idololatria*, quâ idola paganica adorantur.

Contra hos, qui dicunt, quod antichriſtus non veniet, ſed dudum venit: Quia Papam vocant antichriſtum & pingunt ipſum in pileo Papali & cum aquilæ pedibus: Et probant per illud quod ſcribitur in Apocalypſi: *Jam multi antichriſti facti ſunt.* Contra quos eſt Apoſtolus 2. *Theſſal.* ubi oſtendit, & loquitur de adventu antichriſti, dicens: *Cùm venerit diſſenſio primùm, & revelatus fuerit homo peccator, filius perditionis, qui adverſatur & extollitur ſuper omne, quod eſt Deus, oſtendens ſe tanquam Deus ſit: Revelabitur tunc iſte iniquus, quem Dominus interficiet ſpiritu oris ſui & deſtruet illuſtratione adventus ſui, & erit ſecundum operationem ſathanæ in omni virtute, ſignis & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis.* Et de tribulationibus maximis tempore antichriſti ſcribitur *Dan. VI. Ipſe univerſa vorabit, & Matth. 25. Væ autem pregnantibus.* Et de miſerrima morte Antichriſti ſcribitur *Daniel. VI. Vidi, quod interfecta eſt beſtia.* Et in *Apoc.* 19. ſcribitur: *Et apprehenſa eſt beſtia.* Et quod naſcetur de tribu Dan, ſcribitur in Geneſi: *Et fiet Dan ſicut coluber in via.* Ex quibus patet, quod iſti nequitiosè lo-

Digitized by Google

loqvuntur, Papam antichriſtum vocando. Et omnes tales ſapiunt ſpeciem hæreſis, & errant.

Contra hos, qui dicunt, quod Papa non ſit ſummus Pontifex, nec debeat vocari *Pater* ſed *frater*, quia apoſtoli vocabant ſe invicem fratres, ſic Papa & presbyteri debent ſe vocare fratres: Reſpondetur, quod hoc dictum tenent *Græci* & hæretici, & errant. Quia licet apoſtoli fuerunt æquales quoad charitatem & apoſtolatum, quia omnes erant apoſtoli: Tamen quoad dignitatem & autoritatem prælationis non erant æquales. Quia Petrus erat caput & Princeps apoſtolorum, & ſibi fuerunt præ aliis omnibus à Chriſto claves conceſſæ, & autoritas ſuprema ligandi atq; ſolvendi. Ideò ratione dignitatis & autoritatis Papa appellatur *Pater* & alii ratione obedientiæ *filii*. Et ſic non eſt æquale de Papa & de presbyteris.

Contra hos, qui dicunt quod Papa non debet appellari Papa, nec *ſanctus*, nec ſibi debet ſcribi ille titulus, *Sanctiſſimo in Chriſto*, quia ex quo eſt peccator, tunc non eſt ſanctus, alias mendosè ſcribitur ſibi, *Sanctiſſimo in Chriſto*, ſed potius debet ſcribi, *peccatori*. *S. Ambroſius* eſt contra in decreto, dicens: *Non merita perſonarum, ſed dignitatem & officium & autoritatem Deus conſiderat*. Nam ſecundum dignitatem Papalem ſcribitur ſibi, *Sanctiſſimo*, & non ſecundum dignitatem perſonæ. Et ſic, quod talis perſona utitur dignitate ſancta, ideò appellatur *ſanctus*, licet ſit peccator. Nec per hoc mendosè ſibi ſcribitur, ſed juſtè & ſanctè.

Contra illos, qui dicunt, quod pro Papa non ſit facienda exhortatio in eccleſia: Quia ex quo eſt ſanctus, tunc non eſt neceſſarium pro ipſo petere, ſed ipſe debet pro nobis petere & intercedere. Reſpondetur, quod pro Papa non eſt petendum, tanquam pro ſingulari perſona: Sed, ſi in quantum eſſet in peccatis, ut Deus precibus hominum ipſum liberet de peccatis. Et ſic licet in eccleſia dicimus eum ſanctum in exhortatione, ratione dignitatis & autoritatis, tamen *ratione perſonæ ſingularis quandoque poteſt in peccatum cadere*, & ideò petimus, ſi eſt in aliquo peccato, ut Deus ipſum liberet.

Contra illos, qui dicunt, quod per eccleſiam Romanam non debent regi aliæ eccleſiæ, ſed quælibet eccleſia debet regere ſe ipſam, vel debet regi per Principum regimen aut propriam provinciam. Contra hoc eſt *Anacletus Papa*, 22. *diſt.* in decreto, *c. Sacroſancta*, dicitur: *Hæc vera apoſtolica ſedes caput & cardo eſt omnium eccleſiarum. Et ſicut cardine oſtium regitur, ſic hujus ſanctæ apoſtolicæ ſedis autoritate omnes eccleſiæ fidelium, Domino diſponente, reguntur.*

Contra hos, qui dicunt, quod non eſt peccatum, eſſe contra Romanam eccleſiam, & ei injuſtitiam facere. Hoc deciditur 22. *diſt.* in decreto *c. Omnes*, ubi dicitur: *Unde non eſt dubium, quisquis cuilibet eccleſiæ jus detrahit injuſtitiam facit. Quis autem Romanæ eccleſiæ privilegium auferre conatur, hic procul dubio in hæreſin vertitur. Fidem quippe violat, qui adverſus eam agit, cùm tamen ipſa ſit mater fidei eccleſia.* Ipſe S. Ambroſius ſe in omnibus magiſtram ſanctam ſequi confitetur eccleſiam.

Contra illos, qui dicunt, quod nullæ ſcripturæ ſunt tenendæ, niſi quatuor evangelia, & libri quatuor Doctorum ſanctorum, Ambroſii, Gregorii, Hieronymi & Auguſtini, & epiſtolæ Pauli. Falſum eſt. Quo devenient libri S. Anshelmi, Bernhardi, Bedæ, Johannis Chryſoſtomi, S. Thomæ, & multorum aliorum, libri Sententiarum, Prophetæ, biblia?

Contra hos qui dicunt, quòd evangelia circa textum ſunt tenenda. Reſpondetur: Contra hos eſt ſanctus Paulus, dicens: *Ideo vos Deus fecit miniſtros N. T. non litera ſed ſpiritus. Litera occidit, ſpiritus autem vivificat.* Nam faciunt hæretici taliter, quòd ſacras ſcripturas nolunt tenere niſi *penes textum*, & decipiunt. Quemadmodum ille textus, *Niſi manducaveritis carnem filii hominis*, penes textum multos decepit, qui crediderunt, quod ille textus intelligitur de ſacramentali manducatione ſub præcepto. Et quo devenirent expoſitiones ſuper evangelio? Fugiendum eſt ſic dicere.

Con-

Contra illos, qui captivant & incarcerant ſacerdotes & clericos, licet tamen ſine offenſione corporis. Ponitur contra tales *canon* ſeu *capitulum in Decretalibus, De excommunicatione, Nuper à nobis: Sic non credimus, laicos pœnam excommunicationis evadere, quamvis captivum clericum tenent, ubi tamen nulla læſio fuerit ſubſecuta. Et licet ſententia judicis non ligantur, facit tamen, quod ligantur ſententia juris, & excommunicationi innodantur.*

Contra illos, qui dicunt, quod indulgentiæ nihil ſunt, nec proſunt in remiſſionem peccatorum, loquendo de indulgentiis generalibus Papæ & Epiſcoporum. Et iſti ſic dicentes ſunt homines, qui malè ſapiunt: Quemadmodum illi, qui dicunt excommunicationem nihil eſſe. Et tales ſunt hæretici. Nam quatuor maxima ſunt in eccleſia Dei, ſacramenta, reliquiæ ſanctorum, excommunicatio & indulgentiæ. Et qui non tenet aliquid de numero illorum quatuor, eſt erroneus homo in toto.

CAP. V.

Plenior diſſertatio de Indulgentiis.

ET iſti ulterius dicunt, quod indulgentiæ fiunt cum ſimonia: Quia in eis includitur ſimonia: Quia dantur quo pecuniis: Quia dicitur in bullis, *Manus adjutrices porrigentibus.*

Notandum: *Indulgentiæ* dicuntur *theſaurus eccleſiæ*, & exhortatio dicuntur *claves eccleſiæ.*

Secundo notandum pro meliori intellectu, quæ res ſunt indulgentiæ? & quis debet eas dare & concedere? Et quis debet eas diſpenſare? Et ubi tractatur de ipſis? & quot ſunt neceſſaria ad indulgentiam? & ad quid valent indulgentiæ? Et quid operantur in homine? & utrum poſſint dari prò pecuniis ſine pactato & ſine ſimonia? & an per malum Prælatum datæ indulgentiæ habeant vigorem & virtutem? & an Papa poſſit dare crucem cruciatam ſuper Chriſtianum?

De primo, Quæ res ſunt indulgentiæ? Reſpondetur, quod ſunt theſaurus eccleſiæ, perveniens ex paſſione Domini noſtri Jeſu Chriſti, ejuſque ſanguinis effuſione, aliorumque ſanctorum & ſanctarum meritis, & meritis totius eccleſiæ, & ex miſericordia omnipotentis. Hæc deſcriptio trahitur ex dictis Doctorum, & trahitur *De pœnitentia & Remiſſione c. Cum ex eo, in Decretalibus c. ultimo & penultimo L. VI.* Et ponitur *theſaurus* pro genere, quia non eſt major theſaurus in eccleſia Dei, quam paſſio Chriſti & ſanguinis effuſio, cujus una gutta ſuffeciſſet pro redemtione generis humani. Et merita ſanctorum, & merita totius eccleſiæ, & miſericordia, hæc omnia dicuntur ſimul theſaurus eccleſiæ. A quo theſauro originem & principium capiunt indulgentiæ. Quæ indulgentiæ etiam dicuntur theſaurus, quia nullus theſaurus eſt ita nobilis & utilis prò remiſſione peccatorum, ſicut ſunt indulgentiæ. Fluunt enim indulgentiæ & originem capiunt de paſſione Chriſti & ſanguinis effuſione, & miſericordia Dei, & ex paſſione omnium ſanctorum, & ex meritis totius eccleſiæ. Nam pro noſtra non condigna ſatisfactione paſſio Domini Jeſu Chriſti ſubveniet nobis pro remiſſione pœnæ purgatorii, & paſſio aliorum ſanctorum. Etiam capiunt *originem ex veteri lege.* In Levitico ſcribitur: *Jubilaus annus celebretur pro remiſſionibus peccatorum.* Et *Deuteronomii:* Mutuum non accipies de anno jubilæo. Et *De pœnitentiis & remiſſione, c. Conſuluiſti,* dicitur in gloſſa, quod oriuntur ex veritate evangelica: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: *Et quodcunq; ſolveris ſuper terram.*

Quæritur, *quis dat indulgentias,* & quis eas poteſt diſpenſare? Et reſpondetur quod principaliſſime dantur à Deo autoritative ipſi Papæ, tanquam immediato Vicario Chriſti. Deinde Papa diſtribuit eas. Nam Chriſtus dedit Papæ tantam dignitatem, poteſtatem, autoritatem, ut ipſe poſſit dimittere pœnam purgatorii & eam minuere.

Digitized by Google

Et quando dicitur: Ubi recipit Papa eas tales indulgentias? Reſpondetur, de ſcrinio & de theſauro eccleſiæ, id eſt ex paſſione Chriſti & aliorum ſanctorum paſſione, & ex miſericordia Dei ſuper peccatorem. Nam cum Papa ſit vocatus ad plenitudinem poteſtatis, tunc poteſt hunc theſaurum diſtribuere inter fideles.

Quæritur: *Quare* Deus dedit hanc poteſtatem ſuo vicario, hominibus per indulgentias remittere pœnam purgatorii & eandem minorare? Reſpondetur, ut dicit *Oſtienſis in ſua Summa: Quia Chriſtus ſcivit homines propter fragilitatem cito labiles in peccata majora & mortalia, & antequam homo pro uno peccato mortali ſatisfaceret per pœnitentiam ſeptem annorū, interim caderet in multa alia mortalia, niſi ſpeciali gratia Dei ſit preventus. Et ſic pro condigna ſatisfactione, hic in hoc ſeculo omiſſa, relinquitur completa ſatisfactio, pœna purgatorii, quandoq; longa prolixa, ſecundum demerita perſonæ.* Chriſtus igitur, motus ſua miſericordia, tandem miſertus ſuper peccatorem de tam magna & longa pœna purgatorii, quæ eſt coæqualis pœnæ infernali: Reliquit hic pro ſubſidio peccatoribus & pro pœnarum mora ſpecialem gratiam Chriſti, Papæ. Quæ gratia tranſit & egreditur de paſſione Chriſti, ut mediate iſta gratia, ex plenitudine poteſtatis ipſius Papæ conceſſa fieret hominibus remiſſio pœnarum purgatorii per tales indulgentias, quas Papa poteſt diſpenſare & dare ſecundum majus & minus. Et recte tantum ſunt indulgentiæ, quantum ſonant, & quanto noviores & recentiores tanto validiores & utiliores. Ex eo, quia quando novæ ſunt major apponitur diligentia & devotio, quam circa indulgentias inveteratas, ubi pauca fit devotio, quam circa indulgentias eccleſiarum. Et ſic indulgentiæ magnum conferunt fructum & utilitatem homini.

Sed dicitur: *Pro quo* videlicet? Reſpondet Oſtienſis, quod in hoc mundo non debemus eis uti, ſed in illo, id eſt purgatorio. Quia per tales indulgentias minorantur pœnæ purgatorii.

Quæritur, *quæ ſunt neceſſaria ad obtinendas indulgentias*? Et dicit Oſtienſis, quod fatui homines ſunt aut nimis ſimplices, qui non capiunt tales indulgentias, id eſt minorationes pœnæ purgatorii. Et hanc dubitationem movet *Thomas in libro confeſſionum*, & dicit, quod *quatuor* ſunt *neceſſaria*, duo ex parte dantis, duo ex parte recipientis. Ex parte dantis poteſtas ſolvendi & remittendi. Secundo, quod ſit rationabilis cauſa, quare dantur indulgentiæ, ut propter ædificare hoſpitalia, & ſimilia. Ex parte recipientis etiam duo. Primum confeſſio, contritio & pœnitentia. Quia dicitur in bullis: *Confeſſis & contritis.* Secundo requiritur devotio fidei: Quia recipiens indulgentias, & qui vult eis uti, debet firmam fidem habere, quod Papa habeat hanc poteſtatem remittendi pœnam purgatorii, & quod credat, apud eccleſiam hanc poteſtatem & auctoritatem eſſe. Alias, qui non crederet hoc, non obtineret indulgentias & minorationem pœnæ. Et ſecundum *Thomam*, tales indulgentiæ generales Papæ, vulgariter vocantur *indulgentiæ à pœna & à culpa.* Et ſuper iſto verbo, *à culpa*, Wilhelmus à monte Lauduno dicit, quod Papa ſponſus eccleſiæ ex plenitudine poteſtatis & pœnam & culpam remittere poteſt. Unde dicunt Doctores: Dum Papa dat plenam remiſſionem peccatorum, tunc homo fit per eandem ſic ſolutus à pœna & à culpa, mediante confeſſione & & contritione, ex plenitudine poteſtatis ipſius Papæ. Similiter ſi epiſcopus dat quadraginta dies indulgentiarum, hoc tantum, videlicet in pœna purgatorii, minorabitur cum quadraginta diebus.

Quæritur, numquid *pro pecuniis* poſſunt dari indulgentiæ, quod non committatur ſimonia? Reſpondet *Thomas*, quod non dantur pro pecuniis, aut pro temporali pretio, ſed dantur pro eccleſiaſtica aut ſpirituali utilitate, quam quis conſequitur ex donatione pecuniæ. Ut quia cum his pecuniis ædificatur eccleſia, aut hoſpitale, vel conſimile, ut dicit *Clemens Papa III. canone, Cum ex eo.* Dicit ſic: *Reddente Domino, multiplicato fructum colligere in cœlis, firmam*

mam ſpem & fiduciam tenentes, quod qui parce ſeminat, parce & metet, & qui ſeminat in benedictione, metet vitam æternam. Cum igitur ad ſuſtentationem egenorum fratrum, ad tale hoſpitale confluentium, &c. univerſitatem veſtram monemus & hortamur in Domino, atq; in remiſſionem vobis injungimus peccatorum omnium, quatenus à Deo vobis collatis grata ſubſidia charitatis dictis egenis erogetis, ut inſpirante Domino gaudia æterna poſſitis promereri. Hæc Clemens Papa.

Ex iſto canone quidam fatui eliciunt & dicunt, quod ſit ſimonia, ex eo quod in bullis poſtulatur pecunia & ſubſidium. Reſpondetur, quod non poſtulatur pecunia, ſed hortantur fideles, ut faciant eleemoſynam & ſubſidium. Propter hoc non dicitur ſimonia, quia tunc dare eleemoſynam, eſſet ſimonia. Quod falſum eſt. Et tales fatui, ex quo pro nihilo reputant theſaurum eccleſiæ, eo major veniet ipſis Papa in illo mundo.

Sciendum, quod indulgentiæ poſſunt dari per malum Prælatum. Quia malus Prælatus ratione officii habet tantam poteſtatem & autoritatem ſicut bonus Prælatus. Et tantæ virtutis ſunt indulgentiæ.

Quæritur, *an Papa poteſt dare crucem ſuper cruciatum Chriſtianum?* Reſpondetur, quod poteſt aliquis Princeps ita malus eſſe, ut forte vellet totam eccleſiam Dei & vitam hominum exſtirpare, devaſtando bona eccleſiæ. Ideo crux ſuper eum poteſt dari, ſicut ſuper paganum. Dummodo populus bonus, ſubjectus eidem Principi, honoretur, in quantum poteſt. Et dare crucem non eſt niſi dare magnas indulgentias his, qui defendunt eccleſiam, & fidem Dei. Tantum de indulgentiis, quæ dicta ſunt.

PARS II. Specialis
De Communione ſub una.

PRæmiſſo exordio, præambulo & proœmiali, *ad principalem materiam* deſcendo, videlicet, *Utrum Chriſtianus populus laicalis ſub utraq; ſpecie ſacramentali ſit communicandus*, quemadmodum facit ſacerdos in altari?

Circa hujus materiæ difficultatem, quæ gravis eſt, magis vellem audire quam loqui, ut ait *Hilarius*, de his rebus. Ponendum eſt tamen, propter aliquos, qui ſuo non parcunt timori, ſed verbo & ſcripto propalant in medium laicorum, ſanoque conſilio ſubito ſunt retinendi. In auditu, toti Chriſtianitati aut parti ſaniori contrariando, *populum ſub utraq; ſpecie* ſine timore eccleſiæ *communicant*, & obſervationem eccleſiæ Romanæ violando. Ubi tamen dicitur 22. *diſtinct. in decreto, c. Omnis, Fidem quippe violat, qui adverſus Romanam eccleſiam agit, cum ipſa ſit mater fidei.* Et ipſe *S. Ambroſius* in omnibus magiſtram ſanctam ſequi confitetur Romanam eccleſiam.

Motus igitur cordis dolore, & hominum moleſtia, modicum de hac materia colligere procuravi, nihil apponens meæ facultatis ingenio, ſed quæ in aliis reperii codicibus, auxiliante ſupremo opifice, huc reducere curavi: Nihil apponens, quod ſcirem obſtare ſcripturis, canonibus & obſervationi eccleſiæ contrariando.

Cujus, inquam, materiæ totalis maſſa & facultas in tres dividitur *tractatus ſpeciales.*

In *primo tractatu* erunt quædam ad principalem materiam neceſſaria.

In *ſecundo tractatu* ponitur principalis materia de communicatione. In quo oſtenditur multipliciter, *laicales non debere nec poſſe ſub utraque ſpecie communicare.*

In *Tertio* tractantur *motiva, autoritates & rationes oppoſitæ partis*, quibus oppoſita pars credit ſe probare, quod laicales ſub utraque ſpecie deberent communicari.

Primus etiam *tractatus* habet *plura capitula.* Et quid in quolibet capite tractabitur, patebit ſuis locis per ordinem.

Digitized by Google

Tractatus Specialis I.

Generalia momenta ac fundamenta pro explicanda doctrina communionis ſub una.

CAP. I.

De ſacramento panis & vini in genere.

AD habendam aliqualem notitiam ſequentium, notandum, ſcilicet quod ponit *S. Thomas* in quodam *ſermone de corpore Chriſti*, qui incipit: *Memoriam fecit mirabilium ſuorum*: Quatuor ſunt cauſæ attribuendæ ſacramento vini. Nam *in primo ſacramento* ibi eſt cauſa materialis, quia materia *panis*: Ibi eſt cauſa formalis, quia forma verborum: Ibi eſt cauſa efficiens, principalis, Deus glorioſus, miniſterialis, ſacerdos debite conſecratus: Et finalis, vera intentio proferentis ex fide credentis. Et quando unum illorum deficit, tunc conſecratio non valet. Sic ſimiliter intellige *de ſacramento vini*, ut dicit B. Thomas. Quæ cauſæ ponuntur in *Regulis Theologiæ*, *undena* regula.

Secundo notandum, ſecundum *Thomā in eodem ſermone*, quod *in ſacramento panis* poſt conſecrationem *quatuor* creduntur. *Primo* ibi creditur corpus Chriſti ex vi verborum, quia verba conſecrationis de ſolo corpore faciunt mentionem. *Secundo* ibi creditur ſanguis Chriſti, ex concomitantia immediata, quia ſanguis diſponit corpus immediate ad vitam. *Tertio* ineſt anima Chriſti, ex concomitantia propinqua: Et anima pertinet ad eandem naturam, imo concomitatur ipſum corpus propinque. *Quarto*, ineſt divinitas ex concomitantia remota: Quia, licet divinitas cū rebus prædictis faciat unum ſuppoſitum, tamen nō pertineret ad unam & eandem naturam. Et tunc dicit *B. Thomas*, quod hoſtia non ſit adoranda, usque primo elevetur, ne committatur idololatria.

Similiter eodem modo *in ſacramento vini*, *quatuor* creduntur, licet ordo variatur. *Primo* ergo creditur & intelligitur ſanguis Chriſti, ex vi verborum. Quia verba conſecrationis faciunt de ſolo ſanguine mentionem. *Secundo* ibi eſt corpus Chriſti, ex concomitantia immediata. Quia corpus eſt ſanguinis immediatum receptaculum. *Tertio* ibi eſt anima, ex concomitantia propinqua. *Quarto* ibi eſt divinitas, ex concomitantia remota.

Et quod hæc ſint vera allegat *S. Thomas Ambroſium*, *in libro De ſacramentis*, quod iſta, quæ fuerunt in utero B. virginis, manifeſtè inveniantur in iſto ſacramento: Sed in utero virginis fuerunt hæc quatuor. Ergo &c.

Tertio notandum, quod *manducatio & bibitio* fit *quatuor modis*. *Quidam* manducant & bibunt ſpiritualiter tantum, ut dicit *Auguſtinus in libro pœnitentiæ*: *Quid paras ventrem aut dentem? Crede & manducaſti*. *Quidam* manducant ſacramentum tantum, & non rem ſacramenti, ut in mortali peccato exiſtentes. *Quidam* manducant ſacramentum & rem ſacramenti, ut boni, ſine mortali peccato. *Quidam* manducant nec rem nec ſacramentum, ut qui propter inimicitias aut propter luxuriam continuandam nolunt ſemel in anno &c.

Primi manducantes manducant, ut viri contemplativi, & pueri baptizati morientes. *Secundi* manducantes non manducant, ut dicit Paulus: *Qui ſumit indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini*. *Tertii*, non manducantes manducant, ut fideles confeſſi. Quarti non manducantes non manducant.

Et talibus, qui *ſemel in anno* nolunt *confiteri*, ingreſſus eccleſiæ eſt eis prohibendus & à communione fidelium ſunt excludendi, & ſi ſic moriuntur, eccleſiaſtica ſepultura eſt eis prohibenda, uti patet in *canone*, *Omnis utriusq; ſexus De pœnitentia & remiſſione*: Niſi ſigna pœnitentiæ fuerint manifeſtatata.

Quarto notandum, quod ſacramentum panis & vini intrat per os hominis in ventrem.

Quæ-

Quæritur, an Chriſtus etiam intrat ventrem ſtomachi? Dicit *Hugo de S. Victore: Poſtquam ſpecies vel ſenſus in percipiendo deficit, ulterius non eſt quærenda præſentia Chriſti. Etenim de ore tranſit ad cor & animam. Gregorius* dicit: *Tamdiu tenes in te, quamdiu tenes in ore. Non mittitur in ſeceſſum, ſed recipitur in excelſum &c. Damaſcenus* dicit: *Dum ſpecies ſentitur, eſt ſacramentum, dum autem ſentiri deſinit, non eſt ſacramentum.*

Similiter nota, quod Chriſtus in cœna, ut dicit *S. Thomas*, porrigendo ſuum corpus aliis diſcipulis, ſe ipſum comedit Chriſtus. *Rex ſedet in cœna, &c. Se tenet in manibus, ſe cibat iſte cibus.*

Item dicitur ab εὖ, quod eſt *bonum*, & χάρις, *gratia*, quaſi *bona gratia*. Et hoc idem dicitur *panis angelorum*, & hoc idem dicitur *corpus Chriſti* vel *panis benedictus*, ſeu *hoſtia*, vel viaticum.

CAP. II.

De primitiva Eccleſia.

PRimitiva eccleſia eſt ritus, conſuetudo, obſervatio eccleſiæ fidelium circa fidem, tempore apoſtolorum, & aliorum ſeptuaginta duorum diſcipulorum, & ſequacium ipſorum, usque ad Sylveſtrum Papam.

Sed *eccleſia moderna* dicitur ritus, conſuetudo & obſervatio eccleſiæ circa fidem, incipiens à Silveſtro Papa usque ad hodiernum diem. Capiendo autem *modernum* magis propinque, tunc eſt, *quod duravit per ducentos. Per centum* autem *annos* dicitur eccleſia moderna, ſaltim referendo tale tempus ad obſervationem fidelium circa fidem.

Pro quo ſciendum, quod *omnia fiebant ſimpliciori modo & groſſiori in primitiva eccleſia*, quam fiunt in moderna eccleſia.

Quia *baptiſmus* fiebat ſimplici aqua, nunc autem fit in benedicta.

Sic etiam *divina officia*, & multa alia fiebant ſimpliciori modo. Sed in moderna eccleſia omnia digniori modo fiunt. Sic etiam in *primitiva communicatione* apud Corinthios, *fiebat ſub duplici ſpecie*. In moderna omnia ſunt reducta ad meliorem formam, ad unam ſpeciem.

Quia multa apoſtoli & alii ſequaces omiſerunt, quæ moderna eccleſia implevit. Quia dicitur in Actis Apoſtolorum: *Creſcente eccleſia creſcit & ſpiritus ſancti operatio.* Et in *Decretalibus c. Cum Martha, dicitur: Multa ſervat eccleſia, quæ per apoſtolos fuerunt omiſſa &c.*

CAP. III.

De Catholica eccleſia.

CAtholica eccleſia eſt totius Chriſtianitatis, bonorum, malorum, congregatio. Et ſic *Catholica eccleſia* non eſt aliud niſi tota *Chriſtianitas*.

Inde *Catholicus*, id eſt *fidelis Chriſtianus*.

Et ſic nota: *Catholicum* recipitur *dupliciter*.

Uno modo *proprie*, ſeu in rei ſignificatione. Et ſic bonus homo Chriſtianus dicitur Catholicus. Sicut dicimus: *Iſte homo eſt bonus Catholicus, id eſt, bonus Chriſtianus.*

Alio modo capitur catholicum communius pro Chriſtianis. Et ſic dicimus: Ego ſum catholicus, id eſt Chriſtianus.

Et dicitur *ſancta catholica eccleſia* ratione ſanctorum & beatorum, qui in ea continentur, vel ratione electorum. Vel dicitur *ſancta eccleſia*, *ratione* ſpiritus ſancti, qui eam regit.

CAP. IV.

De Romana Eccleſia

ROmana autem eccleſia vocatur ordinatio, diſpoſitio & obſervatio fidelium, quæ procedit à Romano Pontifice & Cardinalibus aſſeſſoribus, con-

ſulen-

ſulentibus, conciliis & aliis eccleſiæ epiſcopis auxiliantibus, ad obſervationem fidei. Hæc dicitur Romana Eccleſia.

Et dicitur Romana *ſancta eccleſia*, ratione ſanctæ virginis, vel dicitur *ſancta* ratione ſanctorum patrum, Apoſtolorum Romanorum, in Roma præſidentium. Vel dicitur *ſancta*, quia ſancto ſpiritu regitur & gubernatur.

Item *Romana eccleſia* capitur *multipliciter*.

Uno modo *materialiter*. Et ſic lapides & ligna eccleſiæ S. Petri in Roma dicitur *Romana eccleſia*.

Alio modo capitur *formaliter*. Et hoc dupliciter. *Uno modo* pro diſpoſitione, ordinatione, regimine, quæ procedunt à Romano Pontifice & à ſuis Cardinalibus conſulentibus, & à conciliis, &c. *Alio modo* Romana eccleſia capitur pro capite eccleſiæ regente, & omnibus ſubjectis fidelibus. Et ſic tota congregatio fidelium ſubjecta & obediens Romano Pontifici, à quo & ab aſſeſſoribus procedit omne regimen fidei & ordinatio in omnes fideles.

CAP. V.

Quomodo conveniant & differant Romana & Catholica Eccleſia.

Conveniunt autem ad invicem & differunt, *Romana*, *Catholica*.

Conveniunt in hoc, quia utraque eccleſia tàm *Catholica* quàm *Romana* eſt fidelium & credentium.

Differunt autem ab invicem *quatuor modis*.

Quia *catholica* dicitur mater electionis fidelium, ſed *Romana* eccleſia dicitur mater regiminis fidelium.

Secundò differunt: *Catholica* eccleſia habet ſe ut totum, ſed *Romana* ut pars ejus.

Tertio differunt, quia Romana continetur in Catholica. Sed Catholica non continetur in Romana.

Quarto differunt, quia *Romana* habet ſe ut Rex, *Catholica* ut regnum. Eccleſia *Romana* habet ſe ut anima, *Catholica* ut corpus. Eccleſia *Romana* habet ſe ut nauta, *catholica* ut navis.

Per ſimilitudinem eccleſia *Romana* habet ſe ut anima, *catholica* ut corpus. Quia rectè ſicut regnum regitur per regem, ſic Catholica eccleſia regitur per Romanam. Et ſicut Rex habet ſe in medio regni, ſic Romana eſt medium Chriſtianitatis. Quia ex omnibus partibus regit Chriſtianitatem. Et ſicut nauta regit navem, & navis ſine nauta periclitatur; ſic Romana eccleſia regit Catholicam & catholica ſine regimine Romanæ eccleſiæ periclitatur. Et ſicut anima regit corpus, ſic Romana regit totam Chriſtianitatem, & habet ſe ſicut anima in medio mundi.

Item quandoque *eccleſia tota catholica* vocatur *Romana*, per figuram ſynecdochen, quando pars recipitur pro toto, ut homo dicitur totus albus, propter faciem albam. Sic *tota catholica* dicitur *Romana* propter regimen. Nam Romana eccleſia eſt caput & mater totius Chriſtianitatis & omnium aliarum eccleſiarum, & eſt mater fidei, & non ab alio, quàm à ſolo Chriſto eſt inſtituta, uti patet in *Decreto per Nicolaum Papam*, quod non ab apoſtolis ſed ab ipſo Domino Romano eccleſia primatum accepit. Et *Anacletus Papa* dicit *d.22. in c. Sacroſancta: Hæc vera apoſtolica fides caput & cardo omnium eccleſiarum. Et ſicut cardine oſtium volvitur, ſic hujus apoſtolica ſedis autoritate omnes eccleſiæ fidelium, Domino diſponente, reguntur.*

Hæc autem *Catholica eccleſia* eſt diviſa in duas partes, in *Orientem & in Occidentem*.

Pars *Orientalis* eſt eccleſia *Græcorum*, quæ receſſit ab obedientia eccleſiæ Romanæ.

Eccleſia autem *occidentalis* ſeu pars occidentalis ſubjecta eſt Romanæ eccleſiæ, & regitur per eam.

Et totum occidens dicitur *Romana eccleſia*, ratione obedientiæ & ſubjectionis. Et hujus eccleſiæ caput eſt ſummus Pontifex, locum & ſedem tenens S. Petri. Et hoc caput habet poteſtatem ligandi & abſolvendi. De quo in Evangelio dicitur: *Tibi tradita ſunt claves regni cælorum. Quodcunque ligaveris & ſolveris ſuper terram, erit ligatum & abſolutum & in cælis.*

CAP.

Digitized by Google

CAP. VI.

An Papa ſub ratione peccati poſſit facere decreta & conſtitutiones.

DUbitatur, an *Papa* per ſua *decreta, conſtitutiones & concilia,* poſſit facere hominibus peccata, ubi tamen non ſunt nec fuerunt?

Reſpondetur: Quod ſic. Uti patet in *Decreto diſt.* 21. *Vel inferior.* In gloſſa oſtenditur, quod dubium eſt verum. Et *Johann XX.* dicitur: *Quorum remiſeritis peccata, remiſſa, & quorum retinueritis peccata, retenta ſunt.* Et *quodcunque ligaveris ſuper terram.*

Exemplum. Si Papa ſtatuit aliquid pro ſalute hominum vel pro fide ſervanda & roboranda, ecce, ſi quis transgreditur hoc mandatum, peccat mortaliter. Nam ſi quis frangit ſolam conſvetudinem laudabilem eccleſiæ, quam Papa non ſtatuit, peccat, per *Capitulum De conſvetudine.* Cùm tantò peccata ſint graviora, de quanto animam infelicem tenent alligatam: A fortiori, ſi decreta Papæ, conſtitutiones & concilia transgrediuntur & violantur, peccatum non modicum committitur.

Et ſic patet, quod Papa per ſuas conſtitutiones facit hominibus peccata, ubi prius non fuerunt. Quia inobedientia eſt mater omnium peccatorum, propter quam inobedientiam Adam & Eva totum perdiderunt mundum. Sic qui non tenent ſtatuta eccleſiæ, conſtitutiones & decreta, propter inobedientiam peccant mortaliter. Imò qui decretum & canones, jura eccleſiaſtica, non tenet, peccat mortaliter, & abjiciendus eſt à corpore bonorum hominum. Quia talia omnia ſunt ſtatuta Papæ & eccleſiæ. Unde *Gregorius in Decreto, diſt.*19. dicit: *Quiſquis apoſtolicis aut eccleſia voluerit contraire decretis, deinceps inter ſacerdotes non habeat locum, nec de ejus judicio quisquam curam habeat, quatenus damnatus,* ſecundum 12. *diſt. c.* 3. *Scit ſancta Romana eccleſia, quod nihil obſunt ſaluti credentium, per diverſa loca & tempora, conſtitutiones & conſvetudines, quas ſtatuit obſervandas.*

Sed diceres: Utrum omne illud, quod obſervat Romana eccleſia circa fidem, ab omnibus ſit obſervandum?

Reſpondetur. Quod ſic. *Diſt.*11. Papa Innocentius ſcribens Decentio Epiſcopo dicit: *Ab omnibus debet obſervari, quod Romana obſervat eccleſia.* Et dicit *Innocentius* loco alligato ad *Decentium Epiſcopum: Te ſcire volumus, ut nobis indicare non differas quod valeamus ſcire, qui ſunt, qui novitates inducunt, aut alterius, quàm Romana eccleſia exiſtimant conſvetudinem eſſe obſervandam.* Cùm Romana eccleſia ſit mater fidei, à cujus regulis nullatenus convenit deviare.

Unde peſſimè iſti faciunt, qui laicales ſub utraque ſpecie communicant. Tam dantes quàm recipientes peccant mortaliter, ex eo, quod agunt contra obſervationem totius Chriſtianitatis, ſubjectæ Romanæ eccleſiæ. Contra quos ponitur in *Decreto,* 12. *diſt. c. omnes.* Ubi dicitur: *Fidem quippe violat, qui adverſus eccleſiam agit &c.*

CAP. VII.

Cujus momenti ſint Decreta & Decretales.

INterrogare quis poterit, utrum decreta Papæ, ſeu *Decretum,* talis liber, *Decretales,* conſtitutiones & alia jura canonica, ſint obſervanda?

Et videtur, Quod *non.* Quia *Decreta* ſunt humana inventio, *Decretales* ſunt correctoria, & *alia jura* ſunt propter quæſtum inventa. Ergò non ſunt obſervanda.

Etiam multa ponuntur in jure, quæ non tenentur. Ut canon Cypriani. Igitur &c.

Concluſio reſponſalis eſt: Quod Decretum, licet ſit humana traditio, & Decretales, licet ſint pro opinione aliorum & aliquorum correctoria, omnia firmiter ſunt tenenda, ſicut ſacra ſcriptura.

Concluſio patet. Quod canonica jura, Decretum & Decretales & alia

alia jura, ſunt tenenda. Patet 12. *diſtinct. in decreto, c. 3. Scit ſancta Romana eccleſia, quod nihil obſunt ſaluti credentium, per diverſa loca & tempora conſtitutiones imponens ſervandas.* Et *Gregorius* 19. *diſt. Nulli fas eſt transgredi apoſtolicæ ſedis præcepta, quia talis nec locum inter ſacerdotes habeat, nec de ejus judicio quisquam curam habeat, quod jam damnatus ſit &c.* Et *Nicolaus Papa* 15. *diſt. Corripiendi ſunt, qui decreta Romanorum Pontificum non obſervant. Et de electione & de poteſtate electi, c. Significaſti*, dicitur: *Nonne malum eſt ab imitatione ſedis apoſtolicæ reſilire & contra canonum ſtatuta prorumpere?* Hæc Gregorius, qui dicit ulterius: Quod multi poſt ſacramentum & juramentum præſtitum præſumſerunt hoc malum facere, quare neceſſitate compelluntur juramentum pro fide & pro obedientia requirere.

Et ſi dicatur: Multa ſunt in jure, quæ ſunt contra ſacram ſcripturam.

Abſit. Eccleſia non toleraret nec admitteret.

Et quando dicitur: Quod Decretum eſt traditio humana. Reſpondetur: Modò epiſtolæ Pauli & libri Sententiarum & pſalterium, biblia, ſunt humanæ traditiones. Similiter epiſtolæ Pauli ſunt correctoria: Quia epiſtola & correctorium apud Rhetores idem valet.

CAP. VIII.

An Sacramentum corporis Chriſti ſit ſacramentum neceſſarium, ut ſine eo nemo ſalvari poſſit.

QVærendum eſt, *an ſacramentum Dominici corporis ſit ſacramentum neceſſitatis*, id eſt, quod de neceſſitate quilibet homo Chriſtianus tenetur ſumere corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & ejus ſangvinem ſub ſpecie vini, & qui ſine ſumtione corporis Dominici & ejus ſangvinis moreretur, damnaretur, ſicut dicit evangelium: *Non habebit vitam æternam in ſe*, qui moreretur ſine communicatione?

Sententia affirmativa. Hanc objectionem movet *S. Thomas in P. IV. ſuarum diſtinctionum*, & arguit duobus argumentis, quod capere corpus Chriſti ſit ſacramentum neceſſitatis, id eſt, qui corpus Chriſti non reciperet, damnaretur.

Primò arguit ſic: Quia ſicut eſt de baptiſmo *Johann. III. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum cœlorum:* Ita dictum eſt *Johan. VI. Niſi carnem filii hominis manducaveritis, & ejus ſangvinem biberitis, non habebitis vitam in vobis.* Sed propter prædicta verba dicitur baptiſmus ſacramentum neceſſitatis: Ergo eadem ratione manducatio ſacramentalis. Id eſt, ſacramentum Dominici corporis, eſt neceſſitatis.

Secundò arguit ſic: Nam per manducationem ſacramenti hujus incorporantur Chriſto. Sed hoc eſt de neceſſitate ſalutis. Sicut & à peccato mundari eſt de neceſſitate ſalutis, ſic manducatio ſacramentalis.

In oppoſitum eſt *S. Thomas* in loco præallegato in *P. IV. ſuarum diſt.* Pro quo notandum, pro intellectu tituli & quæſtionis. Quæritur, *Utrum recipere corpus Chriſti ſacramentaliter, id eſt ſub ſpecie panis, & ſangvinem ſub ſpecie vini, ſit de neceſſitate?* id eſt, *Utrum de neceſſitate quilibet homo debeat recipere corpus Chriſti & ſangvinem ſub duabus ſpeciebus, vel ſub una?* *Sententia negativa.*

Notandum. Pelagiani hæretici & plures alii crediderunt, quod corpus Chriſti recipere ſub duabus ſpeciebus eſſet de neceſſitate, quod ſi quis non reciperet corpus Chriſti ſub ſpecie aut ſpeciebus, damnaretur. Et propter hoc ſtatim poſt baptismum communicaverunt pueros, ne damnarentur.

¶ Notandum, quod *manducatio vel bibitio corporis Chriſti & ſangvinis ejus eſt duplex.*

Quædam *ſpiritualis*, quæ conſiſtit in fide & charitate, ut dicit Auguſtinus. Et talis eſt ſimpliciter neceſſaria, & de neceſſitate. Qui talem manducationem & bibitionem non ſumeret, id eſt, qui fidem Chriſtianam per baptiſmum non haberet, non poſſet habere vitam in ſe, id eſt æternam. Et de hac manducatione & bibitione loquitur evangelium *Johan-*

Digitized by Google

Johannis VI. Niſi carnem filii hominis manducaveritis, id eſt, niſi fidem habueritis, *non habebitis vitam æternam.* Et hæc eſt neceſſaria. Quia ſine fide nullus intrat regnum cœlorum.

Alia eſt manducatio vel bibitio *ſacramentalis* ſub ſpeciebus panis & vini. Et de iſta loquitur Evangelium *Matth.26. Accipite, hoc eſt corpus meum.* Et calicem benedixit, dicens: *Hic eſt ſanguis meus, bibite ex eo omnes.* Tunc ponitur concluſio univerſalis, quod *ſacramentum Dominicum non eſt ſacramentum neceſſitatis.* Probatur autoritate S. Thomæ in loco allegato, qui dicit, quod non eſt ſacramentum neceſſitatis.

Item probatur hæc concluſio duobus argumentis S. Thomæ in *P. IV. ſuarum diſtinctionum.* Per quæ oſtendit, quod manducatio ſacramentalis non eſt de *neceſſitate*, ſed de magna *utilitate*, ut dicit porro.

Primum argumentum eſt hoc: Quod ſine ſacramento aut ſine manducatione ſacramentali poteſt eſſe ſalus. Ergo non eſt ſacramentum neceſſitatis. *Conſequentia* eſt bona. *Antecedens* probatur: Quia pueri baptizati conſequuntur ſalutem ſine manducatione & communicatione ſacramentali. Quia pueri non communicantur usque ad nonum annum. Antecedens probatur. Quia pueri conſequuntur ſalutem, cum eis gratia in baptiſmo datur, licet eis non datur corpus Chriſti nec ſanguis ejus. Igitur non eſt ſacramentum neceſſitatis. Quia ſi eſſet neceſſitatis, tunc omnis Chriſtianus, qui non communicaretur, & ſine communicatione moreretur, talis damnaretur. Quod eſt erroneum dicere. Quia tunc omnes pueri damnarentur, & omnes, qui mortui fuiſſent ſine communicatione, ut modo multi ſunt mortui ſine manducatione & communicatione, & multi eremitæ.

Secundo probatur per ſecundum argumentum *S. Thomæ:* Baptiſmi miniſteum, propter hoc, quod eſt de neceſſitate, hominibus omnibus eſt conceſſum tempore neceſſitatis. Qvia in neceſſitate & mulier poteſt baptizare. Sed hoc ſacramentum per ſolos perficitur ſacerdotes. Igitur non eſt ſacramentum neceſſitatis. Et hoc probatur argumento *Gorræ* ſuper *c. VI. Joannis.* Qui ſic arguit: Forte quis diceret, quod ſacramentum eſt neceſſitatis, ex eo, quod dicitur in evangelio Joannis: *Niſi carnem filii hominis manducaveritis, non habebitis vitam in vobis.* Contra, vel intelligitur de *vita gloriæ*, vel de *vita gratiæ.* Nullum illorum poteſt dici. Igitur. Antecedens probatur.

Hoc, quod per communicationem ſacramentalem non acquiritur *vita gratiæ*, probatur: Quia communicatio præſupponit vitam gratiæ, id eſt peccatorum remiſſionem, per confeſſionem, contritionem. Nam ſola communicatione ſe interficit homo, ut Judas per communicationem interfecit ſe. Præſupponitur igitur in communicatione vita gratiæ.

Nec poteſt intelligi de *vita gloriæ*, quæ ſine communicatione contingit. Igitur non eſt ſacramentum neceſſitatis.

Item patet concluſio & autoritate canonum, in *De remiſſionibus in c. Quod in te*, in gloſſa dicitur de viatico, quia viaticum dicitur de viando, quia per viaticum de hac vita ſit receſſurus. Et ulterius dicitur in gloſſa: *Nec eſt ſacramentum neceſſitatis.*

Reſpondetur ad Objectiones. Tunc ad primum argumentum ante propoſitum reſpondetur per *S. Thomam*, quod non eſt ſimiliter, de baptiſmo, contritione, & ſacramento ſub ſpecie panis. Illa ſunt ſacramenta neceſſitatis, ſine quibus non poteſt eſſe ſalus. Sed ſine ſacramento, i. e. ſine manducatione & bibitione ſacramentali, poteſt eſſe ſalus. Etiam per baptismum & contritionem deleantur omnia peccata mortalia.

Tunc ad ſecundum argumentum reſpondetur, ſecundum *S. Thomam*, quod incorporatio ad Chriſtum poteſt eſſe ſine manducatione & bibitione ſacramentali &c.

CAP. IX.

An Communio plebis ſub utraque ſit præceptum Chriſti, & articulus fidei.

Quod ab aliis quibusdam authenticis creditur, à fidelibus merito inveſtigatur, *An laicales communicare ſub utraq; ſpecie ſit præceptum Chriſti, atq; articulus fidei.*

Sententia affirmativa. Et arguitur, quod *ſic*, auctoritatibus oppoſitæ partis.

Primo auctoritatibus S. evangelii. *Dicitur Johann. VI. Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habetis vitam in vobis.* Ecce dicitur in Evangelio: *Niſi.* Quia iſta manducatio & communicatio infert ex ſui natura præceptum & neceſſitatem, Ergo eſt præceptum & lex Chriſti. Et utraque ſpecies tangitur. Cum dicitur: *Carnem filii hominis*, tangitur corpus Chriſti ſub ſpecie panis. Et per hoc, quod dicitur: *Et ſanguinem ejus biberitis*, tangitur ſanguis Chriſti ſub ſpecie vini. Ergo debent eſſe duæ ſpecies.

Sed quod ſit *articulus fidei:* Quia eſt evangelium. Et tale habetur pro articulo fidei. Igitur quæſtio ſimpliciter vera.

Etiam patet, quod ſit præceptum Chriſti, Paulo 1. *Corinth. XII.* dicente: *Quod accepi à Domino, tradidi vobis, Probet autem ſeipſum homo &c.* Ecce ſub utraq; ſpecie præcepit Paulus communicare laicales. Igitur dubium verum.

Sententia negativa. In oppoſitum hujus eſt ſancta mater *eccleſia Romana*, & tota Chriſtianitas, aut pars ejus ſanior. Igitur concluſio falſa.

Notandum. Præceptum Chriſti eſt mandatum Chriſti. Quod ſi violatum fuerit per transgreſſionem & modum, non parvum peccatum inducit. Imo mortaliter peccat, qui mandatum Chriſti non tenet. Et non occidere, eſt mandatum, & ſiquis hominem occiderit injuſte, & ſi confeſſus ſuper iſto peccato non pœnituerit, & mortuus ſic fuerit, damnatur. Sic in propoſito ſequitur, quod à mille annis usque hodiernum eſſent damnati, quia continue hoc præceptum ſub utraque ſpecia non tenuerunt. Sed violarunt, nec ſuper iſto peccato aut facto confeſſi ſunt, nec pœnituerunt, & ſic mortui ſunt, & per conſequens damnati. Similiter & de lege Chriſti dicendum. Qui legem Chriſti frangeret & non pœniteret, damnaretur. Sed ſi communicare ſub utraque ſpecie eſſet articulus fidei: Si quis talem articulum non teneret, ex quo eſt articulus fidei, talis eſſet hæreticus. Sed quia *ſacerdotes à mille annis non tenuerunt hunc articulum*, quia non procuraverunt ſub utraque ſpecie, ſacerdotes à mille annis, usque hodiernum, fuerunt hæretici. Sed hoc dicere & tenere eſt erroneum. Igitur &c.

Concluſio reſponſalis. Quod laicales communicare ſub utraque ſpecie eſt nec *præceptum Chriſti*, nec articulus fidei. Imo ſic communicare eſt contra totam eccleſiam. Et eſt peccatum mortale ſub utraque ſpecie communicare laicales.

Illa concluſio probatur autoritatibus. *Primo* autoritate *S. Thomæ in P. IV.* ſuarum diſtinctionum, & per *Gorram ſuper Joh. VI.* Qui dicunt, quod non ſit mandatum: Ex eo, quod ſi eſſet mandatum, tunc eſſet de neceſſitate tale ſacramentum ſub utraque ſpecie. Sed quia *in præcedenti capite* oſtenſum eſt, quod non eſt ſacramentum neceſſitatis, Igitur nec eſt præceptum Chriſti.

Et patet concluſio autoritate *Ambroſii in libro De paradiſo animæ*. Qui manifeſtè dicit, quod communicare non ſit præceptum Chriſti ſub ſpecie panis & vini extra ſacrificium. Qui ſic dicit: *Cum igitur in cibo neq; ſit præmium, quia eſca nos non commendat Deo: Neq; magnum periculum ſit, quia neque quod intrat in os, coinquinat hominem, ſed quod exit de ore: Videtur ſine dubio à tanto autore non eſſe præceptum. Niſi hunc cibum ad aliud propheticum referas, quod pro magno præmio Dominus ſuis pollicetur ſanctis:* Ecce qui mihi ſerviunt, manducaverunt, vos autem eſurietis. *Sic eſt enim cibus,*

Digitized by Google

cibus, in quo vita definitur æterna. Quo quiſquis fuerit defraudatus, morte moriatur. Quando quidem panis vivus atq; cœleſtis ipſe Dominus eſt, qui vitam dat in hoc mundo. Unde & ipſe ait: Niſi carnem filii hominis manducaveritis. Et infra dicit: Qui facit voluntatem ejus, ipſe manducat. Hæc Ambroſius. Qui oſtendit, quod non ſit præceptum. Et etiam oſtendit quod iſte textus: *Niſi carnem filii hominis*, non debeat intelligi de manducatione & bibitione ſacramentalibus, ſub ſpecie panis & vini, ut fuit allegatum ante oppoſitum: Sed ille textus debeat intelligi *de manducatione & bibititione ſpirituali Joh. VI.* Niſi carnem filii hominis manducaveritis, & ſanguinem ejus biberitis, id eſt fidem Chriſti habueritis & charitatem, non habebitis vitam æternam.

Et hoc tangit *Ambroſius*, cum dicit: *Qui facit voluntatem ejus*, id eſt, *manducat* &c.

Et probatur concluſio: Quia, quicquid non eſt contra fidem neque contra bonos mores & bonam conſuetudinem, hoc indifferenter eſt habendum, & pluralitate ſervata eſt obſervandum. Et communicare laicos ſub una ſpecie tantum, non eſt contra fidem, neque bonos mores & conſuetudinem bonam. Igitur, pluralitate populi obſervata, eſt obſervandum, Ut in *c. De Conſuetudine, in Decretalibus, Cum tanto graviora ſunt peccata*, in gloſſa dicitur: *Quod conſuetudo præſcripta approbata, dum major pars populi uſa eſt, ea per minorem partem populi infringi non debet.*

Ex quo patet, quod non eſt *præceptum* ſub utraque ſpecie communicare.

Quod etiam non eſt *lex*: Per Auguſtinum, Hieronymum, dicentes: Quod Judæis eſt lex gratis data, aut delectionibus eſt ſervata.

Tunc ad autoritates ante oppoſitum oſtendetur poſtea, quando ad capitulum ſecundum de Evangelio ac Epiſtola. Nam nec ex Evangelio & Epiſtola poteſt haberi & trahi, quod eſſet præceptum Chriſti ſub utraque ſpecie laicos communicare. Sed hæretici Pelagiani hoc tenuerunt, ſicut & *hodie in Praga quidam tenent.*

CAP. X.

An Communio ſub utraque à Chriſto inſtituta, pro ſolis ſacerdotibus ſit inſtituta, an etiam pro plebe.

U*Trum Chriſtus, inſtituens venerandam utriusq; ſpecie cœnam, inſtituit eam omnium fidelium communicantibus, id eſt, inſtituit eam ſic, quod omnes Chriſti fideles ſic debent communicare, ſicut Chriſtus communicavit ſuos diſcipulos ſub utraq; ſpecie?*

Sententia affirmativa Jacobelli. Et arguitur, quod ſic, per *opinionem quorundam in Praga*, qui ſic probant. *Nam Chriſtus porrigendo diſcipulis ſuis ſub utraq; ſpecie intendebat hoc inſtituere futuræ communitati fidelium utriusq; ſexus. Qua communicatio ſuorum diſcipulorum ſub utraq; ſpecie fuit figura & exemplar futuræ communitatis fidelium, ſcilicet communicandorum. Igitur dubium eſt verum.*

Negativa. In oppoſitum ſunt Doctores & tota eccleſia Dei. Et hodie eccleſia tenet oppoſitum, quod ſolum ſub una ſpecie communicat laicales. Ergo quæſtio & dubium eſt falſum.

Notandum, quod *inſtitutio hujus ſacramenti dupliciter conſideratur.*

Primo modo, quoad oblationem in ſacrificio pro peccatis omnium fidelium. Et ſic debet fieri ſub duplici ſpecie. Et ſic eſt ad iſtum intellectum: Chriſtus, inſtituens venerandam cœnam utriusque ſpeciei, inſtituit eam pro oblatione in ſacrificio per ſacerdotes pro peccatis omnium fidelium, taliter, quod Chriſtus inſtituit ſolus, quod ſuum corpus & ſanguis ſub ſpecie panis & vini omni die deberet offerri in altari pro remiſſione omnium peccatorum fidelium.

Alio modo inſtitutio hujus ſacramenti conſideratur, *quoad ſolam manducationem & bibitionem extra ſacrificium, num* ſub utraque ſpecie reciperetur? Talem modum reliquit Apoſtolis, ſuis ſucceſſoribus, & ipſi eccleſiæ, qualiter talem communicationem reciperent. Chriſtus etiam ſic cavit, videlicet qualiter ſancti

ſancti & eccleſia diſponerent communicationem laicalem, ita eſſe tenendam. Sed quia eccleſia tenet ſub utraque ſpecie: Igitur ſic obſervandum.

Concluſio reſponſalis: Quod Chriſtus inſtituens ſuam venerandam cœnam ſub utraque ſpecie, non inſtituit communicare laicales, niſi per ſacerdotes pro peccatis omnium fidelium. Et vocatur *communicatio ſacerdotis*. Cœnam aut communicationem reliquit diſcipulis ſuis & ſucceſſoribus & toti eccleſiæ, qualiter diſponerent, ſic Dei voluntas eſſet. Et eccleſia ſpiritu regitur ſancto.

Concluſio pro prima parte, videlicet quod Chriſtus inſtituit ſuam cœnam in oblationem in altari, per ſacerdotes fiendam, patet ſecundum autoritatem *Auguſtini, de conſecrationibus, diſt. 2. c. Utrum ſub figura*, & ſecundum *Gregorium, eadem diſt. Dicit Auguſtinus: Iteratur autem hæc oblatio quotidie, licet Chriſtus ſemel paſſus ſit. Quotidie autem peccamus peccatis noſtris, & ideo, quia quotidie labimur, quotidie Chriſtus pro nobis immolatur intra catholicam eccleſiam. In miniſterio Chriſti corporis nihil à bono magis, vel à malo minus perficitur ſacerdote.* Hæc Auguſtinus. Et *Gregorius, eadem diſt. Calix quem ſacerdos ſacrificat, non eſt alius niſi quem Dominus apoſtolis tradidit. Hic traditus eſt ſacerdotibus in oblatione ſacrificii pro peccatis omnium fidelium. Sed in homilia paſchali, c. Quid ſit ſanguis, eadem diſt. dicit: Dominus dedit nobis hoc ſacramentum ſalutis, quia nos quotidie peccamus. Et mori jam non poteſt, ut per iſtud ſacramentum remiſſionem peccatorum conſequamur.*

Ecce, inſtitutio Chriſti eſt principaliſſimè oblatio ſacerdotis in altari. Et ideò in ſignum hujus *excluſit matrem à cœna ſua* & mulieres, nec debent habere hanc autoritatem offerre in altari ſuum corpus. Etiam Chriſtus *excluſit ſeptuaginta duos diſcipulos*, in ſignum, quod laici non poſſunt hanc habere autoritatem offerre in altari. Quia tunc ſeptuaginta duo diſcipuli geſſerunt locum & vicem omnium fidelium laicorum futuræ communitatis. Sed apoſtoli geſſerunt vicem omnium ſacerdotum in futurum fiendorum.

Et cœna ſic inſtituta eſt ſub duplici ſpecie ſolùm in oblatione in ſacrificio per ſacerdotes, & non eſt inſtituta per Chriſtum pro laicis ſub utraque ſpecie communicandis. Sed communio laicorum relicta eſt & dimiſſa diſpoſitioni eccleſiæ ſanctorum.

Nec legitur, quod aliquis apoſtolorum aut ſanctorum communicaſſet laicos ſub utraque ſpecie, demto ſolo *Donato Epiſcopo*, cujus calix confractus fuit in altari cum ſangvine Chriſti. Ipſe poſtea reconciliatus nunquam laicos communicavit ſub utraque ſpecie.

Ex quibus patet, quod Chriſti inſtitutio ſub utraque ſpecie pro ſolis ſacerdotibus eſt facta. Ut ipſi omni die ac quotidiè offerant in altari corpus & ſangvinem Chriſti pro peccatis omnium fidelium. Et non eſt inſtitutio facta ſub utraque ſpecie pro laicis. Sed laicorum communio eſt ita inſtituta & facta per eccleſiam & per ſanctos.

Reſpondetur ad argumenta Jacobelli.

Tunc ad argumentum ante oppoſitum, reſpondetur. Quando arguitur: *Chriſtus porrigendo diſcipulis ſub utraque ſpecie intendebat hoc inſtituere futuræ communitati fidelium:* Reſpondetur, quod falſum eſt. Nam ſi Chriſtus intendebat pro laicis ſub utraque ſpecie, quæro, quis ſit Conſiliarius Chriſti, quod ipſe hoc intendebat? Egò falſum eſt. Imò pro ſolis ſacerdotibus officialibus ſub duplici ſpecie intendebat &c.

CAP. XI.

Num diſcipuli Chriſti in ſacra cœna totum Chriſtianorum cœtum præſentaverint.

Sententia affirmativa Jacobelli.

Quæritur: *Utrum diſcipuli Domini geſſerunt in cœna Domini vicem totius communitatis fidelium per modum gregis, ſub utraque ſpecie laicales communicandi?*

Et videtur, quod *ſic*, per quoſdam *Pragenſes*. Quia diſcipuli Domini qui adhuc erant fragiles, gerentes vicem futuræ communitatis in eccleſia, ſuſceperunt corpus Chriſti ſub forma panis, & ſangvinem ſub forma ſenſibili vini. Ad deſignandum, quod futura communitas populi Chriſtiani, degens in vi-

Digitized by Google

ta communi & in obſervantia mandatorum Chriſti, habens in ſe multam fragilitatem, debet ſic manducare & bibere ſub utraque ſpecie à Domino inſtituta. Igitur diſcipuli geſſerunt vicem totius communitatis fidelium ſub utraq; ſpecie communicandorum. Et per conſequens concluſio vera.

Sententia negativa. In oppoſitum eſt experientia eccleſiaſtica. Quod videmus ad ſenſum, quod à mille annis ſub una ſpecie ſacramentaliter ſunt communicati. Ergò concluſio eſt falſa.

Notandum quoque, diſcipulos Chriſti geſſiſſe vicem totius communitatis per modum gregis convertendi ad fidem. Ad iſtum intellectum, quod ipſi geſſerunt vicem totius communitatis, quam communitatem deberent convertere ad fidem, ſic benè conceditur, quod geſſerunt vicem communitatis, quam communitatem ipſi convertere debebant ad fidem.

Secundo modo intelligitur, quod geſſerunt vicem ſacramenti ſacerdotū. Et ſic eſt ſimpliciter verum, quod apoſtoli geſſerunt vicem totius communitatis futuræ ad offerendum corpus & ſangvinem Domini in altari in futurum pro peccatis hominum. Nam apoſtoli non geſſerunt vicem laicorum. Quia in fine communicationis laici non manſerunt, ſed ſacerdotes & presbyteri, qui fuerunt figura pro futuris presbyteris.

Tertiò intelligitur quæſtio, quod geſſerunt vicem omnium fidelium per modum gregis. Sic eſt falſum.

Concluſio reſponſalis: Quod diſcipuli Domini in cœna Domini non geſſerunt vicem totius communitatis fidelium per modum gregis: Sed geſſerunt vicem communitatis fidelium ſacerdotum per modum ſacrificii.

Concluſio probatur: Quia ſi geſſerunt vicem per modum communitatis & gregis laicorum, tunc utique apoſtoli laici poſt communionē manſiſſent. Quia ſi poſt communionem laici manſiſſent, tunc aliqualis eſſet apparentia, quod geſſiſſent vicem laicorum. Sed immediatè poſt communionem presbyteri manſerunt, & non laici, cùm à fine omnia ſint denominanda, ut *ſecundo De anima* patet. Igitur, à fine denominando, geſſerunt vicem ſacerdotum officiantium. Etiam, ſi geſſiſſent vicem laicorum, tunc ſeptuaginta duo diſcipuli non fuiſſent excluſi à cœna Domini. Igitur. Et ſic patet, quod non geſſerunt vicem communitatis laicorum.

Tunc ad argumentum ante oppoſitum, quando arguitur: Quod diſcipuli adhuc erant fragiles & infirmi, gerentes vicem futuræ communitatis. Negatur quod geſſerunt vicem communitatis per modum gregis. Et etiam non erant fragiles. Imò erant ſimiles perfectis: Ut dicit *Johannes Andreæ in Canonibus* ſuper iſto verbo: *hoc facite in meam commemorationem.* Et *Wilhelmus* exponit *facite*, id eſt, *conficite*, in meam commemorationem. Et exponit *Wilhelmus in Sacramentali ſuo: Ex quo ſummè perfectis dixit hæc verba, tunc utique apoſtoli non geſſerunt vicem laicorum; ſed ſacerdotum, qui ſunt magis propinqui* ad perfectionem quàm laici &c. *Reſpondetur ad argumentū Jacobelli.*

CAP. XII.

An ſacramentum corporis & ſangvinis Chriſti poſſit dividi.

Imaginabantur quidam hæretici, quod *ſacramentum poſſit dividi.* Quia ex quo comedebant ſub duabus ſpeciebus panis & vini, ſunt diviſæ ſpecies. Sic ſangvinem imaginabantur diviſum eſſe à corpore Chriſti, id eſt corpus Chriſti credebant eſſe ſub ſpecie panis, & non ſangvinem, & ſub ſpecie vini credebant eſſe ſangvinem per ſe ſine corpore.

Et motivum eorum fuit, quod, ſicut Chriſtus habuit ſe in cruce, ubi corpus per ſe fuit ſine ſangvine, & ſangvis effuſus per ſe ſine corpore: Sic etiam dixerunt hodiè fieret in ſacrificio & in communicatione. Et ideò dixerunt, quod *ſi populo ſangvis non daretur ſub ſpecie vini, quod tales ſacerdotes peccarent mortaliter, & eſſent ſacrilegi*, quia ſacram rem, id eſt ſangvinem ſubtraherent populo. Et hæc fuit opinio iſtorum hæreticorum Neſtorianorum.

Sed hoc breviter loquendo eſt error, Igitur non tenendum.

Pro

Pro quo notanda *duo*, quæ hic *quærunt*.

Primum hoc, Utrum ſacramentum poſſit dividi?

Secundum, Utrum ſacerdotes, non dantes ſangvinem ſub ſpecie vini, committant ſacrilegium?

Pro quo notandum, quod *ſacramentum capitur dupliciter*.

Uno modo collectivè, ſic, quod ſpecies panis & vini collectivè dicitur ſacramentum. Et ſic utitur *Wilhelmus de Monte Landuno*, dicens, quod recipiens corpus Chriſti ſub ſpecie panis, totam veritatem recipit, ſed non totum ſacramentum, id eſt, non ſub utraque ſpecie recipit.

Quandoq; capitur *ſacramentum ſignum, diviſivè*. Et ſic ſola ſpecies panis per ſe dicitur *ſacramentum*. Et ita Doctores eccleſiæ utuntur hôc vocabulo *ſacramentum*, quando dicunt: Hoc eſt ſacramentum panis, hoc eſt ſacramentum vini. Et ſic capiendo ſacramentum pro ſacramento ſigni, tunc *ſacramentum ſignum* poteſt dividi in ſacramentum panis, & in ſacramentum vini.

Alio modo capitur *ſacramentum*, ut eſt *ſignatum*. Et tunc ſacramentum non eſt aliud, quàm corpus Chriſti ſub ſpecie panis & vini. Et ſic capitur ſacramentum pro corpore Chriſti. Tunc ſacramentum non poteſt dividi, quia Chriſtus eſt indiviſibilis, impartibilis. Nec ſangvis in calice diviſus eſt à corpore Chriſti in pane, ut Neſtorius imaginabatur.

Nec ſimilè eſt hodiè de corpore Chriſti & ejus ſangvine, ſicut tempore paſſionis. Nec tempore paſſionis ſangvis fuit diviſus à corpore. Hodiè autem ſimilis & unitus cum corpore & conjunctus corpori in æternum. Et ideò eccleſia diſponit laicam communionem per unam ſpeciem ſumendam, ne laici ſic credant, ſicut Neſtoriani, ſangvinem poſſe eſſe in calice, & non unitum corpori. Et ſic ſacramenti ſignum dividi poteſt, quia dicitur *ſacramentum*, quaſi *ſacræ rei ſignum*. Quia ſpecies panis & ſpecies vini ſunt ſigna ſacræ rei, videlicet corporis & ſangvinis Chriſti ſub ſpecie panis & vini.

CAP. XIII.

An committant ſacrilegium, qui plebi non dant ſangvinem Chriſti ſub vino.

Sententia affirmativa Jacobelli. Videtur quibusdam, quod *ſacerdotes non dantes ſangvinem Domini ſub ſpecie vini laicalibus, committant ſacrilegium*, quia ſacram rem, id eſt ſangvinem ſubtraherent populis, & ſic eſſent ſacrilegi. Et probant per *Gelaſium Papam, De Conſecration. in Decreto*, dicentem: *Diviſio unius ſpeciei ab altera ſine ſacrilegio non poteſt provenire.*

Negativa In oppoſitum eſt eccleſia, quæ tenet, quod dando laicalibus corpus Domini ſine ſpecie vini, non eſt peccatum, nec eſt ſacrilegium, ſed eſt ſaluberrima & laudabilis ipſius eccleſiæ conſvetudo. Nam ſi eſſet peccatum omittere laicalibus ſangvinem ſub ſpecie vini, alii ſancti dudum hoc providiſſent. Et pro ſtatuto poſuiſſent laicos ſub utraque ſpecie communicare, ſi fuiſſet ſacrilegium vinum omittere. Sed hoc fit ſine peccato, imò eſt magna utilitas, quod laicis altera ſpecies non datur, propter cautelas. Etiam quia ſub una ſpecie, ut dicit *Petrus de Tarentaſio ſuper P. IV. ſententiarum*, eſt præcisè eadem efficacia ſicut ſub duabus ſpeciebus. Etiam *S. Thomas de Aquino, in P. III. ſua ſumma q.* 80. *c. ultimo*, ſalvat hanc conſvetudinem ſub una ſpecie. Quam nullo modo ſalvaret ſi eſſet peccatum & ſacrilegium omittere ſpeciem vini.

Patet igitur per concluſionem, quod non eſt peccatum nec ſacrilegium omittere ſpeciem vini ſacratam dare laicalibus.

Et quando allegatur *Gelaſius Papa*: Reſpondetur, ut dicit *gloſſa*, quòd ille canon intelligitur ſolùm de conficientibus. Quia conficiens non debet omittere ſangvinem Domini, ſed ſumere ſub ſpecie vini, aliàs committeret ſacrilegium, ut vult Gelaſius Papa &c.

Quod

Digitized by Google

CAP. XIV.

Utrum eundem cibum ſimul edere & bibere quis poſſit.

QVod apud ſapientes creditur, apud inſipientes dubitatur, *Utrum poſſibile eſt eundem cibū ſimul & ſemel comedere & bibere pro eodem tempore?* Exemplum: Utrum poſſibile eſt eundem panem ſimul & ſemel comedere & bibere?

Concluſio eſt, quod poſſibile eſt, eundem cibum ſimul & ſemel comedere & bibere, reſpectu diverſorum. Et dicit *S. Thomas* in Summa ſacramentorum, & exemplificat ſemella (ſimila) intincta vino. Quando iſta ſemella comeditur, tunc vinum, quod eſt in pane, ſimul & ſemel cum comeſtione panis in eadem ſpecie panis, & in eodem pane bibitur. Sic in eodem propoſito, ſub eadem ſpecie panis Chriſtus ſimul & ſemel recipitur cum corpore & ſangvine, id eſt corpus Chriſti recipitur in ſpecie panis. Et ſic in eadem ſpecie panis Chriſtus comeditur & bibitur. Licet non bibitur ſub proprio ſigno bibitionis, tamen bibitur ſub alio ſigno. Quia ſub pane, &c. ut dicit *Bonaventura.*

Et licet non ſit præciſa ſimilitudo, facit tamen, quod fiat aliqualis conſideratio & intellectus, ut prius patuit in dictis ſuperius, &c.

CAP. XV.

An communio ſub utraque poſſit introduci ad exemplum primitivæ Eccleſiæ.

Sententia affirmativa Jacobelli. VIdetur quibusdam, quod *juſtum & ſanctum eſſet, modernam eccleſiam reducere ad primitivam*, ſic: *Qualis obſervatio & conſvetudo fuit in primitiva eccleſia, quod talis obſervatio & conſvetudo fieri debeat in moderna eccleſia.* Exemplum: Sicut in primitiva eccleſia ſub utraque ſpecie laicales communicabantur, ſic etiam in moderna eccleſia deberent. Et probant ſic: Quia in primitiva eccleſia omnia in meliori ſtatu & ordinatione & diſpoſitione fuerunt quàm ſunt in moderna eccleſia. Nam in primitiva nulla erat ſimonia, nulla avaritia cleri, quemadmodum in moderna eccleſia ſunt. In primitiva eccleſia erant homines de bona vita, multi ſancti, multa miracula. Non erat plenitudo præbendarum, quæ avaritiam cauſant. Prælati non erant luxurioſi, guloſi, crapuloſi, ſicut ſunt in moderna eccleſia. Igitur juſtum & ſanctum eſſet, modernam eccleſiam reducere ad primitivam, ſi hæc omnia mala vitari debeant, hominum pro ſalute.

Negativa. Oppoſitum illius patet ex hoc, quod nullum majus bonum debet duci ad minus bonum. Sed moderna eccleſia eſt majus bonum quàm primitiva, ſaltim quoad regimen & ad diſpenſationem eccleſiaſticam circa Chriſti fidem. Igitur non juſtum nec ſanctum, reducere modernam ad primitivam. *Major* eſt nota. Sed *minor* patet, quia in moderna eccleſia omnia digniori modo & laudabiliori ſtant, quàm ſteterunt in primitiva eccleſia.

Nam *baptiſmus* eſt ſolennior. Quia cum aqua benedicta & per hanc formam fit: In nomine Patris & filii & Spiritus ſancti. Sed hæc non fuerunt in primitiva eccleſia, ſed in ſimplici aqua, & per aliam formam. Nec talis *cantus in eccleſia.* Nec tàm longæ *miſſæ*, nec *officia*, nec *proſæ*, nec *hymni*, nec *horæ canonicæ.* Et multa alia. Quæ tamen fiunt in moderna eccleſia.

Igitur non eſt juſtum nec ſanctum, modernam eccleſiam reducere ad primitivam. Imò quam impoſſibile eſt reducere & commenſurari diametrum teſtæ, tàm impoſſibile eſt reducere modernam eccleſiam ad primitivam, diſpoſitione, ordinatione eccleſiæ, & nunc inſtante potentia ordinata, ſicut hodiè per Spiritum ſanctum eſt diſpoſita. Verùm per potentiam Dei abſolutam moderna eccleſia poſſet converti præcipuè in modum primitivæ eccleſiæ &c. Sed quia ſic impoſſibile eſt diametrum

trum menſurari teſtæ, per *Campanum in geometria ſua:* Sic igitur etiam impoſſibile modernam eccleſiam reducere ad primitivam. Et ratio eſt, quia dicitur de celebratione miſſarum in *Decretalibus*, *c. cum Men. in gloſſa: Multa ſervat eccleſia, quæ ab apoſtolis non ſunt tradita, quæ tamen longa conſvetudine ſunt approbata, ut, communicare ſub una ſpecie, officia divina, cantum, miſſas longiores. Licet ab apoſtolis non ſint tradita, tamen eò minoris autoritatis non dicuntur eſſe.* §. *Sive, cap. Eccleſiaſticarum, diſt.* 11. dicitur: *Evangeliſtæ multa omiſerunt, quæ poſtea per poſteros ſunt ſuppleta.* Et in Actibus Apoſtolorum ſcribitur per Paulum: *Meminiſſe vos oportet verbum Chriſti, qui dixit: Beatius eſt magis dare quàm accipere.*

Ex quibus patet, quod moderna eccleſia multò perfectius & dignius regitur, quàm primitiva regebatur. Licet utraque benè regitur, & regebatur, tamen moderna perfectius & dignius regitur, quàm primitiva regebatur. Quia in moderna eccleſia homines Chriſti fideles ſunt magis in fide radicati & firmati, ideò latius, perfectius, dignius in ea Spiritus ſanctus homines inclinat. Nam in primitiva eccleſia durius convertebantur ad fidem, niſi mediantibus ſignis & miraculis. De quibus non indiget moderna eccleſia, ſed firmiter credit ſine miraculis & ſignis. Unde Paulus dicit: *Perverſa gens quærit ſignum.*

Objectio. Tunc ad argumentum ante oppoſitum, quando arguitur: *In primitiva eccleſia omnia erant in meliori ſtatu* & ordinatione, Reſpondetur, quod non. *Reſp.* Quia in moderna Eccleſia omnia ſtant in meliori ſtatu & ordinatione, ut dictum eſt. *Obj.* Et quando arguitur: *In primitiva non erat ſimonia, avaritia* & tot præbendæ, quæ cauſant avaritiam, & tot luxuriæ & crapulæ: *Reſp.* Reſpondetur, quod ſimonia, avaritia, *luxuria*, non debent attribui eccleſiæ, ſed perſonis eccleſiaſticis. Quæ ſi eſſent tales in eccleſia, illi ſolum abuterentur modo, quem haberent ac deberent obſervare in eccleſia Dei. Nam beneficia & præbendæ non cauſant peccatum nec avaritiam, ſed abuſus præbendarum facit in perſonis peccatum. Quia habere præbendam non eſt malum, ut dicit Paulus 1. *Corinth. Si alii veſtra poteſtate uſi ſunt, quare non potius nos?* Sed abuti eſt malum & peccatum.

Obj. Et quando dicitur: *Plures ſancti fuerunt in primitiva eccleſia*, Reſpondetur: *Reſp.* Quod plures fuerunt ſecundum manifeſtationem publicam, vel ſecundum miracula. Sed in moderna plures, licet non ità manifeſtè ſicut in primitiva. Quia ſine ſignis & miraculis.

Quidam æſtimant hanc communionē eſſe bonam: Quia *In primitiva eccleſia Laicales communicabantur ſub utraq; ſpecie.* *Objectio.* Reſpondetur, quod conſequentia non *Reſp.* valet. Quia in ſimili nō valet conſequentia. In primitiva eccleſia baptizabantur homines per hanc formam: *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Ergò hodie in moderna Eccleſia ſic deberent baptizare: *In nomine Dni. noſtri Jeſu Chriſti. Conſequens* eſt falſum, quia contra evangelium Matthæi, ubi dicitur: *Baptizantes eos in nomine Patris, & filii & ſpiritus ſancti.* Sed *antecedens* probatur, quod ſic Apoſtoli baptizaverint in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Patet in *actibus apoſtolorum c.* 8. *Baptizabantur autem viri & mulieres in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Idem patet *c.* 9. & ſic *XI.* Igitur.

Nec etiam per totam eccleſiam primitivam laici ſub utraque ſpecie communicabantur. Sed *ſolum legitur de Corinthiis*, & partium circumjacentium tantum. *De Tarantaſio* dicit, quod hoc fuiſſet in Græca eccleſia, ubi ſunt Corinthi & orientales. Et dicit, quod iſte modus non valet, & ideo eccleſia reduxit ad modum meliorem unius ſpeciei pro laicis &c.

CAP. XVI.

An Eccleſia poſſit mutare ritus primitivæ Eccleſiæ, pro Communione ſub utraq; ſubſtituendo Communionem ſub una.

DUbitant quidam, *an moderna poſſit eccleſia modum communicationis utriusq; ſpeciei quoad laicos primitivæ eccleſiæ immutare in alium modum, videlicet unius ſpeciei.*

Sed

Digitized by Google

Sententia affirmativa. Sic hodiè tenet oppoſita pars, ſic dicens: Conſtitutioné Chriſti nemo imutare poteſt: Sed laicales communicare ſub utraque ſpecie eſt inſtitutio Chriſti in evangelio: *Niſi carnem filii hominis manducaveritis & ſanguinem ejus biberitis, non habebitis vitam in vobis.* Et propter inſtitutionem Chriſti primitiva eccleſia ſic accepit & communicavit: Uti patet in epiſtola Pauli: *Probet autem ſe ipſum homo, & de iſto pane edat & de calice bibat.* Igitur videtur, quod moderna eccleſia non potuit mutare communionem primitivæ eccleſiæ. Ergò.

Negativa Oppoſitum tenet tota eccleſia, ut experientia docet, quod niſi ſub una ſpecie laici communicantur.

Notandum, ut dictum eſt, quod in primitiva eccleſia ſolum pars tenuit communicationem ſub utraq; ſpecie, ut dicit *Petrus de Tar.* Et quod iſte modus valuit propter cauſas in ſequentib' poſitas.

Et ideo, ex quo modus ſub utraque ſpecie pro laicis non valuit, tunc eccleſia illum modum communicationis de utraque ſpecie mutavit in modum unius ſpeciei. Et rationabiliter bene fecit.

Concluſio: Quod moderna Eccleſia potuit, ut fecit, modum communicandi, de utraque ſpecie primitivæ Eccleſiæ immutare in modum unius ſpeciei pro laicis.

Igitur dubium eſt verum. Conſequentia bona. Antecedens probatur, quod *propter plures cauſas eccleſia moderna immutavit primitivæ eccleſiæ modum.* Quæ cauſæ poſtea ponuntur.

Et dicit *Alexander de Halis*, quod hoc fecit propter *errorem infidelitatis.* Quia laici crediderunt, quod Chriſti ſanguis eſſet in calice & non eſſet ſub ſpecie panis, & errarent. Ut ergo laici credant ſanguinem Chriſti eſſe ſub ſpecie panis, datur laicis tantum ſub una ſpecie & miniſtris officiantibus altaris ſub duabus ſpeciebus.

Tunc argumentum in oppoſitum, quando arguitur: *Talis immutatio eſt contra conſtitutionem Chriſti.* *Objectio.* Quia Chriſtus *Reſp.* inſtituit ſub utraque ſpecie in altari per ſacerdotem offerri pro peccatis omnium fidelium, & non inſtituit laicos ſub utraque ſpecie communicare. Sed laicalem communicationem reliquit diſpoſitioni diſcipulorum ſuorum & ſequentium & diſpoſitioni eccleſiæ. Qualiter eccleſia obſervaret ſub una vel ſub duabus ſpeciebus, quod taliter deberet obſervari.

Et quando illud evangelium legitur *Objectio.* *Joh. VI. Niſi carnem filii hominis &c.* Reſpondetur, *Reſp.* quod illud evangelium intelligitur de manducatione & bibitione ſpirituali, & non ſacramentalibus, ut poſtea dicetur circa evangelium. Nec Paulus præcepit & inſtituit laicos ſub utraque ſpecie communicare, ut patebit circa epiſtolam Pauli in ſequentibus.

CAP. XVII.

De Communione infantum poſt baptiſmum.

TRadiderunt inſipientes *Pelagiani* hæretici, quod parvuli immediatè poſt baptiſmum eſſent communicandi, ne per mortem contingeret eos damnari. Et aliqui de eorum ſecta dicunt: Quod ſi pueri non poſſunt ſub utraque ſpecie uti, tunc tantùm detur eis una gutta ſangvinis in os.

Et motivum Pelagianorum erat hoc evangelium: *Niſi carnem filii hominis manducaveritis & ſangvinem ejus biberitis, non habetis vitam in vobis.* Exiſtimabant enim, quod ſub utraque ſpecie eſſet præceptum Chriſti per illam comminationem: *Niſi carnem* &c. Et per hoc, quod dicit: *Carnem filii hominis*, intellexerunt alteram ſpeciem, corpus Chriſti, ſub ſpecie panis, & per *ſangvinem*, ſicut dicitur in evangelio, intellexerunt alteram ſpeciem vini. Et dixerunt: Quicunque non manducarent ſub utraque ſpecie, non haberent vitam, ſcilicet æternam, id eſt damnarentur. Ne ergò pueri, ſi contigeret eos mori, damnarentur, ſtatim poſt baptiſmum communicaverunt eos. Et fuerunt ſeducti per hoc, quod malè intellexerunt de manducatione & bibitione ſacramentalibus ſub præcepto, quaſi eſſet præceptum Chriſti. Et non intellexerunt, quod in hoc evangelio loquebatur Dominus de manducatione &

Digitized by Google

& bibitione ſpirituali. Sicut etiam Dominus Chriſtusmet in evangelio exponit, cùm dicit: *Spiritus & vita ſunt*, id eſt, *qua locutus ſum vobis, intelligenda ſunt ſpiritualiter.*

Pro quo notandum, quod hoc evangelium *Joh.VI.* nullus Doctorum, nullus ſanctorum expoſuit de manducatione & bibitione ſacramentalibus, quod eſſet præceptum Chriſti ſub utraque ſpecie laicos communicare, ex eo, quod conjunctio *Niſi* ſignum eſſet præcepti Chriſti, ſic quod qui non manducaret ſub utraque ſpecie non poſſet habere vitam æternam: Quia, *Niſi carnem filii hominis manducaveritis* Et ſic à mille annis, quod hoc non fecerunt ſub utraque ſpecie, fuiſſent damnati, tàm dantes quàm recipientes. Hoc eſt hæreticum dicere. Non poteſt igitur iſte textus Evangelii intelligi de manducatione & bibitione ſacramentalibus, prout eſſet præceptum Chriſti.

Similiter, quò devenirent pueri, qui non communicantur ante duodecimum aut decimum annum? Aut illi, qui non poſſunt alteram ſpeciem ſumere? Ut qui non poſſunt vinum bibere, ſicut *Rex Cracoviæ*, & alii.

Concluſio reſponſalis: Quod parvuli poſt baptismum non ſunt communicandi usque ad annos diſcretionis, videlicet decimum aut duodecimum, ut tenet eccleſia.

Illa concluſio patet per *quatuor autoritates.*

Primò per autoritatem *eccleſiæ*, quæ ſic tenet. Quæ autoritas eſt major omnium autoritatum.

Secundò autoritate patet *S. Auguſtini, De conſecr. diſt.2. c.36. Quia paſſus eſt, circa finem*, Ubi dicit: *Nulli ambigendum, unumquemque fidelium corporis & ſanguinis Domini tunc participem eſſe, quando in baptiſmo membrum corpus Chriſti efficitur. Et ſi etiam antequam illum panem edat & ſanguinem de calice bibat, de hoc ſeculo migraverit, perceptione illius ſacramenti non privatur.* Idem dicit *Auguſtin9 diſt.4.c.130.131.* Idē ſcribens contra Pelagianorum hæreſin: *In eccleſia Dei Salvatoris, Nulli ambigendum eſt.* In quibus verbis ut prius.

Idem patet autoritate *Ambroſii*, in *Sermone* ſuo *de infantibus* dicentis: Ita Dominus Jeſus nos ſignificavit, & nos ad ſe pertinere voluit, myſterium pacis & unitatis conſecravit. Et tunc ulterius dicit: *Igitur Ambigendum non eſt* &c. Verba Auguſtini.

Idem patet autoritate *S.Thomæ in P. IV. ſuarum diſtinctionum.* Ubi dicit, *quod pueris non datur ſacramentum.* Et aſſignat cauſas. *Prima* cauſa, quia ad recipiendum ſacramentum requiritur cognitio inter cibum ſacramentalem & cibum corporalem. Et talem cognitionem non habent. Ideò eis non datur ſacramentum ante duodecimum annum. *Secunda* cauſa. Ad ſacramentum recipiendum requiritur devotio, ſed pueri ſunt ſine devotione, ut fatui & dementes, quibus non datur ſacramentum. *Tertia* cauſa. Requiritur diſcretio. Et propter hæc debilibus non datur ſacramentum, nec pueris. *Quarta*, Requiritur confeſſio. Et propter hoc mutis non datur ſacramentum, niſi certa ſigna videantur, cognoſcantur, & diſcretio ejus.

Ex quibus patet, quod pueri poſt baptismum non communicandi.

Tractatus Specialis II.

Propoſita argumenta pro Communione laicorum ſub una ſpecie.

IN *ſecunda parte principali* reſtat deſcendere ad *principalem probationem: Quod laicales nec debent nec poſſunt ſine peccato communicare ſub utraque ſpecie.*

Et dividitur pars principalis in *octo capitula*, per quæ ſufficienter probatur, *quod laicales non debent communicare ſub utraque ſpecie.*

In *primo* capitulo hoc oſtenditur per ritum & conſvetudinem & obſervationem eccleſiæ.

In *ſecundo capitulo* idem oſtenditur.

In

In *tertio* capitulo hoc idem autoritate veteris legis.

In *quarto* capitulo hoc idem oſtenditur autoritate& teſtimonio novæ legis.

In *quinto* capitulo ponuntur quædam notabilia.

In *ſexto* capitulo oſtenditur hoc idem autoritatibus ſanctorum & aliorum.

In *ſeptimo* capitulo oſtenditur hoc idem motivis Doctorum & aliorum, eorum cauſis.

In *octavo* cap. oſtenditur hoc idem per ſanctiones ſacrorum canonum.

Et patebunt omnia ſecundum ordinem.

CAP. I.

Argumentum I. ab autoritate & longa conſvetudine Eccleſiæ.

OBſervatio & autoritas eccleſiæ Dei, præciſè æqualiter. Auguſtinus: *Autoritatem plus evangelio*, [complenda teſtimonia Auguſtini.] Imò *Auguſtinus* autoritatem & obſervationem eccleſiæ evangelio præferebat, cùm dicit *contra Fauſtum: Evangelio non crederem, niſi autoritas eccleſiæ me commoveret.* Ideò eccleſia non eſt modicæ autoritatis.

Oppoſitum quidam opinantur. Peccant igitur graviter, qui in autoritatem & obſervationem eccleſiæ prorumpunt violando.

Notandum, ad probandum, laiealem nec poſſe nec debere communicare ſub utraque ſpecie, autoritatem eſſe & obſervationem eccleſiæ.

Supponitur primo, quòd autoritas *Ariſtotelis* 1. *&* 2. *Metaphyſica*, ſit vera: *Cuilibet experto in ſua arte, ſcientia, eſt credendum.* Quia ſicut multæ experientiæ faciunt artem, ſic experto in ſua ſcientia eſt credendum, 2. *Metaphyſ.*

Secunda ſuppoſitio, quod locus ab autoritate affirmative valet & tenet. Uti patet ex *libro Topic. & quinto tractatu Petri Hiſpani, & quarto tractatu.*

Tertia ſuppoſitio, quod ſanctiones ſacrorum canonum ab eccleſia obſervatæ & approbatæ ſint tenendæ & obſervandæ, ut ſatis probatum eſt in præcedentibus.

Concluſio reſponſalis: Stante autoritate eccleſiæ, ſub unica ſpecie ſacramentali, videlicet panis, laicales ſunt communicandi, & non ſub utraque ſpecie.

Concluſio probatur *primò* autoritate eccleſiæ, quæ eſt major omni autoritatum poſt Chriſtum. Nam eccleſia Romana, quæ eſt caput omnium fidelium, obſervat ſub una ſpecie laicales communicare. Igitur aliæ omnes eccleſiæ Chriſtianitatis taliter debent obſervare ſub una ſpecie. Conſequentia patet *diſt.* 12. *Non decet membra abſcedere, juxta ſcriptura teſtimonia, ſed omnia membra caput ſequuntur.* Cum autem eccleſia Romana ſit caput, & ſub una ſpecie obſervat, omnes fideles ſic debent obſervare, *Et* 22. *diſt. dicit Anacletus c.2. Sacroſancta. Hæc vero Apoſtolica ſedes eſt caput & cardo omnium eccleſiarum. Et ſicut in cardine oſtium volvitur & regitur, ſic hujus ſancta apoſtolica ſedis autoritate omnes eccleſiæ, Domino diſponente, reguntur.* Item, *eadem* 22. *diſt. c. Omnes*, dicit: *Unde non dubium eſt, quisquis cuilibet eccleſiæ jus ſuum detrahit, injuſtitiam facit. Qui autem Romanæ Eccleſiæ privilegium auferre conatur, hic procul dubio in hæreſin mergitur. Fidem quippe violat, qui adverſus eam agit, cum ipſa mater fidei ſit. Unde & ipſe S. Ambroſius in omnibus ſe magiſtram ſanctam ſequi profitetur eccleſiam.*

Et per Gregorium Papam in *Decretalibus*, *De conſuetudine*, c. 11. *Cum tanto graviora ſunt peccata, quanto diutius infelicem detinent animam alligatam.* Ubi Gregorius innuit, quod qui facit contra laudabilem conſuetudinem eccleſiæ, peccat graviter, ſub utraque ſpecie communicando.

Et Honorius l. c. c. 9. *Non ſit levis autoritas*, id eſt eccleſia eſt magnæ autoritatis in ſacra obſervatione. Unde dicit Honorius Papa, c. 9. *Inhibemus laudabilem conſuetudinem eccleſiæ ſine conſenſu ſuperioris immutare. Sed ſi novas feciſtis, irritas &c.*

Et Gregorius, *De electione, & electi poteſtate, c. Significaſti*, dicit: *Nonne malum eſt, ab unitate & obſervatione eccleſiæ Dei, ſedis*

ſedis apoſtolicæ, reſilire? Ac ſi diceret: Magnum peccatum eſt valde. Et in gloſſa ſuper *c. Cum tanto graviora peccata,* dicit, quod hæc *conſuetudo* dicitur *authentica*, dum major pars populi non poteſt docere legem, ſic ne conſuetudinem.

Nec talis *præſcripta* laudabilis *conſuetudo* eſt contra legem Chriſti, nec contra evangelium, nec contra epiſtolas Pauli, ut poſtea dicetur.

Etiam patet dicta concluſio autoritate canonum in *Decretalibus*, *De hæreticis*, *c. Ad abolendum*, ubi ſic dicitur: *Univerſis & ſingulis, qui de ſacramento corporis & ſanguinis Domini aliter ſentient, & docere non metuerint, quam ſacroſancta Romana* eccleſia prædicat & obſervat, *vinculo* perpetui anathematis innodamus.

Item patet concluſio autoritate Innocentii Papæ in *Decreto*, *diſt. XI.* ſcribens Decentio Epiſcopo, qui dicit: *Ab omnibus obſervari debet, quod Romana obſervat eccleſia, & ſcire te volumus, ut nobis indicare non differas, ut ſciamus, qui ſunt, qui aut novitates inducunt, aut alterius quam Romana eccleſia exiſtimant conſtitutionem eſſe ſervandam.*

Et Gregorius *diſt.* 18. dicit: *Quisquis apoſtolicis aut eccleſiæ voluerit contraire præceptis aut conſuetudinibus laudabilibus, talis inter ſacerdotes non habeat locum, nec de ejus judicio quisquam curam habeat, quoniam jam damnatus.*

Etiam patet concluſio, quia eccleſia tenet ſub una ſpecie. Et Gregorius dicit, quod valde male contradicere obſervationi eccleſiæ, Igitur obſervatio Eccleſiæ ſub una ſpecie eſt tenenda. Conſequentia tenet. Quia arguitur per locum ab autoritate affirmante, & ſupponebatur. Ergo conſequentia eſt bona.

Et etiam cuilibet experto in ſua ſcientia eſt credendum, per ſuppoſitum. Sed quia dicunt Gregorius & Honorius & alii Papæ, qui fuerunt experti, & eccleſia Chriſti, ex parte quidem optimè valet, laicales ſub una ſpecie communicare. Igitur tenendum eſt. Conſequentia tenet, per ſuppoſitum. Quia cuilibet experto in ſua ſcientia eſt credendum.

Item probatur concluſio *ratione.* Quia quam magnum peccatum eſt violare & confringere autoritatem & conſuetudinem eccleſiæ: Sicut multum grave eſt peccatum violare & infringere evangelium: Tantum, & gravius peccatum eſt, in auctoritatem & obſervantiam prorumpere & eam offendere, & præſertim communicando laicales ſub utraque ſpecie. Conſequentia tenet. Major eſt *Auguſtini in libro*, qui intitulatus, *Fundamentum fidei*, qui dicit, *Evangelio non crederem, niſi autoritas eccleſiæ me commoveret.* Ecce Auguſtinus compenſat autoritatem eccleſiæ majorem evangelio. Et *minor* nota eſt de ſe. Igitur *concluſio* vera.

Ex quibus omnibus patet, quod autoritas eccleſiæ & obſervatio eccleſiæ omnium autoritate mundi eſt major, ut dicit Auguſtinus: *Evangelio non crederem.* Ex quo ergo autoritas eccleſiæ eſt magna, & tenet, laicos ſub una ſpecie communicare debere, tunc *hoc* idem firmiter tenendum tanquam roborata petra & firma.

CAP. II.

Idem argumentum, ab autoritate & conſuetudine Eccleſiæ, confirmatur decem rationibus.

IN *ſecundo c.* reſtat probare *rationibus: Laicales non debere nec poſſe communicare ſub utraq; ſpecie.*

Et ſupponuntur *primo* autoritates *S. Auguſtini*, quas ponit in ſuo libro, qui intitulatur, *Fundamentum fidei contra Manichæos.*

Prima autoritas quam ponit *Auguſtinus contra Fauſtum: Evangelio non crederem, niſi autoritas eccleſiæ me commoveret.*

Secunda autoritas: *Omnis Catholicus ſecurus eam partem deteſtatur, cui eccleſiam univerſalem, in apoſtolicis ſedibus roboratam, communicare non cognoſcit.*

Tertia autoritas: *Illud autem vocis ſcientia aſſerere ſecurum eſt, gubernationem noſtri Salvatoris Jeſu Chriſti univerſalis eccleſiæ conſenſione roboratam eſſe.*

Iſtis

Iſtis autoritatibus ſtantibus ſit *prima ratio* & primum argumentum hoc: quicquid autoritate eccleſiæ tenetur,& ipſa tenet,tenendum eſt:Sed per totam Chriſtianitatem aut ſaniorem partem, autoritate eccleſiæ, ſub una ſpecie laicales communicantur,& ipſamet eccleſia ſub una ſpecie communicat, videlicet Romana eccleſia, quæ eſt caput: Igitur laicales ſub una ſpecie communicare, tenendum eſt. Conſequentia tenet in *Darii*. Et major nota eſt: Prima autoritas Auguſtini: *Evangelio non crederem, niſi autoritas eccleſiæ me commoveret.* Et *minor* eſt experientia. Ergo Conſequentia fuit bona.

Secundo arguitur *ſecunda ratione* ex ſecunda autoritate Auguſtini: Quem eccleſia Dei ſpernit & deteſtatur, ſpernendus & deteſtandus eſt. Sed laicales communicare ſub utraque ſpecie, eccleſia Dei ſpernit & deteſtatur: Igitur communicare ſub utraque laicales, eſt ſpernendum & deteſtandum. Conſequentia tenet in tertio modo figuræ videlicet in Darii. Et per conſequens laicales ſub utraque ſpecie nullo modo debent communicari. Major eſt autoritas Auguſtini: *Omnis Catholicus ſecurus eam partem deteſtetur* &c. Et minor eſt experientia eccleſiaſtica. Ergo argumentum eſt bonum.

Tertio arguitur per tertiam autoritatem Auguſtini: *Quisquis confeſſionem univerſalis eccleſiæ ſcit roboratam eſſe, ſcientia vocis*, à quolibet fideli, aſſerere & tenere ſecurum eſt, & per conſequens tenenda eſt laicorum communicatio. *Conſequentia* tenet in Darii. Et *major* eſt Auguſtini in autoritate tertia prius allegata. Et *minor* patet: Quia per communicationem unius ſpeciei eccleſia à mille annis conſenſit, & conſenſu roborata eſt. Igitur.

Quarto arguitur ſic: Quicquid ſolis ſacerdotibus congruit, non eſt laicis tribuendum:Sed communicare ſub utraque ſpecie ſolis ſacerdotibus congruit. Ergo laicis non eſt tribuendum. *Conſequentia* tenet in Darii. Et *major* eſt nota de ſe, per excluſionem ſigni *ſolis*. Sed *minor* eſt *S. Thomæ* in quodam *ſermone*, qui incipit: *Venite, comedite de corpore Chriſti*, ubi dicitur: *Quod ſolis ſacerdotibus congruit ſub utraq; ſpecie communicare.* Aſſignat cauſam. *Quia ſacerdotes ſunt vaſa magis congrua & apta ad recipiendum ſanguinem de calice.* Et in *Summa Sacramentorum* dicit *S. Thomas*: *Laicis datur ſanguis Chriſti cum corpore in modum unionis. Quia corpus non eſt ſine ſanguine. Licet ſacerdos officians recipit ſub utraque ſpecie, propter inſtitutionem Chriſti & eccleſiæ.*

Quinto arguitur ſic: Quicquid non eſt contra præceptum Chriſti, nec inducit peccatum, illud poteſt teneri. Et ponatur in eſſe, quod ſub una ſpecie laici communicabuntur, tunc habetur intentum. Sed conſequentia tenet in Darii. Et *major* patet ex præcedenti cap. de præcepto Chriſti. Dictum eſt quod non eſt præceptum Chriſti ſub utraque ſpecie communicare. Et ſic *major* ſimiliter eſt vera. Et *minor* ſimiliter, quod non eſt contra præceptum nec inducit peccatum. Ergo argumentum eſt bonum.

Sexto arguitur ſic: Omne malum eſt fugiendum: Sed recedere ab autoritate & obſervatione eccleſiæ, quæ ſub una ſpecie laicos communicat, eſt valde malum. Igitur recedere ab obſervatione eccleſiæ, laicos ſub utraque ſpecie communicando, eſt fugiendum. *Major* eſt nota de ſe. Et *minor* patet per *Gregorium, De electione & electi poteſtate*, dicentem in *c. Significaſti. Nam malum eſt ab ordinatione, obſervatione ſedis Apoſtolicæ reſilire.* Igitur. *Minor* vera. Et per conſequens argumentum bonum.

Septimo arguitur ſic: Si ſub utraque ſpecie communicare eſſet præceptum Chriſti, tunc ſequeretur, quod ab omni tempore, quo communicatio laicalis duravit ſub una ſpecie, quaſi mille annis, pro omnibus ſacerdotibus, qui ſic communicaverunt laicales ſub una ſpecie, non eſſet orandum, nec eleemoſyna danda, nec exequiæ faciendæ: ex eo, quia omnes fuiſſent damnati, quia violaverunt præceptum Chriſti, nec ſunt ſuper illo confeſſi, nec pœnituerunt. Ergo ſunt damnati. Conſequentia tenet; Quia talis homo, qui frangit præceptum Chriſti multoties, & non

non pœnitet, peccat mortaliter & damnatur. Sed hoc dicere, quod ſacerdotes tales eſſent damnati, eſſet hæreticum. Ergo.

Octavo ſic arguitur. Sequeretur, quod tota eccleſia Dei, communicans laicos ſub una ſpecie, huc usque erraſſet, & hodie erraret. Et inde ſequeretur, quod omnes ſancti in eccleſia Dei à mille annis, unam ſpeciem inducentes, erraſſent, ex eo, quia in eccleſia Dei pro laicali communicatione non induxerunt utramque ſpeciem. Sed conſequens falſum & erroneum. Quod etiam ſancti in eccleſia Dei continue à mille annis usque in hodiernum diem erraſſent, & hodie eccleſia ſtaret in errore, cum tamen eccleſia Dei omni tempore Spiritu S. regitur & ordinatur. Et ſic oporteret, quod Dei ſpiritus erraret, quod eſt hæreticum dicere. Igitur illud eſt falſum, quod laicales deberent ſub utraque ſpecie communicare &c.

Nono arguitur ſic: Si ſacerdotes officiantes communicant ſine peccato ſub una ſpecie, à fortiori, laici deberent communicare ſub una ſpecie. Sed de facto ita eſt, quod ſacerdotes *magna ſexta feria* ſub ſpecie panis communicant, Ergo. Argumentum fuit bonum & verum.

Decimò arguitur ſic: Si communicare ſub utraque ſpecie eſſet præceptum Chriſti, tunc ſequeretur, quod omnes officiantes magna ſexta feria peccarent mortaliter. Quod eſſet erroneum. Ergò illud eſt erroneum, ex quo ſequitur, quod ſit præceptum Chriſti.

Patet ergò *multis rationibus*, quod laici non deberent ſub utraque ſpecie communicari.

CAP. III.

De figuris & typis communionis ſub una in Veteri Teſtamento.

F*igura in lege* eſt quoddam prognoſticum ſignum, ſignans exemplariter & quodammodo proportionaliter aliquid, aut quod in futuro novæ legis correſpondens veteri legi eveniret. Hæc deſcriptio trahitur ex dictis *S. Thomæ* circa ultimam cauſam, quod laicales ſub utraque ſpecie non deberent communicare. Nam *S. Thomas* dicit: *Quia oportuit, quod veritas correſpondeat umbræ in veteri lege.* Quia ſcil. erant figuræ novæ legis, ut Chriſtus dixit: Non veni ſolvere legem, ſed adimplere. Sed quando in veteri lege ſcribitur in Levitico, ſuper illo verbo: *Libamina*, in c. de traditione ſacrificiorum, ubi innuitur, quod *populo Iſrael nihil dabatur de ſacris in libamine*, id eſt in materia fluida, ſicut eſt mel, oleum, vinum & ſimilia: Quia dicitur ibidem: Juxta ritum unicuique dabatur: Sed hoc de more & ritu in lege erat, quod nihil dabatur in libamine populo Iſrael, ſed *ſoli ſacerdotes utebantur*: Hoc fuit ſufficiens *figura ad novam legem*, quod laicalibus nihil debet dari de bibitione, i.e. ſangvis Chriſti non debet dari laicis ſub ſpecie vini, ſed ſolis ſacerdotibus hoc congruit.

Et ſic *S. Thomas* in quodam *ſermone* ſuo *De corpore Chriſti*, qui incipit: *Venite, comedite*, dicit, quod ſacerdotes ſunt vaſa magis congrua ad recipiendum calicem Domini, quàm ſunt vaſa laicorum. Et *S. Thomas in compendio ſuo Theologicæ veritatis* dicit, Quod nihil habent in veteri lege offerentes de libamine. Quia prohibitio vini in veteri lege fuit figura prohibitionis ſangvinis Chriſti ſub ſpecie vini in nova lege. Quas figuras veteris legis homines veteris legis neſciverunt, quia neſciverunt comportare novam legem cum veteri, & è converſo. ergò credentes benefacere in primitiva eccleſia, Corinthii, & alii, qui Corinthiorum modum ceperunt, communicaverunt laicales ſub utraque ſpecie. Sed poſteà ſubvenerunt moderniores & reformaverunt hoc, tanquam magis edocti & illuminati rore cœleſti. Etiam ſcientes novam legem comportare cum veteri, & è converſo, videntes, quod nova lex habet aliqualem correſpondentiam cum veteri, & è converſo: *Invenerunt ex veteri lege, quod laicales tantum ſub una ſpecie debent communicari*, ut dicit *S. Thomas*: Quia oportet

tet, quod veritas correſpondeat umbræ. Sed quia in umbra, in veteri lege, nihil dabatur de libamine populo Iſrael, conſequenter oportet, ſicut ex illa figura tractum fuit & eſt, quod laicalibus non debet dari ſangvis Chriſti ſub ſpecie vini.

Et de iſto *S. Thomas* & alii poſuerunt *multas figuras veteris legis.*

Et *primò* ponuntur *figuræ*, quomodo Chriſtus ſub utraque debebat offerri per ſacerdotes in altari pro peccatis hominum. Et hoc præfiguratum eſt *in oblatione panis & vini*, quod *Melchiſedech* offerebat. Nam offerre, immolare, præſentare, ad ſolos ſacerdotes pertinet, vel qui gerunt vicem. Quia in tali oblatione officium ſacerdotale exercuit utriusque ſpeciei. Et hæc figura fuit, quod ſacerdotes ſub duplici ſpecie debent offerre in altari, de qua exemplificat figura. *Ambroſius ſuper Matthæo* ſuper illo verbo: *Accipite & comedite*, dicit: *Quod Chriſtus ſuis diſcipulis obtulit in cœna, quod Melchiſedech præſentavit.* Dicit enim: Obtulit quidam ſacerdos officium. Et hoc fuit figura ſacerdotum, ſub utraque ſpecie in altari offerre per ſacerdotes, ut notat *Ambroſius* in ſua autoritate. Hoc idem dicit *S. Thomas* in ſuo *Compendio.* Ubi ponit tales figuras V. T.

Idem *S. Thomas* ponit *aliam figuram* ſeu figurationem ſacerdotalem in *virga Jonathæ mellica.* Ubi præfiguratum fuit, quis debeat offerre corpus & ſangvinem Chriſti. *Jonathas* ſacerdotem ſignat, & per *favum mellis* ſignificabatur ſangvis Chriſti cum devotione offerentis in altari, quod talis oblatio fieri debeat cum devotione.

Tunc *figuræ pro communicatione laicali* erant iſtæ: *Prima*, ut prius dictum eſt, quia populo Iſrael nihil dabatur de ſacrificio de libamine, id eſt ſub ſpecie vini. Item *alia figura*, quæ habebatur in Levitico, ubi Dominus prohibuit uti ſangvine. Ubi dixit: *Qui ſangvine fruetur, peribit.* Ecce figura, quod laicales non debent uti per ſe diviſim ſangvine ſub ſpecie vini. Item fuit *alia figura* in agno paſchali. Ubi multitudo filiorum Iſrael immolabat hœdum ad veſperam paſchæ, & non immolabant ſangvinem aut vinum. Quia fuit figura pro laicis in nova lege ſub una ſpecie communicari. Nam per hœdum aut *agnum paſchalem* corpus Chriſti intelligitur ſub una ſpecie panis. Item *alia figura de manna*, quo corpus Domini ſub una ſpecie ſignificabatur.

Item Albertus ponit *aliam figuram de vitulo*, quem offerebant pro peccatis populi Iſrael. Quod Chriſtus ſub una ſpecie intelligitur per hanc figuram, ponit *Albertus* in ſua *Summa de corpore Chriſti*, in *P. III.* ſuæ *Summæ.*

Item *alia figura*, quam ponit Propheta David, dicens: *Panem cœli dedit eis.* Et non dicit: *Vinum dedit eis.*

Item dicit: Edent carnes & azymos panes circa agnum paſchalem. Et non dicitur: Bibent vinum. Quod Chriſtum ſub una ſpecie ſignificabat.

Item, cùm *Iſaac immolaretur*, pro agno paſchæ deputabatur, id eſt, corpus Chriſti ſub unica ſpecie ſignificabatur.

Ecce communicatio laicalis, & communicatio ſacerdotalis in altari, qualiter debeant fieri, pro laicis ſub una ſpecie, pro ſacerdotibus ſub duabus ſpeciebus, fuerunt præfiguratæ in veteri lege. Ideò dicit *S. Thomas: Oportet quòd veritas correſpondeat umbræ, id eſt nova lex veteri, & è converſo.* Et tantum de hoc.

CAP. IV.

De dictis Novi Teſtamenti pro Communione ſub una.

PRoportionabiliter attendendo Evangelium *Johann. VI.* & intelligendo partes evangelii æqualiter, ſaltim illas partes, quæ tangunt materiam de ſacramento, aut de pane, tunc apparet quodammodo oſtenſio ex partibus evangelii, *laicales tantum ſub una ſpecie communicandos.*

Nam *primò* dicitur in Evangelio: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Et non dicit: Qui bibit hoc vinum, vivet in æternum.

CAP. IX.

An Communio plebis ſub utraque ſit præceptum Chriſti, & articulus fidei.

QUod ab aliis quibusdam authenticis creditur, à fidelibus merito inveſtigatur, *An laicales communicare ſub utraq; ſpecie ſit præceptum Chriſti, atq; articulus fidei.*

Sententia affirmativa. Et arguitur, quod *ſic*, auctoritatibus oppoſitæ partis.

Primo auctoritatibus S. evangelii. *Dicitur Johann. VI. Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habetis vitam in vobis.* Ecce dicitur in Evangelio: *Niſi.* Quia iſta manducatio & communicatio infert ex ſui natura præceptum & neceſſeſſitatem, Ergo eſt præceptum & lex Chriſti. Et utraque ſpecies tangitur. Cum dicitur: *Carnem filii hominis*, tangitur corpus Chriſti ſub ſpecie panis. Et per hoc, quod dicitur: *Et ſanguinem ejus biberitis*, tangitur ſanguis Chriſti ſub ſpecie vini. Ergo debent eſſe duæ ſpecies.

Sed quod ſit *articulus fidei:* Quia eſt evangelium. Et tale habetur pro articulo fidei. Igitur quæſtio ſimpliciter vera.

Etiam patet, quod ſit præceptum Chriſti, Paulo I. *Corinth. XII.* dicente: *Quod accepi à Domino, tradidi vobis, Probet autem ſeipſum homo &c.* Ecce ſub utraq; ſpecie præcepit Paulus communicare laicales. Igitur dubium verum.

Sententia negativa. In oppoſitum hujus eſt ſancta mater *eccleſia Romana*, & tota Chriſtianitas, aut pars ejus ſanior. Igitur concluſio falſa.

Notandum. Præceptum Chriſti eſt mandatum Chriſti. Quod ſi violatum fuerit per transgreſſionem & modum, non parvum peccatum inducit. Imo mortaliter peccat, qui mandatum Chriſti non tenet. Et non occidere, eſt mandatum, & ſiquis hominem occiderit injuſte, & ſi confeſſus ſuper iſto peccato non pœnituerit, & mortuus ſic fuerit, damnatur. Sic in propoſito ſequitur, quod à mille annis usque hodiernum eſſent damnati, quia continue hoc præceptum ſub utraque ſpecia non tenuerunt. Sed violarunt, nec ſuperiſto peccato aut facto confeſſi ſunt, nec pœnituerunt, & ſic mortui ſunt, & per conſequens damnati. Similiter & de lege Chriſti dicendum. Qui legem Chriſti frangeret & non pœniteret, damnaretur. Sed ſi communicare ſub utraque ſpecie eſſet articulus fidei: Si quis talem articulum non teneret, ex quo eſt articulus fidei, talis eſſet hæreticus. Sed quia *ſacerdotes à mille annis non tenuerunt hunc articulum*, quia non procuraverunt ſub utraque ſpecie, ſacerdotes à mille annis, usque hodiernum, fuerunt hæretici. Sed hoc dicere & tenere eſt erroneum. Igitur &c.

Concluſio reſponſalis. Quod laicales communicare ſub utraque ſpecie eſt nec *præceptum Chriſti*, nec articulus fidei. Imo ſic communicare eſt contra totam eccleſiam. Et eſt peccatum mortale ſub utraque ſpecie communicare laicales.

Illa concluſio probatur autoritatibus. *Primo* autoritate *S. Thomæ in P. IV.* ſuarum diſtinctionum, & per *Gorram ſuper Joh. VI.* Qui dicunt, quod non ſit mandatum: Ex eo, quod ſi eſſet mandatum, tunc eſſet de neceſſitate tale ſacramentum ſub utraque ſpecie. Sed quia *in præcedenti capite* oſtenſum eſt, quod non eſt ſacramentum neceſſitatis, Igitur nec eſt præceptum Chriſti.

Et patet concluſio autoritate *Ambroſii in libro De paradiſo animæ*. Qui manifeſtè dicit, quod communicare non ſit præceptum Chriſti ſub ſpecie panis & vini extra ſacrificium. Qui ſic dicit: *Cum igitur in cibo neq; ſit præmium, quia eſca nos non commendat Deo: Neq; magnum periculum ſit, quia neque quod intrat in os, coinquinat hominem, ſed quod exit de ore: Videtur ſine dubio à tanto autore non eſſe præceptum. Niſi hunc cibum ad aliud propheticum referas, quod pro magno præmio Dominus ſuis pollicetur ſanctis:* Ecce qui mihi ſerviunt, manducaverunt, vos autem eſurietis. *Sic eſt enim*

cibus,

cibus, in quo vita definitur æterna. Quo quiſquis fuerit defraudatus, morte moriatur. Quando quidem panis vivus atq; cœleſtis ipſe Dominus eſt, qui vitam dat in hoc mundo. Unde & ipſe ait: Niſi carnem filii hominis manducaveritis. Et infra dicit: Qui facit voluntatem ejus, ipſe manducat. Hæc Ambroſius. Qui oſtendit, quod non ſit præceptum. Et etiam oſtendit quod iſte textus: *Niſi carnem filii hominis*, non debeat intelligi de manducatione & bibitione ſacramentalibus, ſub ſpecie panis & vini, ut fuit allegatum ante oppoſitum: Sed ille textus debeat intelligi *de manducatione & bibititione ſpirituali Joh. VI.* Niſi carnem filii hominis manducaveritis, & ſanguinem ejus biberitis, id eſt fidem Chriſti habueritis & charitatem, non habebitis vitam æternam.

Et hoc tangit *Ambroſius*, cum dicit: *Qui facit voluntatem ejus*, id eſt, *manducat* &c.

Et probatur concluſio: Quia, quicquid non eſt contra fidem neque contra bonos mores & bonam conſuetudinem, hoc indifferenter eſt habendum, & pluralitate ſervata eſt obſervandum. Et communicare laicos ſub una ſpecie tantum, non eſt contra fidem, neque bonos mores & conſuetudinem bonam. Igitur, pluralitate populi obſervata, eſt obſervandum, Ut in *c. De Conſuetudine, in Decretalibus, Cum tanto graviora ſunt peccata*, in gloſſa dicitur: *Quod conſuetudo præſcripta approbata, dum major pars populi uſa eſt, ea per minorem partem populi infringi non debet.*

Ex quo patet, quod non eſt *præceptum* ſub utraque ſpecie communicare.

Quod etiam non eſt *lex*: Per Auguſtinum, Hieronymum, dicentes: Quod Judæis eſt lex gratis data, aut delectionibus eſt ſervata.

Tunc ad autoritates ante oppoſitum oſtendetur poſtea, quando ad capitulum ſecundum de Evangelio ac Epiſtola. Nam nec ex Evangelio & Epiſtola poteſt haberi & trahi, quod eſſet præceptum Chriſti ſub utraque ſpecie laicos communicare. Sed hæretici Pelagiani hoc tenuerunt, ſicut & *hodie in Praga quidam tenent*.

CAP. X.

An Communio ſub utraque à Chriſto inſtituta, pro ſolis ſacerdotibus ſit inſtituta, an etiam pro plebe.

UTrum Chriſtus, *inſtituens venerandam utriusq; ſpecie cœnam, inſtituit eam omnium fidelium communicantibus, id eſt, inſtituit eam ſic, quod omnes Chriſti fideles ſic debent communicare, ſicut Chriſtus communicavit ſuos diſcipulos ſub utraq; ſpecie?*

Sententia affirmativa Jacobelli. Et arguitur, quod ſic, per *opinionem quorundam in Praga*, qui ſic probant. *Nam Chriſtus porrigendo diſcipulis ſuis ſub utraq; ſpecie intendebat hoc inſtituere futuræ communitati fidelium utriusq; ſexus. Quæ communicatio ſuorum diſcipulorum ſub utraq; ſpecie fuit figura & exemplar futuræ communitatis fidelium, ſcilicet communicandorum. Igitur dubium eſt verum.*

Negativa. In oppoſitum ſunt Doctores & tota eccleſia Dei. Et hodie eccleſia tenet oppoſitum, quod ſolum ſub una ſpecie communicat laicales. Ergo quæſtio & dubium eſt falſum.

Notandum, quod *inſtitutio hujus ſacramenti dupliciter conſideratur.*

Primo modo, quoad oblationem in ſacrificio pro peccatis omnium fidelium. Et ſic debet fieri ſub duplici ſpecie. Et ſic eſt ad iſtum intellectum: Chriſtus, inſtituens venerandam cœnam utriusque ſpeciei, inſtituit eam pro oblatione in ſacrificio per ſacerdotes pro peccatis omnium fidelium, taliter, quod Chriſtus inſtituit ſolus, quod ſuum corpus & ſanguis ſub ſpecie panis & vini omni die deberet offerri in altari pro remiſſione omnium peccatorum fidelium.

Alio modo inſtitutio hujus ſacramenti conſideratur, *quoad ſolam manducationem & bibitionem extra ſacrificium, num* ſub utraque ſpecie reciperetur? Talem modum reliquit Apoſtolis, ſuis ſucceſſoribus, & ipſi eccleſiæ, qualiter talem communicationem reciperent. Chriſtus etiam ſic cavit, videlicet qualiter

Digitized by Google

ſancti & eccleſia diſponerent communicationem laicalem, ita eſſe tenendam. Sed quia eccleſia tenet ſub utraque ſpecie: Igitur ſic obſervandum.

Concluſio reſponſalis: Quod Chriſtus inſtituens ſuam venerandam cœnam ſub utraque ſpecie, non inſtituit communicare laicales, niſi per ſacerdotes pro peccatis omnium fidelium. Et vocatur *communicatio ſacerdotis*. Cœnam aut communicationem reliquit diſcipulis ſuis & ſucceſſoribus & toti eccleſiæ, qualiter diſponerent, ſic Dei voluntas eſſet. Et eccleſia ſpiritu regitur ſancto.

Concluſio pro prima parte, videlicet quod Chriſtus inſtituit ſuam cœnam in oblationem in altari, per ſacerdotes fiendam, patet ſecundum autoritatem *Auguſtini, de conſecrationibus, diſt. 2. c. Utrum ſub figura*, & ſecundum *Gregorium, eadem diſt. Dicit Auguſtinus: Iteratur autem hæc oblatio quotidie, licet Chriſtus ſemel paſſus ſit. Quotidie autem peccamus peccatis noſtris, & ideo, quia quotidie labimur, quotidie Chriſtus pro nobis immolatur intra catholicam eccleſiam. In miniſterio Chriſti corporis nihil à bono magis, vel à malo minus perficitur ſacerdote.* Hæc Auguſtinus. Et *Gregorius, eadem diſt. Calix quem ſacerdos ſacrificat, non eſt alius niſi quem Dominus apoſtolis tradidit. Hic traditus eſt ſacerdotibus in oblatione ſacrificii pro peccatis omnium fidelium. Sed in homilia paſchali, c. Quid ſit ſanguis, eadem diſt. dicit: Dominus dedit nobis hoc ſacramentum ſalutis, quia nos quotidie peccamus. Et mori jam non poteſt, ut per iſtud ſacramentum remiſſionem peccatorum conſequamur.*

Ecce, inſtitutio Chriſti eſt principaliſſimè oblatio ſacerdotis in altari. Et ideò in ſignum hujus *excluſit matrem à cœna ſua* & mulieres, nec debent habere hanc autoritatem offerre in altari ſuum corpus. Etiam Chriſtus *excluſit ſeptuaginta duos diſcipulos*, in ſignum, quod laici non poſſunt hanc habere autoritatem offerre in altari. Quia tunc ſeptuaginta duo diſcipuli geſſerunt locum & vicem omnium fidelium laicorum futuræ communitatis. Sed apoſtoli geſſerunt vicem omnium ſacerdotum in futurum fiendorum.

Et cœna ſic inſtituta eſt ſub duplici ſpecie ſolùm in oblatione in ſacrificio per ſacerdotes, & non eſt inſtituta per Chriſtum pro laicis ſub utraque ſpecie communicandis. Sed communio laicorum relicta eſt & dimiſſa diſpoſitioni eccleſiæ ſanctorum.

Nec legitur, quod aliquis apoſtolorum aut ſanctorum communicaſſet laicos ſub utraque ſpecie, demto ſolo *Donato Epiſcopo*, cujus calix confractus fuit in altari cum ſangvine Chriſti. Ipſe poſtea reconciliatus nunquam laicos communicavit ſub utraque ſpecie.

Ex quibus patet, quod Chriſti inſtitutio ſub utraque ſpecie pro ſolis ſacerdotibus eſt facta. Ut ipſi omni die ac quotidiè offerant in altari corpus & ſangvinem Chriſti pro peccatis omnium fidelium. Et non eſt inſtitutio facta ſub utraque ſpecie pro laicis. Sed laicorum communio eſt ita inſtituta & facta per eccleſiam & per ſanctos.

Reſpondetur ad argumenta Jacobelli.

Tunc ad argumentum ante oppoſitum, reſpondetur. Quando arguitur: *Chriſtus porrigendo diſcipulis ſub utraque ſpecie intendebat hoc inſtituere futuræ communitati fidelium:* Reſpondetur, quod falſum eſt. Nam ſi Chriſtus intendebat pro laicis ſub utraque ſpecie, quæro, quis ſit Conſiliarius Chriſti, quod ipſe hoc intendebat? Egò falſum eſt. Imò pro ſolis ſacerdotibus officialibus ſub duplici ſpecie intendebat &c.

CAP. XI.

Num diſcipuli Chriſti in ſacra cœna totum Chriſtianorum cœtum præſentaverint.

Quæritur: *Utrum diſcipuli Domini geſſerunt in cœna Domini vicem totius communitatis fidelium per modum gregis, ſub utraque ſpecie laicales communicandi?*

Et videtur, quod *ſic*, per quosdam *Pragenſes*. Quia diſcipuli Domini qui adhuc erant fragiles, gerentes vicem futuræ communitatis in eccleſia, ſuſceperunt corpus Chriſti ſub forma panis, & ſangvinem ſub forma ſenſibili vini, Ad deſignandum, quod futura communitas populi Chriſtiani, degens in vi-

Sententia affirmativa Jacobelli.

Digitized by Google

ta communi & in obſervantia mandatorum Chriſti, habens in ſe multam fragilitatem, debet ſic manducare & bibere ſub utraque ſpecie à Domino inſtituta. Igitur diſcipuli geſſerunt vicem totius communitatis fidelium ſub utraq; ſpecie communicandorum. Et per conſequens concluſio vera.

Sententia negativa. In oppoſitum eſt experientia eccleſiaſtica. Quod videmus ad ſenſum, quod à mille annis ſub una ſpecie ſacramentaliter ſunt communicati. Ergò concluſio eſt falſa.

Notandum quoque, diſcipulos Chriſti geſſiſſe vicem totius communitatis per modum gregis convertendi ad fidem. Ad iſtum intellectum, quod ipſi geſſerunt vicem totius communitatis, quam communitatem deberent convertere ad fidem, ſic benè conceditur, quod geſſerunt vicem communitatis, quam communitatem ipſi convertere debebant ad fidem.

Secundo modo intelligitur, quod geſſerunt vicem ſacramenti ſacerdotū. Et ſic eſt ſimpliciter verum, quod apoſtoli geſſerunt vicem totius communitatis futuræ ad offerendum corpus & ſangvinem Domini in altari in futurum pro peccatis hominum. Nam apoſtoli non geſſerunt vicem laicorum. Quia in fine communicationis laici non manſerunt, ſed ſacerdotes & presbyteri, qui fuerunt figurà pro futuris presbyteris.

Tertiò intelligitur quæſtio, quod geſſerunt vicem omnium fidelium per modum gregis. Sic eſt falſum.

Concluſio reſponſalis: Quod diſcipuli Domini in cœna Domini non geſſerunt vicem totius communitatis fidelium per modum gregis: Sed geſſerunt vicem communitatis fidelium ſacerdotum per modum ſacrificii.

Concluſio probatur: Quia ſi geſſerunt vicem per modum communitatis & gregis laicorum, tunc utique apoſtoli laici poſt communioné manſiſſent. Quia ſi poſt communionem laici manſiſſent, tunc aliqualis eſſet apparentia, quod geſſiſſent vicem laicorum. Sed immediatè poſt communionem presbyteri manſerunt, & non laici, cùm à fine omnia ſint denominanda, ut *ſecundo De anima* patet. Igitur, à fine denominando, geſſerunt vicem ſacerdotum officiantium. Etiam, ſi geſſiſſent vicem laicorum, tunc ſeptuaginta duo diſcipuli non fuiſſent excluſi à cœna Domini. Igitur. Et ſic patet, quod non geſſerunt vicem communitatis laicorum.

Tunc ad argumentum ante oppoſitum, quando arguitur: Quod diſcipuli adhuc erant fragiles & infirmi, gerentes vicem futuræ communitatis. Negatur quod geſſerunt vicem communitatis per modum gregis. Et etiam non erant fragiles. Imò erant ſimiles perfectis: Ut dicit *Johannes Andrea in Canonibus* ſuper iſto verbo: *hoc facite in meam commemorationem.* Et *Wilhelmus* exponit *facite*, id eſt, *conficite*, in meam commemorationem. Et exponit *Wilhelmus in Sacramentali ſuo: Ex quo ſummè perfectis dixit hæc verba, tunc utique apoſtoli non geſſerunt vicem laicorum, ſed ſacerdotum, qui ſunt magis propinqui* ad perfectionem quàm laici &c. *Reſpondetur ad argumentū Jacobelli.*

CAP. XII.

An ſacramentum corporis & ſangvinis Chriſti poſſit dividi.

IMaginabantur quidam hæretici, quod *ſacramentum poſſit dividi.* Quia ex quo comedebant ſub duabus ſpeciebus panis & vini, ſunt diviſæ ſpecies. Sic ſangvinem imaginabantur diviſum eſſe à corpore Chriſti, id eſt corpus Chriſti credebant eſſe ſub ſpecie panis, & non ſangvinem, & ſub ſpecie vini credebant eſſe ſangvinem per ſe ſine corpore.

Et motivum eorum fuit, quod, ſicut Chriſtus habuit ſe in cruce, ubi corpus per ſe fuit ſine ſangvine, & ſangvis effuſus per ſe ſine corpore: Sic etiam dixerunt hodiè fieret in ſacrificio & in communicatione. Et ideò dixerunt, quod *ſi populo ſangvis non daretur ſub ſpecie vini, quod tales ſacerdotes peccarent mortaliter, & eſſent ſacrilegi,* quia ſacram rem, id eſt ſangvinem ſubtraherent populo. Et hæc fuit opinio iſtorum hæreticorum Neſtorianorum.

Sed hoc breviter loquendo eſt error. Igitur non tenendum.

Pro

Pro quo notanda *duo*, quæ hic *quærunt*.

Primum hoc, *Utrum ſacramentum poſſit dividi?*

Secundum, *Utrum ſacerdotes*, *non dantes ſangvinem ſub ſpecie vini*, *committant ſacrilegium?*

Pro quo notandum, quod *ſacramentum capitur dupliciter*.

Uno modo collectivè, ſic, quod ſpecies panis & vini collectivè dicitur ſacramentum. Et ſic utitur *Wilhelmus de Monte Lauduno*, dicens, quod recipiens corpus Chriſti ſub ſpecie panis, totam veritatem recipit, ſed non totum ſacramentum, id eſt, non ſub utraque ſpecie recipit.

Quandoq; capitur *ſacramentum ſignum*, *diviſivè*. Et ſic ſola ſpecies panis per ſe dicitur *ſacramentum*. Et ita Doctores eccleſiæ utuntur hôc vocabulo *ſacramentum*, quando dicunt: Hoc eſt ſacramentum panis, hoc eſt ſacramentum vini. Et ſic capiendo ſacramentum pro ſacramento ſigni, tunc *ſacramentum ſignum* poteſt dividi in ſacramentum panis, & in ſacramentum vini.

Alio modo capitur *ſacramentum*, ut eſt *ſignatum*. Et tunc ſacramentum non eſt aliud, quàm corpus Chriſti ſub ſpecie panis & vini. Et ſic capitur ſacramentum pro corpore Chriſti. Tunc ſacramentum non poteſt dividi, quia Chriſtus eſt indiviſibilis, impartibilis. Nec ſangvis in calice diviſus eſt à corpore Chriſti in pane, ut Neſtorius imaginabatur.

Nec ſimilè eſt hodiè de corpore Chriſti & ejus ſangvine, ſicut tempore paſſionis. Nec tempore paſſionis ſangvis fuit diviſus à corpore. Hodiè autem ſimilis & unitus cum corpore & conjunctus corpori in æternum. Et ideò eccleſia diſponit laicam communionem per unam ſpeciem ſumendam, ne laici ſic credant, ſicut Neſtoriani, ſangvinem poſſe eſſe in calice, & non unitum corpori. Et ſic ſacramenti ſignum dividi poteſt, quia dicitur *ſacramentum*, quaſi *ſacra rei ſignum*. Quia ſpecies panis & ſpecies vini ſunt ſigna ſacræ rei, videlicet corporis & ſangvinis Chriſti ſub ſpecie panis & vini.

CAP. XIII.

An committant ſacrilegium, qui plebi non dant ſangvinem Chriſti ſub vino.

Sententia affirmativa Jacobelli. Videtur quibusdam, quod *ſacerdotes non dantes ſangvinem Domini ſub ſpecie vini laicalibus*, *committant ſacrilegium*, quia ſacram rem, id eſt ſangvinem ſubtraherent populis, & ſic eſſent ſacrilegi. Et probant per *Gelaſium Papam*, *De Conſecration. in Decreto*, dicentem: *Diviſio unius ſpeciei ab altera ſine ſacrilegio non poteſt provenire*.

Negativa In oppoſitum eſt eccleſia, quæ tenet, quod dando laicalibus corpus Domini ſine ſpecie vini, non eſt peccatum, nec eſt ſacrilegium, ſed eſt ſaluberrima & laudabilis ipſius eccleſiæ conſvetudo. Nam ſi eſſet peccatum omittere laicalibus ſangvinem ſub ſpecie vini, alii ſancti dudum hoc providiſſent. Et pro ſtatuto poſuiſſent laicos ſub utraque ſpecie communicare, ſi fuiſſet ſacrilegium vinum omittere. Sed hoc fit ſine peccato, imò eſt magna utilitas, quod laicis altera ſpecies non datur, propter cautelas. Etiam quia ſub una ſpecie, ut dicit *Petrus de Tarentaſio ſuper P. IV. ſententiarum*, eſt præcisè eadem efficacia ſicut ſub duabus ſpeciebus. Etiam *S. Thomas de Aquino*, *in P. III. ſua ſumma q.* 80. *c. ultimo*, ſalvat hanc conſvetudinem ſub una ſpecie. Quam nullo modo ſalvaret ſi eſſet peccatum & ſacrilegium omittere ſpeciem vini.

Patet igitur per concluſionem, quod non eſt peccatum nec ſacrilegium omittere ſpeciem vini ſacratam dare laicalibus.

Et quando allegatur *Gelaſius Papa:* Reſpondetur, ut dicit *gloſſa*, quòd ille canon intelligitur ſolùm de conficientibus. Quia conficiens non debet omittere ſangvinem Domini, ſed ſumere ſub ſpecie vini, aliàs committeret ſacrilegium, ut vult Gelaſius Papa &c.

Quod

CAP. XIV.

Utrum eundem cibum ſimul edere & bibere quis poſſit.

QVod apud ſapientes creditur, apud inſipientes dubitatur, *Utrum poſſibile eſt eundem cibũ ſimul & ſemel comedere & bibere pro eodem tempore?* Exemplum: Utrum poſſibile eſt eundem panem ſimul & ſemel comedere & bibere?

Concluſio eſt, quod poſſibile eſt, eundem cibum ſimul & ſemel comedere & bibere, reſpectu diverſorum. Et dicit *S. Thomas* in Summa ſacramentorum, & exemplificat ſemella (ſimila) intincta vino. Quando iſta ſemella comeditur, tunc vinum, quod eſt in pane, ſimul & ſemel cum comeſtione panis in eadem ſpecie panis, & in eodem pane bibitur. Sic in eodem propoſito, ſub eadem ſpecie panis Chriſtus ſimul & ſemel recipitur cum corpore & ſangvine, id eſt corpus Chriſti recipitur in ſpecie panis. Et ſic in eadem ſpecie panis Chriſtus comeditur & bibitur. Licet non bibitur ſub proprio ſigno bibitionis, tamen bibitur ſub alio ſigno. Quia ſub pane, &c. ut dicit *Bonaventura.*

Et licet non ſit præciſa ſimilitudo, facit tamen, quod fiat aliqualis conſideratio & intellectus, ut prius patuit in dictis ſuperius, &c.

CAP. XV.

An communio ſub utraque poſſit introduci ad exemplum primitivæ Eccleſiæ.

Sententia affirmativa Jacobelli.

VIdetur quibusdam, quod *juſtum & ſanctum eſſet, modernam eccleſiam reducere ad primitivam,* ſic: *Qualis obſervatio & conſvetudo fuit in primitiva eccleſia, quod talis obſervatio & conſvetudo fieri debeat in moderna eccleſia.* Exemplum: Sicut in primitiva eccleſia ſub utraque ſpecie laicales communicabantur, ſic etiam in moderna eccleſia deberent. Et probant ſic: Quia in primitiva eccleſia omnia in meliori ſtatu & ordinatione & diſpoſitione fuerunt quàm ſunt in moderna eccleſia. Nam in primitiva nulla erat ſimonia, nulla avaritia cleri, quemadmodum in moderna eccleſia ſunt. In primitiva eccleſia erant homines de bona vita, multi ſancti, multa miracula. Non erat plenitudo præbendarum, quæ avaritiam cauſant. Prælati non erant luxurioſi, guloſi, crapuloſi, ſicut ſunt in moderna eccleſia. Igitur juſtum & ſanctum eſſet, modernam eccleſiam reducere ad primitivam, ſi hæc omnia mala vitari debeant, hominum pro ſalute.

Negativa.

Oppoſitum illius patet ex hoc, quod nullum majus bonum debet duci ad minus bonum. Sed moderna eccleſia eſt majus bonum quàm primitiva, ſaltim quoad regimen & ad diſpenſationem eccleſiaſticam circa Chriſti fidem. Igitur non juſtum nec ſanctum, reducere modernam ad primitivam. *Major* eſt nota. Sed *minor* patet, quia in moderna eccleſia omnia digniori modo & laudabiliori ſtant, quàm ſteterunt in primitiva eccleſia.

Nam *baptiſmus* eſt ſolennior. Quia cum aqua benedicta & per hanc formam fit: In nomine Patris & filii & Spiritus ſancti. Sed hæc non fuerunt in primitiva eccleſia, ſed in ſimplici aqua, & per aliam formam. Nec talis *cantus in eccleſia.* Nec tàm longæ *miſſæ,* nec *officia,* nec *proſæ,* nec *hymni,* nec *horæ canonicæ.* Et multa alia. Quæ tamen fiunt in moderna eccleſia.

Igitur non eſt juſtum nec ſanctum, modernam eccleſiam reducere ad primitivam. Imò quam impoſſibile eſt reducere & commenſurari diametrum coſtæ, tàm impoſſibile eſt reducere modernam eccleſiam ad primitivam, diſpoſitione, ordinatione eccleſiæ, & nunc inſtante potentia ordinata, ſicut hodiè per Spiritum ſanctum eſt diſpoſita. Verùm per potentiam Dei abſolutam moderna eccleſia poſſet converti præcipuè in modum primitivæ eccleſiæ &c. Sed quia ſic impoſſibile eſt diame-

trum menſurari teſtæ, per *Campanum in geometria ſua:* Sic igitur etiam impoſſibile modernam eccleſiam reducere ad primitivam. Et ratio eſt, quia dicitur de celebratione miſſarum in *Decretalibus, c. cum Men.* in *gloſſa: Multa ſervat eccleſia, quæ ab apoſtolis non ſunt tradita, quæ tamen longa conſvetudine ſunt approbata, ut, communicare ſub una ſpecie, officia divina, cantum, miſſas longiores. Licet ab apoſtolis non ſint tradita, tamen eò minoris autoritatis non dicuntur eſſe.* §. *Sive, cap. Eccleſiaſticarum, diſt.* 11. dicitur: *Evangeliſtæ multa omiſerunt, quæ poſtea per poſteros ſunt ſuppleta.* Et in Actibus Apoſtolorum ſcribitur per Paulum: *Meminiſſe vos oportet verbum Chriſti, qui dixit: Beatius eſt magis dare quàm accipere.*

Ex quibus patet, quod moderna eccleſia multò perfectius & dignius regitur, quàm primitiva regebatur. Licet utraque benè regitur, & regebatur, tamen moderna perfectius & dignius regitur, quàm primitiva regebatur. Quia in moderna eccleſia homines Chriſti fideles ſunt magis in fide radicati & firmati, ideò latius, perfectius, dignius in ea Spiritus ſanctus homines inclinat. Nam in primitiva eccleſia durius convertebantur ad fidem, niſi mediantibus ſignis & miraculis. De quibus non indiget moderna eccleſia, ſed firmiter credit ſine miraculis & ſignis. Unde Paulus dicit: *Perverſa gens quærit ſignum.*

Tunc ad argumentum ante oppoſitum, quando arguitur: *Objectio.* *In primitiva eccleſia omnia erant in meliori ſtatu* & ordinatione, Reſpondetur, quod non. *Reſp.* Quia in moderna Eccleſia omnia ſtant in meliori ſtatu & ordinatione, ut dictum eſt. *Obj.* Et quando arguitur: *In primitiva non erat ſimonia, avaritia* & tot præbendæ, quæ cauſant avaritiam, & tot luxuriæ & crapulæ: *Reſp.* Reſpondetur, quod ſimonia, avaritia, *luxuria*, non debent attribui eccleſiæ, ſed perſonis eccleſiaſticis. Quæ ſi eſſent tales in eccleſia, illi ſolum abuterentur modo, quem haberent ac deberent obſervare in eccleſia Dei. Nam beneficia & præbendæ non cauſant peccatum nec avaritiam, ſed abuſus præbendarum facit in perſonis peccatum. Quia habere præbendam non eſt malum, ut dicit Paulus 1. *Corinth. Si alii veſtra poteſtate uſi ſunt, quare non potius nos?* Sed abuti eſt malum & peccatum.

Et quando dicitur: *Plures ſancti fuerunt in primitiva eccleſia*, *Obj.* Reſpondetur: *Reſp.* Quod plures fuerunt ſecundum manifeſtationem publicam, vel ſecundum miracula. Sed in moderna plures, licet non ita manifeſtè ſicut in primitiva. Quia ſine ſignis & miraculis.

Quidam æſtimant hanc communionē eſſe bonam: *Objectio.* Quia *In primitiva eccleſia Laicales communicabantur ſub utraq; ſpecie.* *Reſp.* Reſpondetur, quod conſequentia non valet. Quia in ſimili nō valet conſequentia. In primitiva eccleſia baptizabantur homines per hanc formam: *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Ergò hodie in moderna Eccleſia ſic deberent baptizare: *In nomine Dni. noſtri Jeſu Chriſti. Conſequens* eſt falſum, quia contra evangelium Matthæi, ubi dicitur: *Baptizantes eos in nomine Patris, & filii & ſpiritus ſancti.* Sed *antecedens* probatur, quod ſic Apoſtoli baptizaverint in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Patet in *actibus apoſtolorum c.* 8. *Baptizabantur autem viri & mulieres in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Idem patet *c.* 9. & ſic *XI.* Igitur.

Nec etiam per totam eccleſiam primitivam laici ſub utraque ſpecie communicabantur. Sed *ſolum legitur de Corinthiis*, & partium circumjacentium tantum. *De Tarantaſio* dicit, quod hoc fuiſſet in Græca eccleſia, ubi ſunt Corinhi & orientales. Et dicit, quod iſte modus non valet, & ideo eccleſia reduxit ad modum meliorem unius ſpeciei pro laicis &c.

CAP. XVI.

An Eccleſia poſſit mutare ritus primitivæ Eccleſiæ, pro Communione ſub utraq; ſubſtituendo Communionem ſub una.

Dubitant quidam, *an moderna poſſit eccleſia modum communicationis utriuſq; ſpeciei quoad laicos primitivæ eccleſiæ immutare in alium modum, videlicet unius ſpeciei,*

Sed

Sententia affirmativa. Sic hodiè tenet oppoſita pars, ſic dicens: Conſtitutioné Chriſti nemo im̄utare poteſt: Sed laicales communicare ſub utraque ſpecie eſt inſtitutio Chriſti in evangelio: *Niſi carnem filii hominis manducaveritis & ſangvinem ejus biberitis, non habebitis vitam in vobis.* Et propter inſtitutionem Chriſti primitiva eccleſia ſic accepit & communicavit: Uti patet in epiſtola Pauli: *Probet autem ſe ipſum homo, & de iſto pane edat & de calice bibat.* Igitur videtur, quod moderna eccleſia non potuit mutare communionem primitivæ eccleſiæ. Ergò.

Negativa Oppoſitum tenet tota eccleſia, ut experientia docet, quod niſi ſub una ſpecie laici communicantur.

Notandum, ut dictum eſt, quod in primitiva eccleſia ſolum pars tenuit communicationem ſub utraq; ſpecie, ut dicit *Petrus de Tar.* Et quod iſte modus valuit propter cauſas in ſequentib' poſitas.

Et ideo, ex quo modus ſub utraque ſpecie pro laicis non valuit, tunc eccleſia illum modum communicationis de utraque ſpecie mutavit in modum unius ſpeciei. Et rationabiliter bene fecit.

Concluſio: Quod moderna Eccleſia potuit, ut fecit, modum communicandi, de utraque ſpecie primitivæ Eccleſiæ immutare in modum unius ſpeciei pro laicis.

Igitur dubium eſt verum. Conſequentia bona. Antecedens probatur, quod *propter plures cauſas eccleſia moderna immutavit primitiva eccleſia modum.* Quæ cauſæ poſtea ponuntur.

Et dicit *Alexander de Halis*, quod hoc fecit propter *errorem infidelitatis.* Quia laici crediderunt, quod Chriſti ſanguis eſſet in calice & non eſſet ſub ſpecie panis, & errarent. Ut ergo laici credant ſanguinem Chriſti eſſe ſub ſpecie panis, datur laicis tantum ſub una ſpecie & miniſtris officiantibus altaris ſub duabus ſpeciebus.

Tunc argumentum in oppoſitum, quando arguitur: *Talis immutatio eſt contra conſtitutionem Chriſti.* *Objectio.* Quia Chriſtus *Reſp.* inſtituit ſub utraque ſpecie in altari per ſacerdotem offerri pro peccatis omnium fidelium, & non inſtituit laicos ſub utraque ſpecie communicare. Sed laicalem communicationem reliquit diſpoſitioni diſcipulorum ſuorum & ſequentium & diſpoſitioni eccleſiæ. Qualiter eccleſia obſervaret ſub una vel ſub duabus ſpeciebus, quod taliter deberet obſervari.

Et quando illud evangelium legitur *Objectio.* *Joh. VI. Niſi carnem filii hominis &c.* Re- *Reſp.* ſpondetur, quod illud evangelium intelligitur de manducatione & bibitione ſpirituali, & non ſacramentalibus, ut poſtea dicetur circa evangelium. Nec Paulus præcepit & inſtituit laicos ſub utraque ſpecie communicare, ut patebit circa epiſtolam Pauli in ſequentibus.

CAP. XVII.
De Communione infantum poſt baptiſmum.

TRadiderunt inſipientes *Pelagiani* hæretici, quod parvuli immediatè poſt baptiſmum eſſent communicandi, ne per mortem contingeret eos damnari. Et aliqui de eorum ſecta dicunt: Quod ſi pueri non poſſunt ſub utraque ſpecie uti, tunc tantùm detur eis una gutta ſangvinis in os.

Et motivum Pelagianorum erat hoc evangelium: *Niſi carnem filii hominis manducaveritis & ſangvinem ejus biberitis, non habetis vitam in vobis.* Exiſtimabant enim, quod ſub utraque ſpecie eſſet præceptum Chriſti per illam communicationem: *Niſi carnem* &c. Et per hoc, quod dicit: *Carnem filii hominis*, intellexerunt alteram ſpeciem, corpus Chriſti, ſub ſpecie panis, & per *ſangvinem*, ſicut dicitur in evangelio, intellexerunt alteram ſpeciem vini. Et dixerunt: Quicunque non manducarent ſub utraque ſpecie, non haberent vitam, ſcilicet æternam, id eſt damnarentur. Ne ergò pueri, ſi contigeret eos mori, damnarentur, ſtatim poſt baptiſmum communicaverunt eos. Et fuerunt ſeducti per hoc, quod malè intellexerunt de manducatione & bibitione ſacramentalibus ſub præcepto, quaſi eſſet præceptum Chriſti. Et non intellexerunt, quod in hoc evangelio loquebatur Dominus de manducatione &

& bibitione ſpirituali. Sicut etiam Dominus Chriſtusmet in evangelio exponit, cùm dicit: *Spiritus & vita ſunt*, id eſt, *quæ locutus ſum vobis, intelligenda ſunt ſpiritualiter.*

Pro quo notandum, quod hoc evangelium *Joh.VI.* nullus Doctorum, nullus ſanctorum expoſuit de manducatione & bibitione ſacramentalibus, quod esſet præceptum Chriſti ſub utraque ſpecie laicos communicare, ex eo, quod conjunctio *Niſi* ſignum eſſet præcepti Chriſti, ſic quod qui non manducaret ſub utraque ſpecie non poſſet habere vitam æternam: Quia, *Niſi carnem filii hominis manducaveritis* Et ſic à mille annis, quod hoc non fecerunt ſub utraque ſpecie, fuiſſent damnati, tàm dantes quàm recipientes. Hoc eſt hæreticum dicere. Non poteſt igitur iſte textus Evangelii intelligi de manducatione & bibitione ſacramentalibus, prout eſſet præceptum Chriſti.

Similiter, quò devenirent pueri, qui non communicantur ante duodecimum aut decimum annum? Aut illi, qui non poſſunt alteram ſpeciem ſumere? Ut qui non poſſunt vinum bibere, ſicut *Rex Cracoviæ*, & alii.

Concluſio reſponſalis: Quod parvuli poſt baptismum non ſunt communicandi usque ad annos diſcretionis, videlicet decimum aut duodecimum, ut tenet eccleſia.

Illa concluſio patet per *quatuor autoritates.*

Primò per autoritatem *eccleſiæ*, quæ ſic tenet. Quæ autoritas eſt major omnium autoritatum.

Secundò autoritate patet *S. Auguſtini, De conſecr. diſt.2. c.36. Quia paſſus eſt, circa finem*, Ubi dicit: *Nulli ambigendum, unumquemque fidelium corporis & ſangvinis Domini tunc participem eſſe, quando in baptismo membrum corpus Chriſti efficitur. Et ſi etiam antequam illum panem edat & ſangvinem de calice bibat, de hoc ſeculo migraverit, perceptione illius ſacramenti non privatur.* Idem dicit *Auguſtinus diſt.4.c.130.131.* Idé ſcribens contra Pelagianorum hæreſin: *In eccleſia Dei Salvatoris, Nulli ambigendum eſt.* In quibus verbis ut prius.

Idem patet autoritate *Ambroſii*, in *Sermone* ſuo *de infantibus* dicentis: Ita Dominus Jeſus nos ſignificavit, & nos ad ſe pertinere voluit, myſterium pacis & unitatis conſecravit. Et tunc ulterius dicit: *Igitur Ambigendum non eſt* &c. Verba Auguſtini.

Idem patet autoritate *S. Thomæ in P. IV. ſuarum diſtinctionum.* Ubi dicit, *quod pueris non datur ſacramentum.* Et aſſignat cauſas. *Prima* cauſa, quia ad recipiendum ſacramentum requiritur cognitio inter cibum ſacramentalem & cibum corporalem. Et talem cognitionem non habent. Ideò eis non datur ſacramentum ante duodecimum annum. *Secunda* cauſa. Ad ſacramentum recipiendum requiritur devotio, ſed pueri ſunt ſine devotione, ut fatui & dementes, quibus non datur ſacramentum. *Tertia* cauſa. Requiritur diſcretio. Et propter hæc debilibus non datur ſacramentum, nec pueris. *Quarta*, Requiritur confeſſio. Et propter hoc mutis non datur ſacramentum, niſi certa ſigna videantur, cognoſcantur, & diſcretio ejus.

Ex quibus patet, quod pueri poſt baptismum non communicandi.

Tractatus Specialis II.

Propoſita argumenta pro Communione laicorum ſub una ſpecie.

IN *ſecunda parte principali* reſtat deſcendere ad *principalem probationem: Quod laicales nec debent nec poſſunt ſine peccato communicare ſub utraque ſpecie.*

Et dividitur pars principalis in *octo capitula*, per quæ ſufficienter probatur, *quod laicales non debent communicare ſub utraque ſpecie.*

In *primo* capitulo hoc oſtenditur per ritum & conſvetudinem & obſervationem eccleſiæ.

In *ſecundo capitulo* idem oſtenditur.

In

In *tertio* capitulo hoc idem autoritate veteris legis.

In *quarto* capitulo hoc idem oſtenditur autoritate & teſtimonio novæ legis.

In *quinto* capitulo ponuntur quædam notabilia.

In *ſexto* capitulo oſtenditur hoc idem autoritatibus ſanctorum & aliorum.

In *ſeptimo* capitulo oſtenditur hoc idem motivis Doctorum & aliorum, eorum cauſis.

In *octavo* cap. oſtenditur hoc idem per ſanctiones ſacrorum canonum.

Et patebunt omnia ſecundum ordinem.

CAP. I.

Argumentum I. ab autoritate & longa conſvetudine Eccleſiæ.

OBſervatio & autoritas eccleſiæ Dei, præciſè æqualiter. Auguſtinus: *Autoritatem plus evangelio*, [complenda teſtimonia Auguſtini.] Imò *Auguſtinus* autoritatem & obſervationem eccleſiæ evangelio præferebat, cùm dicit *contra Fauſtum: Evangelio non crederem, niſi autoritas eccleſiæ me commoveret.* Ideò eccleſia non eſt modicæ autoritatis.

Oppoſitum quidam opinantur. Peccant igitur graviter, qui in autoritatem & obſervationem eccleſiæ prorumpunt violando.

Notandum, ad probandum, laiealem nec poſſe nec debere communicare ſub utraque ſpecie, autoritatem eſſe & obſervationem eccleſiæ.

Supponitur primo, quòd autoritas *Ariſtotelis* 1. *&* 2. *Metaphyſica*, ſit vera: *Cuilibet experto in ſua arte, ſcientia, eſt credendum.* Quia ſicut multæ experientiæ faciunt artem, ſic experto in ſua ſcientia eſt credendum, 2. *Metaphyſ.*

Secunda ſuppoſitio, quod locus ab autoritate affirmative valet & tenet. Uti patet ex *libro Topic. & quinto tractatu Petri Hiſpani, & quarto tractatu.*

Tertia ſuppoſitio, quod ſanctiones ſacrorum canonum ab eccleſia obſervatæ & approbatæ ſint tenendæ & obſervandæ, ut ſatis probatum eſt in præcedentibus.

Concluſio reſponſalis: Stante autoritate eccleſiæ, ſub unica ſpecie ſacramentali, videlicet panis, laicales ſunt communicandi, & non ſub utraque ſpecie.

Concluſio probatur *primò* autoritate eccleſiæ, quæ eſt major omni autoritatum poſt Chriſtum. Nam eccleſia Romana, quæ eſt caput omnium fidelium, obſervat ſub una ſpecie laicales communicare. Igitur aliæ omnes eccleſiæ Chriſtianitatis taliter debent obſervare ſub una ſpecie. Conſequentia patet *diſt.* 12. *Non decet membra abſcedere, juxta ſcriptura teſtimonia, ſed omnia membra caput ſequuntur.* Cum autem eccleſia Romana ſit caput, & ſub una ſpecie obſervat, omnes fideles ſic debent obſervare, *Et* 22. *diſt. dicit Anacletus c.*2. *Sacroſancta. Hæc vero Apoſtolica ſedes eſt caput & cardo omnium eccleſiarum. Et ſicut in cardine oſtium volvitur & regitur, ſic hujus ſancta apoſtolicæ ſedis autoritate omnes eccleſiæ, Domino diſponente, reguntur.* Item, *eadem* 22. *diſt. c. Omnes*, dicit: *Unde non dubium eſt, quiquis cuilibet eccleſiæ jus ſuum detrahit, injuſtitiam facit. Qui autem Romanæ Eccleſiæ privilegium auferre conatur, hic procul dubio in hæreſin mergitur. Fidem quippe violat, qui adverſus eam agit, cum ipſa mater fidei ſit. Unde & ipſe S. Ambroſius in omnibus ſe magiſtram ſanctam ſequi profitetur eccleſiam.*

Et per Gregorium Papam in *Decretalibus*, *De conſuetudine*, c. 11. *Cum tanto graviora ſunt peccata, quanto diutius infelicem detinent animam alligatam.* Ubi Gregorius innuit, quod qui facit contra laudabilem conſuetudinem eccleſiæ, peccat graviter, ſub utraque ſpecie communicando.

Et Honorius l. c. c. 9. *Non ſit levis autoritas*, id eſt eccleſia eſt magnæ autoritatis in ſacra obſervatione. Unde dicit Honorius Papa, c. 9. *Inhibemus laudabilem conſuetudinem eccleſiæ ſine conſenſu ſuperioris immutare. Sed ſi novas feciſtis, irritas &c.*

Et Gregorius, *De electione, & electi poteſtate, c. Significaſti*, dicit: *Nonne malum eſt, ab unitate & obſervatione eccleſiæ Dei, ſedis*

ſedis apoſtolicæ, reſilire? Ac ſi diceret: Magnum peccatum eſt valde. Et in gloſſa ſuper *c. Cum tanto graviora peccata,* dicit, quod hæc *conſuetudo* dicitur *authentica*, dum major pars populi non poteſt docere legem, ſic ne conſuetudinem.

Nec talis *præſcripta* laudabilis *conſuetudo* eſt contra legem Chriſti, nec contra evangelium, nec contra epiſtolas Pauli, ut poſtea dicetur.

Etiam patet dicta concluſio autoritate canonum in *Decretalibus, De hæreticis, c. Ad abolendum*, ubi ſic dicitur: *Univerſis & ſingulis, qui de ſacramento corporis & ſanguinis Domini aliter ſentient, & docere non metuerint, quam ſacroſancta Romana* eccleſia prædicat & obſervat, *vinculo* perpetui anathematis innodamus.

Item patet concluſio autoritate Innocentii Papæ in *Decreto, diſt. XI.* ſcribens Decentio Epiſcopo, qui dicit: *Ab omnibus obſervari debet, quod Romana obſervat eccleſia, & ſcire te volumus, ut nobis indicare non differas, ut ſciamus, qui ſunt, qui aut novitates inducunt, aut alterius quam Romanæ eccleſiæ exiſtimant conſtitutionem eſſe ſervandam.*

Et Gregorius *diſt.* 18. dicit: *Quisquis apoſtolicis aut eccleſiæ voluerit contraire præceptis aut conſuetudinibus laudabilibus, talis inter ſacerdotes non habeat locum, nec de ejus judicio quisquam curam habeat, quoniam jam damnatus.*

Etiam patet concluſio, quia eccleſia tenet ſub una ſpecie. Et Gregorius dicit, quod valde male contradicere obſervationi eccleſiæ, Igitur obſervatio Eccleſiæ ſub una ſpecie eſt tenenda. Conſequentia tenet. Quia arguitur per locum ab autoritate affirmante, & ſupponebatur. Ergo conſequentia eſt bona.

Et etiam cuilibet experto in ſua ſcientia eſt credendum, per ſuppoſitum. Sed quia dicunt Gregorius & Honorius & alii Papæ, qui fuerunt experti, & eccleſia Chriſti, ex parte quidem optimè valet, laicales ſub una ſpecie communicare. Igitur tenendum eſt. Conſequentia tenet, per ſuppoſitum. Quia cuilibet experto in ſua ſcientia eſt credendum.

Item probatur concluſio *ratione*. Quia quam magnum peccatum eſt violare & confringere autoritatem & conſuetudinem eccleſiæ: Sicut multum grave eſt peccatum violare & infringere evangelium: Tantum, & gravius peccatum eſt, in auctoritatem & obſervantiam prorumpere & eam offendere, & præſertim communicando laicales ſub utraque ſpecie. Conſequentia tenet. Major eſt *Auguſtini in libro*, qui intitulatus, *Fundamentum fidei*, qui dicit, *Evangelio non crederem, niſi autoritas eccleſiæ me commoveret.* Ecce Auguſtinus compenſat autoritatem eccleſiæ majorem evangelio. Et *minor* nota eſt de ſe. Igitur *concluſio* vera.

Ex quibus omnibus patet, quod autoritas eccleſiæ & obſervatio eccleſiæ omnium autoritate mundi eſt major, ut dicit Auguſtinus: *Evangelio non crederem.* Ex quo ergo autoritas eccleſiæ eſt magna, & tenet, laicos ſub una ſpecie communicare debere, tunc *hoc* idem firmiter tenendum tanquam roborata petra & firma.

CAP. II.

Idem argumentum, ab autoritate & conſvetudine Eccleſiæ, confirmatur decem rationibus.

IN *ſecundo c.* reſtat probare *rationibus: Laicales non debere nec poſſe communicare ſub utraq; ſpecie.*

Et ſupponuntur *primo* autoritates *S. Auguſtini*, quas ponit in ſuo libro, qui intitulatur, *Fundamentum fidei contra Manichæos.*

Prima autoritas quam ponit *Auguſtinus contra Fauſtum: Evangelio non crederem, niſi autoritas eccleſiæ me commoveret.*

Secunda autoritas: *Omnis Catholicus ſecurus eam partem deteſtatur, cui eccleſiam univerſalem, in apoſtolicis ſedibus roboratam, communicare non cognoſcit.*

Tertia autoritas: *Illud autem vocis ſcientia aſſerere ſecurum eſt, gubernationem noſtri Salvatoris Jeſu Chriſti univerſalis eccleſiæ conſenſione roboratam eſſe,*

Iſtis

Digitized by Google

Iſtis autoritatibus ſtantibus ſit *prima ratio* & primum argumentum hoc: Quicquid autoritate eccleſiæ tenetur,& ipſa tenet,tenendum eſt:Sed per totam Chriſtianitatem aut ſaniorem partem, autoritate eccleſiæ, ſub una ſpecie laicales communicantur,& ipſamet eccleſia ſub una ſpecie communicat, videlicet Romana eccleſia, quæ eſt caput: Igitur laicales ſub una ſpecie communicare, tenendum eſt. Conſequentia tenet in *Darii*. Et major nota eſt: Prima autoritas Auguſtini: *Evangelio non crederem, niſi autoritas eccleſiæ me commoveret.* Et *minor* eſt experientia. Ergo Conſequentia fuit bona.

Secundo arguitur *ſecunda ratione* ex ſecunda autoritate Auguſtini: Quem eccleſia Dei ſpernit & deteſtatur, ſpernendus & deteſtandus eſt. Sed laicales communicare ſub utraque ſpecie, eccleſia Dei ſpernit & deteſtatur: Igitur communicare ſub utraque laicales, eſt ſpernendum & deteſtandum. Conſequentia tenet in tertio modo figuræ videlicet in Darii. Et per conſequens laicales ſub utraque ſpecie nullo modo debent communicari. Major eſt autoritas Auguſtini: *Omnis Catholicus ſecurus eam partem deteſtetur* &c. Et minor eſt experientia eccleſiaſtica. Ergo argumentum eſt bonum.

Tertio arguitur per tertiam autoritatem Auguſtini: *Quisquis confesſionem univerſalis eccleſiæ ſcit roboratam eſſe, ſcientia vocis*, à quolibet fideli, aſſerere & tenere ſecurum eſt, & per conſequens tenenda eſt laicorum communicatio. *Conſequentia* tenet in Darii. Et *major* eſt Auguſtini in autoritate tertia prius allegata. Et *minor* patet: Quia per communicationem unius ſpeciei eccleſia à mille annis conſenſit, & conſenſu roborata eſt. Igitur.

Quarto arguitur ſic: Quicquid ſolis ſacerdotibus congruit, non eſt laicis tribuendum:Sed communicare ſub utraque ſpecie ſolis ſacerdotibus congruit. Ergo laicis non eſt tribuendum. *Conſequentia* tenet in Darii. Et *major* eſt nota de ſe, per excluſionem ſigni *ſolis*. Sed *minor* eſt *S. Thomæ* in quodam *ſermone*, qui incipit: *Venite, comedite de corpore Chriſti*, ubi dicitur: *Quod ſolis ſacerdotibus congruit ſub utraq; ſpecie communicare.* Aſſignat cauſam. *Quia ſacerdotes ſunt vaſa magis congrua & apta ad recipiendum ſanguinem de calice.* Et in *Summa Sacramentorum* dicit *S. Thomas*: *Laicis datur ſanguis Chriſti cum corpore in modum unionis. Quia corpus non eſt ſine ſanguine. Licet ſacerdos officians recipit ſub utraque ſpecie, propter inſtitutionem Chriſti & eccleſiæ.*

Quinto arguitur ſic: Quicquid non eſt contra præceptum Chriſti, nec inducit peccatum, illud poteſt teneri. Et ponatur in eſſe, quod ſub una ſpecie laici communicabuntur, tunc habetur intentum. Sed conſequentia tenet in Darii. Et *major* patet ex præcedenti cap. de præcepto Chriſti. Dictum eſt quod non eſt præceptum Chriſti ſub utraque ſpecie communicare. Et ſic *major* ſimiliter eſt vera. Et *minor* ſimiliter, quod non eſt contra præceptum nec inducit peccatum. Ergo argumentum eſt bonum.

Sexto arguitur ſic: Omne malum eſt fugiendum: Sed recedere ab autoritate & obſervatione eccleſiæ, quæ ſub una ſpecie laicos communicat, eſt valde malum. Igitur recedere ab obſervatione eccleſiæ, laicos ſub utraque ſpecie communicando, eſt fugiendum. *Major* eſt nota de ſe. Et *minor* patet per *Gregorium, De electione & electi poteſtate*, dicentem in *c. Significaſti. Nam malum eſt ab ordinatione, obſervatione ſedis apoſtolicæ reſilire.* Igitur. *Minor* vera. Et per conſequens argumentum bonum.

Septimo arguitur ſic: Si ſub utraque ſpecie communicare eſſet præceptum Chriſti, tunc ſequeretur, quod ab omni tempore, quo communicatio laicalis duravit ſub una ſpecie, quaſi mille annis, pro omnibus ſacerdotibus, qui ſic communicaverunt laicales ſub una ſpecie, non eſſet orandum, nec eleemoſyna danda,nec exequiæ faciendæ: ex eo,quia omnes fuiſſent damnati,quia violaverunt præceptum Chriſti, nec ſunt ſuper illo confeſſi, nec pœnituerunt. Ergo ſunt damnati. Conſequentia tenet; Quia talis homo, qui frangit præceptum Chriſti multoties, & non

tet, quod veritas correſpondeat umbræ. Sed quia in umbra, in veteri lege, nihil dabatur de libamine populo Iſrael, conſequenter oportet, ſicut ex illa figura tractum fuit & eſt, quod laicalibus non debet dari ſangvis Chriſti ſub ſpecie vini.

Et de iſto *S. Thomas* & alii poſuerunt *multas figuras veteris legis.*

Et *primò* ponuntur *figuræ*, quomodo Chriſtus ſub utraque debebat offerri per ſacerdotes in altari pro peccatis hominum. Et hoc præfiguratum eſt *in oblatione panis & vini*, quod *Melchiſedech* offerebat. Nam offerre, immolare, præſentare, ad ſolos ſacerdotes pertinet, vel qui gerunt vicem. Quia in tali oblatione officium ſacerdotale exercuit utriusque ſpeciei. Et hæc figura fuit, quod ſacerdotes ſub duplici ſpecie debent offerre in altari, de qua exemplificat figura. *Ambroſius ſuper Matthæo* ſuper illo verbo: *Accipite & comedite*, dicit: *Quod Chriſtus ſuis diſcipulis obtulit in cœna, quod Melchiſedech præſentavit.* Dicit enim: Obtulit quidam ſacerdos officium. Et hoc fuit figura ſacerdotum, ſub utraque ſpecie in altari offerre per ſacerdotes, ut notat *Ambroſius* in ſua autoritate. Hoc idem dicit *S. Thomas* in ſuo *Compendio*. Ubi ponit tales figuras V. T.

Idem *S. Thomas* ponit *aliam figuram* ſeu figurationem ſacerdotalem in *virga Jonathæ mellica*. Ubi præfiguratum fuit, quis debeat offerre corpus & ſangvinem Chriſti. *Jonathas* ſacerdotem ſignat, & per *favum mellis* ſignificabatur ſangvis Chriſti cum devotione offerentis in altari, quod talis oblatio fieri debeat cum devotione.

Tunc *figuræ pro communicatione laicali* erant iſtæ: *Prima*, ut prius dictum eſt, quia populo Iſrael nihil dabatur de ſacrificio de libamine, id eſt ſub ſpecie vini. Item *alia figura*, quæ habebatur in Levitico, ubi Dominus prohibuit uti ſangvine. Ubi dixit: *Qui ſangvine fruetur, peribit.* Ecce figura, quod laicales non debent uti per ſe diviſim ſangvine ſub ſpecie vini. Item fuit *alia figura* in agno paſchali. Ubi multitudo filiorum Iſrael immolabat hœdum ad veſperam paſchæ, & non immolabant ſangvinem aut vinum. Quia fuit figura pro laicis in nova lege ſub una ſpecie communicari. Nam per hœdum aut *agnum paſchalem* corpus Chriſti intelligitur ſub una ſpecie panis. Item *alia figura de manna*, quo corpus Domini ſub una ſpecie ſignificabatur.

Item Albertus ponit *aliam figuram de vitulo*, quem offerebant pro peccatis populi Iſrael. Quod Chriſtus ſub una ſpecie intelligitur per hanc figuram, ponit *Albertus* in ſua *Summa de corpore Chriſti*, in *P. III.* ſuæ *Summæ*.

Item *alia figura*, quam ponit Propheta David, dicens: *Panem cœli dedit eis.* Et non dicit: *Vinum dedit eis.*

Item dicit: Edent carnes & azymos panes circa agnum paſchalem. Et non dicitur: Bibent vinum. Quod Chriſtum ſub una ſpecie ſignificabat.

Item, cùm *Iſaac immolaretur*, pro agno paſchæ deputabatur, id eſt, corpus Chriſti ſub unica ſpecie ſignificabatur.

Ecce communicatio laicalis, & communicatio ſacerdotalis in altari, qualiter debeant fieri, pro laicis ſub una ſpecie, pro ſacerdotibus ſub duabus ſpeciebus, fuerunt præfiguratæ in veteri lege. Ideò dicit *S. Thomas*: *Oportet quòd veritas correſpondeat umbræ, id eſt nova lex veteri, & è converſo.* Et tantum de hoc.

CAP. IV.

De dictis Novi Teſtamenti pro Communione ſub una.

PRoportionabiliter attendendo Evangelium *Johann. VI.* & intelligendo partes evangelii æqualiter, ſaltim illas partes, quæ tangunt materiam de ſacramento, aut de pane, tunc apparet quodammodo oſtenſio ex partibus evangelii, *laicales tantum ſub una ſpecie communicandos.*

Nam *primò* dicitur in Evangelio: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Et non dicit: Qui bibit hoc vinum, vivet in æternum.

Item dicit in hoc Evangelio: *Siquis manducaverit ex hoc pane, non morietur*. Et non dicit: Siquis biberit ex hoc calice, non morietur. Sed ſemper exprimitur una ſpecies, ſcilicet *panis*.

Item dicit in evangelio: *Caro mea pro mundi vita*. Et non dicitur, ſangvis, uti patet per *Ambroſium*, de *conſecr. diſt.* 2.

Ex quo patet, quod recipiens corpus Chriſti ſine ſpecie vini, ſi dignè recipit, vivet in æternum, & poteſt vivere & habere vitam æternam. Quod eſt contra illos, qui dicunt: Quod qui non recipit ſacramentum ſpecie ſub utraque, dum poteſt haberi, non habet vitam æternam. Quod eſt manifeſtè falſum, ut prius dictum eſt de pueris ante duodecimum annum, de fatuis, de mutis, & aliis.

Patet igitur, quod, intelligendo textum æqualiter, videatur, quod non deberent laicales ſub utraq; ſpecie communicare, ſed ſub una, ſecundum evangelium: *Qui manducat me*, non, meam carnem, & manducat meum ſangvinem, *in me manet, & ego in eo*. Similiter, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*.

Eodem modo debet intelligi iſte textus: *Niſi carnem filii hominis manducaveritis & ſangvinem ejus biberitis, non habetis vitam æternam*. Et quia illi textus allegati intelliguntur de *manducatione ſpirituali*, ut *Ambroſius in gloſſa ordinaria exponit*: Similiter ille textus: *Niſi carnem &c.* debet intelligi de manducatione & bibitione ſpirituali, & non de ſacramentali.

Item etiam patet, quomodo laici ſub una ſpecie ſunt communicandi, quia ſcribitur *Apocal. Ad cœnam agni qui vocati ſunt*. Ubi per cœnam agni intelligitur una ſpecies, videlicet corpus Chriſti ſub ſpecie panis. Et non dicit: Ad cœnam ſangvinis aut vini beati qui vocati ſunt.

Item ſcribitur *Apocal. Dignus eſt agnus accipere librum & aperire ſignacula ejus*. Ubi tangitur per agnum una ſpecies, Chriſtus ſub ſpecie panis.

Et Paulus 1. *Corinth. Paſcha immolatus eſt Chriſtus*, & non dicit: Immolatum eſt vinum.

Item ſcribitur *Joh. VI.* quod *Dominus ſatiavit quinque millia hominum quinq; panibus & duobus piſcibus*. Et non dixit: Potavit quinque millia hominum. Quia ibi nullus potus dabatur per Chriſtum aut diſcipulos. Quod hoc ſignificabat, quod ſangvis ſub ſpecie vini non debet dari laicis &c. Sed per piſces & panes intelligitur corpus Chriſti ſub una ſpecie tantùm.

CAP. V.

Injecta reprehenſio Jacobi de Miſa, ob invectam communionem laicalem ſub utraque ſpecie.

Artifex ſapientum, hebetans intellectum, pro ſubverſione eccleſiæ Dei multipliciter inducit homines, qualiter contra obſervationem eccleſiæ Dei pugnaretur, & dat hominibus, ut contraria in eccleſiam inducant, & eccleſiam multipliciter offendant, falſum immiſcendo vero, ut facilius hominis intellectum ſeducant, & ordinata in eccleſia Dei non ſerventur.

Penſandum ergo eſt de his, qui prorumpunt in obſervationem eccleſiæ. Quemadmodum iſti faciunt, *qui laicales ſub utraque ſpecie communicant*. Contra obſervationem eccleſiæ præſumentes aut facientes, ſe ipſos ſeducunt, graviter peccantes, & populum ad peccata inducunt. Quod tamen nullus ſanctorum fecit de poteſtate ſola, demta æſtimatione *Donati*, qui poſt offenſam Dei reconciliavit, nec amplius continuavit. Nam modum communicationis ab eccleſia prohibitum exercent, ſcientes, quòd eccleſia majoris autoritatis exiſtat omni alia mundi autoritate. Mira res eſt, quod *una perſona* aut paucæ præſumunt longam præſcriptam laudabilem eccleſiæ meritò conſvetudinem ſine conſenſu ſuperioris violare & eandem impugnare. Meritò graviſſimè eſſent puniendi. *Jacobus de Miſa.*

Exiſtimant, ex eo, quod in aliquibus locis primitivæ eccleſiæ, ut apud Corinthios, ſic ſub utraque ſpecie fuiſſet obſer-

Digitized by Google

obſervatum, ideò eundem modum antiqvum Corinthiorum ab eccleſia depoſitum volunt viceverſa reducere ſine eccleſiæ conſenſu, quod penitus non valet. Nam eccleſia indubitanter non errat. Namque ſi modus antiqvus communicandi valeret, ipſa eccleſia utique obſervaret. Ideò tales ſe & alios ſeducunt.

Nec poteſt dici, quod Evangelium vel epiſtola Pauli cogeret eos ſic ſub utraque ſpecie communicare. Falſum eſt, quia nec evangelium nec epiſtola præcepit hoc facere ſub utraque ſpecie, ut poſtea patebit.

CAP. VI.

De teſtimoniis Patrum & Doctorum pro communione ſub una.

AUtoritatibus *Sanctorum* reſtat probare & autoritatibus aliorum approbatorum *Doctorum*, laicales non poſſe nec debere ſub utraque ſpecie communicare.

Et *primò* probatur autoritate ſancti *Pauli*, quæ ſcribitur 1. *Corinth. Quod enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* In fine epiſtolæ ſic dicit: *Itaque fratres mei cum convenietis ad manducandum, invicem exſpectate. Siquis autem eſurit, domi manducet. Et non in præjudicium convenietis eccleſiæ.* Sic Paulus dicit: *Cum convenietis ad manducandum*, quod unam ſpeciem ſignificat, videlicet panis. Et non dicit: Cum convenietis ad bibendum. Etiam non dicit: Cum convenietis ad manducandum & bibendum. Sed dicit ſolum, *ad manducandum.* Ex quo patet, quod intentio *S. Pauli* erat, ſub una ſpecie laicos communicare. Sed quod *Corinthii* communicaverunt ſub utraque ſpecie, hoc non erat præceptum S. Pauli. Sed Pſeudoprophetæ induxerunt Corinthios ad manducandum ſub utraque ſpecie, & non S. Paulus. Sed S. Paulus dicit eis informationem, quomodo ſe deberent tenere & regere; ſi ſub utraque ſpecie vellent communicare, & nollent iterum dimittere modum, tunc tamen ad minimum deberet eorum conſcientiam probare, & circa ſacramentum reverenter ſe habere.

Item patet autoritate *S. Thomæ* circa *IV. Sentent. & in Compendio Theologicæ veritatis, & in ſua Summa de ſacramentis.* Ubi expreſſè dicit: *Quod laicis datur ſanguis cum corpore in modum unionis, quia non eſt corpus ſine ſangvine. Et ſic laicis datur ſub una ſpecie, licet ſacerdos ſacrificans recipit ſub duabus ſpeciebus diviſim, panem in ſignum paſſionis Chriſti, ſcilicet in cruce, vinum in ſignum ſangvinis Chriſti in effuſione.* Et dicit *S. Thomas in ſua Summa de ſacramentis*, Quod laicis debet dari ſimplex vinum aut aqua non conſecratum pro ablutione, & debent laici moveri, ut recipiant, nec omittere debent. Non propter myſterium aliquod, ſed ut laventur ora ſumentium, ne remaneant aliquæ reliquiæ euchariſtiæ infra dentes, gingivas, & etiam propter maleficium exercendum, ut expertum fuit tempore Ambroſii, quomodo in trunco apum per unam mulierem fuit ſervata & abſconſa, cujus miraculi, quod ibi accidit, ſignum hodiè habetur in Mediolano, videlicet Monſtrantia cerea, quam apes corpori Chriſti fecerunt. Et dicit *S. Thomas*, quod ſacerdotibus ſufficit de octava ad octavam, laicis autem communibus, qui non occupant ſe cum magna devotione, ſufficit minimum ſemel in anno. Et dicit *S. Thomas in gloſſa* ſuper iſto verbo: *Niſi carnem filii hominis* &c. Qui corpori communicat ſoli, non facit contra hoc evangelium: *Niſi carnem.* Quia, qui communicat corpori Chriſti, communicat & ſangvini. Cum utraque ſpecie totus Chriſtus continetur. Et ultra dicit: Quod non derógat perfectioni hujus ſacramenti ſi populus ſub una ſpecie recipit, dummodò ſacerdos recipit ſub duabus ſpeciebus.

Item *S. Thomas* in *P. IV. ſuarum diſtinctionum* ſalvat hanc conſvetudinem laicorum ſub ſpecie una, *P. LXX. concl. artic.* 12. dicens: Quod non eſt contra ſententiam Domini, id eſt contra Evangelium: *Niſi carnem filii hominis manducaveritis.* Quia æquè benè ſub una ſpecie man-

manducatur caro Chriſti & ſub eadem ejus ſangvis Chriſti bibitur, licet non bibitur ſub expreſſo ſigno bibitionis, ut dicit Bonaventura.

Allegata concluſiones Concilii Conſt. nuper illo anno edita, Videantur ſupr. Parte XVII.

Item etiam *allegatur S. Thomas* per Concilium Constantiæ. Ubi allegatur in *P. III. ſuæ Summæ*, q. 80. ubi S. Thomas ſalvat hanc conſvetudinem ſub una ſpecie. Idem allegat Thomas in *P. IV. ſuarum diſtinctionum De uſu hujus ſacramenti*, ubi dicit, Quod uſus eccleſiarum eſt, quod populo datur tantùm corpus Domini, & non ſangvis ſub ſpecie vini.

Item per autoritatem *S. Thomæ* in quodam ſuo *ſermone de corpore Chriſti*, qui incipit: *Venite, comedite*, ubi dicit, *Quod ſolis ſacerdotibus congruit communicare ſub utraq; ſpecie, ex hoc, quia ſacerdotes ſunt magis congrua vaſa ad recipiendum ſanguinem de calice, quam laici.*

Item per autoritatem *S. Benedicti*, qui ſub una ſpecie communicavit laicos, de quo ſcripſit *S. Gregorius in libro dialogorum* ſub his verbis: *De S. Benedicto. Ad quem parentes pro filio mortuo ſupplicantes, Venite benedicti patris mei, feſtinanter currentes cum magno fletu petierunt, ut eis ſuam gratiam largiri dignaretur: Quibus domi manu ſua propria communionem corporis Dominici dedit.* Hoc ille.

Item probatur autoritate *Apageti Papæ*, quod etiam ſub una ſpecie communicavit. De quo *S. Gregorius* ſcribit in ſuo *libro dialogorum* ſub his verbis: De S. Agapeto, qui claudum à terra erexit. Et ſequitur: *Quamdiu ei in os Dominicum corpus mitteret, tamdiu muto ad loquendum lingua ſoluta eſt.* Hoc ille.

Ex quibus patet, quod antiquiſſima conſuetudo & obſervatio eccleſiæ, ſub una ſpecie laicales communicare diu fuit ante S. Auguſtinum, Gregorium, ante S. Hieronymum & ante S. Benedictum, & ſic de aliis. Qvi ſancti, ſi conſideraſſent, ſub una ſpecie non valere, utique non communicaſſent laicos ſub una ſpecie, quemadmodum iſti duo ſancti & alii fecerunt. Nam ſi fuiſſet præceptum ſub utraque ſpecie communicare, tum utique iſti ſancti fuiſſent damnati. Quia præceptum Chriſti non tenuiſſent. Quod eſt erroneum & hæreticum talia dicere.

Item patet autoritate *S. Euſebii*, qui ponit in ſuo *tractatu*, quem fecit *de morte S. Hieronymi*, in quo ſcribit, quod S. Hieronymus extra officium ſub una ſpecie fuit communicatus. Et ſcribit *S. Euſebius* ſub his verbis in ſuo tractatu: *Dum S. Hieronymus ad mortem appropinquaret, & hoc ſacramentum Domini multipliciter commendaret*, & ſic inter cetera *dixiſſet: O nobile convivium, in quo ſub panis & vini ſpecie totus Chriſtus Deus & homo ſumitur, & ita totus in panis ſpecie in qualibet ejus particula, & totus & perfectus & integer ſub ſpecie panis, & ſub qualibet quantumcunq; minima continetur particula.* Et ſubdit Euſebius: *His finitis ſermonibus, vir Domini glorioſus ſacrum Domini corpus ſuſcipiens ad terram ſupinus rediit. Deinde manus in modum crucis ſuper pectus tenens Simeonis Prophetæ viaticum decantavit.* Hæc Euſebius: Qui manifeſtè oſtendit, quod S. Hieronymus ſub una ſpecie communicabatur. Et ſic hodie presbyteri extra officium faciunt, ſub una ſpecie ſumunt, dum ſunt infirmi vel captivati. Et ſic tota eccleſia Dei tenet.

Item patet autoritate *B. Auguſtini* in *L. IV. de Trinitat.* & ſub his verbis: Corpus & ſanguinem Chriſti dicimus *illud, quod ex fructibus terræ acceptum eſt, & prece myſtica recte ſumimus ad ſalutem in memoriam Dominicæ paſſionis.* Hæc Auguſtinus. Ubi tangitur una ſpecies, cum dicitur: *Ex fructibus terræ*, quod eſt *frumentum*. Quod etiam ſimiliter dicit *Albertus*, ut ſtatim patebit. Etiam tangitur una ſpecies, cum dicitur *illud corpus cum ſanguine*, & non dicit *illa*, corpus & ſanguinem, diviſim.

Item patet autoritate *Alberti M.* in ſua *Summa de corpore Chriſti*, in *P. III.* ſuæ *Summæ*, qui dicit, Quod laicalibus debet dari ſolum una ſpecies ſacramentalis, videlicet corpus Chriſti ſub ſpecie panis. Et hoc dicit ſub his verbis: *Dicitur 1. Reg. 2. in* deſiderio populi *hunc cibum eſurientis, dimitte me, ad unam partem ſacramentalem, ut comedam buccellam panis, unicam tantum. Et ſingularis pars ſacramentalis eſt hoſtia corporis Chriſti, ad quam populus admittatur, ut buccella corporis*

poris Dominici ſatietur. Et tunc ſubdit figuram hujus ſpeciei in tribus ſatis. Sic dicit, quod hoc figuratum eſt Geneſ. XVIII. ubi dicitur: quod in oſtio tabernaculi ſui ſedit Abraham, cum vidit tres Angelos deſcendere, quibus tria ſata farinæ ſimilagineæ commixta fecit ſubcinericios panes & azymos. Hæc Albertus. Qvi expreſſe oſtendit, quod laicales debent recipere unam partem ſacramenti, corpus Chriſti, & non ſanguinem ſub ſpecie vini. Et etiam hoc exemplificat per figuram V. T. Abraham cum tribus ſatis.

Item patet autoritate *Gregorii* ſub his verbis; *Licet multis locis & in naturalibus idem corpus Domini conſecratur, non tamen propter hæc multa corpora Chriſti, nec multi calices ſunt, ſed unum corpus Chriſti ſunt, & unus ſanguis cum iſto, quod ſumſit in utero virginis.* Et ſubdit infra. *Quotidie enim ipſe comeditur & bibitur in veritate, & integer, & unus immaculatus manet.* Ubi patet, quod Gregorius exprimit unam ſpeciem. Cum dicit, *ipſe comeditur & bibitur*, ſub una ſpecie laici communicabantur. Ponit pro iſto *unum immaculatum.* Quod ſcribit *Gregorius* in libro ſuo *Dialogorum* de quadam muliere mendicula, quæ ſanguinem Chriſti non credidit ſub ſpecie panis, usque dum miraculoſe vidit ſacramentum panis converti in digitum ſanguinolentum, & primo tunc credidit. Ecce miraculoſa exemplificatio communionis ſub una ſpecie.

Item patet autoritate *S. Ambroſii in L. IV. de ſacramentis, de conſecrat. diſt. 2.* ubi ſic dicit: *Didiciſti, quod corpus Chriſti eſt, etiamſi vinum & aqua dimittatur.* Hæc Ambroſius. Ubi S. Ambroſius præcipit vinum conſecratum & aquam benedictam non dare laicis in communicatione. Et ſimplex vinum & ſimplex aqua poteſt dari, ut dicit S. Thomas.

Item patet autoritate *S. Alexandri de Halis ſuper L. IV. ſentent.* & in *quæſtionibus ſuper ſentent.* dicit: *Laicalibus non miniſtratur ſangvis ſub ſpecie vini, ne fieret periculum infidelitatis, quia laici non crederent, quod Chriſtus converteretur totaliter ſub una ſpecie. Sed illi crederent ſangvinem in calice, & non ſub ſpecie panis.*

Item patet autoritate *Petri de Tarenthaſio ſuper L. IV. Sentent. & quæſtionibus ſuis.* Qui dicit, quod licet in Græca & & Orientali eccleſia fuiſſet ſacramentum ſub utraque ſpecie, tamen iſte modus non valuit, propter cauſas quæ poſtea dicentur.

Idem *Bonaventura* ſuper *L. IV. ſentent. diſt.* XII. dicit: Sangvis non datur populo ſub ſpecie vini, quia ſangvinem bibunt laicales ſub ſpecie panis, licet non ita ſub proprio ſigno. Hæc Bonaventura. Et certè idem dicit in uno *ſermone de corpore Chriſti.* Idem *Petrus de Peruſio in quæſtionibus ſuis de corpore Chriſti ſuper Lucam XXII.* ſuper iſto verbo: *Cùm effunditur*, dicit ſic: *Omnibus traditur ſub altera ſpecie tantùm, in qua poteſt tradi cum reverentia & cautela majori, majoribus ſub utraque.* Hæc Petrus.

Item *Richardus de media Villa L. IV. diſt. XI. q. 6.* allegat cauſas quare laicalibus non datur ſangvis ſub ſpecie vini. Quæ cauſæ ſtatim in ſequenti c. dicentur.

Similiter *Nicolaus de Lira, Thomas Argentina, Dionyſius De Eccleſiaſtica Hierarchia*, etiam allegant, quare laicalibus non datur altera ſpecies. De quibus poſtea patebit.

Ex quibus autoritatibus copioſè patet, quod laicales non debent communicare ſub utraque ſpecie, ſed tantùm ſub una ſpecie debeant communicari.

CAP. VII.

De rationibus, quibus uſi Doctores, probando Communionem ſub una.

Cauſa, quare laicales non communicentur ſub utraque ſpecie, ſed ſub una ſpecie tantùm, ſicut Eccleſia tenet, & ſancti tenuerunt.

Et licet *una cauſa S. Thomæ*, quam ponit *in ſuo compendio theologicæ veritatis*, ſufficeret pro omnibus cauſis, videlicet iſta; Quia oportet, quod veritas & lux correſpondeant umbræ, id eſt, nova lex veteri, ut dictum eſt: Sed quia

Doctores poſuerunt *plures:* Igitur dicendum eſt *de cauſis Doctorum.*

Primò ponit S. Thomas *tres* in ſuo compendio theologicæ veritatis.

Prima eſt, quia in veteri lege non dabatur ſangvis populo, nec vinum in ſacrificio. Sic ſimiliter hodiè laicalibus non miniſtratur ſangvis ſub ſpecie vini, ex eo, quia oportet, quod veritas correſpondeat umbræ.

Secunda cauſa S.Thomæ, quam ponit in *Summa de Sacramentis.* Ideò non datur ſangvis ſub ſpecie vini, ut eò facilius laici crederent quod ſub una ſpecie eſt totus Chriſtus ſicut ſub duabus.

Tertia cauſa eſt, ne per infuſionem, corpori Chriſti & ejus ſangvini irreverentia exhiberetur, ut dicit S. Thomas in *Summa De Sacramentis*, quod laicis debet miniſtrari vinum non conſecratum & debent hortari ad recipiendum.

Item *Bonaventura ſuper IV. Sentent.* ponit iſtas *cauſas*, quare non datur ſangvis ſub ſpecie vini laicis. Dicit: Quia ſangvinem bibunt ſub ſpecie panis, licet non ſub proprio ſigno bibitionis. *Secundam cauſam* ponit, ne fieret periculum erroris. Quia ſi vulgo daretur ſangvis ſub ſpecie vini, crederent laici, quod ſub ſpecie panis non eſſet corpus Chriſti cum ſangvine. Quia primo crederent ſangvinem in calice eſſe & non ſub ſpecie panis. Et pro iſto ponit unum miraculum de quodam laico, qui non credidit ſangvinem ſub ſpecie panis, usq; quo in præſentia dicti increduli viſus eſt ſangvis de hoſtia fluere, & tunc credidit ſangvinem in ſacramento panis.

Alii autem Doctores prius nominati ponunt *alias cauſas*, videlicet effuſionem ſangvinis ſuper pepla mulierum, ſuper tunicas, ſuper terram, barbæ lotionem, incautam ſervationem: Quia non poteſt ibi ita cautè ſervari ſicut ſacramentum panis, quia vinum citò effunditur, nec per campum poſſet ad infirmos cautè portari, & multæ irreverentiæ fierent ſangvini Domini. Ideò eccleſia ſervat ſub una ſpecie laicam communicationem, quia ſub una ſpecie laici credunt tantum habere, quia totum Chriſtum cum ſangvine, ſicut ſub duabus ſpeciebus.

Ideò propter cautelas jam dictas laicalibus non datur altera pars ſacramenti, ſcilicet vinum, ſed Chriſtus offertur omni die in altari ſub duplici ſpecie pro peccatis omnium fidelium, ut dicit *Auguſtinus, de conſecrat. 2. capit. Sub figura.*

CAP. VIII.

De ſanctionibus Canonicis pro Communione ſub una.

Sanctiones *ſanctorum canonum* non modicæ autoritatis ſunt in eccleſia Dei, in totius ſacræ ſcripturæ & fidei regimine & obſervatione. Sunt enim ſtatuta eccleſiæ, conſtitutiones & regulæ, quibus ſacra ſcriptura & tota Chriſti fides aut cautela protegitur. Nã per canones tegitur, nequis in ſacrã prorumpat ſcripturam. Aut ne fides & articuli fidei offendantur. Per canones violatores fidei puniuntur & ſacræ ſcripturæ. Per canones eccleſia Dei & fides regitur & ordinatur.

Quibus *Canonibus* reſtat probare, laicales non poſſe nec debere ſub utraque ſpecie communicare, ſed ſub una ſpecie. Quia talem communicationem unius ſpeciei vocant Canoniſtæ *laicam communicationem.* De qua ſcribitur in *decretalibus De electione & electi poteſtate*, *c. Oſius epiſcopus*, Ubi in medio c. ſic dicitur: *Omninò fraudes has damnandas arbitror, ita ut nec laicam communionem acciperet, niſi de hoc plenè pœnituerit*, de ſatisfactione &c.

Hoſtienſis vocat *laicam communionem*, corpus Chriſti tantùm, ſine ſpecie vini. *Johannes Andrea* vocat *viaticum*, idem valet ſicut corpus Chriſti. *Halis* vocat *panem benedictum*, & tantum valet ſicut corpus Chriſti.

Ecce, quomodo ex nominibus oſtenditur, quod laica communio unius ſpeciei.

In *decreto de conſecr. diſt. 2. c. Presbyter*, dicitur, *Quod presbyter ſemper debet habere euchariſtiam paratam pro infirmis communicandis.* In quo Cap. nullam facit men-

Digitized by Google

mentionem de vino. Nam non dicit, quod debet habere vinum paratum. Et dicit in gloſſa: *Vinum non præcipitur ſervari, quia opus eſſet nimia cautela.*

Item in *Decreto, De conſecr. tribus gradibus*, dicitur per Clementem Papam, quod *tot holocauſta in altari offerantur, id eſt, tot hoſtiæ conſecrentur, quot populo ſufficere debent pro communione.* Et non dicit, quod tantum vinum debet conſecrari, quantum ſufficeret populo. In ſignum hujus, quod ſanguis non debet dari ſub ſpecie vini laicalibus.

Item patet in *Decreto*, in *canone Gelaſii, De conſecr.*, qui incipit: *Comperimus*, in *gloſſa* qua dicitur, *Quod ſacerdotes extra officium miſſæ ſub una ſpecie tantum recipere debent.* Quare laici tunc ſub una ſpecie communicarentur.

Item patet per *Pium Papam, De conſecrat. c. Si per negligentiam.* Ubi dicitur: *Si ſacerdos per negligentiam ſtillaverit guttam ſanguinis ſuper terram, aut ſuper pallam, pœnitere debet per quadraginta dies per jejunium & orationes, & à celebratione miſſarum debet ſuſpendi, & gutta ſtillata debet lavari ex palla, aut excidatur, & illa portio pallæ comburatur. Etſi ſtillaverit ſuper lapidem, radatur, & reſciſum ad ſacrarium reponatur pro reliquiis, & ſi iſta pars ſuper terram ſtillaverit, exuratur, & & illa pars terræ ad ſacrarium ponatur*, ut dicit canon Pii Papæ. Ecce quam bonus labor & quanta magna pœnitentia propter ſtillationem ſanguinis. Quem laborem & pœnitentiam nullus obſervaret. Ideo providit eccleſia pro laicis, ex quo ſatisfacere pro peccatis per negligentiam non poſſet, & ordinavit procurari, & communicare laicos ſub una ſpecie.

Patet igitur per canones ſacros, quod laicales non debent communicare ſub duabus ſpeciebus, ſed ſub una ſpecie &c.

TRACTATUS SPECIALIS III.

Quo examinata argumenta JACOBI de MISA, pro Communione ſub utraque allata.

IN *tertia parte principali*, quæ eſt *de motivis oppoſitæ partis*, quæ pars continet *quinq; capitula*, & eſt ultima pars totius hujus collectionis.

In *primo c.* ponuntur quædam modica & pauca notabilia.

In ſecundo c. ponitur intellectus evangelii *Joh. VI.* quoad illam particulam: *Niſi carnem filii hominis* &c.

In tertio c. ponitur intellectus epiſtolæ Pauli.

In quarto c. ponuntur rationes oppoſitæ partis, quibus oppoſita pars vult probare, quod laicales debent ſub utraque communicare.

In *quinto c.* ſolventur autoritates, quibus oppoſita pars videtur probare, quod laicales ſub utraque ſpecie debent communicare.

CAP. I.

Quod ſacramentum panis & vini ſit unum idemque. Et cur nihilominus Sacerdotes ſub duplici ſpecie accipiant?

PRo materia *primi capituli* notandum eſt, quod in his duobus ſacramentis, videlicet in pane & vino, nulla eſt realis differentia intrinſeca ſubſtantialis, ſed ſola eſt differentia accidentalis, & ſermonis. Et ratio eſt, quia ſub duobus ſacramentis ſub pane & vino unicum eſt ſignaculum ſubſtantiale, videlicet corpus Chriſti, licet ſigna ſint duo, ſeu ſignificationes ſint duæ. Eſt enim unum ſignum panis ſeu accidentia panis, & una ſignificatio ipſius panis. Quia ſpecies panis, quæ eſt ſignum Chriſti, præſentat Chriſtum in cruce paſſum & immolatum, ſed ſpecies vini ſignificat effuſionem ſanguinis Chriſti de corpore Chriſti in cruce. Sed tamen ſub ambabus ſpe-

ſpeciebus unicum eſt ſignificatum ſubſtantiale, ſcilicet corpus Chriſti, cum ſanguine, unito eidem corpori Chriſti. Et ſecundum hanc duplicem ſignificationem omni die Chriſtus offertur in altari ſub duplici ſpecie, qualiter Chriſtus inſtituit offerendum pro remiſſione omnium peccatorum.

De quibus ſignificationibus laici non multum quærunt nec interrogant. Sufficit igitur laicis illa res, videlicet corpus Chriſti, quæ continetur ſub ſpecie panis, ſed ſacerdoti non ſufficit una ſpecies dum celebratur, ſed ſub duabus ſpeciebus, ut Chriſtus inſtituit.

Sed *dicis:* Quare presbyter tunc recipit duas ſpecies communicando in altari, ex quo ſufficit una ſpecies? Etiam laici quare non debent ita bene recipere ſub duabus ſpeciebus ſicut ſacerdotes? *Reſpondetur*, quod Chriſtum offerunt ſacerdotes in altari, ex quo ſufficit una ſpecies in altari, pro peccatis omnium fidelium & defunctorum. Et ideo omittit ſacerdos *in magna ſexta feria* calicem conſecrari, ob memoriam, quia ſexta feria magna fuit ſangvis ſeparatus à corpore & effuſus extra. Laicales autem non offerunt pro peccatis omnium fidelium ſed ſumunt ſolum ſacramentum pro peccatis unius perſonæ, quæ recipit ſacrarium. Ideo ſufficit laicis taliter recipere, qualiter eccleſia tenet & diſponit, videlicet ſub una ſpecie tantum.

Sed *dicis:* Quia neceſſe, ſicut ſacerdos, memorare paſſionem Chriſti & fuſionem ſangvinis ſub duplici ſpecie. *Reſpondetur*, qvod laicus ſub una ſpecie poteſt memorare paſſionem Chriſti & effuſioné. Sed tunc presbyter, propter Chriſti inſtitutionem & eccleſiæ, ſub duplici ſpecie debet memorare. Qvia Chriſtus ſic inſtituit, ne laici ſub duplici ſpecie communicare deberent. Ergo non eſt ſimile de laico & de ſacerdote.

Et ideo, in ſignum hujus, quod non eſt ſimile de laico, qvia laici ſub una ſpecie debent communicari: Ponit B. Bernhardus effectus & utilitates unius, cum ſic dicit: *Corpus Chriſti eſt agrotis medicina, peregrinantibus dux, debiles confortat, languores ſanat, ſanitatem conſervat, fit homo maſuetior, patientior, ardentior, ad gratiarum actiones devotior.* Hæc ille.

Sed notandum, quod ſacerdos quandoque omittit ſpeciem vini officiando, ut *magna ſexta feria*, & tamen propter hoc non dicitur *ſacrilegus.* Quia eccleſia ſic inſtituit faciendum, uti patet etiam in *Decreto concilii Cabilonenſis, de conſecrat. diſt.* 1. *c. Viſum*, in gloſſa, Excipitur feria ſexta, in qua omittit conſecrationem vini.

CAP. II.

De ſenſu dicti Joh. 6. Niſi manducaveritis &c.

Niſi carnem filii hominis manducaveritis, & ejus ſanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis. Notandum circa hanc partem evangelii, quod ſcribitur *Johann. VI.* Multi erraverunt. Et hodie multi errant, credentes hanc literam Johannis hodie debere & habere intelligi *de manducatione & bibitione ſacramentalibus*, ſub ſpecie panis & vini, tanquam præceptum Chriſti, & quod de neceſſitate ſit hoc ſacramentum ſub utraque ſpecie pro laicalibus communicandum, propter hoc, quod illud mandatum de communicatione, *Niſi*, ſit ex ſua natura præceptum. Ita quod carnem filii hominis intelligunt carnem Chriſti ſub ſpecie panis, & ſangvinem ejus intellexerunt ſub ſpecie vini. Et tunc fuit ſenſus intellectualis: Niſi carnem filii hominis manducaveritis, i. e. niſi carnem Chriſti ſumſeritis ſub ſpecie panis, & ſangvinem ejus biberitis ſub ſpecie vini, non habebitis vitam in vobis.

Et propter hoc ne pueri damnarentur, ſtatim poſt baptiſmum communicaverunt eos.

Et de hac opinione fuerunt Pelagiani hæretici, quos reprehendit S. Auguſtinus & S. Ambroſius &c. ut dictum eſt de parvulis.

Et ſic erraverunt & *hodie multi errant*, qui ſic evangelium tenent & exponunt. Nota, ut ſic tenendo evangelium, omnes pueri, qui non communicaverunt uſque ad duodecimum annum, damnarentur,

rentur, qui tamen commodoſè petunt, aut poſſunt habere finem circa obſervationem & ordinationem eccleſiæ.

Similiter quo devenient illi, *qui non poſſunt vinum bibere*, ſicut *Rex Cracoviæ* & alii. Deberent igitur damnari, non recipiendo ſangvinem ſub ſpecie vini. Et tamen valdè commodoſè poſſunt habere. Et alii, *fatui*, *muti*, qui non communicantur. Et multi in *eremo mortui* ſunt, & ſine communione ſacramentali.

Oportet igitur iſtam literam intelligi, ſicut ſancti expoſuerunt, & ſolus Chriſtus expoſuit in evangelio: *Spiritus & vita ſunt*. Chriſtus ſic expoſuit, id eſt *ſpiritualis intellectus verborum Chriſti eſt*.

Alii autem ſancti & Doctores dicunt, quod hæc litera: *Niſi carnem filii hominis*, debet intelligi principaliter, & ſolùm de manducatione carnis filii hominis & bibitione ſangvinis ſpirituali. Item quod omnes expoſuerunt hanc literam de manducatione & bibitione ſpirituali, prout eſt præceptum Chriſti, ſine quo nullus poteſt ſalvari.

Sed ſi aliquis applicat ad hunc textum Johannis: *Niſi carnem filii hominis*, Manducationem & bibitionem ſacramentalem: Hoc eſt nimis extraneum huic literæ. Nec ſic eſt præceptum, ſed ſolum conſilium eccleſiæ.

Pro quo igitur notandum pro majori intellectu, quòd *manducatio & bibitio Chriſti eſt duplex, ſpiritualis & ſacramentalis*.

Litera illa propriè debet intelligi de manducatione & bibitione ſpirituali, ut dicit Chriſtus in evangelio: *Spiritus & vita ſunt*, id eſt ſpiritualis intellectus eſt hujus literæ, *Niſi carnem filii hominis*. Hieronymus ad Epheſios dicit in epiſtola, quod debet intelligi de manducatione & bibitione ſpirituali. Ut cùm dicit ſic: Illa caro Chriſti & ſangvis ſpiritualis atq; de manducatione eſt, de qua agit: *Caro mea verè eſt cibus & ſangvis meus verè eſt potus. Et, Si carnem filii hominis manducaveritis*. Et de qua carne & ſangvine dicit *Ambroſius in libro pœnitentiæ: Quid paras dentes & ventrem? crede & manducaſti*.

Sed dicis: Quid eſt hoc, Chriſtum manducare, & ejus carnem atque ſangvinem bibere ſpiritualiter? Id eſt, Quid eſt carnē manducare filii hominis ſpiritualiter? Reſpondetur, ſecundum Auguſtinum, *de Conſecr. diſt. 2. c. credere in Jeſum*. Hoc eſt manducare carnem filii hominis & ſic ſangvinem bibere. Et ſic talis manducatio & bibitio eſt præceptū Chriſti, & eſt de neceſſitate. *Niſi carnem filii hominis manducaveritis & ejus ſangvinem biberitis*, id eſt, niſi fidem Chriſti habueritis, & in Jeſum Chriſtum credideritis, nō habebitis vitam in vobis, id eſt, vitam æternam. Nam *ſine fide nullus poteſt intrare in regnum cœlorum*. Et hoc Chriſtus voluit, cum dixit turbis Judæorum: *Niſi carnem filii hominis*.

Alia eſt *manducatio & bibitio ſacramentalis*, quæ fit ſub ſpecie panis & vini. Et de illa loquitur Chriſtus in evangelio Matthæi: *Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum*. Et gratias agens dixit benedicens: *Bibite ex hoc omnes*.

Et talis ſacramentalis manducatio fit *dupliciter*.

Uno modo in oblatione ſacrificii. Et ſic Chriſtus inſtituit offerendum in altari pro peccatis omnium fidelium & defunctorum, de quo *Luc. XXII. Hoc facite in meam commemorationem*. Unde *Wilhelmus* in ſuo *Sacramentali* exponit: *Facite, id eſt, conficite*. Quod ad ſolos ſacerdotes pertinet.

Et de eadem manducatione dicit *Auguſtinus, De conſecr. diſt. 2. c. 72. Utrum ſub figura*, dicit: *Iteratur autem hæc oblatio quotidiè, licet Chriſtus ſemel paſſus ſit. Nos enim quotidiè peccamus & labimur, ideò Chriſtus pro nobis quotidiè immolatur intra Catholicam eccleſiam in peccatorum noſtrorum remisſionem*.

Et talis manducatio & bibitio debet fieri ſub duplici ſpecie in altari offerendo. Ita etiam ſub duplici ſpecie per officiantem recipitur & ſumitur, & vocatur manducatio & bibitio ſacramentalis. Et hanc Chriſtus in ſua cœna inſtituit pro oblatione fidei in altari usq; in noviſſimum. Et hanc laicam communionem non inſtituit ſub duplici ſpecie fiendam.

Alia autem eſt *manducatio & bibitio ſacramentalis laicalis. Et vocatur laica communio* in canonibus.

Et talis fit nunc ſenſus: Quod Chriſtus in cœna inſtituit, quod illa inſtitutio Chriſti in cœna Domini facta eſt per

Digitized by Google

per oblationem ſui corporis in altari pro remiſſione peccatorum fidelium omnium. Sed communio laicalis datur, & debet fieri, ſecundum diſpoſitionem & modum eccleſiæ, & ſic, qualiter eadem eccleſia diſpoſuit, tenet & obſervat, ita eſt tenenda & obſervanda. Sed quia eccleſia tenet ſub una ſpecie quoad laicos, ita debet obſervari per totam Chriſtianitatem. Nam nullus apoſtolorum, nullus ſanctus communicavit ſub utraque ſpecie, demta ſolâ ſimplici devotione & opinione *Donati*, qui æſtimabat quod benè feciſſet, & hoc ſtatim per amplius ceſſavit facere.

Et ſi dicitur: In primitiva eccleſia ſic communicabantur, Reſpondetur: Licet in aliquibus partibus, ſicut apud Corinthios, hoc fuiſſet factum, quod ſub utraque ſpecie communicaſſent, & poſito, quod tota primitiva eccleſia feciſſet; Tamen iſte modus non valuit, ut dicit *Petrus de Tarenthaſio*. Nec primitiva eccleſia ſcivit comparare legem novam cum veteri, ſicut poſtea fecerunt. Et ſic comparando novam legem cum veteri, eccleſia modum primitivæ eccleſiæ reduxit ad meliorem modum ſub una ſpecie. Quia ſic præfiguratum in veteri lege, ubi populus Iſrael immolabat hoedum ad veſperam paſchæ. Qui agnus paſchalis erat Chriſtus, ſub una ſpecie pro laicis porrigendus, ſicut dicit magnus *Albertus in ſua Summa de corpore Chriſti: Dimitte me ad unam partem ſacerdotalem*. Ubi oſtendit, quod laicis niſi una pars ſacerdotalis debet dari, videlicet Chriſtus ſub una ſpecie panis.

Notandum, quod nullus ſanctus, nullus Doctorum expoſuit hunc textum: *Niſi carnem filii hominis manducaveritis & ejus ſanguinem biberitis*, de manducatione & bibitione ſacramentalibus ſub ſpecie panis & vini; Sed omnes expoſuerunt illum textum de manducatione & bibitione ſpirituali tantum. Etſi aliquando circa hunc textum ſit mentio de ſacramentali manducatione & bibitione, hoc eſt nimis extraneum & impertinens ad illum. Et quod illa communicatio non ſignificet præceptionem & neceſſitatem de ſacra manducatione & bibitione, ait *gloſſa interlinearis* ſuper eodem evangelio Johannis.

Et tamen *gloſſa* & *Gorra* dicunt, quod ſi talis manducatio & bibitio ſacramentalis eſſent præceptum Chriſti, ſicut verba & litera ſonant, quaſi eſſent præceptum: *Niſi carnem filii hominis manducaveritis:* Quod talis laicalis manducatio conſiſtit & ſtat ſub diſpoſitione eccleſiæ. Qualiter Eccleſia tenet, taliter eſt tenendum. Nam ſic & alii Doctores exponunt hunc textum de manducatione ſpirituali tantum.

Nam *Johannes Chryſoſtomus* exponit & limitat hanc literam: *Niſi carnem filii hominis manducaveritis*, ad ſpiritualem ſenſum, cum dicit in *homilia ſua XLVII. ſuper. VI. Johannis* ſuper iſto verbo: *Niſi carnem filii hominis*, Dicit: *Spiritus & vita ſunt, caro non prodeſt quicquam, & in iſto dicit: oportet qua de me ſunt, id eſt de Chriſto, ſpiritualiter audire. Qui enim carnaliter audit, nihil proficit, neque lucro potitus eſt. Carnale erat dubitare, qualiter de cœlo deſcendit, & hoc æſtimare, quod caro ſua corporea viſibilis debet comedi, & ejus ſanguis viſibilis bibi. Cum dixerunt Judæi: quomodo poteſt nobis dare carnem ſuam ad manducandum, nauſeat nobis ſuper iſto cibo. Hæc omnia carnalia myſticè & ſpiritualiter debent intelligi. Et infrà dicitur in evangelio: Verba, quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt, id eſt ſpiritualis intellectus eſt. Nam ſpiritualia ſunt, nihil habentia carnalis, neq; ſequentiam naturalem, ſed eruta ſunt ab omni tali neceſſitate.* Hæc Chryſoſtomus.

Similiter *gloſſa ordinaria:* Dicit S. Ambroſius: Spiritus & vita ſunt, id eſt ſpiritualem vitam conferunt, vel ſpiritualiter intelligenti vita offertur.

Similiter hoc idem dicit Auguſtinus, & omnes Doctores exponunt hanc literam Johannis ſpiritualiter.

Sed diceres: Utrum tamen etiam poteſt applicari ad hanc literam manducatio & bibitio ſacramentalis? *Reſpondetur:* Poteſt, ſed improprie. Prout non eſt præceptum, ſicut illa comminatio *Niſi* importat præceptum de manducatione ſpirituali. Et hanc literam: *Niſi carnem filii hominis*, exponit aliquis, veniens de utraque ſpecie pro laicis comedi. Nam communicando laicos ſub una ſpecie, non facit contra ſententiam divinam, con-

tra literam & evangelium. Quia ſub una recipiendo tunc adhuc verum eſt dicere: Quod manducatur caro Chriſti,& ejus ſanguis bibitur ſub eadem ſpecie, licet non ita ſub proprio ſigno. Et ſic *Bonaventura ſuper IV. ſentent.* Qvia qui recipit corpus Chriſti ſub ſpecie panis, etiam recipit ſanguinem: Quia ſanguis non poteſt eſſe ſine corpore.

Et quando dicitur: Litera Johannis ſimpliciter eſt vera ſub utraque ſpecie: *Niſi carnem filii hominis manducaveritis.* Et per carnem filii hominis intelligitur ſpecies panis, & per ſanguinem intelligitur ſpecies vini. Reſpondetur: Quod falſum eſt. Sicut expoſuerunt hæretici iſtam literam. Nam litera, ſicut verba ſonant, quandoque occidit, ut dicit Paulus: *Litera occidit, ſpiritus autem vivificat.*

Patet igitur, qvomodo evangelium Johannis eſt intelligendum de manducatione & bibitione ſpirituali. Talis eſt neceſſaria & præceptum Chriſti. Et ſine tali non poteſt haberi vita in vobis, id eſt vitam æternam ſine fide & charitate non poteſtis habere.

CAP. III.

De ſenſu loci 1. Cor. XI. Quod accepi à Domino &c.

Circa epiſtolam S. Pauli: *Quod enim accepi à Domino, tradidi vobis 1. Cor. XI.* Per quam epiſtolam volunt probare, quod laici ſub utraque ſpecie debent communicare. Nam ſicut per evangelium, ſic etiam credunt, quod per epiſtolam poſſunt probare. Sed quia non per evangelium, nec per epiſtolam poſſunt probare.

Ipſi per epiſtolam ſic probant. *Primo* per hunc textum: *Quod enim accepi à Domino, tradidi vobis*, ut dicit Paulus. Et probant ſic: Quia Paulus accepit ſub duplici ſpecie, & ſic tradidit Corinthiis. Sicut ergo fecerunt,omnes Chriſti fideles ſic deberent facere,ſub utraq; ſpecie.

Secundo probant per illum textum: *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat & de calice bibat.* Dicunt hi, quod S. Paulus exprimit duas ſpecies, panem & calicem.

Et probant per illum textum, *Quotieſcunq; manducabitis panem hunc & calicem biberis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Dicunt, quod illâ literâ iterum expreſſit Paulus duas ſpecies in laica communione, cum dixit: *Panem & calicem.*

Quarto probant per illum textum in fine Epiſtolæ: *Cætera, cum venero, diſponam.* Dicunt iſti, quod *in gloſſa ordinaria* diceretur: Hoc tenete, utramque ſpeciem per communicationem ſervate, & cum venero ad vos, diſponam alia, præterdictam communionem neceſſaria ad ædificationem eccleſiæ.

Et hæc quanta ſpecies epiſtolæ Pauli,cum quibus ipſi volunt probare, quod ſanctus Paulus præcepiſſet Corinthiis ſub utraque ſpecie communicare.

Sed breviter: Non dicunt veritatem, nec intelligunt Epiſtolam. Niſi quoad aliqualem ſonantiam verborum capiunt epiſtolam, & decipiunt ſe & alios.

Pro intellectu igitur epiſtolæ Pauli, notandum eſt, ut habetur in gloſſa ordinaria ſuper epiſtolam Pauli, quod Sanctus Paulus præceperat Corinthiis, ut mulieres viſitarent eccleſias velato capite, id eſt cooperto cum peplis. Hoc S. Paulus eis præcepit, poſtea vero ipſi Corinthii ſeducti fuerunt, per pſeudo prophetas: Dixerunt: Qvod Chriſtus non præcepit mulieres tranſire velato capite, nec Moſes nec Samuel, ut dicitur in gloſſa ordinaria. Sic pſeudo dixerunt, quod Chriſtus præcepit ſub utraque ſpecie communicare. Et induxerunt Corinthios iſti pſeudo prophetæ,quod non ſervarent mandatum S. Pauli, & non tranſirent ad eccleſiam velato capite, & potius ſub utraque ſpecie communicarent. Poſt hoc autem refert S. Paulus, quod ſic eſſent inducti ad utramque ſpeciem. Et conſiderans, quod nollent ipſi Corinthii recedere à communicatione utriusque ſpeciei, & conſiderans, quod inordinate cum peccato habuerant, ſe tunc per talem communicationem utriusque ſpeciei inebriando, ſe replendo, & ſic de aliis, dedit eis S. Paulus & ſcri-

ſcripſit Corinthiis tres laudabiles doctrinas, quomodo deberent ſe regere reverenter, honeſte, circa communionem. Non quod præcepiſſet eis ſub utraque communicare ſpecie. Sic eos etiam reliquit, nec prohibendo, nec etiam præcipiendo, ſub utraque ſpecie communicare, ſed ſolum doctrinas tres dando. *Primam doctrinam* dedit eis per exemplum Chriſti, quomodo Chriſtus reverenter ſe habuit in cœna ſua, quando diſcipulos communicavit, non inebrando, non replendo ſe. Ita etiam conſulit, ut Corinthii ſic ſe habeant ad communionem. Et hoc exprimitur in c. quando dicitur: *Quod enim accepi à Domino* &c. id eſt, qualiter Dominus ſe reverenter habuit circa communionem utriusq; ſpeciei. Non quod præciperet eis ſub utraq; ſpecie communicare, ſed ſic eos diviſit ſicut invenit. *Secundam doctrinam* dedit eis, quandocunque communicarent ſub utraque ſpecie, quod tunc haberent memoriam paſſionis Chriſti. Et hoc tangitur cum hic dicitur in epiſtola: *Quotiescunq; manducatis panem hunc & calicem Domini bibetitis, mortem Domini annunciabitis*, id eſt memorabitis. Et ſic S. Paulus præcepit memoriam habere paſſionis circa communionem, ſed non præcepit ſub utraque ſpecie communicare. *Tertiam doctrinam* dedit eis, probationem conſcientiæ, quod qui vellet communicare ſub utraque ſpecie, quod prius purgetur ſua conſcientia, & tunc de iſto pane edat & de calice bibat, ſicut eos pſeudo prophetæ informaverant. Sed per hoc non inſtituit eos S. Paulus ſic ſub utraq; ſpecie communicare, ſed prius fuerunt inducti. Quia viſis omnibus expoſitionibus hujus epiſtolæ, & viſa gloſſa ordinaria Ambroſii, nullus exponit qui dicit, quod S. Paulus inſtituiſſet eis ſub utraque ſpecie communicare, aut præcepiſſet.

Et hoc patet ex duobus, quod in eadem epiſtola S. Paulus manifeſtè præcepit mulieribus velato capite transire, & præcepit cum verbo: *Præcipio vobis*. Modo ſi laicalis communio fuiſſet præceptum Chriſti, tunc utique S. Paulus præcepiſſet ipſis Corinthiis *tenere*, etiam cum illo verbo, *præcipio* vel ſynonymo. Quod tantum fecit in ſignum, quod non eſt *præceptum* Chriſti, ſed eſt unum utile & proficuum eccleſiæ *conſilium*, ut laici communicent.

Secundo patet ex hoc, quia ſi fuiſſet præceptum Chriſti laicos ſub utraque ſpecie communicare, tunc aliis ſcripſiſſet ſanctus Paulus. Ita diligenter hoc præceptum dediſſet Romanis, qui erant caput mundi, Hebræis, qui erant caput, populus Dei electus. Et tamen nullis aliis ſcripſit Paulus, niſi Corinthiis, qui per pſeudoprophetas fuerant ad utramque ſpeciem inducti.

Etiam, ſi Chriſtus eis inſtituiſſet pro laicis utraque ſpecie communicare, tunc utique apoſtoli conſcripſiſſent de iſto præcepto obſervando, quod tamen nullus apoſtolorum in ſignum ſcripſit, quod non eſt præceptum, nec Chriſtus inſtituit laicos communicare ſub utraque ſpecie, nec aliquis apoſtolorum inſtituit ſub utraque ſpecie communicare, nec communicavit laicos ſub utraque, nec aliquis Papa, qui poſt S. Petrum ſucceſſiſſet.

Et ſi allegatur *Donatus* & *Cyprianus*, dicitur, quod nullus eorum fuit Papa, ſed particulares epiſcopi, nec ſub utraque communicaverunt, niſi Donatus ſub utraq; communicaſſet ad breve tempus & ſtatim ceſſavit. Modò poſito, quod Donatus ſub utraq; communicaſſet ex iſto nó ſequitur, quod ideo tota eccleſia debuiſſet aut deberet ſub utraque ſpecie communicare. Quia de particulari perſona non poteſt argui univerſalis. Quia non ſequitur: Iſte ſanctus hoc fecit: Ergo tota eccleſia debet facere quod Donatus fecit. Non ſequitur: Quia ex particulari non infertur univerſalis.

Sed dicis: Illa particula epiſtolæ concernet omnes Chriſtianos: *Probet ſe ipſum homo* ſemper, quilibet in conſcientia ſua. Reſpondetur, quod eccleſia quam particulam acceptavit illam & hodie tenet, & qui vult communicare, debet ſe prius in conſcientia purgare. Sed illam particulam eccleſia non tenet. Quia igitur quilibet laicus, qui communicat ſe, debet de illo pane comedere & de illo calice bibere, debet igitur communicare ſub ſpecie panis, & non ſub ſpecie vini. Et

Et quando dicitur: Tunc epiſtola non eſt vera pro qualibet particula, Reſpondetur Quod eſt vera apud illos, quibus ſcripſit, ſcilicet Corinthios. Sed quando ſolum illis ſcripſit, apud illos fuit vera. Et imo hodie illa epiſtola eſt vera. Niſi quod illa particula ab eccleſia non tenetur, *& de calice bibat*, ſub ſpecie vini, quia illam particulam non acceptavit. Nam autoritas eccleſiæ major eſt, quam illa particula epiſtolæ Corinthiis ſcripta, *& de calice bibat.* Et tota epiſtola ab eccleſia tenetur, demta illa particula, *& de calice bibat* ſub ſpecie vini.

Item quando dicitur: Cum Paulus laudavit Corinthios, quod ſub utraque ſpecie communicaverunt, cum dicitur in epiſtola: *Fratres, laudo vos in hoc*, id eſt, quod ſub utraque ſpecie communicatis, ſed non laudo in hoc, quod communicando inebriamini & ſciſſuras facitis: *Reſpondetur*, quod non ſic debet intelligi, ſicut exponit *gloſſa ordinaria*, quia dicit S. Paulus & loquitur *ironicè* cum dicit: *Laudo vos in hoc*, quia contrarium, id eſt, *non laudo*, quia mandata mea non ſervatis de velamine, quod præcepit, ut mulieres ambulent velato capite, ſed non laudo, quia circa communionem inebriamini, ſciſſuras & & lites facitis. Sic *gloſſa* declarat illum textum epiſtolæ.

Quando quæritur: Quare ſacerdos communicat ſe in altari ſub utraque ſpecie, & non laici? Reſpondetur, quod ſacerdos taliter ſumit corpus Chriſti, qualiter in altari offertur. Sicut Chriſtus inſtituit offerri, ſic etiam ſub duplici ſpecie communicat. Sed laicus non offert in altari, ideo non debet ſub duplici ſpecie recipere ſed ſub una, ſicut eccleſia inſtituit. Et ſicut ſacerdos offert pro peccatis omnium fidelium, & etiam defunctorum, ſed laicus non communicat pro omnibus fidelibus, ſed ſolum pro ſuis peccatis ſibi ad veniam & gratiam, & nulli alteri, ideo non debet communicare ſicut ſacerdos.

Et tunc, quando allegatur textus epiſtolæ: *Cetera cum venero diſponam, ſed hoc tenete*, id eſt, iſtas informationes vobis dedi, ſervate tunc communionem, cum venero informabo vos. Non debet intelligi, *hoc ſervate*, id eſt utramque ſpeciem. Quia Paulus non præcepit ſub utraque communione, ſed ſolum informationes circa communionem dedit bonas. Nam de intentione S. Pauli plus fuit ſub una ſpecie, quam ſub duabus, cum dicit in fine epiſtolæ: *Itaq; fratres, cum convenitis ad manducandum*, & non dicit: *ad bibendum*, nec dicit: *ad manducandum & bibendum*, quod laicis non debet dari ſangvis ſub ſpecie vini.

Tunc ad *argumenta ante oppoſita*, quando oppoſita pars vult probare, quod ſub utraque ſpecie deberent communicare.

Primo probatur per illam particulam: *Quod enim accepi à Domino* &c. *Reſpondetur*, quod hoc ſic intelligitur: Quod ſicut à Domino accepi, qualiter ſe reverenter habuerit tunc in communione, ita vobis pro exemplo informationem trado Chriſti, quod vos etiam deberetis reverenter, non inebriando aut litigando, habere in communione Domini. Non debet igitur intelligi ita groſſe, *quod accepi à Domino*, videlicet, *communionem utriuſq; ſpeciei. Quod ita vobis trado*, id eſt talem informationem circa communionem, qualiter Chriſtus ſe habuit diſcipulos communicando.

Tunc de alio, quando dicitur: *Quotiescunq; manducaveritis panem hunc, & calicem biberitis*, Hic præcepit Paulus ſub utraque communicare, Reſpondetur: Quod non præcipit, ſed præcipit memoriam Chriſti habere, quando quis recipit & manducat corpus Chriſti, quod tunc memoretur paſſionis Domini. Sed nullo modo per illum textum præcipit ſub utraque communicare.

Nec per illum textum præcipit ſub utraque: *Probet autem ſeipſum homo, & de iſto pane edat, & de calice bibat.* Sed bene præcepit ſe probare & in conſcientia purgare.

Tunc, ſi quis vult communicare inter Corinthios, ſeu habens modum Corinthiorum, tunc de pane edat & de calice

lice bibat. Sed quia moderna eccleſia non tenet modum Corinthiorum ſub utraque ſpecie pro laicis, ſolum tenet ſub uno modo, ſub pane & non ſub ſpecie vini. Et ſic patet quomodo epiſtola debet intelligi.

CAP. IV.

Examinata argumenta pro Communione ſub utraque tunc allata.

AD *ſolutionem rationum* oppoſitæ partis, quibus vult probare, quod laicales ſub utraque ſpecie communicare debent.

Et *primò* quando ſic arguitur. Hæc cœna ſub utraque ſpecie pro laicis eſt ſumma medicina infirmorum, Ergò laici ſub utraque debent communicare. *Reſpondetur*, quod conſequentia non valet: Et antecedens eſt falſum: quod communicatio eſt firma medicina infirmorum. Imò alia magis eſt ſumma & magis neceſſaria, quàm iſta eſt, contritio, confeſſio, pœnitentia. Nam ſi alia medicina non eſſet magis neceſſaria, ut confeſſio, contritio, iſta ſola, videlicet communicatio, interficiet, uti patet de Juda. Ille per hanc medicinam, id eſt communicationem, interfecit ſe, non profuit ſibi, quod communicabatur. Igitur &c.

Tunc ad aliam rationem, quando pars oppoſita arguit: In primitiva eccleſia laici ſub utraque ſpecie communicabantur. Ergò in moderna eccleſia debent ſub utraque ſpecie communicare. Conſequentia negatur, & in ſimili non valet: In primitiva eccleſia apoſtoli baptizarunt in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Ergò hodiè ſic deberent baptizare. Conſequens eſt falſum & contra Evangelium.

Tunc de alia ratione, quando oppoſita pars arguit: Non ſequitur: Chriſtus eſt totus perfectus & perfectè in uno ſacramento, videlicet ſub ſpecie panis, Igitur ſufficit laicis una ſpecies, Dicit pars oppoſita, quod Conſequens non valet, quia ſeducit hominem. Imò prodeſt homini. Quia manet in obſervatione & conſvetudine eccleſiæ, aliàs homo ſub utraque ſpecie recipiens & ſacerdos dans peccaret mortaliter, quia faceret contra eccleſiam.

Tunc ad reſponſionem, quando oppoſita pars arguit: Quia alia gratia acquiritur per ſecundam ſpeciem vini, quàm per primam ſpeciem panis. Et per ſpeciem vini acquiritur gratia, quæ eſt pro ſalute animæ. Quia ſangvis ſub ſpecie vini datur ad ſalutem animarum. Sed ſub ſpecie panis ſolum fit pro ſalute corporis. *Reſpondetur*, quod omnis iſta gratia, omnis devotio, omnis effectus, qui ſunt ſub ſpecie vini, ſunt ſub ſpecie panis. Quia totus Chriſtus eſt ſub ſpecie panis cum toto ſuo ſangvine. Ergò omnis gratia eſt ſub ſpecie panis, & devotio quæ poteſt fieri ſub ſpecie vini, etiam poteſt fieri ſub ſpecie panis. Ergò evaſio eſt otioſa. Quia corpus Chriſti ſub ſpecie panis eſt pro ſalute corporis & animæ. Et ſic etiam totaliter perfectè cum corpore & ſangvine dat ſe deguſtare ſub prima, licet deguſtatio non ſit ſub ſpecie vini, cùm ſangvis deguſtatur ſub ſpecie panis, licet non ſit per modum potus ſicut vinum bibitur, ſed per modum cibi quia ſub ſpecie panis: Vel poteſt dici, quod ſub ſpecie panis etiam dat ſe deguſtare per modum potus, licet non proprio ſigno potus, ut dicit Bonaventura. Sic aliqualis modica eſt ſimilitudo de corpore Chriſti. Ipſe Chriſtus comeditur, ſimiliter ſic ſangvis ſub ſpecie panis bibitur. Et S. Thomas ponit exemplum de ſimella imbibita vino. Talis ſimella comeditur, licet non bibitur ſub ſigno bibitionis, ſed ſub ſigno comeſtionis.

Tunc ad *aliam rationem*, quando oppoſita pars dicit: Quod aliter dat ſe in prima ſpecie, aliter in ſecunda ſpecie. Quia in prima ſpecie dat ſe per modum cibi, & in ſecunda dat ſe per modum potus. *Reſpondetur*, quod, aliter habet ſe vel ſe habere, ſunt accidentia. Sed accidens non cadit in Deum. Ergò Chriſtus non habet ſe aliter in prima ſpecie: Videlicet per modum ſubſtantiæ

tiæ unitatis & perfectionis. Quia unica eſt ſubſtantia ſub utraque ſpecie. Sed modus ille attribui debet accidentibus & ſpeciebus, & non iſto modo. Quid laicus curat de accidentibus, & de modis. Dum ipſe habet perfectè Chriſtum ſub una ſpecie panis, hoc ſibi ſufficit. Et tantum de rationibus.

CAP. V.

Excuſſa teſtimonia Patrum, pro Communione ſub utraque à Jacobello adducta.

AD *ſolutionem autoritatum* reſpondendo, quibus autoritatibus pars oppoſita vult probare, quod laicales ſub duplici ſpecie debent communicare.

Ad *primam* autoritatem maximam, quam ipſi habent, reſpondendum eſt. Quando ipſi allegant pro ſe *Cyprianum* 24. *epiſtol. ad Pelagium de ſacramentis* dicentem: *Quidam epiſcopi & diaconi veriſimiliter, in calice Dominico ſanctificando & plebi miniſtrando non hoc faciunt, quod Jeſus hujus ſacrificii Doctor & autor fecit & docuit. Si quis in iſto errore tenetur, luce perſpecta ad radicem traditionis de via revertatur.* Hæc Cyprianus.

Sic ſimiliter allegant *Donatum* epiſcopum, qui ſub utraque ſpecie communicavit, ut de ipſo ſcribit *Gregorius in libro Dialogorum*, quomodo una vice frangebatur ſibi in altari calix cum ſangvine Chriſti, & effuſus fuit ſangvis Chriſti de calice per fractionem calicis.

Reſpondetur ad primam ſcilicet *Cypriani.* Quia Cyprianus non fuit univerſalis eccleſiæ ſummus Pontifex, ſed fuit unus particularis epiſcopus, qui non habuit eccleſiæ præcipere, quod laici ſub utraque ſpecie communicarent. Et ſic Cyprianus fuit locutus ſecundum modum primitivæ eccleſiæ, æſtimans illum modum fuiſſe bonum, quem tamen eccleſia non tenet. Quia autoritas eccleſiæ major eſt devota æſtimatione Cypriani. Quia Cyprianus æſtimabat bonum fuiſſe ſub utraque ſpecie communicare laicos, quemadmodum eccleſia non tenet. Et ſic illud dictum Cypriani ab eccleſia eſt abrogatum. Quia loquebatur ſecundum modum primitivæ eccleſiæ, & in iſto puncto non tenetur. Et etiam in pluribus, de baptiſmo, etiam non tenetur, quia dicit, quod hæretici non poſſunt baptizare, quia tali baptiſmus eſſet lavacrum diaboli. Quem magnus Gregorius, Innocentius, Anaſtaſius cum octuaginta epiſcopis, qui ſecum tenuerunt, condemnaverunt, & in iſto puncto, uti patet in *diſt.* 30. *c. Cyprianus.* Auguſtinus: Non omnia dicta Cypriani approbo, ejus tamen martyrium veneror.

Tunc ad *Donatum* reſpondetur: Quod ipſe poſt fractionem calicis reconciliavit, & amplius nunquam ſub utraque ſpecie communicavit.

Tunc ad aliam autoritatem, quando dicunt & allegant videlicet *Gregorii in libro dialogorum* ſic dicentis: *Ejus quippe caro partitur, ejus ſangvis non in manus fidelium ſed in ora fidelium infunditur.* Reſpondetur, quod autoritas intelligitur de ſacerdote, uti patet in autoritatibus, cum dicitur: *Ejus caro partitur.* Nam partire & dividere corpus Chriſti ad ſolos pertinet ſacerdotes, & non laicos. Ergo autoritas ſic intelligitur: *Ejus quippe caro partitur per ſacerdotes, & ejus ſanguis non in manus fidelium ſed ora fidelium* ſacerdotum in altari *infunditur.* Et non debet intelligi, in ora fidelium laicorum.

Tunc ad aliam autoritatem *Gregorii in homilia paſchali*, tractans illud *Exod. XI.* de ſanguine agni, & ponent ſuper utrumque poſtem. Ubi Gregorius ſic dicit: *Quod ſit ſanguis Chriſti, jam non audiendo, ſed bibendo didiciſtis.* Reſpondetur uti patet *diſt. I. de conſecrat.* ubi exponunt Doctores de bibitione ſpirituali & non de ſacramentali. Ut ſit ſenſus: Jam bibendo ſemper ſpiritualiter, non ſub ſpecie vini, didiciſtis.

Tunc ad autoritatem *S. Hieronymi in Sophoniam*, quæ allegatur ſub his verbis, 9. q. 1. *Sacerdotes, qui euchariſtiæ ſerviunt, & ſanguinem Domini populo dividunt, impie agunt in lege Chriſti, putantes* eucha-

euchariſtiam verba precantis facere, & non vitam eſſe neceſſariam. Reſpondetur, quod autoritas eſt plena, quod ſacerdotes, qui euchariſtiæ ſerviunt, & ſanguinem populis dividunt, ſeu porrigunt, ſub eadem ſpecie euchariſtiæ, videlicet ſub ſpecie panis, tales impie agunt, quod credunt, euchariſtiam facere verba precantis & vitam non eſſe neceſſariam. Per hanc autoritatem Hieronymus non mandat laicos ſub utraque ſpecie communicare, quia ſolus S. Hieronymus ſub una ſpecie fuit communicatus, ut prius dictum eſt in c. de autoritatibus ſanctorum.

Tunc ad autoritatem *Ambroſii* quando allegant *Ambroſium, de Conſecrationibus diſt. 2. Quotiescunq; ſanguis Chriſti* effunditur, in remiſſionem *effunditur*, Debeo enim ſemper accipere, *quia medicamen peccatori exiſtit.* Reſpondetur, quod autoritas intelligitur de ſacrificante. Et hoc intelligitur, quando dicitur, *in remiſſionem effunditur*, id eſt in altari pro peccatis fidelium offertur. Nam per ſumtionem & manducationem laici ſanguis Chriſti non effunditur in remiſſionem peccatorum fidelium, quod ſoli illi laico proſit pro ſuis peccatis & non aliis. Et etiam cum dicitur: *debeo ſemper accedere:* Iterum hoc *ſemper* pertinet ad ſacerdotes, omni die corpus Chriſti accipere, & non ad laicos. Intelligitur ergo autoritas de ſacerdotibus, qui ſemper recipiunt in ſacrificio pro medicamine omnium peccatorum i. e. pro remiſſione offerunt omnium peccatorum.

Tunc ad autoritatem *Wilhelmi de monte Lauduno*, qui dicit, quod in recipiendo corpus Domini totam veritatem recipit, non totum ſacramentum recipit. Reſpondetur, quod *Wilhelmus de monte Lauduno* vult, quod qui recipit ſub una ſpecie, totam veritatem recipit, id eſt totum Chriſtum cum ſanguine, ſed non recipit totum ſacramentum, i. e. non recipit ſub duabus ſpeciebus, quia totum ſacramentum intelliguntur duæ ſpecies.

Tunc ad autoritatem *magni Alberti*, qui dicit, *Quod Chriſtus ſub una ſpecie corpus ſuum tradidit, & ſanguinem ſub altera ſpecie, ſic ſervandum. Cum Chriſti actio noſtra ſit inſtructio pro certo hæc duo ſervanda vobis præcepit. Et ideo ſub una ſpecie corpus, & ſub altera ſpecie ſanguinem tradimus.* Hæc ille. Reſpondetur, quod tota autoritas vadit ſuper hoc, quod Chriſtus duplici ſpecie juſſit corpus & ſangvinem ſuum per ſacerdotes in altari offerri, cùm dicit: *ideò ſub duplici ſpecie tradimus*, id eſt offerimus in altari. Et hæc duo Chriſtus *nobis ſacerdotibus* in oblatione inſtituit & præcepit obſervari. Nam non debet intelligi, quod hæc duo *laicis* in communicatione tradimus. Nam *Albertus* in *Summa ſua* prohibet laicos ſub ſpecie vini communicare, ſed dicit, quod ad unam partem ſacerdotalem laici debent admitti, ut prius patuit in c. ubi autoritates ſanctorum & aliorum fuerunt poſitæ.

Tunc ad autoritatem *Remigii*, quam pars oppoſita allegat *homil. VI. Johann.* ſuper illo verbo: *Niſi carnem filii hominis*, &c. Qui ſic dicit: *Ad hanc ſpiritualem alimoniam & ad hoc epulum divinum nos Dominus invitat, tanquam neceſſitate ſumendi hujus alimoniæ induci & aliter vitam habere non poſſimus.* Reſpondetur, quod hæc autoritas & textus intelligitur Johannis, *Niſi carnem filii hominis*, &c. de alimonia ſpirituali, id eſt de manducatione & bibitione ſpirituali. Et talis alimonia eſt præceptum Chriſti, & eſt de neceſſitate, & ſine tali, id eſt ſine fide Chriſti, nullus poteſt habere vitam æternam. Et Ergò benè dicit Remigius, *ad hanc ſpiritualem alimoniam & ad hoc epulum divinum.* Et non dicit: Ad hanc ſacramentalem alimoniam ſub ſpecie vini: Sed dicit: Ad hanc ſpiritualem &c.

Tunc ad autoritatem aliam: *Bibite ex hoc omnes.* Pars oppoſita dicit, quod per hoc Chriſtus notavit *omnes fideles futuræ communitatis*, ſic quod Chriſtus notaſſet, quod omnes Chriſtiani futuri poſt apoſtolos deberent bibere ex hoc calice ſub ſpecie vini. *Reſpondetur*, quod hoc non eſt verum. Quia *bibite* eſt *verbum præſentis temporis*, & ſignat ſolos apoſtolos. Quia ſolis apoſtolis dixit Chriſtus: *Bibite ex hoc omnes* ſc. apoſtoli, & non nominavit Chri-

Chriſtus, quod ergo omnes Chriſtiani futuri ſic deberent bibere ſicut apoſtoli de calice, ſed ſoli ſacerdotes. Quia Marcus in ſua paſſione dicit cum verbo de *præterito: Biberunt ex hoc omnes.* Si *bibite* ſignificaret *futurum* tempus, quia futuri Chriſtiani deberent bibere de calice, tunc Marcus male dixiſſet ſub *præterito* verbo: *Biberunt ex hoc omnes.* Ergo.

Tunc ad aliam autoritatem, quando Ipſi allegant hymnum de corpore Chriſti, & per illum volunt probare, quod ſub utraq; ſpecie laici ſint communicandi. Ubi in *hymno* ſic dicitur: *Dedit fragilibus ferculum, corpus, dedit & triſtibus ſanguinis poculum, dicens: Accipite, quod trado vaſculum, omnes ex hoc bibite. Sic hoc ſacrificium inſtituit ſub duplici ſpecie, cujus officium communicari ſolis præbyteris voluit, ut ſumant & dent aliis.* Iſti dicunt, quod Chriſtus mandavit dare aliis laicis ſub duplici. Hoc eſt manifeſte falſum, uti patet in gloſſa ſuper dicto hymno, ubi exponitur: *Et dent, ſuo modo*, id eſt *laicis debent dare ſuo modo, ſicut eccleſia obſervat.*

Et quando dicitur: *Bibite ex hoc omnes.* Reſpondetur, quod hoc dictum diſcipulis. Et non debet intelligi, *Bibite ex hoc omnes laici.*

Tunc ad aliam autoritatem quando allegatur evangelium *Johannis: Niſi carnem filii hominis.* Et etiam quando allegatur: *Caro mea verè eſt cibus & ſanguis meus vere eſt potus. Qui manducat carnem meam & bibit ſanguinem meum, in me manet & ego in eo.* Reſpondetur, quod omnes iſti textus intelliguntur de manducatione & bibitione ſpirituali, ut dicit *Hieronymus ſuper epiſtolam ad Hebr.*

Tunc quando allegatur epiſtola Pauli: *Probet autem ſeipſum, & de pane iſto edat & de calice bibat.* Reſpondetur, quod eccleſia illam particulam acceptavit: Quilibet homo debet ſe probare, qui vult communicare. Et non quilibet homo debet de calice bibere ſub ſpecie vini. Ergo eccleſia illam particulam, quam Paulus Corinthiis ſcribit, *& de calice bibat*, non acceptat nec tenet. Quia major autoritas eſt eccleſiæ, quam illa particula Corinthiis per Paulum ſcripta, *& de calice bibat.* Quia eccleſia non dat laicis de calice bibere ſub ſpecie vini, & ſufficit laicis communio ſub una ſpecie vini.

Et ſic eſt finis hujus tractatus.

TOMI III. PARS XX.

QVanquam non duntaxat à Theologis Conſtantienſibus ipſoque Concilio, ſed & aliis Theologis, ſatis videretur ſcriptis armiſque literariis ob novum ſacramenti communioniſve laicalis ritum impetitus *Jacobellus*, *cum Bohemis* fide ſibi junctis: Non tamen vel fidem vel animum vel calamum abjiciendum putarunt. Quapropter, extincti etiam in Concilio Huſſi ut & Hieronymi flammis haud territi, non tantum *uſum calicis* continuarunt, ſed & novis indies ſcriptis iſtum munire, ſuamque ea de re conſtantem fidem *confeſſionibus publicis* declarare non deſtiterunt. In his extitit breve *Confeſſionis de calice ſymbolum, à Pragenſi Univerſitate*, Concilio durante, Anno 1417. die 10. Martii *publicatum.* Quod à *Cochlæo*, *Bzovio*, aliiſque dudum recenſitum, ob hiſtoriæ ſeriem atque nexum hic repetere, cum admodum ſit breve, fas fuerit. Neque enim occaſio *ſequentium ſcriptorum Gerſonianorum* atque *Mauritianorum*, quæ in Concilio hac de re ediderunt, abſque illo cognoſci poteſt.

UNIVERSITATIS PRAGENSIS CONFESSIO,
A. 1417. d. 10. Martii ſub Conſtantienſi Concilio edita,
DE COMMUNIONE SUB UTRAQVE
pridie inter illos per Jacobellum reſuſcitatâ.

Univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, Johannes Cardin. Magiſter in artibus, & Baccal. Decretorum, totuſq; cœtus Magiſtrorũ almæ Univerſitatis ſtudii civitatis Pragenſis, *ſalutem, & agnitioni veritatis inſtanter inſiſtere, amoroſo quoq; Domini obſequio ardenter &*

& ex animo inſudare. Quia plurimorum Chriſti fidelium, tam magnatum & nobilium, quam aliorum conditionis promiſcuæ hominum, crebra petitionis urgemur inſtantia, quatenus ipſis in materia venerabilis Sacramenti Euchariſtiæ, an id ſub utraque ſpecie à cunctis Chriſti fidelibus de lege Evangelica noſtri Præceptoris, velut ſaluti expediens licenter ſumi poſſit, atque à Clero eisdem miniſtrari expediat, noſtræ confeſſionis fidem plenam faciamus: Cum autem iis intendere, quæ proximorum ſalutem promovent, quilibet jugiter adſtringatur, hi tamen præcipue, qui generalis præeminentiæ ſpecula ad hoc ſunt præditi, ut communis incommodi evitentur pericula, quæ ex præfectorum negligentia cuipiam poſſint accidere, ad illa invigilare ſtudioſius teneantur: Nos igitur, prout ex officio magiſtralis officii adſtringimur, nihil temere, præſumtuoſe, aut quavis pertinacia frivola, contra ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam definire, aut aliquam novitatem introducere intentantes, ſed, fideli & orthodoxa proteſtatione præhabita, de ea duntaxat, quæ in nobis eſt fide, parati omnibus poſcentibus reddere rationem, congruis illorum & honeſtis rogatibus inclinati, ne fideles, meticuloſis diſtracti inſultibus, ambiguitatis quovis languore inter ſalutaria vacillent, fluitantes: Ne quoque nos ex rubore, aut timore veritatis enunciandæ libere, de ejus proditione durius arguamur aut verbo ſapientis obruamur, dicentis: Pro anima tua non confundaris dicere verum: Præſertim cum &, ut dicitur, præſens Conſtantienſe Concilium prædictam formam communionis ſub utraque ſpecie aſſerat fuiſſe à Chriſto inſtitutam & miniſtratam, & ſic in primitiva Eccleſia diutiſſime & Catholice practicatam: Ipſis, inquam eo licentius circumſpecta providentiæ judicio reſpondentes, fideliter profitemur: Quod Salvator noſter, in humana adhuc mortalitate in terris converſatus, de hoc mundo ad patrem, nobis parare terræ promiſſionis regnum, tranſiturus, typis omnibus ac figuris legalibus conſummatis, inter cætera ſalutaria noviſſime condens ſuum teſtamentum, ſuæ glorioſæ paſſionis velut memoriale ſignum, & in profectum noſtræ fidei ac bonorum operum, pro attingendo terræ promiſſæ regno, ne laſſati deficiamus, hoc novum Paſcha, myſterialeque Manna, tremendum ſcilicet & admirabile gratioſiſſime inſtituit ſacramentum: Tradens illud ſua liberaliſſima munificentia omnibus Chriſti fidelibus, nedum ſub una ſpecie, quamvis totus Chriſtus ſub alterutra eſſe tradatur, in refectionis cauſam, cœnæ ſuæ magnificæ plenitudinem, augmentumque meriti, ſub utraque ſpecie panis & vini, pro loco & tempore aſſumendum. Et ipſos ſuo adſtringens juramento ſub pœna non habendæ vitæ regnique cœleſtis digne impulit ad fruendum. Imperiali quoque verbo ſuis diſcipulis dixit miniſterialiter dividendum. Quatenus ſic mors Domini continue, donec veniat, annuncietur. Prout hoc in ſacri Evangelii paſſibus eſt luce clarius, irrefragibiliter exaratum, & ſanctorum Doctorum fere omnium concorditer, præſertim veterum, ita ut non ſit timor ad oppoſitum, eſt commendatum firmatumque ſolidiſſimis monumentis.

Vid. ſupr. Parte 17. Cap. I.

Vid. ſupr. Jacobell. Parte 16. & 18.

Quapropter ſi quos Chriſti fideles vera & utilia erudiunt, ſi ſalutifera promovent, & honeſta ſi delectant, deniq; ſi qui ſalutiferum antidotum pro humanæ fragilitatis infirmitate effugandæ appetunt, ſi ardore cordis dominicæ incarnationis converſationem, ac ejus ſalvificam paſſionem memorari, ſibiq; compati dulcoroſe deſiderant, aut ſi ſe vita divina, regniq; cœleſtis exortes nolunt experiri finaliter: Equidem hos per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti obnixius deprecamur, quatenus ad hoc vivificum, duplicis ſpeciei, unius tamen fidei, ſacramentum, in quo omnis animæ ſpiritualis frugalitas & omnis prærogativa gratiæ, augmentum fidei, cum omni eo, quod animam beatifice delectat, aut immortalitatem præſtans ædificat, ex altitudine divini conſilii mirabiliter ſunt incluſa, humanæque rationi imperſcrutabiliter congeſta, ſtudeant, velint & affectent præ aliis omnibus ad hoc unicum bonum tractandum ſumendum & fruendum frequenter, ſummopere properare, & ad properandum ipſumque percipiendum frequentius ſe totis viribus, quantum humana ipſis permittit facultas, ſemper adaptare, probare ac diſponere, & iſto beato ac ſalutari non tam gravi quam delectabili, nec tam utili quam felici ſe labore ſtudioſe & ſolicite exercere. Quo ſic ſaluberrimo Manna cœleſtis cibo, meraciſſimoque de petra, quæ Chriſtus eſt, fluente poculo refecti, deificam terræ promiſſæ vitam poſſent conſequi feliciter & mereri.

Si autem de anteceſſoribus noſtris, aut de coexiſtentibus nobis, non ſolum ægris, quin etiam ſanis, vel ignoranter vel ſimpliciter, hoc obſervatum non fuerit, ſeu neceſſitate ægri-

tudinis

Digitized by Google

tudinis, aut alio caſu, nequaquam caute ac commodoſe obſervari quiverit: Poteſt, ut ſperamus, à Domino ſimplicitati eorum, aut neceſſitudini miſericorditer indulgeri.

Quod ſi huic ſanctiſſimæ Chriſti conſtitutioni noſtraque fidei profeſſioni humana quavis obſtet conſtitutio, quæ pridem in ſacris Canonibus nondum eſt reperta, nec de poſt, ut credimus, affutura: Aut cujuscunque poteſtatis, inſidians, & ab hoc bono quomodolibet retrahens, terrifica comminatio, etiamſi nos in futurum, quod abſit, aut Angelus de cælo, à prædicta ſolida veritate, quenquam niteretur aliquo dogmate, ſeu evidenti aut ſimulata fraude abducere: Quoniam ſic aliud doceretur, quàm quod Præceptor noſter Chriſtus Jeſus, hujus ſacrificii autor & Doctor, inſtituit, & tradidit, fecit & docuit: Hujusmodi humanæ inventionis dogma tanquam ſuſpectum & à veritate Evangelica prorſus alienum eſt & nullatenus advertendum. Quin potius veritati Chriſti auctoris, quæ omnium juſſa præponderat, cui & contraria quoque conſvetudo aut inventio debet cedere, eſt ſtudioſiſſime inſiſtendum. Datum Pragæ Anno Domini M CCCC XVII, die X. menſis Martii, in plena congregatione Magiſtrorum Univerſitatis, ſigillo appenſo.

Hæc *Bohemorum de neceſſario calicis uſu confeſſio* quando ad Conſtantienſe Concilium penetravit, novis anſam dedit vel conſiliis vel ſcriptis. Patribus quippe Concilii conſultum fuit viſum; uberioribus ſcriptis vel animum vel fidem illorum oppugnari aut expugnari. Conſiliis potius quàm armis rem eſſe expediendam rati. *Gerſon*, magnæ in Concilio autoritatis, novum hunc à Concilio Theologis injunctum laborem haud detrectaturus, *conſilium* mox aliquod ſuppeditavit, quo pacto anceps hoc literarium cum Jacobello & Bohemis negotium eſſet tractandum aut conficiendum. Quod, cum non ſolùm *pars fuerit haud ultima Actorum Concilii*, ſed & *viam paraverit* aliis in Concilio hac de re editis opuſculis, hic omnino negligere, rei geſtæ ordo interdixit.

JOHANNIS GERSONIS
Regii in Conſtantienſi Concilio Legati,
CONSILIUM PUBLICUM,
Conſtantiæ, juſſu Concilii, A. 1417. Theologis datum,
Cauſam
JACOBI DE MISA & BOHEMORUM
QUOAD COMMUNIONIS LAICALIS
SUB UTRAQUE SPECIE NECESSITATEM.
uberius diſcutiendi.

PRÆFATIO.

OBlaturus juxta *Seniorum hujus ſacri Concilii Conſtantienſis monitionem generalem*, nonnulla quæ concernunt expugnationem hæreſum & hæreticorum noſtri temporis, nominatim *ſecta noviter exorta, & protinus judicialiter damnata, De neceſſitate communicandi laicos ſub utraq; ſpecie, ſcilicet panis & vini*: Profero cum Evangelica paupercula duo minuta, quæ dici poſſunt duplex ille denarius, quem Samaritanus protulit & dedit ſtabulario pro cura vulnerati. Unus denarius *decem regulas ſpeculativas*, alter decem *practicas* habet inſcriptas.

Jacobi de Miſa. V. Tom. IV. in Decretis, Seſſ. 13.

CAP. I.
Decem Regulæ generales, De autoritate ſcripturæ, & illam interpretandi jure.

REgula Prima. Scriptura Sacra eſt fidei regula. Contra quam bene intellectam non eſt admittenda autoritas vel ratio hominis cujuscunq;. Nec aliqua conſuetudo, nec conſtitutio, nec obſervatio valet, ſi contra S. Scripturam militare convincatur.

Hæc regula *fundamentum* eſt commune

re nobis & hæreticis, quos impugnare conamur. Propterea concedimus & adprobamus omnes auctoritates vel rationes, quæ hanc probant, pro quanto non ad aliud probandum per eos ducuntur, vel induci quærerentur.

Quamobrem *S. Scriptura* debet conſiderari, quaſi ſit una propoſitio copulativa, connectens ſingulas partes, & unam confirmans per alteram, elucidans & exponens. Quoniam ſi propoſitio aliqua S. Scripturæ, poſita adſertive per auctorem ſuum qui eſt Spiritus S. eſſet falſa, tota S. Scripturæ, ſicut dicit Auguſtinus, vacillaret auctoritas. Quia ſimilis eſt *ratio adſentiendi* per fidem cuicunque propoſitioni, ſignatæ in S. Scriptura, ita uni ſicut alteri, ſcil. *auctoritas divinæ revelationis*, quæ utrobique communis eſt *ratio credendi*.

Secunda. Sacra Scriptura, dum conſideratur in aliqua ſui parte vel propoſitione, non eſt tenenda in ſolis terminis illius propoſitionis, aut in illo ſenſu, quem illa propoſitio ſic per ſe & nude conſiderata facit: Sed conferenda eſt & concordanda per comparationem ad alios S. Scripturæ paſſus.

Patet hæc regula ex precedenti, & per *exempla* manifeſta, qualia ſunt innumera. Dixit itaque Chriſtus *Mat. ult. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Si quis voluerit in hac præciſa forma & ſententia ſtare, non admiſſa quacunque collatione ipſius cum aliis, ſicut inventos aliqvos eſſe tales notat *Auguſtinus de Civit. Dei* 21. conſtat, quod errabit manifeſte, ponendo quod ſola fides ſufficit in baptiſmo ad ſalutem ſine aliis virtutibus. Sicut traherent alii ex ſimili verbo Chriſti: *Qui credit in me, habet vitam æternam.* Amplius arguendo ad homines ſic induceremus illud *Johann.* 6. *Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi, ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Attamen ſecundum iſtos non ſufficit manducatio ſolius panis, id eſt ſumtio corporis, ſed requiritur bibitio ſanguinis.

Tertia. *S. Scriptura poteſt & debet in ſuis partibus & partialibus adſertionibus reverenter & humiliter & diligenter expoſitionem recipere, concordando paſſum cum paſſu, & unum per alterum judicando.*

Sequitur ex præcedentibus. Et quia ſic fit in omnibus aliis ſcientiis & doctrinis, in quibus intentio & ſenſus unius dicti trahitur ex aliis, ex quibus apparet intentio dicentis. Quoniam ſecundum *Hilarium* intelligentia dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi. Alioquin plura eſſent mendacia & contradictiones in qualibet ſcientiarum, & præcipue in ſacra & divina, quam eſſent veritates, in omni modo loquendi communi.

Quarta. Scriptura S. in expoſitione partium ſuarum requiſivit & requirit homines (1) *præditos ingenio* (2) *exercitatos ſtudio* (3) *humiles in judicio* (4) *immunes ab adfectato vitio.*

Patet. Quoniam ex oppoſito alterius iſtorum quatuor ſolet facillime falſus intellectus Scripturæ ſuboriri. Ut ſi ſit homo hebetis ingenii, ſi iners & neglector ſtudii, ſi ſuperbi & arrogantis judicii, ſi denique fuerit infectus & depravatus ex adfectu alicujus vitii. Quoniam excœcat tales malitia eorum. Poſſent iſta & iſtorum quodlibet tam auctoritatibus quam exemplis & rationibus multipliciter declarari, quæ quia nota ſunt doctis, & alibi ſatis inveniuntur, brevitatis amor linquit.

Quinta. Scriptura S. in ſui primaria expoſitione habuit homines eruditos, non ſolum humana ratiocinatione vel ſtudio, ſed divinâ revelatione & inſpiratione Spiritus S.

Patet de apoſtolis & aliis, de quibus loquitur *Lucas in Act. Apoſt. cap.* 13. Et *Paulus* plures enumerat diviſiones gratiarum, inter quas interpretatio ſermonum, & ſermo ſententiæ, & ſermo doctrinæ. Comparandi igitur ſunt Doctores in expoſitione S. Scripturæ cum Doctoribus. Et illi, quos conſtat habere conditiones poſitas in præcedenti regula, præferendi ſunt non habentibus. Similiter habentes revelationem non habentibus eam. Et dona gratis data poſſidentes non poſſidentibus ea, cæteris paribus. Et proinde convincitur ac reprehenditur quorundam arrogantia modernorum, uſurpantium ſibi illa de Pſalmo: *Super omnes docentes me intellexi.* Et iterum: *Super ſenes, intellexi.* Et iterum: *Super inimicos meos prudentem*

tem me fecisti. Sed utinam adverterent, ſi veræ ſint eis cauſæ, quæ junguntur: *Quia teſtimonia tua exquiſivi, & lex tua meditatio mea eſt*, & reliqua.

Sexta. *Scriptura Sacra non ita recipienda eſt nude & in ſolidum, contemtis aliis traditionibus hominum, quin debeat ad intelligentiam veram ipſius habendam, juribus humanis & canonibus, & decretis, & gloſſis Sanctorum Doctorum frequenter & humiliter uti.*

Patet ex præcedentibus. Patet etiam ex modo, quem tenent hæretici, *quos nunc impugnamus*, qui doctores valde diligenter allegant pro ſuis adſertionibus colorandis & corroborandis. Et tales, qui ſunt aliquando nullius auctoritatis vel ponderis, ſicut ſunt alii qui gloſſatores Decretorum & Decretalium, & non ſancti, nec multum in Theologicis eruditi. Et ſimiliter aliqui quos de numero trahunt Theologorũ. Unde ſic arguitur adverſus eos: Si doctoribus & peritis in ſua arte credendum eſt, cur Doctoribus per nos allegatis non vultis credere? Quos allegatis, bene intellecti, ſunt pro nobis, & alii, qui abſque ulla comparatione plures ſunt & clariori ſermone dicentes noſtram ſententiam. Si vero non talibus in aliquo credendum eſt, cur eos pro vobis in confirmatione erroneorũ ſpirituum & ſenſuum veſtrorum tam curioſe & exquiſitiſſimo ſtudio quæritis allegare? Undecunque colligentes & diſcerpentes, quantumlibet renitantur.

V. ſupr. Jacobellũ Parte XVI & infr. Parte XXII.

Septima. *Scriptura S. recipit interpretationem & expoſitionem nedum in ſuis verbis originalibus, ſed etiam in ſuis expoſitionibus.*

Patet ex præcedentibus. Unde ſi allegatur *Auguſtinus*, exempli gratia, quod dixerit in una gloſſa ſua, ſumendum eſſe ſanguinem Chriſti in communicatione laicorum, & hoc de neceſſitate ſalutis: Et alibi dicat vel obſervet oppoſitum, ſecundum intellectum, quæ prima facie colligeretur ex verbis: Attendendum eſt ex dictis aliis, qualiter eſt concordandus ſibi ipſi. Invenitur enim dixiſſe: *Crede & manducaſti*, & ita dicere potuit, *crede & bibiſti.*

Octava. *Scriptura S. dum per novellos homines inducitur, tanquam credenda ſit in ſuis nudis terminis abſq; alterius interpretis vel expoſitoris admiſſione, exponitur gravibus periculis & ſcandalis, niſi ſolerter provideatur, & confeſtim occurratur.*

Patet ex præcedentibus. Et quia ad veritatem tales implicant ſemetipſos in dictis ſuis, prout deductum eſt in ſexta regula: Dum aliquando pro ſe inducunt Doctores, & inductos contra ſe non admittunt: Dum prætcrea vitare volunt gloſſam omnem, incidunt apertiſſime in multiplicem contradictionem, & ultra quam Judæi literales judaizant, qui recipiunt in antiquis traditionibus legis expoſitiones ſuorum Doctorum multas & varias, ut *Rabbi Salomonis & Rabbi Moſi* & aliorum, quemadmodum traditum habent in lege *Deuteron.* 17. ſub mortis interminatione ſacerdotibus Levitici generis eſſe credendum & obediendum. Ex hac præterea radice peſtifera orti ſunt & quotidie creſcunt errores *Begardorum & Pauperum de Lugduno*, & omnium ſimilium, quorum multi ſunt *Laici, habentes in ſuo vulgari translationem Bibliæ*, in grande præjudicium & ſcandalum Catholicæ veritatis. Quale *propoſitum eſt in REFORMATORIO*, eſſe tollendum.

Nona. *Scriptura S. in ſui receptione & expoſitione authentica finaliter reſolvitur in auctoritatem, receptionem & approbationem univerſalis Eccleſiæ, præſertim primitivæ, quæ recepit eam & ejus intellectum immediate à Chriſto, & revelante Spiritu S. in die Pentecoſtes & aliàs pluries.*

Patet. Quia quod Matthæus ſcripſerit veraciter Evangelium, & Nicodemus non, ſolum habemus ab autoritate Eccleſiæ: Juxta illud Auguſtini: *Evangelio non crederem, niſi me auctoritas Eccleſiæ compuliſſet.* Hæc enim eſt ineffabilis regula à Spiritu S. directa, quæ in his, quæ fidei ſunt, nec fallere poteſt nec falli. Probationes omitto.

Et quia hoc eſt primum principium in fide tenendum, quo non credito non ſupereſt arguere contra ſic negantem, ſicut nec contra negantem prima principia in moralibus & ſpeculabilibus arguendum eſſe tradit Ariſtoteles: Additur

Digitized by Google

tur conſecutive, quod in S. Scripturæ in expoſitione habet & habere debet in reverentia & auctoritate majori conſuetudinem univerſalis Eccleſiæ, circa ea, quæ fidei ſacramenta reſpiciunt, & diſpenſationem ipſorum, quam auctoritatem Doctoris unius particularis, etiam ſancti. Et ſic tradit *S. Thomas* in illa quæſtione, qua quærit, *utrum pueri infidelium ſint invitis parentibus baptizandi*, in ratione ad oppoſitum. Unde valde mirandum videtur, apud aliquos conſiderativos, *dum vident quod ſtatim ut Doctor aliquis compoſuit unam lecturam, vel unam compoſitionem aut gloſſam ſuper decretalibus aut decretis redegit in ſcriptis, habetur illa gloſſa ſeu lectura in reverentia tali, quod allegatur authenticè in ſcholis & judiciis.* Qui Doctor ſi viveret, non eſſet comparandus mille & mille, *qui* jam *ſunt in vita.* Et tamen ſi tota una Univerſitas, exempli gratia, quæ habet Doctores in omni facultate peritiſſimos, declararet aut determinaret unam expoſitionem circa unum paſſum Scripturæ S. vel decretorum aut decretalium, vix reputabitur aut recipietur hujusmodi teſtificatio. Quaſi videlicet Scriptura mortua ſit majoris auctoritatis quam viva.

Et ſi opponatur, quod *in vivis pervertitur judicium propter perverſionem affectus*, cur non ſimiliter poteſt dubitari, quod *in mortuis regnaverint*, dum viverent, hujusmodi *paſſiones, judicii ſubverſiva.*

Decima. *Scriptura S. patitur in ſuis lectoribus, permittente Deo, quod errent, & proterve agant, quatenus qui probati ſunt, fiant manifeſti, ſicut dicit Apoſtolus: Et ut ſtudia Doctorum multipliciter excitentur, prout notat Auguſtinus, & ut particulares veritates quotidiano exercitio inveniantur & eliciantur. Juxta illud: Pertranſibunt plurimi, & multiplex erit ſcientia. Et illud: Declaratio ſermonum tuorum illuminat cū millibus multis. Nihilominus dum S. Scriptura patitur in ſuis lectoribus aut allegatoribus perverſum & protervum intellectum, adverſus illa quæ manifeſte ſunt in eadem Scriptura tradita, & quæ declarata ſunt per Eccleſiam univerſalem, & ita recepta per fidelium obſervationem, debet habere defenſionem ſuam, magis judiciali ſeveritate & executione punitiva, quam ratiocinatione curioſa per ſcripturas aut verba.*

Patet ex præcedentibus. Verificatur enim in talibus, quod ſtultis verbis non erudietur. Quod & experientia quotidiana manifeſtat. Illa quippe tales negant, per quæ ſola poſſunt & debent ad viam veritatis reduci. Et ſi nolunt aliqui credere, niſi quæ reperiuntur in Biblia, inveniant illic, ſi poterunt, formam ſacramentorum, & quod Chriſtus miſcuit aquam cum vino, quod conſecravit, & ita de plurimis.

CAP. II.

Decem regulæ ſpeciales, pro expugnanda doctrina Bohemorum, ſub Conſtantienſi Concilio prodita, de laicorum communicatione, facienda de neceſſitate ſalutis ſub utraque ſpecie.

Debet potius *hoc ſacrum generale Concilium* invocare auxilium brachii ſecularis, ſi opus fuerit, quam per ratiocinationes contra tales, attentâ *ſua determinatione, quæ jam tranſit in rem judicatam.* *V. ſup. Parte XIIX. cap. XI.*

Nihilominus in expugnatione tali poſſunt *aliqui Doctores, de Concilio* vel aliunde, ſcribere vel aliter agere contra tales errores & errantes, *per rationes*, & perſuaſiones, & allegationes.

Quemadmodum fit nunc pro errorum confutatione præſens opuſculum ſub generalibus regulis, quæ poſſunt latius trahi & particularius adplicari *per rationes, deductas ante decretum dicti Concilii.* *Vid. ſup. Parte XVII. cap. II.*

Prima. In expugnatione hujusmodi *debet* inprimis *concedi* protervientibus *adverſariis, quicquid eſt Theologice & rationabiliter concedendum*, ut accepto illo, in quo eſt controverſia, facilius & compendioſius ad erroris depoſitionem induci poſſint.

Debet enim concedi, ſicut & *Sancta Synodus concedit, quod aliquando potuit fieri & factum eſt ſine peccato, imo cum merito, quod aliqui Laici communicarent ſub utraq; ſpecie,*

Digitized by Google

ſpecie, ſicut aliquando fiebat conſecratio in fermento, ne judaizare videretur Eccleſia. Sicut & *Chriſtus*, & forſan pluries poſt eum *primitiva Eccleſia*, conſecravit, & dedit hoc ſacramentum poſt cœnam.

Concedatur etiam ipſis, quod contra *S. Scripturam* nec auctoritas humana nec conſuetudo aliqua robur habet. Sed addatur, quod *interpretationem* vel expoſitionem ipſa recipit, ſicut in regulis deductum eſt.

Secunda. In expugnatione hujusmodi principale illud, circa quod verſatur difficultas, ſicut in puncto, centro, vel cardine, eſt: *Si communicatio talis ſub utraque ſpecie ſit juſſa generaliter à Chriſto ſub debito ſalutis æternæ*, & indiſpenſabiliter ab homine. Quemadmodum dicimus quod baptiſmus aquæ eſt de neceſſitate ſalutis indiſpenſabili per hominem, ſic quod nulla auctoritate vel conſuetudine poſſit introduci vel inſtitui, ut certi homines non baptizarentur baptiſmo aquæ.

Definit autem *Sacrum Concilium*, & veriſſime, *negativam*. Sicut nec ſumtio Sacramenti talis eſt neceſſitatis ante cibum vel etiam poſt cibum.

Circa quod eſt rememoranda diſtinctio neceſſaria, & notanda, quod circa miniſtrationem vel inſtitutionem ſacramentorum *quædam* ſunt *de neceſſitate Sacramenti*, & *de jure divino*, quædam vero ſunt tantummodo *de neceſſitate præcepti* & *de jure humano* ſeu poſitivo. Exemplum in materia noſtra, quod fiat conſecratio per talem verborum formam, quod in tali materia panis, quod per ſacerdotem, hoc eſt de neceſſitate Sacramenti & juris divini. Quod autem fiat in templo, ſeu altari ſacrato, quod cum talibus veſtibus, & cum lumine, quod cum talibus orationibus, epiſtola & Evangelio, & quod jejuno ſtomacho, jejunio etiam naturæ: Hæc, inquam, omnia atque ſimilia ſunt de ſolo præcepto humano & variabili. Sicque Eccleſia poſſet ex cauſis rationalibus etiam præmiſſa omnia vel aliqua talium immutare, & immutata ſub præcepto tradere, ſic quod tunc peccaret homo faciendo illud, in quo nunc meretur, & quod tranſgrediendo peccaret.

Tertia. In expugnatione tali declarari poteſt faciliter apud nolentes protervire, vel ex adfectu praviter errare, quod *ſumtio Sacramenti ſub utraque ſpecie à Laicis, modò non eſt aut* unquam fuit de neceſſitate præcepti juris divini, ſub pœna damnationis æternæ. Attamen dum fiebat à Laicis, præcipiente, vel permittente, vel conſulente Eccleſia, bene fiebat, ſicut dum conficiebant ſacerdotes in fermentato. Nunc vero dum certa ratione inolevit oppoſita conſuetudo, per Eccleſiam laudata & juſſa: Quæ juſſio patet ex tali conſuetudine, quæ eſt optima legum interpres: Sumtio talis temeraria eſt, & præſumtuoſa, ſcandaloſa, ſeditioſa, & Eccleſiaſtici ritus turbativa, & ex conſequenti æternæ damnationis inductiva.

Nec valet, cum inducunt, quod *Laici plus merentur ſumendo ſub utraque ſpecie*, quam ſub ſola forma panis. *Reſpondetur*, falſum eſſe. Quia melior eſt obedientia quam victimæ. Et quia poteſt Eccleſia prohibere aliqua, quæ poſſunt aliquando meritum augere in aliquibus, propter melius bonum commune adipiſcendum vel malum declinandum.

Quarta. In expugnatione tali dicendum eſt: *Adſerentes, talem ſumtionem eſſe licitam & utilem Laicis ſub utraque ſpecie, tantum errant quantum illi, qui dicunt, eam eſſe neceſſariam de neceſſitate præcepti divini, & juris indiſpenſabilis quaſi ſacramenti.*

Patet, Quoniam iſti ſecundi damnant apertiſſime de hæreſi omnes & ſingulos, qui non volunt Laicos taliter eſſe communicandos, & ponunt eos extra Eccleſiam. Et ita conſequenter reputant, quod ſola generalis Eccleſia ſit apud eos, ſicut olim fuit temporibus Auguſtini de Donatiſtis. Quæ quam horrenda ſit præſumtio, videre ſtupor eſt.

Et valde notandum eſt, quod ex hac auctoritate Chriſti: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ſanguinem, non habebitis vitam in vobis Joh. 6.* volunt concludere inevitabiliter errorem ſuum. Et non attendunt, quod in eodem-

dem capitulo Chriſtus præmiſit: *Ego ſum panis vivus, ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Ubi nihil loquitur de potu. Et ideo mendacem faciunt Chriſtum, ſi requiratur cum manducatione ſacramentali panis ſumtio etiam vini ſacramentalis. Quoniam dictum ſuum eſt unà conditionale: *Si quis*, cujus oppoſitum conſequentis ſtat ſecundum eos cum antecedente, ſumto in ſe, & ſecundum verba ſua. Imo conſequens hoc modo repugnat antecedenti. Eſt inſuper mirabile, quod ex illo uno verbo volunt cocludere, quod ſacramentalis ſumtio corporis & ſanguinis Chriſti cadat ſub tanta neceſſitate ſalutis & juris divini, ſicut baptiſmus aquæ. Cum oppoſitum manifeſte pateat per Doctores. Quoniam ſine tali ſumtione ſtat ſalus, ſaltem in parvulis & pueris citra perfectum uſum rationis, ſicut obſervat Eccleſia. Quamvis reperiatur ex quadam epiſtola *Cypriani*, quod parvuli quatuor annorum recipiebant aliquando corpus Chriſti. Ponitur enim pro miraculo, puerum unum talem, qui oblato cibo idolis immolato nolebat aut non poterat comedere, ſed bene de pane conſecrato guſtabat, ſi bene memini.

Quinta. In expugnatione tali reſpondendum eſt ad *auctoritates adverſariorum* inductas.

Primo, quod *aliqua conceduntur*, pro quanto *fundamentum veritatis* dicunt eſſe *ſacram Scripturam &c.* ſed rite intellectam.

Alia ſimiliter *conceduntur*, pro quanto dicunt, ſacramentum altaris *aliquando ſumtum* fuiſſe *à Laicis ſub utraque ſpecie.* Quamvis probabilius videatur, quod hæc obſervatio nunquam à tempore Doctorum communiter *apud omnes* extiterit.

Alia, quæ dicunt, *ſacramentum Altaris integre ſumi debere*, ſicut expreſſius inter omnes allegatos tradere videtur *Gelaſius Papa*, *De conſecratione diſtinct.* 2. *Comperimus*, debent *exponi de ſacerdotibus* Eccleſiæ, qui celebrant pro toto populo, apud quos ſemper fuit & eſt de neceſſitate præcepti, ſaltem Eccleſiæ, quod ſub utraque ſpecie communicarent, in tantum, quod plus obligantur hoc facere, quam quod jejuni celebrent, juxta conſilium Doctorum, dicentium, quod, ubi homo veniens ad perceptionem ſanguinis reperit primo ibi aquam, quam putans fuiſſe vinum deguſtat, & ita frangit jejunium naturæ, debet conſecrare noviter vinum, & ita ſumere. Et ita *dicitur populus ſanguinem bibere, quia miniſtrantes pro eis illum bibunt.* Prout intelliguntur auctoritates inductæ ex *Canonibus* Eccleſiæ, & juxta verbum *Auguſtini* prædictum: *Crede & bibiſti.*

Eſt enim *manducatio & bibitio* juxta communem diſtinctionem *duplex.* Una *ſpiritualis* per fidem & amorem, quæ neceſſaria eſt in adultis. Alia eſt *ſacramentalis*, quæ ſi ſit ſine ſpirituali, nedum non proficit, ſed officit. Cadit tamen in præcepto, dum ejus ſumtio nequaquam contemnitur, prout de *Confirmatione & Extrema unctione* dicitur à Doctoribus, quæ dicuntur eſſe *ſacramenta non neceſſitatis.*

Et de hoc ſacramento notetur, quod egit *Venerabilis Hugo de St. Victore* in morte ſua. Ex quo colligitur ſumtionem ſacramentalem non eſſe neceſſitatis ſicut baptiſmum, & ex aliis notatis *ſuper quartum ſententiarum* per Doctores *diſtinct.* 11. & per *gloſſas Joh.* 6. & 1. *Cor.* 11.

Sexta. In expugnatione tali ſunt inducendæ *auctoritates Doctorum Sacræ Theologiæ*, qui ſcripſerunt in hac materia, quas hic omittimus, partim, quia fuerunt *ſufficienter allegata in hoc ſacro Concilio ante damnationem prædicti*, partim quia multæ ſunt vulgatæ & notæ. Denique quia ſtat pro parte hac experientiæ teſtimonium ubilibet divulgatum, quale qui negaret, debet non ratione ſed ſenſu & flagellatione compeſci. *V. ſup. Parte XVII.*

Septima. In expugnatione tali proficere videretur, quod *Sereniſſimus Rex Romanorum, invocatus à ſacro Concilio*, acciperet *factum illud* proſequendum & terminandum, ſicut & *alias hæreſes in Bohemia*, cum potentia etiam brachii ſecularis. Attento præcipue, quod *præſens fuit & eſt in Concilio*, ubi facta ſunt decreta in hac parte. Attento præterea quod *in regno* fratris ſui, cujus eſt ſucceſſor *V. ſup. Parte XVIII. c. XI.*

ceſſor, *hæc hæreſis habet exordium*, & niſi provideatur, ſerpet in longinquum.

Octava. In expugnatione tali videretur multum proficere, præſertim apud Bohemos, ſi Concilium aut ſuppoſita ejus palam oſtenderent, nedum verbis& epiſtolis,ſed factis & exemplis, *quod non ex odio vel invidia proceditur contra eos*, ſed Zelo ſolo fidei & ſalutis animarum. Et hoc tunc fiet eis perſuaſibile, ſi videant & ſentiant in factis, *quod quæritur in hoc Concilio* exſtirpatio omnium errorum *ſine acceptione gentis alicujus vel perſonarum.* Et quod *non ſolis eis fiat*, ſicut nec fiet Domino concedente, perſecutio, & *non aliis*, deterius aut non minus errantibus, *detur favor, diſſimulatio* aut etiam *defenſio.*

Notata cauſa Johannis Parvi diu in Concilio diſſimulata, & damnanda.

Nona. In expugnatione tali videretur maximum eſſe præjudicium,ſi non libere *convenirent Theologi*, *collationes* mutuas cum charitate, & abſq; contentione frequenter *habituri.* Cum pro cauſis minoribus & profanis fiat quotidie aliorum conventio. Rurſus oportet, quod *ſtylus procedendi Theologicus* obſervetur, *non litigioſus* aut *profanus.* Super qua re alibi ſcriptum reperitur amplius.

V. in Actis Johannis Parvi.

Decima. In expugnatione tali viderentur *idonei* eſſe, quantum ad expugnationem doctrinalem, *Theologi Univerſitatum* illarum, quæ non debent à Dominis Bohemis de odio vel invidia haberi rationabiliter ſuſpectæ, & quos conſtare poteſt in aliis materiis ſinceriter, & veraciter & conſtanter hactenus decertaſſe, ſine nota hæreſis vel erroris in aliis materiis. Et ad hoc non dubium eſt parati ſunt inter cæteros *Theologi de alma Univerſitate Pariſienſi, qui magno in numero præſentes ſunt in hoc Concilio.* Sunt & *de aliis Univerſitatibus* præclaris tam numero quam merito Theologi præcellentes.

Unde dicunt eorum plurimi, *qui ſuper hoc fuerunt ſimul congregati*, quod conſuetudo licita& rationabiliter fuerit introducta de non communicando Laicos ſub utraque ſpecie. præſertim poſt multiplicationem fidelium. Et hoc propter evitationem multiplicis periculi, irreverentiæ & ſcandali, circa ſuſceptionem hujuſmodi benedicti ſacramenti.

V. ſupr. Parte XVII.

Primum periculum in effuſione.

Secundum in deportatione de loco ad locum.

Tertium in vaſorum ſordidatione, quæ deberent eſſe ſacrata, nec paſſim tractata vel tacta à laicis. Et multo minus deberet vinum conſecratum vendi Apothecis, ſicut fit apud tales, ut dicitur.

Quartum in barbis longis laicorum.

Quintum in conſervatione pro infirmis, quoniam poſſet in vaſe acetum generari, & ita deſineret ibi eſſe ſangvis Chriſti, nec ſuſcipiendum eſſet, nec noviter conſecrandum ſine miſſâ. Et fieri poſſet, quod daretur acetum purum pro ſangvine Chriſti, addito, quod in æſtate vermes aut muſcæ generarentur, quantumcunq; eſſet vas clauſum, quandoq; etiam putreſceret aut fieret velut abominabile ad bibendum. Et hæc ratio eſt efficax valde. Et ex *aliâ ratione*, quando alii multi præbibiſſent. Et quæritur, in quo vaſe fieret conſecratio tanti vini, quantum requireretur in paſchate pro decem aut viginti millibus perſonarum?

Sextum damnum eſſet in ſumtuoſitate vini ſaltem apud multas partes, in quibus vix invenitur vinum ad celebrandum, & alibi charè comparatur.

Eſſet *præterea* periculum in congelatione.

Eſſet *rurſus* periculum in falſæ credulitatis inductione. Et hoc multipliciter.

Primò, quod tanta eſſet dignitas laicorum circa ſumtionem corporis Chriſti, ſicut eſt ſacerdotum.

Secundo, quod hoc facere ſemper fuit & eſt neceſſitatis. Et ita perierunt omnes & pereunt aliter ſentientes, facientes aut docentes, & omnes generaliter, tam Clerici quàm Doctores & Prælati, qui non poſſetenus oppoſuerunt ſe tali conſvetudini, verbis, ſcriptis aut ſententiis: Et quod Sacram Scripturam omnes illi perverterent.

Tertiò, quod virtus hujus ſacramenti non eſt principaliùs in conſecratione quàm in ſumtione.

Quartò, quod Eccleſia Romana non ritè ſentiret de Sacramentis, nec in hoc eſſet imitanda.

Quintò, quod Concilia generalia, & ſpecialiter *Conſtantienſe*, erraſſent in fide & bonis moribus.

Sextò, multipliciter occaſio eſſet ſeditionum & ſchismatum in Chriſtianitate noſtrâ, ſicut experientia nunc manifeſtat *in Bohemiâ*. Quæ ſeditio nedum ad *ſpiritualem* ſed *temporalem diſſipationem* tendit, niſi Dei providentia & *Regis Romanorum* prudentia provideant & prædiſponant.

Finit tractatus adverſus hæreſin novam *de neceſſariâ communicatione Laicorum ſub utraque ſpecie*, raptim *editus Conſtantiæ*, *Anno Domini* M CCCC XVII. *die* 20. *Auguſti*.

TOMI III. PARS XXI.

NOn conſuluiſſe rebus Gerſonem ſatis erat. Majori, quam proximis duobus ſuperioribus annis in Concilio factum fuerat, vi animique inſentione rem aggredi, Conciliarium Patrum decretum poſtulabat. Datumque præ ceteris à Concilio hoc negotii *Doctori Theologo, Pragenſi, in Concilio præſenti, Mauritio de Praga*, cui Jacobellus aliique doctores Bohemi calicem ſacrum urgentes ignoti eſſe non poterant. Executurus hic ſtatim in Concilii celebritate juſſa, Jacobellum ſequenti primùm libello, autoritate Concilii munitus, publicè aggreſſus eſt.

MAURITII DE PRAGA
in Acad. Pragenſi Prof. Theol.
In Conſtantienſi Concilio tunc præſentis

TRACTATUS I.
contra
JACOBUM DE MISA, BOHEMUM,
DE COMMUNIONE CORPORIS ET SANGVINIS CHRISTI.

Juſſu ac autoritate Concilii Conſt. ſcriptus, ac editus
Conſtantiæ in Concilio A. 1417. *d.* 8. *Dec.*

Ex antiquiſſimis Codicibus MSCtis
CÆSAREO VINDOBONENSI AC ELECTORALI BEROLINENSI.

PRÆFATIO.

Officium, in Concilio contra Jacobum de Miſa ſcribendi, per Conſtantienſe Concilium Autori eſſe demandatum.

IN Filio Mariæ Virginis, in quo vivimus, movemur, & ſumus. Apoſtolica docet ſententia de matrice, *ſancta & univerſali eccleſia*, quod Chriſtus tradidit ſemetipſum pro eccleſia, ut exhiberet ſibi eam glorioſam, non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid hujusmodi, *Epheſ. V.*

Quia verò *in moribus & conſvetudinibus, partis diſſenſio* univerſitati eccleſiæ parit maculam, quæ prorſus purganda eſt, *B. Auguſtino in L. III. Confeſſ.* dicente: *Quæ ſunt contra mores hominum, quaſi flagitia vitanda ſunt, pro morum diverſitate, ut pactum inter ſe gentis aut civitatis conſvetudine aut lege firmatum, nullius civis aut peregrini libidine violetur. Turpis enim eſt omnis pars univerſo ſuo non congruens.* Qualis turpitudo eſt quorundam *aſſertio*, contra univerſalem eccleſiæ conſvetudinem ſvadens, *quod laici teneantur ſacramentum euchariſtiæ ſumere ſub utraque*, ſcilicet *panis & vini, ſpecie*. Quamobrem *ſacroſancta ſacerdotum ſynodus*, ſciens, Chriſti ſponſam, eccleſiam, ut immaculatè ſecundum B. Hieronymum conſervetur, ſibi ſingulariter & fideliter eſſe commiſſam, ſponſo dicente: *Curam illius habe, & quodcunque ſupererogaveris, ego tùm cum rediero, reddam tibi.* Luc. X. pro-

Digitized by Google

per *purificationem univerſalis eccleſia* decrevit præfatam maculam abſtergere.

Et, myſterio *præcedentis cleri* præhabito: Quo, poſtquam *ſumtionem venerabilis ſacramenti, ſub utraque*, ſcilicet *panis & vini ſpecie, per Chriſtum poſt cœnam inſtitutam*, cunctis Chriſti fidelibus clerus primitivæ eccleſiæ conceſſiſſet: Sed ritum ſumtionis *poſt cœnam*, quanquam à Chriſto exhibitum, nihilominus, excepto neceſſitatis articulo, excluſiſſet: Ac deinde *clerus ſubſequens* ſumtionem venerabilis ſacramenti *de calice*, eadem poteſtate, quâ *clerus præcedens*, poſt cœnam ſumtionem, *à laicis* duntaxat, ſuſtuliſſet: Tandem *ſacra Conſtantienſis ſynodus*, in eadem ſuccedens auctoritate, ſtatuit, laudabilem eccleſiæ conſvetudinem, quâ *laici hactenus non ſumſerunt ſacramentum euchariſtia ſub vini ſpecie*, decreto venerabiliter roborare.

Apoſtolico nimirum freta *præſidio*, quô in perſona Timothei inſtruitur, *prædeceſſoris inhærere ſanctionibus*, nec ab earum obſervantia novitatum ſuperſtitionibus aliquatenus divelli. Dixit enim apoſtolus: *O Timothee, depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates, oppoſitiones falſi nominis ſcientia, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.*

Quales his temporibus apparuerunt, præmiſſam *auctoritatem eccleſia & ſui cleri* infringentes, atque è contrario dogmatizare præſumentes: Videlicet: *Quod communio venerabilis ſacramenti corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſub utraque ſpecie panis & vini cunctis fidelibus miniſtranda ſit, eſt Verbum, & lex, veritas & inſtitutio, ac evangelium Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ſuorum apoſtolorum, & eccleſia primitivæ, quæ per nullam eccleſia Romana conſvetudinem, quantumcunque vetuſtam, vel cujuslibet Romani Pontificis, ſeu concilii vel ſynodi conſtitutionem, ſententiam, ſeu decretum poteſt infringi, tolli, vel quovis modo caſſari, & annullari.* Ex his palam præferentes, quod ſit *de neceſſitate ſalutis, laicos ſacramentum euchariſtia ſumere ſub utraque ſpecie, quodque prædictus ſumtionis ritus* per nullam auctoritatem eccleſiæ valeat mutari, ex eo, quod ſic eſt *per Chriſtum ſervari mandatus.*

Jacobell' cum Bohemis.

Verba Jacobelli. Vid. infr. Parte 22.

Tandem in ſui erroris ſubſidium, *divina eloquia*, quæ non niſi ſenſu eccleſiæ ſunt exponenda, adulterino inarietantes ingenio, *contra* præfatam *eccleſia conſuetudinem* peſtifere conflaverunt, ac doctores eccleſiæ ſanctiſſimos ex aſſumtis dogmatibus hoſtes conſtituerunt ferociſſimos: Reliquam vulgi multitudinem adverſus eccleſiam ſuſcitantes, quaſi *eccleſiaſtici laicis ſubtraxiſſent ſalutem*, ex ſacramentis debitam, *negando ſumtionem calicis*, & quos ſalvare debuerant, per tot annorum curricula ſalute privaverint.

V. Jacob. inf. P. XXII.

Sicque ſcindentes unitatem eccleſiæ, conſtantem ex laicis & clericis, *unam* eſſe ſanctam *eccleſiam catholicam* negaverunt.

Itaque tantam non ferentes injuriam Patres ſanctiſſimi, per *ſacrum Conſtantienſe Concilium* judices fidei deputati, & prorſus paratiſſimi ſemper ad ſatisfactionem non ſolum poſcentibus, ſed inſuper prævenientibus, rationem concluſivam reddere de ea, quæ in ipſis eſt, fide: Mihi *Profeſſori S.S. Theologiæ minimo, Fratri Mauritio de Praga*, ubi præfatum dogma vomuit, tanquam magis de materia conſcio, *præceperunt* in virtute eccleſiaſticæ obedientiæ, ut occurrerem pro poſſe, ex rationibus, poteſtatis eccleſiaſticæ atque ſui decreti declarativis, & præfati dogmatis deſtructivis.

Sciens ergo, *obedientiam* præferri victimis, & ſcelus idololatriæ ſuperioribus nolle acquieſcere, ſed nec poſſe errare ſub tantis patribus: Statui, *in virtute mandati*, utcunque juxta mihi præcognitas conditiones ſic dogmatizantium admonitionem præmittere beati *Auguſtini*, in principio *L. II. de Civ. Dei*, in hæc verba: *Si ratione perſpicua veritatis infirmus humana conſuetudinis ſenſus non auderet obſiſtere, ſed doctrina ſalubri languorem ſuum tanquam medicina ſubderet, donec divino adjutorio, fide pietatis impetrante, ſanaretur: Non multo ſermone opus eſſet, ad convincendum quemlibet vana opinionis errorem, his, qui recte ſapiunt, & ſenſum verbis ſufficientibus explicant. Nunc vero, quia ille eſt major & tetrior inſipientium morbus animorum, quo irrationabilis*

Digitized by Google

motus ſuos, etiam poſt rationem redditam plene, quanta homini ab homine debetur, ſive nimia cæcitate, qua nec aperta cernuntur, ſive obſtinatiſſima pervicacia, qua & ea qua cernuntur, non feruntur, tanquam rationem veritatemq; defendunt: Fit neceſſitas copioſius dicendi, ut plerumq; res claras, velut eas non aſpectantibus intuendas, ſed quodammodo tangendas palpantibus & conniventibus offeramus. Et tamen quis diſceptandi finis erit & loquendi modus, ſi reſpondendum eſſe ſemper reſpondentibus, exiſtimemus. Nam qui vel non poſſunt intelligere quod dicitur, vel ob perverſitatem mentis tam duri ſunt, ut etiamſi intellexerint, non obediant, reſpondent, ut ſcriptum eſt: Et loquuntur iniquitatem, & infatigabiliter vani ſunt. Quorum dicta contraria ſi toties velimus refellere, quoties obnixa fronte ſtatuunt non cogitare quid dicant, dum quocunq; modo veris diſputationibus contradicant, quam ſit infinitum ærumnoſum & infructuoſum vides. Quamobrem nec te ipſum, Mi fili Marcelline, nec alios quibus hic labor noſter in Chriſti caritate utiliter ac liberaliter ſervit, tales ſcriptorum meorum velim judices, qui reſponſionem ſemper deſiderent, cum his, quæ leguntur, audierint aliquid contradici, ne fiant ſimiles earum mularum, quas commemorat apoſtolus, ſemper diſcentes, & ad veritatis ſcientiam nunquam pervenientes. Hæc Auguſtinus.

CAP. I.

De autoritate Eccleſiaſtica, & obedientia Eccleſiaſticis debita.

TAndem vero *rationem auctoritatis eccleſiaſticæ* & ſacri generalis concilii proferam, ejusdem rationis aſſumens exordium *de fundamento fidei revelato per Chriſtum*, quo novam fundando eccleſiam cuidam cupienti ejusdem fundamenta noſcere legitur reſpondiſſe, *Johann. III. Oportet vos naſci denuo. Cujus ſecundæ nativitatis* mox *modum* ſubjunxit & *cauſam: Quia, niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei.* Cujus ſubdit rationem ipſam, videlicet naturalis nativitatis inſufficientiam, dicens: *Quia quod natum ex carne, caro eſt.* Et concludens: *Quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.*

Ex his liquide proteſtatur, pro aſſequenda beatitudine neceſſario *ſecundam nativitatem de ſpiritu* concurrere *per baptiſmum.*

Quæ, inquam, ſecunda nativitas amplius quam prima, pro ſui educatione *parentum* requirit *notitiam* atque curam. Quorum *etſi* notitiam tradiderunt apoſtoli per ſymbolum, in quo Chriſtus incarnatus de virgine *pater* oſtenditur, ipſa vero *eccleſia catholica*, ut vera *mater*, teſte apoſtolo, ex verbis protoplaſtæ: *Erunt duo in carne una: Sacramentum hoc magnum eſt: Ego autem dico in Chriſto, & in eccleſia.* Hanc enim Chriſtus in incarnatione ſibi uxorem copulare dignatus eſt. Cujus matrimonii proles ſunt per baptiſmum renati eodem ſpiritu de eccleſia, quo Chriſtus de virgine Maria. Curam *tamen* hujus prolis Chriſtus affectu paterno ſollicitans, ne ex ſuæ paternitatis abſentia, properante in cœleſtia, *genealogia* deficeret, *ſacerdotale* genus in *paternitate* ſibi decrevit ſuccedere, eidem aperte proclamans: *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit: Qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui me miſit. Luc. X.* Similiter de *eccleſia*, tanquam de matre Mat. XVIII. proteſtatus: *Qui eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus.*

Ex his palam *prolis ſalutem* concludens in *iſtorum obedientia parentum: Honora patrem & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram:* Non quidem morientium duntaxat, in qua & de qua hujus prolis oritur generatio: Sed inſuper viventium, pro qua ejus noſcitur finalis productio. Salvatore huic proli *Matth. V.* promittente: *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram:* Et infra c. XXV, ſententiante: *Poſſidete vobis paratum regnum.*

Quam quidem *ſalutem ex hac obedientia* & ipſe *Salomon Proverb. I.* annunciat dicens: *Audi fili mi diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.*

CAP.

CAP. II.

Doctrinam Eccleſiæ univerſalis tenendam eſſe in fide & moribus.

QVapropter, pro iſtorum *duorum* honore *parentum*, inhonoratorum per dogma præſatum, renatæ proli duas *concluſiones offero*, prædicti dogmatis *deſtructivas*, & horum parentum honoris conſervativas.

Quarum prima matrem reſpiciens, eſt iſta: *Inprimis credendum & tenendum eſt*, in moribus fidei, à quolibet viatore fideli, *quicquid credit & tenet eccleſia catholica*, etiamſi oppoſitum ſvaderent Magiſtrorum millia.

Probatur ſic. Quia in progreſſu viæ cuilibet viatori pro aſſecuratione eſt inhærendum indeviabili certitudini. Eò, quòd via ad vitam directiva prærequirit ſolidam veritatem, de qua Salvator ait: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Sed Magiſtrorum doctrina eſt deviabilis, dicente Propheta in raptu revelationum cœleſtium: *Omnis homo mendax.* Doctrina verò eccleſiæ catholicæ in credendis & eorum agendis eſt indeviabilis: Salvatore aſſecurante, de doctrina eccleſiæ, & hanc ſecuritatem, ſine qua viatoribus nullo modo eſt ſecuritas, tanquam ſalvum conductum præſtante, videlicet; *Quod portæ inferi non pravalebunt adverſus eccleſiam. Portas inferi*, inquit *Hieronymus*, *vitia reor eſſe, atque peccata, quoad agenda, vel certe hæreticorum doctrinas quoad credenda, quæ adverſus eccleſiam pravalere non poſſunt.*

CAP. III.

Eccleſiam non peccaſſe, dum calicem ſubtraxerit.

Jacobell' infr. Parte XXII.

QVamobrem, ſi *communio calicis* fuiſſet laicis debita de neceſſitate ſalutis, ſicut vult aſſertio peſtifera, & eccleſia catholica illud debitum laicis jam ſubtraxiſſet per plura annorum centena: Profectò *ex hujusmodi ſubtractione* debiti, *eccleſia* agens indebitè, *peccaſſet mortaliter*, & ſic portæ inferi prævaluiſſent, ei Chriſto ſalvum conductum infringente.

Cumque *univerſalis eccleſia*, conſtans ex hujusmodi baptizatis, clericis ſic calicem non dantibus, & utriusque ſexus laicis non accipientibus, *per* illa *annorum centena* fuiſſet *peccato mortali obnoxia*, tanquam fractrix legis & mandati evangelici: Liquet, quod *per illa tempora non fuiſſet ſancta*, contra articulum apoſtolici ſymboli, aſſerentis, quod ſicut neceſſarium eſt, credere Chriſtum incarnatum, ſic neceſſarium eſt, credere *ſanctam eccleſiam catholicam*, quam voco *baptizatorum familiam*, baptiſmi charactere à non baptizatis familiis diſcretam.

Quæ docens & tenens, *non licere nec deberi laicis communionem calicis*, ſic ſcienter, contra veritatem evangelicam, quam aſſerit novitas præfati dogmatis, *eſſet* profectò *hæreſeos infecta peccato*, contra ſecuritatem Chriſti, de fide eccleſiæ Petro dicentis: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua:* Non quidem *perſonalis*, quia illa defecit in negatione, ſicut ex ſequentibus colligitur, *Cùm aliquando converſus fueris, confirma fratres tuos:* Qui non diceretur *converſus*, niſi prius à fide propria fuiſſet *averſus*: Igitur rogat, ut *fides eccleſia*, Petro commiſſæ, non deficiat.

Apoſtolus verò *Ebraeor. V.* aſſerit, *Chriſtum exauditum pro ſua reverentia in omnibus.* Sicque certificans, eccleſiam, pro cujus Chriſtus fide oravit, errare non poſſe. Quæ profecto *erraſſet*, *nec Chriſtus exauditus fuiſſet*, ſi eccleſia communionem calicis de neceſſitate ſalutis laicis debitam ſuſtuliſſet.

Ceterùm quomodo hic *error* non *ceſſiſſet niſi in ingloriam ſancto ſpiritui?* Vitiú namque ſubditorum, per ignorantiam invincibilem peccantium, imputari conſvevit rectori, *Ezech. III. Speculatorem dedi te, ſi non annunciaveris impio, & ipſe in peccato ſuo morietur, ſanguinem ejus de manu tua requiram.* Sed regimini

ſancti ſpiritus noſcitur commiſſa ſancta eccleſia ex fidei ſymbolo.

Et rurſum Chriſto dicente Apoſtolis cum ſuis ſucceſſoribus: *Multa habeo vobis dicere, & non poteſtis portare modo; Cùm autem venerit ſpiritus veritatis, ille docebit vos omnem veritatem.* Quia ergò *ſpiritus ſanctus non docuit eccleſiam in tot annis communionem laicorum de calice*, de qua dicit iſta peſtifera aſſertio, quod ſit veritas evangelica: Liquet, quod ſpiritus ſanctus non omnem in eccleſia ſaluti neceſſariam & evangelicam docuiſſet veritatem.

Præterea *Chriſtus promiſit aſſiſtentiam* eccleſiaſticis dogmatibus & *& Doctoribus*, dicens: *Euntes docete omnes gentes, & ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi.* Quomodo ergo huic dogmati, quo eccleſia docuit, laicos non debere ſumere ſacramentum euchariſtiæ ſub vini ſpecie, Chriſtus aſtitit, qui, ſicut ſibi imponit illud dogma peſtiferum, oppoſitum adſtruxit?

Cumque omnes fideles de *ſalutari obedientia* ſacerdotum in perſona ſui ex præmiſſis aſſecuraverit: Quomodo ſub tali ſecuritate eos *per ſacerdotes*, negantes communionem calicis, *decipi* permiſit?

CAP. IV.

Eccleſiam habuiſſe jus communionem calicis tollendi.

PОrrò, eccleſia poſt acceptam poteſtatem à Chriſto, ſicut eſt *ejuſdem entitatis*, ſic & *autoritatis*, propter præfatam Chriſti aſſiſtentiam. Quamobrem, ſi tempore Apoſtolorum *primitiva eccleſia* baptizando in nomine Domini Jeſu *Actor. II. VIII. X formam baptiſmi* in nomine Patris, & Filii & Spiritus S. à Chriſto traditam Apoſtolis, *Matth. ult. mutare potuit*, ad ſolum inſtinctum Spiritus S. ſine revelatione ſpeciali: Sed ſolùm attentâ utilitate credentium: Liquet, à fortiori ratione, quod *ſimiliter potuit eccleſia communionem calicis*, in primitiva eccleſia laicis indultam, ex pòſt *tollere*. Cùm forma baptiſmi ſit magis fidelium ſaluti neceſſaria, quàm communio ſacramenti, non ſolùm ſub vini ſpecie, ſed etiam panis, ſicut in parvulis patet.

Rurſum, ſi uxor virum ſequi tenetur, eò, quia vir eſt caput mulieris, *I. Cor. XI. Sed Chriſtus*, vir eccleſiæ, *in N. T. prohibuit plurima, quæ in veteri præceperat*: Nec quiſquam fidelium mutationem hujuſmodi execratur, ſed prorſus veneratur: *B. Auguſtino III. Confeſſ.* ſibi dicente: *Cùm autem aliquod ſed repentè inuſitatum & improviſum imperas, etiamſi hoc aliquando vetuiſti, quamvis cauſam imperii tui occultes, & quamvis ſit contra pactum aliquorum hominum ſocietatis, quis dubitat eſſe faciendum?* Igitur hujuſmodi mutationes *matris eccleſiæ* ſunt venerandæ, ſicut & *Chriſti, patris.* Tenet conſequentia. Quia pariter honorari mandantur, ut dicitur: *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Præſertim, quia in hoc conjugio Chriſtus habet ab eccleſia humanitatem, ſecundum quam eſt vir & pater, teſte Auguſtino ſuper Johannem.

CAP. V.

Romanam Eccleſiam eſſe audiendam, quæ conſvetudinem communicandi ſub una obſervaverit.

CEterum ſicut genus ſacerdotale gerit vices Chriſti in paternitate, juxta præmiſſa: Sic *Romana eccleſia gerit Vicariam univerſalis eccleſiæ* in maternitate, ſcribente Marcellino Papa ad Athanaſium, & omnes Ægypti epiſcopos, in hæc verba: *Romana eccleſia, quæ eſt mater omnium Chriſti eccleſiarum, per omnipotentis Dei gratiam à tramite apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probatur, nec hæreticorum novitatibus depravata ſuccubuit.* Sed, ut in exordio normam fidei Chriſtianæ percepit ab auctoribus ſuis, apoſtolorum Chriſti Principibus, ſic ſemper immaculata permanſit. Et Domino providente, & B. Petro opem ferente in futuro, ſine ulla hæreticorum inſultatione

Digitized by Google

tatione firma & immobilis manebit. Sed *Romana eccleſia, per contrariam conſuetudinem, quâ ſub ſola ſpecie panis laicos communicat, communionem laicorum ſub utraque ſpecie reprobat:* Igitur talis laicorum communio ſub utraq; ſpecie prorſus eſt deteſtanda, *Antiocheno concilio* conteſtante: *Omnes, qui averſantur ſanctam ſumtionem Dominici ſacramenti ſecundum aliquam propriam diſciplinam, hos ab eccleſia abjici oportet.*

De qua ejectione loquitur *B. Hieronymus, ad Heliodorum* monachum dicens: *In veteri quidem lege habetur: Quicunque ſacerdotibus non obtemperaſſet, aut extra caſtra poſitus lapidabatur à populo, aut gladio cervice ſubjectâ contemtum expiabat cruore. Nunc verò inobediens ſpirituali animadverſione cruciatur, aut ejectus de eccleſia rapido ore Dæmonum decerpitur.* Et allegatur transſumtivè in *Can. XI. q. 2. Abſit.* Sub auctoritate Anthonii Papæ, qui longè tamen B. Hieronymum anteceſſit.

CAP. VI.

Conciliorum decreta eſſe obſervanda, quibus jam olim uſus calicis interdictus.

Ex præmiſſis itaq; patet, quantum ſit obediendum eccleſiæ, ad quam omnia, quæ ſuperant, ſunt reducenda. Salvatore deſuper Petro dicente: *Dic eccleſiæ Matth. VIII.*

Verum quia eccleſiam catholicam ſparſam per orbem terrarum pro condendis inſtitutionibus congregari non ſolum eſt difficile, ſed inſuper pro ejus latitudine, qua extendit palmites ſuos usque ad mare, & usque ad flumina propagines, etiam admodum impoſſibile, præſertim propter baptizatos pueros in cunis vagientes. In cujus myſterium *Deut. XVI.* ſolum patresfamilias ſinguli proprias repræſentantes, in unum locum divinitus convenire jubentur: Qui ſecundum B. Hieronymum *conventionem ſynodalem* figurabant *Epiſcoporum*, apoſtolico gradui ſuccedentium velut patres. *Quorum conſtitutionibus* ex jam dictis *parere neceſſe eſt.* Quibus licet decreverint, ad Romanam eccleſiam, in maternitate ſuccedentem univerſali eccleſiæ, aliquas particulares eccleſias velut filias reduci debere: Tamen, quia Romana eccleſia habet intereſſe principaliter aliarum eccleſiarum conventui, in quo ſimiliter hujusmodi paternitas & maternitas adunantur: Qua in re pro parte patris, ſecundam pono concluſionem: Videlicet, quod firmiſſime *credendum & tenendum eſt, in fide & moribus eccleſia, quicquid credit & aſſerit ſacrum generale concilium.* Ex eo, quia ratione repræſentationis univerſalis eccleſiæ, quæ ex præmiſſis eſt indeviabilis, ipſum etiam generale concilium eſt indeviabile. Aſſecurante Salvatoris ſententia, *Matth. XVIII.* Dic eccleſiæ. Et mox ſermonem cum adjuratione convertente ad concilium, prout eſt repræſentativum eccleſiæ: *Amen dico vobis, quæcunq; ligaveritis, ſuper terram, erunt ligata in cælis.*

Si ergo patrum generale concilium, communionem calicis, olim in primitiva eccleſia laxatam laicis, ex poſt ligare non potuit, ut dicit illa perverſitas: Quomodo quæſo ſuprema dixit veritas congregatis in concilio: *Amen dico vobis, quæcunq; ligaveritis &c.*

Qvamobrem quia revera ligare potuit Chriſto adjurante: Hinc ex illa poteſtate *VI. Conſtantinopolitana ſynodus prohibuit laicis communionem calicis*, tanquam ceremoniale tranſitorium. Quod tamen ſacerdotibus, velut rationale morale faciendum injunxit, dicens: *Circa ſanguinem ceremonias in eccleſia celebramus. Ita quippe accedimus ad benedictiones arcanas, & ſanctificamur, participes effecti tam ſanctæ carnis, quam pretioſi ſanguinis.* Qua ratione in lege veteri rudes *arcana eccleſiæ* videre vetantur, ſcripturâ figuraliter dicente: *Nolo perdere populum Caath. Num. IV.* Tale vero *arcanum*, quanquam ceremoniale & aufferibile, eſt *communio ſacramenti laicorum de calice*, ſicut ſequentia manifeſtabunt.

Porro, ut ſuper hac materia omnis tolleretur querela, ſtatuit *VI. Toletanum* con-

concilium, etiam in neceſſitatis articulo *nullo modo laicis miniſtrare communionem calicis*, dicens: *Cum nihil in divino canone debeat eſſe confuſum, nihil dubium, nihil etiam indiſcretum, in collationem noſtri cœtus relatus eſt canon Toletani I. concilii, in quo præceptum eſt, ut ſi quis acceptam à ſacerdote euchariſtiam non ſumſerit, velut ſacrilegus repellatur.* Nec adjecta eſt ibi diſcretio voluntatis. Cum & fidelis accipiat fidenter, quod naturaliter illum neceſſitas deglutire non ſinit. Quod etiam in multorum exitu vidimus, qui optantes ſuis votis ſacræ communionis viaticum, regravati tanto ſiccitatis pondere, ut nullis ciborum illationibus, ſed vix tantumdem illati delectabantur poculi gratia ſuſtentari, collatam ſibi à ſacerdote euchariſtiam rejecerunt. Non quod infidelitate hoc agerent, ſed quod propter dominici calicis hauſtum traditam ſibi euchariſtiam non poſſent deglutire. Non ergo hujuſmodi à corpore eccleſiæ ſeparandi ſunt, qui talia non infidelitate, ſed neceſſitate fecerunt.

CAP. VII.

Quod in primitiva Eccleſia laicis fuerit conceſſa communio calicis in memoriam martyrii, quotidie illis imminentis. Quo fine poſtmodum ſublato, ſublata quoque ſit inter laicos communio calicis.

Cujus *ſtatuti* ratio & auctoritas ex veritate colligitur evangelica, in qua *ſacramenta eccleſiæ cenſentur eſſe medicina*, miniſtrandæ diverſimodè, non pro infirmi, ſed pro Medici voluntate, ac morbi varietate, per *ſacerdotum* miniſterium, *quos* fore decrevit medicus humani generis Samaritanus, *Luc. X. Qui*, penſata iniquitatis abundantia & caritatis refrigeſcentia, *Matth. XXIV. Calicis communionem, olim in eccleſia primitiva conceſſam laicis, ſuſtulerunt.* Ex hac nimirum ratione. Cum enim ſacramentum euchariſtiæ ex vi vocis ſit *ſacramentum charitatis*, quæ ſola curat & operit multitudinem peccatorum, *I. Petri IV.* In primitiva vero eccleſia charitas laicorum efferbuerat, ad effundendum pro Chriſto ſanguinem, ſive ex reamatione viciſſitudinis, ad quam invitat apoſtolus dicens: *Hoc ſentite in vobis, quod eſt in Chriſto Jeſu*, ſive ex recompenſatione ſatisfactionis, B. Petro præmonente: *Chriſto igitur paſſo, & vos eadem cogitatione armamini:* Quo exemplo *Actor. V.* ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati. Præſertim quia Chriſto, ad paſſionem invitanti, ſecundum Hieronymum: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Efficaciter reſponderunt ex fervore Martyrii: *Poſſumus.* Quoniam alter alterum ad paſſionem prævenire certabat, cum Propheta decantans: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? *Calicem ſalutarem accipiam, & nomen Domini invocabo.* Tunc qui epiſcopatum deſiderabat, non aliud quam martyrium optabat, ſecundum *Gregor. I. Paſtoral.* perſecutionibus omni hora mortem intentantibus. Tunc *qualibet hora licebat laicis in provocationem effundendi ſanguinis bibere de calice ſanguinem.*

Pro quo caſu *B. Cyprianus in epiſt. XXXVII.* de lapſis dicebat: *Et cum ad hoc fiat euchariſtia, ut poſſit accipientibus eſſe tutela: Quos igitur tutos eſſe contra adverſarios volumus, munimento Domini, ſacramento ſecuritatis armemus. Nam quomodo docemus, aut provocamus eos, in confeſſione ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, ſi non eos prius ad bibendum in eccleſia Dei divinum poculum jure communicationis admittimus?* Hæc ille.

Verum, quia talis fervor charitatis erat donum ſingularis privilegii, teſtante apoſtolo, *Phil.6. Vobis donatum eſt per Chriſtum, non ſolum ut in eo credatis, ſed etiam ut pro illo patiamini.* Quia ſecundum B. Auguſtinum, ſicut nullus in hanc vitâ eſt melior introitus, quam per baptiſmum,

mum, ſic nullus tutior exitus quam per martyrium: In quo ſicut in baptiſmo omnia tolluntur peccata, in cujus miniſterium ſuper Chriſtum primum baptizatum, & ſuper Stephanum primum pro Chriſto lapidatum, cœli leguntur aperti: Privilegia vero paucorũ non ſunt trahenda in conſequentiã, ſicut illa trahere videtur præfata aſſertio, quia jam non eſſent leges privatæ ſed communes: Quamobrem *ceſſante tali ſtatu eccleſiæ, ac tali laicorum privilegio, merito ceſſare laicis debuit de calice communio.*

Ex eo, quia poſt martyrum tempora, quæ *Apocal. VI.* equus ruffus figurabat, ſequuntur *perſecutiones confeſſorum ab hereticis*, equo nigro inſidentibus, & pro ſuæ voluntatis arbitrio ſtateram ſacræ ſcripturæ librantibus. Quibus imperatorum jungitur concio equo pallido præſidentium, & ſine ſignatarum paſſionum experientia ipſa ſigna paſſionum prædicantium, atque hypocrytice allegantium laicis debitam communionem calicis ex conſequentia eccleſiæ primitivæ, ſed paſſionum ſignatarum experientias in conſequentiam trahere formidantium. Revera generatio prava, pro ſigno ſine ſignato contendens, & in erroris adjutorium quam plurimas allegans frivole ſcripturas.

Quapropter Eccleſia *ob ſignatarum paſſionum defectum* merito etiam *ſignum Chriſti ſanguinis de calice laicis prohibuit.*

Et hoc quidem modo Apoſtoli propter perſecutionem nominis Chriſti Jeſu baptizabant tantum in nomine Domini Jeſu, *Actor. VIII.* Euchariſtia vero in primitiva eccleſia ſumebatur poſt prandium 1. *Cor. XI.* Et ut dicit Leo Papa: Olim pro tempore propter errorem in obſervatione legalium conficiebatur in fermento. Quæ omnia nunc non licent.

Non ergo *in omnibus primitivæ Eccleſiæ ſunt ritus ſequendi*, ut dicit iſta aſſertio. Quoniam non eodem curſu reſpondent ultima primis.

CAP. VIII.

Concilium Conſtantienſe habuiſſe jus, uſum receptum negati calicis confirmandi.

TAlibus inquam, *ſacra ſynodus* permota conſiderationibus, *communionem de calice*, olim laicis oblatam, ſcripto frangere decrevit, poteſtate indeviabilis præſidentiæ, qua regitur, ſubnixa.

Cum enim auctoritate Præſidentis jura firmentur & leges; quemadmodum univerſalis de ſe fatetur præſidens: *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt Prov.* 6. Chriſtus vero aſſerit ſe Præſidentem generalis concilii, dicens *Matth.* 8. *Ubi duo vel tres congregati fuerint in meo nomine, ibi ſum ego in medio eorum*, extrema conjungens, & diſſidentia paciſcens: Apoſtoli vero in ſuo generali concilio præſidentiam & definitionem concilii attribuebant ſancto ſpiritui, dicentes *Act. XV. Viſum eſt ſpiritui S. & nobis &c.* Quamobrem, poſtquam apoſtoli in eodem concilio legalia per Chriſtum ſervata & ſervari mandata potuerunt tollere: Liquet, propter indemnitatem præſidentis continui, dicentis: *Ecce, ego vobiscum ſum uſque ad conſummationem ſeculi*; Quod *ſequentia poſt apoſtolos concilia rationabiliter potuerunt tollere olim conceſſam laicis communionem calicis.*

CAP. IX.

De fide laicorum, ſub una ſpecie eſſe verum corpus & verum ſanguinem Chriſti.

PRæſertim ad firmandum fidem in Eccleſia Dei hujus venerabilis ſacramenti, circa quod *laicalis populus ſic tenetur credere, quod per ſe ſub qualibet ſpecie hujus ſacramenti eſt pleniſſime verum corpus Chriſti, & ſanguis, ſecundum eſſentiam*

tiam, qualitatem & quantitatem, *cum Deitate & anima*, *tam quoad eſſe*, *quam quoad cooperari*, *inſinuante vitam*, *virtutes & gratiam*, Chriſto, dicente ad confirmationem tantæ fidei, de panis duntaxat ſpecie, & nullam mentionem faciente de ſpecie vini: *Ego ſum panis vivus*, *qui de cœlo deſcendi*, *ſiquis manducaverit ex hoc pane*, *vivet in æternum*, etiamſi non biberit de calice, quia ſanguinem ſufficienter ſumit ſub panis ſpecie. Palam oſtendens, quod communio calicis non eſt laicis de neceſsitate ſalutis, ſicut Chriſto imponit dogma peſtiferum.

Quamobrem ex tanta Chriſti autoritate voluit eccleſia ad hanc fidem ſacramenti *ſub panis tantum ſpecie arctare laicalem populum per ſubtractionem ſacramenti ſub vini ſpecie*: Ne rudis populus plus ſubſtantialiter & efficaciter ſacramenti eſſe crederet ſub duabus ſpeciebus, quam ſub una. Quoniam ſine hac fide, actu vel habitu, impoſsibile eſt quemquam placere Deo. Et ad hanc ſententiam omnes *Doctorum auctoritates* ſunt reducendæ.

CAP. X.

De Sacramenti illius integritate ſub una ſpecie.

EX quibus patet, ipſam *duplicem ſpeciem*, panis ſcilicet & vini, *non eſſe expreſſe inſtitutam* ſic connexe & ſimultanee, propter Sacramenti *ſubſtantiam & efficaciam*, quaſi ſub duabus ſpeciebus plus *eſſet & operaretur*, quam tantum ſub una. Sed duntaxat propter ſignificationem & denominationem Sacramentalem, extrinſecam ſacramento. Quæ, inquam, ſignificatio non concernit ſacramenti ſubſtantiam, vel operationem, ſed tantum uſum & uſus denominationem, ad quæ ſacramenta ordinantur. Qui inquam *uſus*, licet ſit in aliis ſacramentis ſubſtantialis, huic tamen ſacramento eſt omnino *accidentalis*, ex eo, quia ſine uſu & perceptione hoc ſacramentum in ſpeciebus durantibus manet perfectum in ſua ſubſtantia, remanente in ipſo, ſicut in aliis ſacramentis, ſignificatione & denominatione ſacramentali. Quia, ſicut *in baptiſmo aqua* lotio exterior eſt ſignum lotionis interioris per gratiam, ſic *in ſumtione euchariſtiæ* cibatio exterior, conſueta fieri in duplici ſpecie, panis ſcilicet & vini, eſt ſignum plenæ cibationis interioris. Quæ cibatio, licet ſit æque plene & realiter ſub una tantum ſpecie, ſigno tamen ſenſibili & ſacrementali non æque plene exprimitur ſenſui, niſi *ſub duplici ſpecie*.

CAP. XI.

De variis figuris & Symbolis, quæ eruditiores ſub duplici ſpecie in Euchariſtia conſiderare poſſint.

QUa *duplicitas* apud *ſapientes & induſtrios* ſalubris plurimorum figuratorum poſſet eſſe figura, juxta quatuor ſenſus ſacræ ſcripturæ.

Nam *hiſtorice*, *perfectio corporalis cibationis* in duplici ſpecie, ſcilicet panis & vini, eſt expreſſum *ſignum perfectæ cibationis animæ*, per gratiam venerabilis Sacramenti, cauſatam ſub duplici ſpecie.

Allegorice vero. Poſtquam in creaturis non fit major aliquorum approximatio, quam per cibationem *unius in alterum converſio*, ſive corporaliter alimenti in alitum, *Ariſtot. II. De anima*, ſive ſpiritualiter aliti in alimentum; Qualiter *eſt III. de Anima*: *Ibi plus eſt anima*, *ubi amat*, *quam ubi animat.* Qui modus in hoc ſacramento digne ſumentibus obvenit, Chriſto B. Auguſtino inſpirante: *Non tu me mutabis in te*, *ſicut cibum carnis tuæ*, *ſed tu mutaberis in me*; Et conſequenter communiter omnibus pronunciante: *Qui manducat me*, *& ipſe vivet propter me*: Et hoc dupliciter. Vel (1) *ad bonam vitam applicando*, per immutationem meæ vitæ in carnem; Quæ mutatio figuratur in converſione panis in carnem, virtute ſacramentali: Vel (2) à peccatis abſtinendo, propter effuſio-

effuſionem ſanguinis, in peccatorum remisſionem & deteſtationem. Quæ figuratur in ſacramento ſanguinis converſi ſub ſpecie vini.

Tropologice ſive *Myſtice*. Cuilibet viatori ad ſalutem duo ſunt necesſaria, ſcilicet Chriſti incarnatio, figurata per ſacramentum corporis ſub panis ſpecie, (2) Chriſti paſſio, figurata per ſacramentum ſanguinis ſub vini ſpecie. Et quia ſine iſtis figuratis non contingit quenquam ſalvari, jure iſtam figuram Salvator expresſit dicens: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habetis vitam in vobis.*

Anagogice. Panis cor hominis conſervat, & vinum lætificat; Sed firmitas in via non certe eſt niſi per fidem & ſpem, lætitia verò per charitatem, quæ foris expellit timorem. Igitur cum fidei ſuccedat clara viſio, & charitati fruitio, in quibus perficitur patriæ beatitudo: Liquet, duplicem ſpeciem ſacramenti in via, patriæ fore figuram.

CAP. XII.

Laicis illis ſymbolicas conſiderationes duplicis ſpeciei in Sacramento non competere.

VErum, quia *laici*, habentes præfatam de Sacramento venerabili hiſtoriæ fidem, non tenentur ſe occupare circa hujusmodi ſignorum relationes duplicis ſpeciei, propter ſuam ruditatem & irreligioſitatem, dicente Apoſtolo *Ebræor. V. Omnis enim, qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis juſtitiæ.* Qua juſtitia figuræ librantur correſpondere figuratis. *Parvulus enim eſt rudis; perfectorum autem eſt ſolidus cibus, eorum, qui pro ipſa conſuetudine exercitatos habent ſenſus*, qualis eſt clerus evangelicus, ſub utraque ſpecie conficiens & manducans.

Quæ ſacrarum ſcripturam machina, cujus armatura inſultantes dejicit, ex ſententia Apoſtoli, *Epheſ. VI.* in argumento *rotarum Ezechielis* de *faciebus quatuor*, præfatum ſenſum quadruplicem figuratum fundavit. Nec tamen intelligentiam vitalis ſpiritus, quo rotæ feruntur, niſi in mutua circumcesſione *rota unius teſtamenti* in aliam, perfecte decrevit. Adeo, ut *rotator teſtamentorum* perfectam concluſionem intelligentiæ conſequi ſe non gaudeat, niſi, propriis exutus phantaſiis, *inter medios utriusque teſtamenti clericos* obdormiat, illorum ſenſibus ſoporatus: Quatenus ſecundum Hieronymum abyſſus unius teſtamenti abyſſum alterius invocet in voce & expoſitione cataractarum, Prophetarum ſcil., Apoſtolorum & Doctorum. De quibus Apoſtolus *Eph. IV.* ſcribit: *Chriſtus dedit in eccleſia quosdam quidem apoſtolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem paſtores & Doctores, ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterii & ædificationem corporis Chriſti, &c. Ut jam non ſimus parvuli, ut circumferamur omni vento doctrinæ ad circumventionem erroris.*

Quorum ſi verba variari viderit, ex tunc nihil partialiter præſumat aſſerere, ſed in tali ambiguo Prælatos eccleſiæ conſulat, qui, ex aſſecurante ſcriptura, *Deut. XVIII.* ſibi indicabunt judicii veritatem, à quorum ſententia ſub mortis ſupplicio declinare vetatur.

In cujus myſterium apud Ezechielem rotæ *ſequuntur animalia.* Quia litera rotarum ſenſui deſervit Eccleſiaſticorum. Sed tantæ regirationis fruſtratur myſterio *Judæorum perfidia:* Dum novæ legis ſpernens eloquia ſolam veteris obſervantiæ literalem veneratur corticem, hiſtoriæ cœcata allegationibus, quibus vetus lex divinitus data, ſervari & perpetuari mandata, Sanctorum inſuper patrum mortibus firmatur. Unde Chriſtum non recipit, tanquam literalis corticis violatorem. At verò *Manichæorum verſutia*, ſimiliter præfatam *teſtamentorum rotationem* faſtidiens, vetus quidem teſtamentum reſpuit, asſerens, de novo ſe fore ſaturam: Allegans conformiter Legiſlatoris ſufficientiam, ejusque literæ immutabilitatem. Qualiter ſe tuetur præfata aſſertio peſtifera, ex congeſtione ſacræ ſcripturæ, & ejus doctorum, abnegans *variationem ſumtionis de calice, olim conceſſam cunctis Chriſti fidelibus.*

CAP. XIII.

Laicorum eſſe, mutationes literales rituumve à clero factas ſuſcipire.

SOla fidelium eccleſia, Ezechielis viſioni credula, evangelici *cleri literales mutationes* veneranter recipit, pronuncians illud *Richardi I. de Trinit. c. II. Utinam attenderent Judæi, utinam adverterent pagani, cum quanta ſecuritate poſſumus dicere Domino: Si error eſt, à te ipſo decepti ſumus. Tu enim dixiſti clero evangelico: Qui vos audit, me audit.* Si ergo in abnegatione ſumtionis de calice nos hic clerus decipit, tu principaliter per eum, vel per tuum inſtrumentum, de quo aſſecuraſti, profectò nos decepiſti. Sed quia ſumma veritas, nos decipere non potuiſti, tuo de te dicente apoſtolo: *Ille qui fidelis permanet, ſe ipſum negare non poteſt:* Quamobrem nec tuus clerus evangelicus in abnegatione calicis nos decipere valebit, qui more materno, dante parvulis panem cum lacte, ut ſe cibare incipiant, poſtquam adoleverint, ſubtracto lacte facit ſolo pane contentos: Sic *in exordio naſcentis eccleſiæ dedit clerus cunctis fidelibus ſacramentum euchariſtiæ ſub utraque ſpecie,* quos *tandem*, ſolidatos in fide unius ſpeciei, *ſub ſola panis ſpecie decrevit contentari.*

Reverâ *imitator formæ Apoſtolicæ in baptiſmi miniſterio.* In quo primum Apoſtoli *non pandebant rudi populo* benedictæ *trinitatis myſterium*, ex poſt creſcenti eccleſiæ publicandum. Sed rudem populum baptizando in nomine Domini noſtri Jeſu, ad *rudimenta fidei* provocabant.

CAP. XIV.

De ſenſu illius dicti: Niſi manducaveritis carnem, & biberitis ſanguinem &c.

IN quibus quidem *prima credibilia* ſunt *Chriſti incarnatio & paſſio.* De quibus credibilibus ait Salvator: *Niſi* dentibus fidei *manducaveritis carnem filii hominis*, ejuſdem doctrinam, credendo incarnationem, *& biberitis ejus ſangvinem*, profitendo ſimpliciter ejus pro ſalute neceſſariam paſſionem, *non habebitis vitam in vobis. Non enim eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oportet nos ſalvos fieri, Actor. IV.*

Quamobrem nullus à mundi exordio ſalvatus eſt, nec in futurum ſalvabitur, niſi qui ſic corpus Chriſti manducaverit, & ſangvinem biberit. In cujus myſterium *Apoc. XIII.* ab origine mundi agnus occiſus legitur. Eò, quod omnes, qui præibant ab Adam, & qui ſequebantur Chriſti incarnationem, usq; ad ultimum electum, filio David proclamant *Oſanna*, proteſtantes, ſine ejus concurrentia incarnationis & paſſionis, inſufficientiam propriæ ſalutis.

Et *talis manducatio corporis & ſangvinis Chriſti* eſt ita neceſſaria, ſicut baptiſmus, in quo illa manducatio celebratur, dicente Apoſtolo: *Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, Galat. III.*

Verum, ſicut de baptiſmo: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei:* Sic & de tali dicitur manducatione: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſangvinem, non habetis vitam in vobis.*

Cujus manducationis myſterium figuratur ex præmiſſis ſub ſacramentali manducatione corporis & ſangvinis in utraque ſpecie.

Et *hunc ſenſum* divina eloquia & ſanctorum præferunt in prædictis *exceptivis* circa *ſpiritualem* hujus ſacramenti ſumtionem, *non* autem ſemper *corporalem*, quam illa crudelis teſtatur aſſertio, excludens à beatitudine baptizatos parvulos non manducantes ſacramentaliter & corporaliter corpus & ſangvinem Chriſti, & quàmplurimos ſanctos.

CAP

CAP. XV.

De Conſtantienſis Concilii autoritate damnandi ſententiam de Communione ſub utraque.

QUapropter *ſacrum Conſtantienſe concilium* tàm horrendam crudelitatem meritò *damnavit*, & revera auctoritativè *damnare potuit*. Quoniam ſecundum *B. Auguſtin. in epiſtola ad Januar. Conciliorum in eccleſia eſt ſaluberrima auctoritas, quibus omnia negotia eccleſiæ terminantur.* Quale negotium eſt diſpenſatio hujus venerabilis ſacramenti laicis tantum ſub panis ſpecie.

Verum & *auctoritas bibliæ*, quæ eſt fundamentum totius diſciplinæ eccleſiaſticæ, *robur ſumit à generalibus conciliis, B. Auguſtino contra Fauſtum* dicente: *Noſtrorum porro librorum auctoritas, ex gentium conſenſione per ſucceſſiones apoſtolorum conciliorumq́; roborata, vobis adverſa eſt.* Quia, ut ait *Iſidorus*, Concilia inceperunt aggregari principaliter propter exſtirpationem hæreſium.

Quamobrem hæretici principaliter inſultarunt conciliis, ſicut patet de *iſtis aſſertoribus*, & ante patuit in Niceno concilio. In quo de omni orbe terrarum convenientes Epiſcopi, juxta fidem evangelicam & apoſtolicam, *ſecundum* poſt Apoſtolos *Symbolum* propter hæreticos ediderunt. Et de *primo apoſtolorum ſymbolo*, de quo nihil habetur in canone bibliæ, quod fuiſſet ab Apoſtolis editum, fidem fecerunt. Quoniam ſicut decalogus prima principia agendorum, ſic & ſymbolum tradit prima principia credendorum. Hinc *B. Gregorius* concilia ſicut evangelia veneratur. Quamobrem *B. Auguſtinus contra Fauſtum* dicebat: *Vides in hac re, quid eccleſia valeat auctoritas, qua ab ipſis fundatiſſimis apoſtolorum ſedibus uſq́; ad hodiernum diem ſuccedentium ſibimet epiſcoporum ſerie, & tot populorum conſenſione firmatur.*

CAP. XVI.

Laicos uti hoc Sacramento, non ex obligatione divina, ſed ſolum inſtituto clericorum ac Conciliorum,

ITaque exemplo tantorum Patrum confuſa ſtatutis concilii cedat *aſſertio, neceſſitans ex præcepto Chriſti cunctos fideles ſumere ſacramentum. euchariſtiæ ſub utraq́; ſpecie*: Poſtquam *laici nunquam obligantur ad ſumtionem venerabilis ſacramenti ex canone bibliæ.* Quia Chriſtus *apoſtolis*, non prout laicis, ſed, prout ſunt, *clericis*, pro ſe ſacramentum venerabile ſine disjunctione ſumendum & conficiendum præcepit, dicens: *Accipite, ſumite, & facite*, 1. *Cor. XI.*

Clerici vero non leguntur arctaſſe laicalem populum ad *frequentem communionem*, niſi ex jam dictis *ob fervorem fidei.*

Quo tepeſcente, ad *trinam* tantum *in anno.* Sicut ex *concilio Agathonenſi ſub III.* idus Septembr. celebrato legitur. *Seculares qui in natalis Domini, Paſchatos & Pentecoſtes feſto, non communicaverint, catholici non credantur, nec inter catholicos habeantur.*

Tandem finaliter patrum concilium arctavit ſub pœnali præcepto *omnes, utriusq́; ſexus* populum, ratione utentem & adultum, *ſemel in anno* pro die Paſchæ ſacramentum euchariſtiæ ſumere, & ſingulariter tantum *ſub ſola panis ſpecie.* Sicut teſtatur magna ſexta feria diei Paſchæ propinquiſſima, in qua eccleſiæ conſuetudo, omnium legum interpres, ſub ſola panis ſpecie, reſervata de heſterna quinta feria, laicalem populum ſine calice communicat, ab expreſſo palam proteſtans, nunquam laicalem populum, niſi ſub ſola panis ſpecie communicandum.

Porro ex Chriſti doctrina & literali evangelio *non niſi* ab expreſſo datur *clericis auctoritas baptizandi, Matth. ult. Nunc* autem in neceſſitatis articulo *non ſolum laicis* collata eſt & *feminis*, ad characterem clericalem minus idoneis; Sed inſuper *Judæis & paganis*, duntaxat ſervantibus debitam formam & mate-

riam, ritum & intentionem eccleſiæ.

Et quis quæſo hanc poteſtatem ipſis contulit, quam non contulerunt Apoſtoli, & evangelia, circa baptiſmum neceſſariam, ultra alia? Revera *eccleſia per ſua concilia.* Qua poteſtate etiam hodie poſſet ſtatuere, ut in certis regionibus, ubi eſt vini carentia, ſacerdotes miſſas celebrando conficerent ſacramentum euchariſtiæ tantum ſub panis ſpecie.

Et plane *Magnus Albertus* fatetur in *tractatu de Miſſarum celebritate*, finaliter concludens: *Propter intolerabile damnum, quod incurrunt communicantes in terris, ubi non habetur vinum, expediret, quod diſpenſaretur, ut corpus Chriſti conficere poſſent ſine calice.* Subdit cauſam: *Corpus enim non eſt ſine ſanguine, anima & deitate.* Si ergo *ſacerdotibus* in certis regionibus poteſt indulgeri *conſecratio* panis ſine calice, cur non *laicis ſumtio?*

Quapropter ſi præfatus aſſertor, velut mundum animal cibum ruminans & ungulam dividens *Levit. XI.* Sacræ Scripturæ & Eccleſiæ ſententias & conſuetudines regyraſſet, in fallor, præfatum dogma peſtiferum adverſus eccleſiam & ſuum concilium minime vomuiſſet.

Vivat ergo ſecure ſancta & immaculata baptizatorum familia *ſub catholica eccleſia & generalium conciliorum obedientia*, nec ad hæreticorum ſe ſinat declinare præſtigias. Qvas ex his poterunt ſignis palam deprehendere, ſi *novitatem adverſus eccleſiam* conabuntur *introducere ſub prætenſa divina ſcriptura.*

Cujus ſacramenta in præſenti opuſculo minus intelligibiliter & reverenter etſi tractare compulſus ſum, non temeritati, ſed exiguitati *violentatæ per obedientiam*, lectores deſerant, qua etiam ſuper vires aſſumebatur materia de fide venerabilis euchariſtiæ, cujus cauſa agitur, & auſu *jubentium* tentabatur perfici.

Unde ne ſub tali faſce contingat ſuccumbere, me ipſū ex proteſtatione ſolita cū ſcriptis & dictis diſciplinæ ſubjicio eccleſiaſticæ, repræſentatæ per *præſens Conſtantienſe concilium*, & præſertim Reverendiſſimorum Patrum, per illud *pro judicio fidei aſſumtorum*, digniſſimæ. Qui auctoritate, qua meam imperitiam exercitare dignati ſunt, eadem dignentur limatione ſubtiliſſima, qua coruſcant.

Subſcriptio in MSC. Vindobonenſi. *Explicit primus tractatus De communicatione Venerabilis Sacramenti corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, editus & approbatus in concilio Generali Conſtantienſi, videlicet, Quod laici debent communicari tantum ſub una ſpecie, ſcil. panis, & non ſub utraque.*

Subſcriptio in MSC. Berolinenſi. *Completus Conſtantiæ eſt iſte tractatus De communione ſub utraq, ſpecie Anno Domini MCCCCXVII. d.8. menſis Decembris, Compilatus per M. Mauritium de Praga Profeſſorem S. Theologiæ.*

TOMI III. PARS XXII.

NOn ſufficere viſus *puſillus* ille *Mauritii libellus* contra ingentem Bohemorum ſcriptis pugnantium exercitum. Cumulanda itaque literaria quoque arma, quibus plura ac *prolixiora Jacobelli* ſociorumque *ſcripta*, pro neceſſario calicis uſu edita, ad Concilium æque delata, ac undique ſparſa, ſubruerentur. Quoniam verò inter *Jacobelli opuſcula*, iſtac de re publicata, eminere aut ponderis vel autoritatis majoris eſſe videretur, quo Bohemi ſe tueri fortius contenderent, *Demonſtratio, ex Scriptura & Patrum primitivorum conſenſu, communionis ſub utraque in populo neceſſaria*: Hunc *Jacobelli libellum* in publica Conſtantienſis Concilii luce ſub incudem revocare, examinare, atque refellere anniſus eſt, jubente ac annuente Concilio, laudatus *Mauritius de Praga.* Ut adeo & hoc *Mauritianum monumentum*, Jacobelli librum complectens, in Actis Concilii publicis ſuum ſibi hic omni jure vindicet locum.

MAU-

Digitized by Google

MAURITII DE PRAGA

Profeſſ. Theologi.

In Conſtantienſi Concilio ſpectati viri,

TRACTATUS II.

contra

LIBRUM JACOBI DE MISA,

DE COMMUNICATIONE

CALICIS IN PLEBE CHRISTIANA,

In Conſtantienſi Concilio, publica illius autoritate ſcriptus atque publicatus.

Ex antiquiſſimo Codice MSC.

CÆSAREO VINDOBONENSI.

LIBER I.

JACOBELLI, ſ. JACOBI de MISA,

DEMONSTRATIO

Per Teſtimonia ſcripturæ, Patrum atq; Doctorum, *Communicationem calicis in plebe Chriſtiana eſſe neceſſariam.*

Sub Conſtantienſi Concilio A. 1415. edita, ac ſupra *Parte XV. f.* 416. ab eodem allegata.

A Mauritio de Praga ſuæ illius Refutationi hic inſerta.

CAP. I.

Dicta Scripturæ, pro Communione calicis in plebe Chriſtiana, à Jacobello propoſita.

A*Uguſtinus, De videndo Deum:* Fieri nullo modo poteſt, ut hæc ſacrarum literarum auctoritas ex aliqua ſui parte mentiatur &c.

Item *Auguſtinus, ſuper Pater noſter.* Si ego quicquā dixero, nolite credere ex hoc. Sed ſi Chriſtus dicit, væ qui non credit. Imò væ *generationi* adulteræ, quæ plus credit teſtimonio alterius quàm Dei &c.

Beda, in *homilia infra octavam Aſcenſionis*, Cùm venerit: Perfectæ vitæ magiſterium eſt, eccleſiæ primitivæ ſemper actus imitari.

Et *infrà*: Nec dubitandum, quin, quorum nunc veſtigia ſequimur, ad eorum ſumus in futuro præmia venturi, &c.

Auctoritates Evangelii, Doctorum, Canonum, & eccleſiæ, quæ docent ſacramentum corporis & ſangvinis Domini noſtri Jeſu Chriſti omnibus Chriſti fidelibus ſub utraque ſpecie panis & vini miniſtranda, debent manere usq; in diem judicii, *Libro 1. de ſymbolo.*

Matth. XXVI. Marc. XIV. Luc. XII. Cœnantibus autem illis, accepit Jeſus panem & benedixit ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit & dedit illis dicens, bibite ex hoc omnes. Hic eſt calix meus novi teſtamenti, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum. &c.

Johannis VI. Dixit Jeſus diſcipulis ſuis & tur-

Digitized by Google

& turbis Judæorum: Amen, amen, dico vobis: Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſangvinem, non habebitis vitam in vobis.

Ubi *gloſſa:* Usque modo non fecit mentionem de comeſtione ſacri altaris. Et ſi ignoretis quis modus ſit dandi vel manducandi, ſubdit: Niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſangvinem &c.

Et infra ſuper verbo *Qui manducat*, dicit *gloſſa*: Quidam ſancti exponunt de comeſtione altaris. Et bene dicunt. &c.

Paulus 1.*Cor. XI.* Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis. Quotiescunque enim manducaveritis panem hunc & calicem biberitis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Et *infrà:* Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat & de calice bibat. &c.

CAP. II.

Teſtimonia Patrum pro Communione laicali ſub utraque.

Auguſtinus, Libro Sententiarum Proſperi, & in Canone, *De conſecratione, diſt.c.*37. *Cùm frangitur*, dicit: Cùm frangitur hoſtia, dum ſangvis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud, quàm Dominici corporis in cruce immolatio, ejusque ſangvinis de latere effuſio deſignatur. &c.

Auguſtinus Libro de Trinitate, & canone *De conſecratione diſt.*2. Quia morte Domini liberati ſumus, hujus rei memores in edendo & potando carnem & ſangvinem, quæ pro nobis oblata ſunt, ſignificamus &c.

Auguſtinus: Et vos poſt illa jejunia, poſt labores, poſt humilitatem & contritionem, jam in nomine Chriſti, tanquam ad calicem veniſtis, & ibi vos eſtis in menſa & in calicè nobiscum. Simul enim hæc ſumimus, ſimul bibimus, quia ſimul vivimus. *In quodam ſermone*, & in can. *De Conſecr. diſt.*2. *Quia paſſus &c.*

Auguſtinus: Quicquid vis feceris, &c. Numquam Chriſtum occidiſti? Non eſt iſto peccato aliquid aliud pejus. Quia Chriſto nihil eſt melius. Quantum eſt nefas occidere Chriſtum? Judæi tamen occiderunt & multi poſt in eum crediderunt, & ejus ſangvinem biberunt, & dimiſſum eſt illis peccatum, quod commiſerunt &c.

Auguſtinus: Qui calicem, id eſt ſangvinem Chriſti, per ſe ponit, quaſi aliam gratiam à menſa, id eſt à carne Chriſti, ponit. Cùm tamen caro ſine *ſangvine*, *nec ſangvis* ſine carne poſſit eſſe vel ſumi. Nec ibi duo ſunt ſacramenta, ſed unum. Sed nec caro eſt ſangvis, nec ſangvis eſt caro. Et panis in carnem convertitur, & vinum in ſangvinem, & non è converſo. Et ſub diverſis ſpeciebus utrumque ſumitur. Ideò menſam & calicem hic diſtingvit, velut diverſas gratias. *Super Pſalmo XXII. in gloſſa ordinaria. &c.*

Auguſtinus: Tunc eis annunciat Petrus eum colendum, quem crucifixerunt, ut ejus jam ſangvinem biberent credentes, quem fuderant ſævientes. *Libr. de utilitate agenda pœnitentia*, & in can. *De conſecr. diſt.*2. *Tunc eis* &c.

Auguſtinus: Hujus rei ſacramentum in unitate corporis & ſanguinis Chriſti alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum, in Dominica menſa præparatur, & de menſa Dominica ſumitur, quibusdam ad vitam, & quibusdam ad exitium. Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. Hanc ergo non habent, qui iſtum panem non manducant & iſtum ſangvinem non bibunt, *Homil.* 23. ſuper illo verbo: *Niſi manducaveritis.*

Auguſtinus: Acceſſerunt Judæi ad Jeſum, ut crucifigerent eum. Nos accedemus, ut corpus & ſanguinem ejus capiamus. Iterum vere magnus Deus & magna miſericordia ejus, qui dedit nobis manducare corpus ſuum, in quo tanta perpeſſus eſt, & ſanguinem ſuum bibere. *In pſalmo* 33. *homil.* 3.

Item *in Pſalm.* 98. *ad Judæos.* Jam ſecuri bibite ſanguinem, quem fudiſtis. Habetur in canone *de conſecr. d.* 2. *Acceſſerunt Judæi.*

Auguſtinus: Et quia iſtam menſam paravit ſervis ſuis & ancillis in conſpectu eorum,

eorum, ut quotidie in ſimilitudine corporis & ſangvinis Chriſti, panem & vinum ſecundum ordinem Melchiſedech oſtendendo, nos cibaret in ſacramento. *In ſermone* qui incipit: *Circulo conſecrato, anno revoluto.*

Hieronymus: Sacerdotes, qui euchariſtiæ ſerviunt, & ſanguinem ejus populis dividunt in legem Chriſti, putantes, euchariſtiam imprecantis verba facere, non vitam, & neceſſariam eſſe tantum ſolennem orationem, & non ſacerdotum merita. De quibus dicitur: Sacerdos in quacunque fuerit macula non accedat Domino offerre oblationes. *In Sophoniam*, & habetur in *canon.* 1. *q.* 1. *Sacerdotes.*

Hieronymus. Bibere autem dicuntur ſangvinem Chriſti, non ſolùm ſacramentorum ritu, ſed & cum ſermones ejus recipimus, in quibus vita conſiſtit. Sicut & ipſe dicit Joh. VI. Verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt. *Super Marc. c. XIV.*

Hieronymus: Aſcendamus cum Domino cœnaculum magnum, ſtratum atq; mundatum, & accipiamus ab eo calicem ſurſum novi teſtamenti, ibique cùm eo paſcha celebrantes inebriemur ab eo, vino ſobrietatis. Et *infrà:* Nec Moſes dedit vobis panem veſtrum, ſed Dominus, ſicut Dominus Jeſus ipſe conviva & convivium, ipſe comedens & qui comeditur, illius bibimus ſangvinem, & ſine ipſo potare non poſſumus. Et quotidiè in ſacrificiis ejus de germine vitis veræ & vineæ Soreth, quæ interpretatur electa, rubentia muſta calcamus, & novum vinum ex his bibimus, &c. *Ad Pudentiam virginem*, *q.* 2.

Gregorius. Quid ſit ſangvis agni, jam nō audiendo, ſed bibendo, bene didiciſtis. Qui ſangvis ſuper utrumq; poſtem ponitur, quando non ſolùm ore corporis ſed etiam ore cordis hauritur. In utroque enim poſte ſangvis agni eſt poſitus, cùm ore ad redemtionem ſumitur, ad imitationem quoque intenta mente cogitatur. Et in hoc myſterio moritur, ejusque corpus ubilibet ſumitur. Cujus caro in populi ſalutem patitur, ejus ſangvis jam non in manus infidelium, ſed fidelium per ora funditur. *In homilia paſchali*, & in *canone*, *De conſecr. diſt.* 2. *Quid ſit ſangvis.*

Gregorius. Unde factum eſt, ut redemtoris noſtri ſangvinem, quem perſecutores ſævientes fuderunt, poſtmodum credentes biberunt, eumque eſſe Dei filium prædicarunt. De quo videlicet ſangvine apertè ſubjungitur: Terra, ne capias ſangvinem meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus. *Libr. XIII. Moralium.*

Gregorius in lib. Dialogorum. Cum quadam die miſſa celebrata populus communicaret, & Diaconus Chriſti ſanguinem propinaret, ſubito paganorum impulſu Diaconus cecidit & calicem ſanctum fregit. *Libr. Dialogorum. Et hoc legitur de S. Donato.*

Ambroſius. Quia morte Chriſti liberati ſumus, hujus comedendo & bibendo carnem & ſangvinem, memores eſſe debemus, in hac conſequi novum Teſtamentum, quod eſt nova lex, quæ obedientes ſibi tradit cœleſtibus regnis. Teſtamentum ergo ſanguine conſummatum eſt. Quia beneficii divini ſanguis teſtis eſt. Unde ad tuitionem corporis & animæ percepimus, Quia caro Chriſti pro ſalute corporis, ſanguis vero pro anima noſtra ſumitur & effuſus eſt, ſicut præfiguravit Moſes, dicens: Caro pro corpore veſtro offertur, ſanguis vero pro anima. Ideoque jam non manducandum ſanguinem lex præcipit. *Super iſtud* 1. *Cor. XI. Quotiescunq; hoc feceritis.*

Ambroſius. Si quotiescunque effunditur ſanguis Chriſti, in remiſſionem peccatorum effunditur, debemus eum ſemper accipere. Qui ſemper pecco, ſemper debeo accipere medicinam. *L. V. de myſteriis & ſacramentis*, & in *canone De conſecrat. diſtinctione* 2. *Si quotiescunq; &c.*

Ambroſius. Jam menſæ cœleſtis honore ſuſcipior, epulis meis non pluvia mittitur, non terræ laborant partus, non arbores fructus, potui meo flumina quærenda, non fontes. Caro Dei cibus eſt mihi, & ſanguis Dei potus eſt mihi. Et ideo accedite ad Deum, & ſatiemini, quia panis eſt, & potate, quia fons eſt &c.

&c. *Super, Beati immaculati in via, pſalmo* 118. *Adoleſcentulus ſum ego &c.*

Ambroſius: Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra, Petra autem erat Chriſtus, 1. Cor. ix. Non immobilis petra, quæ populum ſequebatur. Et tu bibe, ut te Chriſtus ſequatur. Vide myſterium: Moſes hic eſt Propheta, virga hæc eſt verbum Dei, tangit petram & fluit aqua, & bibit populus Dei, qui Dei gratiam conſecutus eſt. *Et infra:* Quotieſcunque bibis, remiſſionem peccatorum accipis, & inebriaris ſpiritu ſancto. *L. de Sacramentis*, & in *canone, diſt.* 2. *In calice* &c.

Ambroſius. Sicut enim ſimilitudinem mortis aſſumſiſti, ita etiam Chriſti ſanguinis ſimilitudinem bibis, ut nullius cruoris horror ſit, & tamen pretium operetur redemtionis. *Libr. de ſacramentis, & in can. diſt. 2. de conſecr. c. 55. Panis eſt.*

Dionyſius. Poſtea Hierarcha, poſtulans dignus fieri hoc ſacrificio, quod fit, & ad ipſius Chriſti imitationem divinam perficere, & diſtribuere caſtiſſime, & ſacris participantes, ut convenit ſanctis participare, ſanctificat, & diviniſſima ſubminiſtratione agit dicta propoſita ſancte ſigna. Etenim coopertum & indiviſibilem panem diſcooperiens, & in multa dividens, & unitivam calicis omnibus partiens, ſignificative unitatem multiplicat, & diſtribuit, ſanctiſſimum in iſtis ſacrificium perficiens. Et *infra.* In iſtis omnibus ſanctorum ornatus Hierarchiæ congregatus, digniſſimis communicans, cum gratiarum actione deſervit, operationem proportionabiliter cognoſcens, & laudans gratias. *L. De eccleſiaſtica Hierarchia, 1. Timoth. III.*

Origenes. Dicant ergo nobis, quis eſt iſte populus, qui in uſu habet ſangvinem bibere? Hi erant, qui in evangelio audientes, hi qui ex Judæis Dominum ſequebantur, ſcandalizati ſunt, & dixerunt Joh. VI. Quis poteſt manducare carnem ejus, & ſanguinem ejus bibere? Sed populus Chriſtianus fidelis audit hæc & amplectitur & ſequitur eum, qui dicit: Niſi manducaveritis carnem meam & biberitis ſanguinem meum &c. *Super illud Num. 23. Ecce populus ut Leana conſurgit, & quaſi Leo erigetur, nec accumbet, donec devoret prædam & occiſorum ſanguinem bibat. Homil.* 16.

Hilarius: De veritate carnis & ſanguinis non eſt relictus ambigendi locus. Nunc enim & ipſius domini profeſſione & fide noſtra vere caro eſt & ſangvis eſt. Et hæc accepta atque hauſta à nobis efficiunt, ut & nos in Chriſto & Chriſtus in nobis ſit &c. Ubi *Archidiaconus:* Hæc accepta quantum ad carnem, atque hauſta quantum ad ſangvinem, ſacramentaliter, de altari, & de manu ſacerdotis, *L. de Trinit.* 8. & *in canone, diſt. 2. in Chriſto.*

Cyprianus martyr. Quanquam ſciam, frater chariſſime, epiſcopos plurimos, eccleſiis dominicis in toto mundo divina dignatione præpoſitos, evangelicæ veritatis ac dominicæ traditionis tenere rationem, nec ab eo, quod Chriſtus Magiſter & præcepit & geſſit, humana & novella inſtitutione decedere: Tamen, quoniam quidam vel ignoranter vel ſimpliciter in calice Dominico ſanctificando & plebi miniſtrando non hoc fecerunt, quod Jeſus Chriſtus Dominus noſter, ſacrificii hujus auctor & doctor, fecit & docuit: Religioſum pariter ac neceſſarium duxi, de hoc ad vos literas facere, ut ſiquis adhuc in iſto errore tenetur, veritatis luce perſpecta ad radicem atque originem traditionis dominicæ revertatur. Nec nos putes, frater chariſſime, noſtra & humana conſcribere, aut ultranea voluntate hæc nobis audacter aſſumere, cum mediocritatem noſtram ſemper humili & verecunda ratione teneamus. Sed quando aliquid, Deo inſpirante & mandante, præcipitur, neceſſe eſt, ut Domino ſervus fidelis obtemperet, excuſatus apud omnes, quod nihil ſibi arroganter aſſumat, qui offenſam Domini timere compellitur, niſi faciat, quod jubetur. *Epiſt. 34. ad Cecilium de Sacramento Dominici calicis.*

Cyprianus ad quendam. Et quemadmodum vino iſto communi mens ſolvitur, & anima relevatur, & triſtitia repellitur, ita potato ſanguine Domini &

Digitized by Google

ni & poculo ſalutari, expellitur memoria veteris hominis, ut fiat oblivio converſationis priſtinæ ſecularis,&mœſtum pectus aut triſte, quod prius peccatis angentibus premebatur, divinæ indulgentiæ lætitia reſolvatur. Quod tum demum poteſt lætificare in eccleſia viventem turbam, ſi quod bibitur, Dominicam teneat libertatem. *Et infra.* Quomodo autem poſſumus ſanguinem noſtrum propter Chriſtum fundere,qui ſanguinem Chriſti erubeſcimus bibere? Et *infra:* Sed videamus, frater chariſſime.Si quis de anteceſſoribus noſtris vel ignoranter vel ſimpliciter non hoc obſervavit & tenuit, quod nos Dominus facere exemplo & magiſterio ſuo docuit,poteſt ſimplicitati ejus de indulgentia Domini venia concedi. Nobis vero non poteſt ignoſci, qui nunc à Domino moniti & inſtructi ſumus,ut calicem Domini cum vino mixtum, ſecundum quod Dominus obtulit, offeramus. Et de hoc qvoqve ad collegas noſtros literas dirigimus; ut ubique lex evangelica & traditio Dominica ſervetur, & ab eo qvod Chriſtus docuit & fecit, non recedatur. *Epiſtola* ubi ſupra.

Cyprianus. Et cum ad hoc fiat euchariſtia, ut poſſit accipientibus eſſe tutela: Quos igitur tutos eſſe contra adverſarium volumus, munimento Dominicæ ſaturationis armemus. Nam qvomodo docemus, aut provocamus, eos in confeſſione ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, ſi non eos prius ad bibendum in eccleſia Domini poculum jure communicationis admittimus? *Epiſtola 3. de lapſis.*

Johannes Chryſoſtomus: Illud eſt myſterium, ſine quo non eſt nobis ſalus, nec ea, quæ bona ſunt nobis promiſſa divina, redduntur. Nemo enim valebit ingredi regnum cœlorum, niſi ex aqua fuerit renatus & ſpiritu, Joh. III. Et qui non manducat Domini carnem nec bibit ejus ſanguinem, non habebit vitam æternam Joh. VI. Quæ per nullius alius quam ſancti efficiuntur manus ſacerdotis. *In ſuo dialogo, L. III. c. I.*

Bernhardus. Benigniſſime Jeſu, nobile ſatis ſponſæ tuæ dotalicium indulſiſti. Ut vel ſic teneret columba tua dulciſſimum memoriale dilecti ſui. Chriſtus enim pridie, quam pateretur, diſcipulis ſuis hujus ſacramenti formam præſcripſit,efficaciam explicavit. Idem præcepit fieri formæ præſcriptionem, in pane & vino. Notate ordinem: Cum adhuc cœnaret, à menſa ſurrexit, Apoſtolorum pedes Dominus univerſitatis lavit, dehinc ad menſam regreſſus ordinavit ſacrificium corporis & ſangvinis ſui, ſeorſum panem ſeorſum tradens & vinum. De pane ita dicens, Matth. XXVI. Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum. De vino ſimiliter: Bibite ex hoc omnes, hic calix eſt Novi Teſtamenti &c. *In ſermone ad Petrum de corpore Chriſti.*

Bernhardus. Ponitur igitur panis ſpecies & vini, ut doceamur, plenam & perfectam refectionem eſſe in ſumtione corporis & ſangvinis Jeſu Chriſti. *In epiſtola ad Petrum.*

Beda. Non ſolùm lavit nos à peccatis noſtris in ſangvine ſuo, quando ſangvinem ſuum effudit in cruce pro nobis, vel quando unusquisque noſtrum myſterio ſacroſanctæ paſſionis ejus baptiſmo aquæ ablutus eſt. Unde etiam quotidiè tollit peccata mundi, lavatq; nos à peccatis noſtris quotidiè in ſangvine ſuo, cùm ejusdem beatæ paſſionis ad altaria memoria replicatur, cùm panis & vini creatura in ſacramentum carnis & ſangvinis ejus ineffabili ſpiritus ſanctificatione transfertur, ſicque corpus & ſangvis illius non infidelium manibus ad perniciem eorum funditur & occiditur, ſed fidelium ore ſumitur ad ſalutem. *Super Joh. 1. Vidit Johannes Jeſum venientem ad ſe.*

Remigius, ſive *Haymo.* Ad hanc ſpiritualem alimoniam, ad hunc myſticum & divinum cibum, Dominus nos invitavit, eamque auctoritatem ſumendi hujusmodi alimoniam nobis inducit,ut aliter in nobis vitam habere non poſſimus,niſi carnem ejus manducaverimus & ſanguinem ejus biberimus. Et *infra.* Sed myſterium ſui corporis & ſanguinis quotidie à fidelibus per ſacerdotum miniſterium ſumi mandavit rationabili ſa-

li ſacramento, *In homilia ſuper illo evangelio Johann. VI. Niſi manducaveritis carnem filii hominis.*

Fulgentius. Verbum Patris, carni & ſangvini, quem de utero virginis aſſumſit, & pani & vino, quod in altari ſumitur, mediū interveniens, unum ſacrificium efficit. Quando tamen in ora fidelium ſacerdos diſtribuit: Panis & vinum abſumitur & tranſit, partus autem virginis cum unico ſuo verbo Patris & in cœlo & in hominibus integer permanet & inconſumtus. Sed in illo, in quo non eſt fides, præter viſibiles ſpecies panis & vini nihil de ſacrificio pervenit, quemadmodum aſinus ad lyram, cum irrationabiles aures erigit, ſonum quendam audit, ſed modos cantilenæ non percipit. *Libr. de divinis officiis*, cujus prologus ſic incipit: *Ea qua panni circulum* &c.

Johannes Damaſcenus. Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui pro nobis de cœlo deſcendit, debens voluntariam pro nobis ſuſcipere mortem, nocte, qua ſe ipſum tradebat, in cœnaculo, novum teſtamentum diſpoſuit ſanctis ſuis diſcipulis & apoſtolis, & per ipſos omnibus, qui in eum credent. Et *infra.* Panis autem & vinum aſſumitur. Novit enim Dominus humanam infirmitatem. Ad multa enim, quæ non ſecundum conſuetudinem frequentata ſunt, avertit, anxiatur. Aſſveta enim condeſcenſione utens, per aſſveta naturæ facit quæ ſupra naturam. Et quemadmodum in baptiſmate, quia conſvetudo eſt hominibus aqua lavari & oleo ungi, conjugâvit oleo aqvæ gratiam ſpiritus ſancti, & fecit illud lavacrum regenerationis: Ita conſuetudo eſt hominibus, panem comedere & aquam & vinum bibere. Conjugavit ejus Deitatem, & fecit ea corpus & ſanguinem ejus, ut per aſſveta & ſecundum naturam ſunt & fiunt. Et *infra.* Communio autem dicitur & eſt vere, propterea, qvia communicamus nos per ipſum Chriſto, & qvia participamus ejus carne & Deitate, & quia communicamus & unimur ad invicem per ipſam. Qvia etiam ex uno pane aſſumimus omnes unum corpus, & unum ſanguinem, ad invicem membra generamur, concorporati Chriſto exiſtentes. *Libro ſuo IV. Sententiarum c. de Sacramentis, Et communicantes Dei myſteriis.*

Thomas de Aquino. Qvamvis totus Chriſtus ſit ſub utraque ſpecie, non tamen fruſtra. Non qvidem hoc oportet ad replicandam paſſionem Chriſti, in qua ſeorſum fuit ſeparatus ſangvis à corpore: Unde & in forma conſecrationis ſangvinis, ſit mentio de ejus effuſione: Sed hoc eſt conveniens hujus uſui ſacramenti, ut ſeorſim exhibeatur fidelibus corpus in cibum & ſeorſum ſangvis Chriſti in potum. Tertio qvantum ad effectum eſt conveniens dare ſub diverſis ſpeciebus ipſis fidelibus: Eo quod corpus Chriſti exhibeatur pro ſalute corporis, & ſangvis Chriſti pro ſalute animæ. *Part. III. Summa ſua q. 77. artic. 2.*

Thomas de Aquino. Sangvis Chriſti diſpenſatur populis per diaconos. Unde & B. Laurentius dixit B. Sixto: Experire, utrum idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici ſangvinis diſpenſationem. Tam diaconia ſangvinis, quam diſpenſatio corporis. *P. III. ſumma ſua, artic. 3. q. 82.*

Auguſtinus idem dicit *ſermone 2. de S. Laurentio.* Quâ gloria & quantâ, & quantarum virtutum multitudine, quaſi florum varietate, diſtincta ſit Laurentii corona, univerſalis teſtis eſt Romana eccleſia. In ipſa enim eccleſia, ſicut ſolet audire, Diaconi gerebat officium: Ibi ſacrum Chriſti ſangvinem miniſtravit, ibi pro Chriſti nomine ſangvinem ſuum fudit.

Albertus Magnus. Unde Levitic. XI. dicitur, quod animal, quod non ruminat, immundum erit. Hinc eſt, quod de duobus, qvæ ſunt in hoc ſacramento materiali cibi & potus, dicitur Eſdræ VII. Super triticum & vinum ruminabunt. Hæc enim duo ab omnium fidelium bono, Zach. IX. Quid enim bonum eſt & pulchrum ejus, niſi frumentum electorum & vinum germinans virgines, hoc eſt virgineas mentem. Et *infra.* Patet, qvod pro certo peccat, qvi magnum ad corporis ſui, & parvum aut nullum ad Dominici ſangvinis

gvinis poculum adhibet ſtudium. Qvia Chriſti ſangvis incorporat nos ſibi. Et iſto elemento, quod fit in cibo & potu corporabilibus, qvando incorporantur corpori, debet fieri in nobis incorporatio ad corpus & ſangvinem Chriſti, quibus nos incorporamur. Omnis autem homo poteſt advertere, qvam purus, quam ſaporoſus, quam electus eſſe debeat, qvi ſangvine Chriſti, qui per omnia corporis ejus membra fluere debet, eſt incorporandus. *Libr. IV. Sententiarum, Summa De officio miſſæ, Tractatu, De ſanguine Domini.*

Albertus magnus. Omnis ſanctus ſcit, quod ſine corpore & ſangvine Chriſti non eſt vita gratiæ & jucunditatis æternæ. Et *infrà.* Sic igitur corpus Dominicum in forma panis per ſe in uſu iſtius gratiæ ſunt ſumenda. Et *infrà.* Ex omnibus iſtis accipitur, quod Chriſtus ſub una ſpecie panis corpus ſuum tradidit & ſangvinem, & ſic ſervandum inſtituit. Et cùm Chriſti actio ſit noſtra inſtructio, pro certo hæc duo nobis ſervanda eſſe præcepit. Et ideò ſub una ſpecie corpus & ſub altera tradimus ſangvinem. *Ubi ſupra.*

Albertus Magnus. Cùm ergò ſic Deus ordinavit & multiplicavit ſacramenta, quod omnes gratias ſacramentales habeamus in ſacramentis, & alia gratia ſit per ſangvinem redemtionis, quàm communionis per corporis ſumtionem, non ſuffecit in ſacramento habere elementum, ſignificans communionem, niſi etiam haberetur elementum ſignificans redemtionem. Et ſic Chriſtus hac ratione inſtituit utrumque. Quod ergò dicitur, quod alterum videtur ſuperfluum, cùm ſangvis habeatur in corpore, & corpus in ſangvine, dicemus, quod hoc non eſt verum. Verum quidem eſt, quod ſangvis habetur in corpore, ſed non ex virtute ſacramentali, ſed potiùs habetur ſangvis in corpore ex unione naturali, quà humores, anima autem habetur per unionem potentiæ ad actum. Deitas autem habetur cum iſtis per unionem gratiæ, cùm nihil horum, niſi corpus habetur ex virtute ſacramenti, ad utendum pertinente. Et ideo oportuit, ut eſſet ibi confectio ex elemento potus, ſicut fuit ibi confectio ex elemento cibi. Quia aliter ſacramentum in virtute & ratione ſacramentali eſſet imperfectum: Quia non ſignificaret perfectum alimentum. Quia nullum alimentum hominis perficitur ſine potu. *Ubi ſuprà.*

Alanus. Quicunque carnem Chriſti digne ſumſerit & ſanguinem biberit, infinitam in ſe dulcedinem Dei degustabit dulcedine animæ &c.

Nicolaus Lira. Bibite vinum, quod miſcui vobis, ideſt, ſanguinem meum, ſub ſpecie vini, in quo admiſcetur aqua. In utraque enim ſpecie communicabant antiquitus fideles. *Super illo Prov. IX. Venit ſe, comedite panem meum, & vinum meum bibite, quod miſcui vobis.*

Idem Lira. Probet autem ſeipſum homo, propriam conſcientiam diligenter penſando & emundando, & ſic de pane illo edat &c. Tunc poteſt fructuoſe hoc ſacramentum ſumere. Fit autem hic mentio de duplici ſpecie. Nam in primitiva eccleſia ſic fidelibus dabatur. Quia utrumque eſt de perfectione ſacramenti, ſcilicet forma panis & forma vini. Tum quia per utrumque ſimul exprimitur & perfecte Chriſti paſſio, tum quia utrumque ſignificat perfectam refectionem. *Super iſto 1. Cor. XI. Probet autem ſeipſum homo.*

Leo Papa. Hujus adverſarii diaboli dolos non ſolum in illecebris gulæ, ſed etiam in propoſito abſtinentiæ caveamus. Qui enim ſcivit mortem humano generi inferre per cibum, novit & per ipſum nocere jejunium. Et ad contrarium fraude, famulis utendo Manichæis, ſicut impulit, interdicta præſumi, ita ſuadet conceſſa vitari. Et *infra.* Cùmque ad tegendam infidelitatem ſuam noſtris audent intereſſe conventibus, ita ſacratotum ſacramentorum communione ſe temperant. Et interdum ne penitus latere non poſſint, ore indigno corpus accipiunt, ſanguinis autem redemtionis noſtræ calicem haurire declinant. Quod ideo veſtræ notum facimus ſanctitati, ut vobis hujusmodi homines etiam manifeſtentur in ſuis judiciis, & quorum deprehenſa fuerit ſacrilega ſimulatio, à ſocietate

ſacramentorum ſacerdotali auctoritate pellantur. De talibus enim B. Apoſtolus Paulus, eccleſiam Dei provide monens, dicit: Rogo autem vos, fratres, ut obſervetis eos qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam, quam didiciſtis, faciant, & declinate ab his &c. *In ſermone de quadrageſima*, quæ incipit; *Prædicatur.*

Innocentius Papa. Simili modo, licet ſub altera ſpecie ſumatur utrumque, corpus & ſanguis, utraque tamen ſpecies conſecratur, & neutra ſuperfluit. Oſtenditur, quod Chriſtus naturam humanam totam aſſumſit, ut totam redimeret. Panis enim refertur ad carnem & vinum ad animam, quod vinum ſanguinem operatur, in quo ſedes eſt animæ. Unde legitur in Levitico: Anima carnis in ſanguine eſt. Moſes quippe teſtatur, quod caro pro corpore, ſanguis autem pro anima offeratur. Quocirca panis & vinum in ſacrificium offeruntur, quod valet ad tuitionem carnis & animæ. Ne ſi ſub alterutra tantum ſpecie ſumeretur, ad alterius tantũ putaretur pertinere ſalutem. Et quamvis ſub ſpecie panis ſanguis ſumatur cum corpore, & ſub ſpecie vini corpus ſumatur cum ſanguine: Tamen nec ſanguis ſub ſpecie panis comeditur, nec corp⁹ ſub ſpecie vini bibitur. Quia ſicut nec ſanguis comeditur, nec corpus bibitur. ita neutrum ſub ſpecie panis bibitur, aut ſub ſpecie vini manducatur: Et ſi conceſſibile videatur, quod corpus bibendo & ſanguis ſumatur. Eſt ergo modus ſumendi carnem & ſanguinem, quo neutrum manducatur aut bibitur. *In ſuo libro de ſacramentis.*

Gelaſius Papa: Comperimus autem, quod quidam ſumta tantum corporis ſacri portione à calice ſacri cruoris abſtineant. Qui procul dubio, neſcio qua ſuperſtitione docentur adſtricti. Aut ergo integra ſacramenta accipiant, aut ab integris arceantur. Quia diviſio unius ejusdemque myſterii ſine grandi ſacrilegio non poteſt pervenire. *Majorico & Johanni Epiſcopis, & de Conſ. diſt. 2. Comperimus.*

Clemens Papa. Tranſiturus de mundo ad Patrem Salvator noſter Dominus Jeſus Chriſtus, dum tempus paſſionis ſuæ inſtaret, ſumta cœna in memoriam mortis ſuæ inſtituit magnificum ſui corporis & ſanguinis ſacramentum, corpus in cibum, & ſanguinem in potum tribuendo. Nam quoties hunc panem manducamus & ſanguinem bibimus, mortem Domini annunciamus. *In Clementina unica De reliquiis & veneratione ſanctorum, Si Dominum.*

Urbanus Papa IV. Unigenitus ſiquidem filius Dei ſuæ divinitatis nos volens eſſe participes, naturam noſtram aſſumſit, ut homines Deos faceret. Sanctus eſt homo; & hoc, quod de noſtro aſſumſit, totum nobis contulit ad ſalutem. Corpus namque ſuum pro noſtra reconciliatione in ara crucis hoſtiam obtulit Deo Patri, ſanguinem ſuum fudit, in pretium ſimul & lavacrum, ut redemti à miſerabili ſervitute diaboli, à peccatis noſtris mundaremur. Et ut tanti beneficii jugis in nobis memoria remaneat, corpus ſuum in cibum, & ſanguinẽ ſuum in potũ ſub ſpecie panis & vini ſumendum fidelibus dereliquit. *Et legitur in Eccleſia in feſto corporis Chriſti.*

Urbanus in Legenda. Ego, qui vitam æternam habere deſidero, carnem ejus veraciter comedo, & ſanguinem ejus veraciter bibo, illam, quam traxit de virgine carnem, & illum ſanguinem, quem fudit in cruce. Et *infra*: Sicut enim vidua Sareptana quotidie comedebat, & nunquam diminuebatur farina de hydria, & oleum de lecyto: Sic univerſalis eccleſia quotidie ſumit & nunquam conſumit carnem & ſanguinem Domini Jeſu Chriſti ſub diverſa ſpecie ſacramenti. *Legitur per octavam corporis Chriſti.*

Urbanus in Legenda: Et quamvis ſeparatim corpus, ſeparatim ſanguinem, non tamen bis ſed ſemel Chriſtum accipere fatemur. Sic iſte mos ita ſeparatim accipiendi in Eccleſia inolevit, quia Chriſtus in cœna apoſtolis ſeparatim dedit, ut per hoc intelligerent, ſe animæ & corpori Chriſti debere conformari. *Dominica infra octavam corporis Chriſti.*

Eccleſia. Non ſolum corpore epulemur agni, ſed etiam inebriemur ſanguine. Hujus enim tantummodo cruor

or non creat periculum bibendi, ſed ſalutem. *In cantico, Rubrica, S. Ambroſii: Exultet jam Angelica turba cœlorum.*

Eccleſia. Hæc domus tibi rite dedicata noſcitur, in qua populus ſacrum corpus ſumit, bibit & vorat ſanguinis hauſtum. *In hymno dedicationis veſpertino S. Ambroſii.*

Eccleſia. Dedit fragilibus corporis ferculum, dedit & triſtibus ſanguinis poculum, dicens: Accipite, quod trado vaſculum, omnes ex eo bibite. Sic ſacrificium iſtud inſtituit, cujus officium committi voluit ſolis presbyteris, quibus ſic congruit, ut ſumant & dent. *In hymno corporis Chriſti ſacris ſolemniis.*

Eccleſia. Quibus ſub bina ſpecie carnem dedit & ſanguinem, ut duplici ſpecie totum cibaret hominem. *In hymno: Verbum ſupernum, In completorio corporis Chriſti &c.*

Wilhelmus de monte Laudano. In hoc ſacramento Chriſtus fuit ſacerdos, in eo, quod confecit. Item fuit ſacrificium, eo, quod corpus ſuum ſacrificavit. Item miniſter, in eo, quod miniſtravit apoſtolis. Apoſtoli vero primo fuerunt laici, in laicali perſona communionem percipiendo. Item Chriſtus ibi fuit præſens, in eo, quod apoſtolos ordinavit in ſacerdotes, dum dixit: Hoc facite in meam commemorationem. *Capitulo, cum Marthæ.*

Idem: Recipiendo corpus totam veritatem recipit, non totum ſacramentum. Ideo in multis locis communicatur cum pane & vino, in toto ſacramento. *In ſuo libro ſacramentali, ubi ſupra.*

Gregorius. Multi ſecularium hominum cum plus ſacerdotum vitam quam ſuam diſcutiunt, in magnum contemtionis ſacramentorum crimen incurrunt. Et *infra.* Unde fit, ut non ſolum ab eis dicta reſpuant, ſed quod deterius eſt, divina myſteria ab eis audire contemnunt. Unde nec corporis communionem aut ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, eorum miniſterio confecta, aſſumunt, putantes, quod illorum fiat officio, quorum vita oculis eorum videtur ignobilis. Et *infra.* Sunt autem ſacramenta, baptiſma, chriſma, corpus & ſanguis Chriſti. Quæ ob id ſacramenta dicuntur, quia ſub tegumento corporalium rerum divina virtus ſecretius ſalutem eorundem ſacramentorum operatur. Unde à ſecretis virtutibus vel ſacris ſacramenta dicuntur. Quæ ideo fructuoſe penes eccleſiam fiunt, quia ſanctus in ea manens ſpiritus eundem ſacramentorum latenter operatur effectum. Cujus panis & calicis ſacramentum græce *Euchariſtia* dicitur, Latine *bona gratia* interpretatur. Et quid melius corpore & ſanguine Chriſti? Sive ergo per bonos, ſive per malos miniſtros intra eccleſiam diſpenſetur, Sacramentum tamen eſt. Et *infra:* Polluimus itaque panem, id eſt corpus Chriſti, quando indigni accedimus ad altare, & ſordidi mundum ſanguinem bibimus. *Et habetur in Canone* 1. *q.* 1. *Multi.*

CAP. III.

Concluſiones Jacobelli De neceſſaria communicatione plebis ſub utraque ſpecie.

EX præmiſſis ſacris ſcripturis, ſanctorum Doctorum, ſacrorum canonum, & eccleſiæ univerſalis inſtitutis & decretis, patet luce clarius, quod *communio* venerabilis *ſacramenti corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſub utraq; ſpecie panis & vini cunctis Chriſti fidelibus miniſtranda eſt.*

Verbum eſt, lex, veritas, inſtitutio ac evangelium Domini noſtri Jeſu *Chriſti*, ſuorum *Apoſtolorum & eccleſiæ primitivæ* quod *per nullam* eccleſiæ Romanæ *conſvetudinem* quantumcunque vetuſtam, vel cujuſcunq; Romani Pontificis ſeu *concilii* & ſynodi *conſtitutionem*, ſententiam vel *decretum*, *poteſt infringi*, tolli, vel quovis modo caſſari & annullari. Ut conſtat ex fide catholica & auctoritatibus infra ſupra dictis &c.

CAP.

Digitized by Google

CAP. VII.

Quod autoritas ſcripturæ præferenda ſit omni conſuetudini.

ESaiæ XL. Vox Domini dicentis, Clama. Et dixi, quid clamabo? Omnis caro fœnum & omnis gloria ejus quaſi flos agri. Exſiccatum eſt fœnum & occidit flos, quia ſpiritus Domini ſufflavit in eo. Verè fœnum eſt populus. Exſiccatum eſt fœnum, & occidit flos, verbum autem Domini ſtabit in æternum.

Eccleſ. XL. Non contradicas verbo veritatis, ne de mendacio in eruditione tua confundaris.

Pſalm. 118. In æternùm, Domine, permanet verbum tuum in cœlo. Et *iterum:* Pax multa diligentibus nomen tuum Domine, & non eſt illis ſcandalum.

Luc. XVI. Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.

Matth. V. Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cœlum, jota unum aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant &c.

Luc. XVI. Facilius eſt cœlum & terram præterire, quam de lege unum apicem cadere.

Secundi Eſdræ IV. Omnis terra veritatem invocat, cœlum etiam ipſam benedicit & omnia opera moventur & tremunt eam, & non eſt in ea quicquid iniquum. Iniquus vero vir, iniquæ mulieres, & iniqui omnes filii hominum, & iniqua omnia illorum opera & in eis non eſt veritas, & in ſua iniquitate peribunt. Veritas autem manet, & invaleſcit in æternum, & vivit & obtinet in ſecula ſeculorum, nec eſt apud eum accipere perſonam, neq; differentias. Sed quæ juſta facit omnibus injuſtis ac malis. Et omnes benignantur in operibus ſuis, & non eſt immundicia, iniquum, & fortitudo & regnum & poteſtas & majeſtas omnium errorum.

Urbanus Papa. Sunt quidam dicentes, Romano Pontifici ſemper licuiſſe novas leges condere. Quod & nos non negamus. Sed & valde affirmamus. Sciendum vero ſummopere eſt, quod novas leges poteſt condere, ubi Evangeliſtæ aliquid nequaquam dixerunt. Ubi vero aperte Dominus & ejus Apoſtoli & conſequentes ſancti Patres ſententialiter definierunt, ibi non novam legem Romanus Pontifex dare, ſed potius quod prædicatum eſt usque ad animam & ſanguinem confirmare debet. Si enim quod docuerunt Apoſtoli & Prophetæ, deſtruere, quod abſit, intenderet, non ſententiam dare, ſed magis error convinceretur. *Ponitur in canone* 25. *q.* 1. *Sunt quidam.*

Symmacho in ſexta ſynodo. Nulli licet Imperatori vel cuiquam pietatem cuſtodienti aliquid contra divina mandata præſumere, nec quicquam, quod evangelicis, Propheticis aut apoſtolis regulis obviaverit, agere. *Ponitur diſt.* 10. *Non licet.*

Auguſtinus. Quæ contra mores ſunt hominum, hujusmodi, ſicut flagitia pro morum diverſitate ſunt vitanda, ut pactum inter ſe gentis aut civitatis conſuetudine aut lege firmatum nulla civis aut peregrini libidine violetur. Turpis eſt enim omnis pars univerſo ſuo non congruens. Cum autem Deus aliquid contra morem aut pactum quorumlibet jubet, & nunquam ibi factum eſt, tamen mox faciendum. Et ſi omiſſum eſt, inſtaurandum. Et ſi ſtatutum non erat, inſtituendum eſt. Et *infra:* Generale quippe pactum eſt ſocietatis humanæ, obtemperare Regibus ſuis, Quanto magis Deo regnatori univerſæ creaturæ ad ea, quæ juſſerit, ſine dubitatione ſerviendum eſt. Sicut enim in poteſtatibus ſocietatis humanæ major poteſtas minori ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus. *Libr. Confeſſ.* 2. *Et habetur in canon. diſt.* 8. *Quæ contra mores* &c

Auguſtinus: Qvi contemta veritate præſumit conſvetudinem ſeqvi, aut circa fratres invidus eſt & malevolus, à qvibus veritas revelatur, aut circa Deum ingratus eſt, inſpiratione cujus eccleſia ejus inſtruitur. Nam Dominus in evangelio, Ego ſum, inqvit, veritas. Non dixit, conſvetudo, ſed veritas. Qvia & Petrus, qvi circumcidebat, ceſſit Paulo veritatem prædicanti. Igitur cum Chri-

Chriſtus veritas ſit, magis veritatem, qvam conſvetudinem ſeqvi debemus. Qvia conſvetudinem ratio & veritas ſemper excludit. *Libr. de baptiſmo parvulorum. Et ponitur octava diſt. c. 6. Qui contemta* &c.

Auguſtinus. Fruſtra, inqvit, qui ratione vincuntur conſvetudinem nobis objiciunt, qvaſi conſvetudo major ſit veritate, aut non ſit in ſpiritualibus ſequendum, quod melius à ſpiritu ſancto revelatum eſt. Hoc plane verum eſt, quia ratio & veritas conſvetudini præponenda eſt Sed ſi conſvetudini veritas ſuffragatur, nihil oportet firmius retinere. *Libr. IV. de baptiſmo parvulorum.* Et ponitur 8. *diſt. Fruſtra.*

Gregorius VII. Et conſvetudinem fortaſſis opponas, advertendum eſt, qvod Dominus dicit: Ego ſum veritas & vita. Non dicit: Ego ſum conſvetudo, ſed veritas. Et certe ut B. Cypriani ſententia utamur: Qvælibet conſvetudo, quantumvis vetuſta, quantumvis vulgata, veritati omnino eſt poſtponenda. Et uſus, qvi veritati eſt contrarius, eſt abolendus. *Et ponitur diſt. 8. Si conſvetudinem* &c.

Iſidorus. Si is, qvi præeſt, fecerit aut cuiqvam qvod à Domino prohibitum eſt, facere juſſerit, vel quod præceptum præterierit, aut præterire mandaverit, S. Pauli ſententia ingerenda eſt: Etiamſi vobis nos aut angelus de cœlo evangelizaverit, præter id, quod vobis evangelizavimus, anathema ſit. *Habetur XI. q. 3. c.* 101. *Si is qui* &c.

Iſidorus. Si quis prohibeat vobis, quod à Domino præceptum eſt, vel rurſum imperat fieri, quod prohibet Deus, execrabilis eſt omnibus, qui diligunt Deum. Et *infra:* Is, qvi præeſt, ſi præter voluntatem Dei, aut præter qvod in ſacris ſcripturis evidenter præcipitur vel dicit, vel aliqvid imperat, tanqvam falſus teſtis Dei & ſacrilegus habeatur. *Et ponitur XI. q. 3. c.* 101. *Si is qui.*

Gregorius IX. Cum tanto ſint graviora peccata, qvanto diutius infelicem animam detinent alligatam, nemo ſanæ mentis intelligit, naturali juri, id eſt divino, cujus transgreſſio periculum ſalutis inducit, qvacunqve conſvetudine, quæ dicenda eſt in hac parte verius corruptela, aliqvatenus poſſe derogari. Licet enim longæ conſvetudinis non ſit levis auctoritas, non tamen eſt usqve adeo valitura, ut vel juri poſitivo debeat præjudicium generare &c. *Extra de conſuetudine, capitulo ultimo.*

Auguſtinus. Qvis neſciat ſanctam ſcripturam Canonicam, tam novi quam Veteris teſtamenti, certis terminis ſuis contineri, eamqve poſterioribus omnium epiſcoporum literis ita præponi, ut de illa omnino dubitari & diſceptari non poſſit, utrum verum vel rectum ſit, qvicqvid in ea ſcriptum conſtiterit eſſe? Epiſcoporum autem literas, qvæ poſt confirmatum canonem vel ſcriptæ ſunt vel ſcribuntur, & per ſermonem forte ſapientiorem cujuslibet in ea re peritioris & per aliorum Epiſcoporum graviorem auctoritatem, decentemque prudentiam, & per concilia licere reprehendi, ſiquid in eis forte à veritate deviatum eſt? *De unico baptiſmo L. 2.* Et habetur *diſt.* 9. *Quis neſciat.*

Auguſtinus: Noli meis literis qvaſi canonicis ſcripturis inſervire. Nam in illis, N. & V. T. libris, quod non credebas, cum inveneris, incubans, crede, in iſtis autem, quod certum habebas, niſi certum intellexeris, noli firmum tenere. *In prologo l. 3. de Trinitate.* Et ponitur 9. *diſt. Noli meis.*

Cyprianus. Conſvetudo, quæ apud quosdam irrepſerat, impedire non debet, quo minus veritas prævaleat & vincat. Nam conſvetudo ſine veritate erroris vetuſtas eſt, propterea relicto iſto errore ſeqvamur veritatem. Et ignoſci poteſt ſimpliciter erranti. Sicut de ſe ipſo dicit B. Paulus: Qui primo fui blasphemus perſecutor & injurioſus. Sed miſericordiam meruit, quia ignorans fecit. Poſt inſpirationem vero & revelationem factam qui in eo, quod erraverat, perſeverat prudens & ſciens, jam non in venia ignorantiæ peccat. Præſumtione etenim & qvadam obſtinatione nititur, cum ratione ſuperetur. Et *infra:* Si ſolus Chriſtus audiendus eſt, non debemus attendere

quid aliquis ante nos faciendum putaverit, ſed quid, qui ante nos omnes eſt, fecit, Chriſtus. Neque enim hominis conſvetudinem ſequi oportet, ſed Dei veritatem. Cum per Eſaiam Prophetam loquatur Deus, XXVIII. c. Sine cauſa colunt me, mandata & doctrinas docentes hominum & ſequentes. Et *ponitur diſt.* 8. *c.* 8. 9. *Conſuetudo* &c.

Nicolaus Papa. Mala conſvetudo non minus quam pernicioſa corruptela vitanda eſt. Qvæ niſi citius radicitus evellatur, in privilegiorum jus ab impiis capitur vel aſſumitur, & incipiunt prævaricationes & variæ præſumtiones, celerrime, non compreſſæ, pro legibus venerari & privilegiorum nomine perpetuo celebrari. *Et ponitur diſt.* 8. *Mala.*

Innocentius, In concilio generali. Qvoniam omne quod non eſt ex fide peccatum eſt, ſynodali judicio definimus, ut nulla valeat absqve bona fide præſcriptio, tam canonica qvam civilis. Cum generaliter ſit omni conſtitutioni atque conſuetudini derogatum, quæ absque mortali peccato non poſſunt obſervari. *Exrtavagan. De Præſcriptionibus, Quoniam.*

Gratianus. Conſtitutiones quæque & conſuetudines quæcunque, vel eccleſiaſticæ vel ſeculares, ſi divino juri contrariæ probantur, penitus ſunt excludendæ. *Ponitur diſt.* 9. *c. ultimo.*

LIBER II.

MAURITII DE PRAGA
Prof. Theol. in Conſt. Concilio præſentis,
RESPONSIO
ad illam Demonſtrationem
JACOBI DE MISA,
De Communione laicali ſub una.
In Conſtantienſi Concilio publica illius autoritate edita.

CAP. I.

Præliminaris Reſponſio ad ſuperiores Jacobelli concluſiones de neceſſitate communionis laicalis ſub utraque.

SEquuntur ſuper his auctoritatibus auctoritates, ſolutiones & concluſiones, editæ, & *per concilium Conſtantienſe approbata*, quod laici non communicentur ſub duplici ſpecie.

Vid. ſupr. c. 1, 2. *Compilator hujus libelli*, poſtquam præmiſit multas auctoritates Bibliæ, ſanctorum, & aliorum Doctorum, ſonantes *de communione fidelis populi ſub utraque* *Vid. ſupr. c.* 3. *ſpecie panis & vini*, ultra medium *libelli* poſuit verba propria in hac forma, quæ ſequitur: *Ex præmiſſis ſacra ſcriptura, ſanctorum Doctorum, ſacrorum canonum autoritatibus &c.*

In quibus verbis innuit *duas concluſiones. Prima*, Quod eſt de neceſſitate ſalutis & de præcepto Chriſti & ejus inſtitutione, populos fideles communicare ſub utraque ſpecie.

Secunda. *Non potuit, nec poteſt, aut poterit tollere, aut annullare ſeu caſſare conſtitutio ſummi Pontificis, aut decretum ſacri concilii generalis, aut conſuetudo quæcunque eccleſiæ univerſalis.* *Vid ſupr. c.* 23.

Et quia iſtæ *duæ concluſiones* prætenſæ ſunt erroneæ, & doctrinis ſanctorum patrum & Doctorum, ac rationabili conſvetudini eccleſiæ, imò & *determinationi ſacri generalis Conſtantienſis concilii contrariæ:* Ideò ne harum auctoritatum occaſione ſimplices aut minus docti fortè in hunc errorem deducantur, expedit ipſis *auctoritates exponere* & ad quamlibet *reſpondere* ſigillatim: Iſto ordine ſervato, quod primò ponatur pri-

Digitized by Google

prima auctoritas in parte, & illi mox ſubjungatur ſua expoſitio aut ſolutio, & taliter fiat de ſecunda & tertia & ceteris conſequenter.

Priusquam reſpondero ad auctoritates, *ad concluſiones prædictas reſpondeo*, quod *ambæ* ſunt falſæ.

Probatur. Quia multi ſunt ſalvati in veteri lege, in tempore Chriſti ſub nova lege, ſine communione corporis & ſangvinis Chriſti ſacramentali: Ante inſtitutionem novæ legis, infra inſtitutionem & poſt inſtitutionem. *Ante inſtitutionem*, patet de Abraham, Iſaac & Jacob. *Tempore Chriſti*, Joſeph nutricius, Johannes Baptiſta. *Poſt inſtitutionem*, latro in cruce, & multa millia cum *Ermelao*, cum *Mauritio*, cum *Urſula*. Igitur non eſt de neceſſitate communicare populum ſub utraque ſpecie. Patet *conſequentia* ex vi nominis ly *neceſſitas*. Nec eſt præceptum ut præceptum. Quia tale obligat quemlibet hominem omni tempore, omni hora, ſanum, infirmum, nobilem, ignobilem, ſicut facit dilectio, in qua conſiſtit lex & Prophetæ, Matth. XIX. In his duobus, in dilectione Dei & proximi &c.

Similiter *concluſio ſecunda* falſa. Quia eccleſia univerſalis mutavit neceſſaria ſalutis, videns hominum profectum & Dei laudem. Chriſtus præcepit baptizare in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti tantùm Apoſtolis, *Marc. ultimo.* Apoſtoli laicis dederunt. Item apoſtoli conceſſerunt laicis baptizare & in nomine Jeſu tantùm, *Actor.* 8. Patebit melius infrà.

CAP. II.

Reſponſio Mauritii ad Scripturæ loca à Jacobello pro Communione calicis propoſita.

Supr. c. I. f. 805. AD primam auctoritatem *Auguſtini. Fieri nullo modo poteſt ut hac ſacrarum literarum auctoritas ex aliqua parte ſui mentiatur.* Reſponſio. Hæc autoritas extollit auctoritatem ſacræ ſcripturæ & certitudinem veritatis ejus, eo, quod nihil in ea aſſertive poſitum invenitur falſum: Et hoc quidem fateor. Verum non quoad omnem ſenſum, quem quilibet ſibi in ſcriptura fingit, ſed quoad omnem ſenſum, quem Spiritus ſanctus auctor ſcripturæ in ipſa ſcriptura intendit.

V. ſup. l. c. *Auguſtinus: Si ego quicquam dixero &c.* Idem vult in ſententia, quod præcedens, per omnia.

Supr. l. c. *Beda. Perfecta vita magiſterium eſt. Eccleſia primitiva ſemper actus imitari &c.* Reſpondeo. Per hanc auctoritatem videtur innui, quod debeamus imitari actus & ritus eccleſiæ primitivæ. Et hoc ideo, ſicut eccleſia primitiva miniſtrabat ſacramentum altaris populis ſub duplici ſpecie, & ſic hodie illud exemplum imitari debeamus, & ſic ſub utraque ſpecie populis ſacramentum miniſtrare. Circa quod *dico*, quod iſta auctoritas *Beda* non poteſt intelligi univerſaliter, ſcilicet, quod debeamus, aut eccleſiæ expediat, *omnes actus & ritus primitivæ eccleſiæ imitari.* Patet namque inſtantia in multis.

Etenim apoſtoli *baptizabant* ad tempus *in nomine Jeſu*, *Actor. VIII.* Et ita baptizare non ſolum non debemꝰ, ſed nec eſt licitum. Similiter in primitiva eccleſia *euchariſtia ſumebatur* à Chriſti fidelibꝰ *pranſis*: Et nunc eos in hoc imitari non eſt licitum ſed prohibitum. Item primitus eccleſia *conficiebat in azymo.* Poſteriores patres ab iſto ritu primitivorum ad tempus ceſſarunt, propter errorem de obſervatione legalium. Inſuper in primitiva eccleſia *conſtitutis in ſacris ordinibus* licitum fuit *uti matrimonio*, ut dicit Apoſtolus I. *Tim. III. Siquis epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Oportet ergo epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem, non vinolentum, non percuſſorem, filios habentem ſubditos, in omni caſtitate.* Ad quod omnes poſteriores ſunt illegitimati.

Et ſicut in illis exemplificatum eſt, & in multis aliis exemplificari poterit, *quod non oporteat*, imo *non liceat in omnibus nunc imitari actus primitivæ eccleſiæ:* Ita in propoſito intelligendum eſt. Quia *in* pri-

Digitized by Google

primitiva eccleſia miniſtrabatur ſacramentum fidelibus populis ſub utraque ſpecie, quia *erant ferventes in amore Dei*, pro cujus amore *exponebant ſe quotidie martyrio*, effundentes ſuum ſanguinem pro Chriſto: *Non oportet nunc* fieri, imo *non licet*, propter contrariam conſuetudinem univerſalis eccleſiæ, fundatam in rationabilibus cauſis, de quibus poſt dicetur. Etiam *charitas tepuit in hominibus*.

Vid. ſupr. f. 805. *Auctoritates evangelii, Doctorum, Canonum &c. Quæ docent ſacramentum dari ſub utraque ſpecie laicis, debent manere usque in diem judicii.* Reſpondeo: Quod eccleſia univerſalis cum ſuo concilio univerſali poteſt, potuit & poterit immutare, cum conſilio ſpiritus ſancti, ut videt profectum Catholicorum & honorem Dei, *Actor. XIII. Viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis*, dicit Barnabas.

Sup. f. 805. *Cœnantibus autem illis, accepit Jeſus panem &c. Matth. XXVI. Marc. XIV. Luc. XXIV.* Reſpondeo. Concedendo, quod Dominus hoc ſacramentum diſcipulis ſub utraque ſpecie tradidit ſumendum. Sed tamen non habetur ex auctoritate, quod per hoc omnibus legem poſuerit ſub utraque ſpecie. Quod tamen probandum eſſet, eo, quod *prima concluſio compilatoris* hoc prætendit.

Et pro ampliori declaratione eſt notandum, quod aliud eſt hic ſacramentum, aliud eſt confectio, aliud eſt conſecratio ſacramenti. *Sacramentum* etenim res eſt permanens poſt conſecrationem in altari, aut in pixide, ut de hoc poſterius patebit. *Confectio* vero aut *conſecratio* eſt actus tranſiens. Cujus *conſecrationis* ſunt quædam communia *ſubſtantialia*, aut eſſentialia non ſacramenti ſed ipſius conſecrationis, eo, quod taliter ſunt ad ipſam requiſita de neceſſitate, quod etiam iſta non posſunt immutari, & quod ſemper eis poſitis ponitur conſecratio, ut Doctores concorditer dicunt. Alia vero omnia ſunt ſacramento aut ejus *confectioni extrinſeca* & tanquam *accidentalia*, aut prædictis eſſentialibus accidentaliter annexa. Ut ſunt ſolennitates, quæ fiunt in miſſa, & eſt modus ſumendi, ſeu uſus ſacramenti. Et ſunt accidentales conditiones rerum ſubſtantialium prædictarum. Iſta dicuntur accidentalia ipſi ſacramento ſeu conſecrationi ejus, quod illis deficientibus, vel aliquo ipſorum, poteſt fieri conſecratio, & eſt verum ſacramentum. Et etiam ideo, quod Eccleſia poteſt iſta mutare & circa ea ordinare & diſponere, prout videbitur ſaluti fidelium congruere & reverentiæ tanti ſacramenti.

Dico ergo, quod Dominus inſtituendo hoc ſacramentum in ultima cœna, prout ultima auctoritas præmiſſa loquitur, *determinavit eſſentialia* hujus *conſecrationis ſacramenti*, taliter, quod eccleſia ea mutare non poteſt, ut docent Doctores ex concordi ſententia. *Accidentalia* vero omnia *dimiſit* in poteſtate eccleſiæ, ut circa iſta ordinaret, prout ei ſpiritus ſanctus rector eccleſiæ pro tempore inſpiraret.

Et hoc patet inductive in ſingulis.

Et primo *de ſolennibus*, quæ circa hoc ſacramentum ſunt in Miſſa. Quæ quia eccleſia inſtituit, poſſet ex cauſis aliter circa ea ordinare, ut appareret à ſpiritu ſancto edocta.

Secundo *de tempore ſumtionis*. Nam licet Dominus hoc ſacramentum conſecrationis fecit *poſt cœnam*, & dedit & miniſtravit apoſtolis poſt alios cibos, *eccleſia hoc mutavit*, ſtatuens, quod hoc extra caſum periculi mortis non *ſumatur*, niſi *à jejunis*.

Et hoc rationabiliter *propter multas cauſas*, quas enumerant Doctores *in quarto Sententiarum, diſt. XI. Prima* eſt, propter ejus ſanctitatem, ut os Chriſtiani, quo ſumendum eſt ſacramentum, non ſit prius aliis cibis imbutum, ſed quaſi novum & purum ad ejus perceptionem ſervetur. *Secunda*, propter devotionem requiſitam ad digne & ſalubriter ſumendum hoc ſacramentum. Quæ communiter minor eſt in pranſis quam jejunis. *Tertia*, propter periculi evitationem, vomitus, ebrietatis, quæ contingere ſolent in uſu ciborum & potuum inordinato, ſicut Apoſtolus ſcribit 1. *Cor. XI. Quarta*, propter ſignificationem, ut detur intelligi, quod Chriſtus, res hujus ſacramenti, & ejus charitas, debent primo fundari in cor-

Digitized by Google

cordibus noſtris, juxta iſtud Matth. Primum quærite regnum Dei, &c. Hoc etiam docet *Magiſter ſententiarum, diſt.* 8. *Lib. IV.* & etiam *Auguſtinus ad inquiſitores Januarii, L.* 1.

Tertio patet etiam *de conditione accidentali media ejus ſacramenti.* Nam licet Dominus inſtituendo hoc ſacramentum confecit id *in azymis*, & ita in primitiva eccleſia confecerunt Apoſtoli, quem etiam morem Romana eccleſia ab apoſtolis, qui eam fundarunt, accepit, ut dicit Leo Papa: Imminente hæreſi hæreticorum, dicentium, legalia eſſe ſervanda ſimul cum evangelio, ſancti Patres, ne eis conſentire viderentur, voluerunt ad tempus conficere *in fermentato*, ex ſpiritus ſancti inſtinctu. Et ipſa hæreſi eliminata, Romana eccleſia ad priſtinum morem rediit. Propter quod ſacerdos, ſubditus Romanæ eccleſiæ, qui contra iſtum morem conficiendo in azymo nunc faceret, quamvis vere conficeret, tamen peccaret.

Similiter poſſet hoc declarari *de conditionibus accidentalibus aliquorum ſubſtantialium conſecrationis hujus ſacramenti.*

Cum ergo iſta ita ſe habeant, patet hoc manifeſte, quod, *quamvis Dominus inſtituendo hoc ſacramentum ipſum miniſtravit ſub utraque ſpecie*, ipſa *tamen* eccleſia potuit circa hoc aliter ordinare & aſſumere uſum miniſtrandi populis ſub una ſpecie. Et ita fecit ex rationabilibus cauſis poſterius dicendis.

Non enim poteſt aſſignari cauſa, quare Eccleſia unum potuit facere poſſibilius, quam aliud. Cum iſta non ſint de eſſentia ſacramenti aut conſecrationis ejus, ſicut vere illud.

Et etiam miniſtratio ſub utraque ſpecie fuit à Domino obſervata *pro Apoſtolis.* Quia ſi voluntas ejus fuiſſet, quod laici ſub duplici ſpecie debuiſſent usque in diem judicii communicari, dediſſet tunc in cœna minoribus diſcipulis & familiæ illius domus. Et ly *omnes*, ibi capitur collective: Bibite ex eo *omnes*, non diſtributive.

Sic conſecratio & ſumtio poſt cibum in azymis fuit à Domino obſervata, ſicut miniſtratio ſub utraque ſpecie *Apoſtolis tantum*, quæ tamen Eccleſia poſterius mutavit. Igitur, &c.

Johannis VI. Dixit Jeſus diſcipulis ſuis & turbis Judæorum: Amen, amen dico vobis: Niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Reſpondeo. Hæc auctoritas ſecundum ſuperficiem verborum videtur innuere neceſſitatem ſumendi ſacramentum ſub utraque ſpecie. Et ideo major eſt diligentia adhibenda, ut exponatur, non ſecundum voluntatem cujuscunque privati hominis, ſed ſecundum expoſitiones authenticas ſanctorum Doctorum & approbatarum gloſſarum. *Vid. ſupr. f.* 805. & 806.

Pro quo eſt notandum, ſecundum quod docet *Magiſter ſententiarum, L. IV. diſt.* 8. *De ſacramento*, de quo loqvitur: Species viſibiles panis & vini, quæ poſt conſecrationem manent, eſt ſacramentum, quia ſacræ rei ſignum. Et hujus ſacramenti duæ ſunt res, una contenta & ſignata, & eſt caro Chriſti, quam de virgine traxit, & ſangvis, qvem pro nobis abunde fudit. Alia res ſacramenti eſt per ipſum ſacramentum ſignificata, ſed non ſub ea contenta, & eſt unitas eccleſiæ. Hæ duæ res ſunt duplex caro Chriſti. Unde Hieronymus ſuper epiſtolam ad Ephes. Dupliciter intelligitur caro Chriſti & ſangvis: Vel iſta quæ crucifixa eſt & ſepulta, & ſangvis qui militis lancea effuſus eſt: Vel iſta ſpiritualis & divina, id eſt myſtica, de qua ipſe Dominus ait Joh. VI. Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus, Et, Niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſangvinem non habetis vitam in nobis &c. Hujus geminæ carnis Chriſti ipſa viſibilis ſpecies ſacramentum eſt, quia utramqve ſignat & utriusque ſimilitudinem gerit. Sicut enim panis plus ceteris cibis corpus reficit & ſuſtentat, & vinum cor hominis lætificat atque inebriat, ſic vera Chriſti caro & ejus ſangvis plus ceteris gratiis interiorem hominem reficit & ſaginat. Et ſicut ex multis granis conficitur unus panis, & ex multis acinis vinum in unum confluit, ſic ex multis Chriſti fidelibus unitas eccleſiæ conſtat. Unde apoſtolus: Unus panis & unum corpus multi ſumus. *Auguſtinus.* Et ponitur *in gloſſa* 1. *Cor. XI.* Unus

 panis

Digitized by Google

panis & unum corpus dicitur eccleſia, pro eo, qvod, ſicut unus panis ex multis granis & unum corpus ex multis membris componitur, ſic eccleſia ex multis fidelibus Chriſti charitate copulante connectitur. Item ipſa vera Chriſti caro aut ejus verus ſangvis, eſt carnis Chriſti myſticæ, aut ſanguinis ejus myſtici ſignum & ſacramentum. Sicut namqve caro Chriſti vera ex multis membris puriſſimis & immaculatis conſtat, ſic caro Chriſti myſtica, quæ eſt ſocietas eccleſiaſtica, ex multis perſonis, à criminali culpa ſive macula liberis, conſiſtit.

Secundo notandum eſt, qvod duplex eſt *manducatio & bibitio corporis Chriſti & ſanguinis*: Una *ſacramentalis*, alia *ſpiritualis*. Sacramentalis eſt ſumtio veri corporis Chriſti ſub ſpecie panis, aut ſanguinis ſub ſpecie vini, cum intentione taliter ſumendi. De iſta manducatione aut ſumtione *ſacramentali* corporis & ſangvinis Chriſti non intelligitur auctoritas prædicta, ut docent ſancti Doctores communiter, ut patebit ex ſequentibus.

Et poteſt ſvaderi ratione. Sicut baptiſmus fluminis ex præcepto Chriſti eſt ſacramentum neceſſitatis, ita quod etiam parvuli non poſſunt ſine eo conſeqvi ſalutem regulariter: Ita, ſi auctoritas Chriſti prædicta, intelligeretur de manducatione aut ſumtione ſacramentali, ipſa ſumtio ſacramentalis etiam ex Chriſti verbo & inſtitutione eſſet de neceſſitate ſalutis. Tenet *conſequentia*. Qvia ſicut Dominus præcipiendo dixit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non intrabit in regnum cælorum*, *Joh. III.* Ita hic præcipiendo dixit: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis &c.* Sicut ergo baptiſmus propter iſta Chriſti verba eſt neceſſarius, ita eſſet ſumtio ſacramentalis pari ratione neceſſitatis, propter ſimilia Chriſti verba. *Conſequens* manifeſtè falſum. Ut patet in parvulis, qvi ſalvantur ſine hac ſacramentali ſumtione.

Etiam patet ex effectu ſumtionis ſacramentalis, quæ eſt deletio venialium, & augmentum virtutum. Quorum neutrum eſt de neceſſitate ſalutis, ſaltem ex Chriſti verbo. Qvamvis in adultis ſit de eccleſiæ præcepto. Qvia ei videbatur congruere fidelium ſaluti & facere ad reverentiam tantæ rei.

Pro quibus notandum, qvod *manducatio & bibitio ſpiritualis eſt duplex*, ſecundum quod duplex eſt res hujus ſacramenti. *Prima eſt ſumtio ſpiritualis primæ rei* hujus ſacramenti, ſcilicet veræ carnis aut veri ſangvinis Chriſti, & eſt devota meditatio ſeu recogitatio Chriſti, ut eſt ſub ſacramento cum corpore ſuo vero, in quo multiplicem paſſionem ſuſtinuit, & cum vero ſanguine qvem propter nos fudit. Et ipſius recogitantis ad cogitatum fit unio per actum amoris. Ita quod ſicut ad manducationem *cibi corporis* reqviritur manducatio ejus, & conſequenter incorporatio: Sic ad manducationem ſpiritualem *cibi animæ*, ſcilicet veri corporis Chriſti, reqviritur *primo*, qvod homo in fide vera recogitet devote, quomodo ſub iſtis ſpeciebus eſt vere & totaliter totus Chriſtus, Deus & homo, cum ſuo ſanctiſſimo corpore, qvod pro nobis expoſuit tam multiplici paſſioni, & qvod nobis dedit in cibum animarum noſtrarum, aut alia hujusmodi. Et iſtud correſpondet maſticationi &c. *Secundo* reqviritur, ut cogitans pactum amoris uniatur ipſi cogitato, ſcilicet Chriſto Domino. Et illud correſpondet aliqvo modo incorporationi.

Proportionabiliter intelligitur *de bibitione veri ſanguinis Chriſti.*

Et de iſta ſumtione ſpirituali veræ carnis aut ſangvinis Chriſti, iterum non intelligitur verbum Chriſti Domini: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem &c.* ut patebit ex ſequentibus. Etiam quia parvuli ſic non manducant, cum non habeant actum fidei, nec recogitare poſſent talia, & habent tamen vitam in ſe. Sed de iſta manducatione ſpirituali intelligatur illud *Auguſtini*, qvod allegat *Magiſter ſententiarum*, *diſt.* 9. *Li. VIII. Quid paras dentes aut ventrem, crede & manducaſti.*

Alia eſt *manducatio & bibitio ſpiritualis ſecunda rei* hujus ſacramenti, ſcilicet carnis

carnis Chriſti myſticæ, aut ſanguinis. Et eſt conſecutio ſeu adeptio unionis per fidem & charitatem ad membra eccleſiæ & cum capite Chriſto, qvam unionem hoc ſacramentum ſignificat. De iſta manducatione ſpirituali ſeu ſumtione intelligitur prædictum Chriſti verbum: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem &c.*

Sic de hoc exponit *B. Hieronymus* in auctoritate ſuperius allegata, cum dicit: *Dupliciter intelligitur caro Chriſti & ſanguis. Vel illa, qua crucifixa eſt & ſepulta, & ſanguis qui militis lancea eſt effuſus. Vel illa ſpiritualis & divina, de qua ipſe dicit:* Caro mea vere eſt cibus & ſanguis meus vere eſt potus. Qui manducat meam carnem & bibit &c. Et, Niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.

De hoc etiam exponit prædictum verbum B. *Auguſtinus ſuper Johannem*, Homil. 1. Cor. XI. & gloſſa ordinaria in 1. Cor. XI. Nam poſt verba prædicta adjunxit Dominus: Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. Super quo dicit *B. Auguſtinus*, ubi ſupra: *Hanc ergo vitam æternam non habent qui iſtum panem non manducant, nec iſtum ſanguinem bibunt. Nam temporalem vitam ſine iſto homines habere poſſunt, æternam omnino habere non poſſunt.*

Conſtat ergo, qvod hoc non eſt verum de manducatione aut bibitione ſacramentali veræ carnis & veri ſanguinis Chriſti. Et hoc propter pueros, qui conſequuntur vitam æternam ſine manducatione ſacramentali aut ſpirituali veræ carnis & veri ſanguinis. Igitur oportet iſta intelligi *de manducatione ſpirituali myſticæ carnis Chriſti*, qvæ eſt virtus corporis Chriſti myſtici, ſine qva non eſt ſalus. Nulli enim patet aditus ad vitam æternam extra eccleſiam.

Et ſubdit *Auguſtinus*: *Qui non manducat ejus carnem, nec bibit ejus ſanguinem, non habet in ſe vitam. Et qui manducat ejus carnem & bibit ejus ſanguinem, habet vitam æternam.* Quod iterum non eſt verum de manducatione ſacramentali, quam multi non ad vitam ſed ad judicium ſibi ſumunt. Nec eſt univerſaliter verum de manducatione ſpirituali veræ carnis Chriſti. Cum talis poſſit eſſe ſine gratia gratum faciente, quæ eſt vita animæ. Et etiam parvuli habent in ſe vitam animæ, & tamen non manducant ſpiritualiter veram carnem Chriſti, cum non meditentur neque cogitent actualiter Chriſtum. Sed eſt univerſaliter verum de manducatione ſpirituali myſticæ carnis Chriſti, de qva intelligi oportet. Quod etiam *Auguſtinus* docet, cum ſubjungit: *Hunc utiq; cibum & potum dominus vult intelligi ſocietatem corporis & membrorum ſuorum, quod eſt ſancta eccleſia in fidelibus ſanctis & fidelibus ejus.*

Et poteſt ſic argui ad propoſitum: Dominus loquens *Joh. III.* de baptiſmo dixit primo: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei: Et quomodo hoc intelligi & obſervari voluit à fidelibus, partim declarat, cum ſubjungit: *Amen amen dico tibi, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non poteſt intrare in regnum Dei.* Igitur à ſimili, quando Dominus *Johann. IV.* loquebatur de manducatione carnis ſuæ &c. Quomodo hoc voluit intelligi, ſtatum declarat, cum ſubjungit: *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in eo.* Per hoc exponens, quod priora verba intelligat de manducatione ſpirituali myſticæ carnis ſuæ, & bibitione ſpirituali ſanguinis myſtici.

Et hoc manifeſte dicit *Auguſtinus*, & etiam *gloſſa* ſuper verbo eodem. Nam poſt prædicta ſubdit *Auguſtinus*: *Denique jam exponit, quomodo id fiat, dicens, quod loquitur, & quid ſit manducare carnem ejus & ſanguinem bibere, dicens: Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem &c. in me manet, & ego in eo.* Subdit Auguſtinus: *Hoc eſt ergo manducare illam eſcam & iſtum potum bibere, in Chriſto manere, & Chriſtum in ſe manentem habere. Ac per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, procul dubio nec manducat ejus carnem, nec bibit ejus ſanguinem, etiam tantæ rei ſacramentum ad judicium ſibi manducat & bibit.* Quod iterum intelli-

intelligit de manducatione carnis myſticæ, cujus ſacramentum eſt & ſpecies viſibilis, & corpus Chriſti verum, uti patet ex prædictis.

Et iterum dicit *Auguſtinus*, & allegat *Magiſter diſt. 9. c. 4. Quid eſt Chriſtum manducare? Non ſolum eſt in ſacramento corpus ejus accipere. Multi enim indigne accipiunt. Sed in Chriſto manere & habere in ſe ipſum manentem. Spiritualiter enim manducant, qui in unitate Chriſti & eccleſia, quam ſacramentum ſignificat, manent.*

Et iterum dicit *Auguſtinus*: *Quoniam manducandus eſt Chriſtus, quomodo ipſe dicit*: Qui manducaverit meam carnem, & biberit ſanguinem meum, in me manet & ego in eo? *Si in me manet, & ego in eo, tunc carnem meam manducat & ſanguinem meum bibit. Qui vero in me non manet, nec ego in eo. Si accipit ſacramentum, magnum acquirit tormentum.*

Et in *homilia XXVII. ſuper Johanne* dicit: *Manemus in eo, cum ſumus membra ejus. Manet autem ipſe in nobis, cum ſumus templum ejus. Hoc intelligite, id eſt cum inhabitat nos per viſionem ſanctiſſimam, ſecundum illud Joh. XVI.* Qui diligit me, ſermonem meum ſervabit, & pater meus diliget eum & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.

Ex quibus clare patet, quod prædicta Chriſti verba nullam ponunt neceſſitatem communicandi ſub utraque ſpecie, cum non ſint intelligenda de manducatione ſacramentali, ſive ſub una ſpecie ſive ſub utraque ſpecie. Et quod nihil faciunt ad probationem prætenſæ concluſionis primæ.

Et illud patet expreſſe per *B. Thomam*, per *Bonaventuram* & per *Doctores* communiter in ſcriptis ſuis *ſuper IV. ſentent. diſt. 9.*

Patet etiam per *Albertum M.* in *Poſtilla ſua ſuper Johannem*, ubi exponit de manducatione ſpirituali, per quam Chriſto incorporamur. Et dicit conſequenter: Quod, *ſicut parvuli habent virtutes non in uſu, ſed in munere, ita habent & corpori Chriſti incorporationem.*

Etiam patet per *B. Thomam in ſua Poſtilla ſuper Johannem*, ubi dicit: *Referendo literam ad manducationem ſpiritualem, ſententia plana eſt. Iſte enim ſpiritualiter manducat corpus & bibit ſanguinem Domini, qui particeps eſt Eccleſiaſticæ unitatis, quæ fit per charitatem. Qui autem ſic non manducat, eſt extra eccleſiam & extra charitatem, & ideo non habet vitam.*

Confirmatur hoc ratione. Nam manducatio ſacramentalis ſive ſpiritualis veræ carnis Chriſti, non eſt de neceſſitate ſalutis, ex Chriſti mandato: Sed manducatio, de qua verba Chriſti loquuntur, eſt de neceſſitate ſalutis, ita quod nemo ſine iſta ſalvatur: Igitur illa verba Domini, non poſſunt intelligi de ſumtione ſacramentali, ſive ſub una ſpecie ſive ſub utraque ſpecie: Nec etiam de ſpirituali veræ carnis Chriſti *Major* patet ex prius dictis. Et *Minor* nota eſt ex modo loquendi Salvatoris, quia dicit: *Niſi quis manducaverit &c.* Et patet ex verbis *Auguſtini* prius allegatis, quibus dicit: *Qui non manducat ejus carnem, non habet in ſe vitam &c.*

Imo iſta ſpiritualis manducatio ſic de neceſſitate eſt ſalutis generaliter, quod nec parvuli ſine ea ſalvantur, ut docet etiam aperte *Auguſtinus in epiſtola ad Bonifacium.* Et ponitur *in gloſſa 1. Cor. XI.* & allegat *Magiſter, diſt. 9. IV. ſentent. 8. Nulli ambiguum eſt, tunc quemque corporis & ſanguinis Domini noſtri participem fieri, quando Chriſti membrum efficitur, nec alienari ab illius panis calicisque conſortio, etiamſi, antequam illum panem edat & calicem bibat, de hoc ſeculo in unitate corporis Chriſti conſtituto abſcedat, quia illius ſacramenti beneficio non privatur, quando ille habere hoc, quod id ſacramentum ſignat, invenitur.*

Hoc etiam patet per autoritatem *Origenis* poſterius allegatam, ubi dicit: *Nemo enim valebit ingredi regnum cælorum, niſi ex aqua renatus fuerit & ſpiritu. Et qui non manducat Domini carnem, nec bibit ejus ſanguinem, non habet vitam æternam.*

Iterum patet *minor* per auctoritatem *Remigii* poſterius allegatam, ubi ſic dicit: *Ad hanc ſpiritualem alimoniam, ad hunc myſticum Domini cibum Dominus nos invitavit, tamque neceſſitatem ſumendi hujus alimoniæ nobis indicit, ut aliter in nobis vitam habere non poſſimus, niſi carnem*

ejus

Digitized by Google

ejus manducaverimus & ſanguinem ejus biberimus &c.

Jacob. ſupr. f. 806. *Mauritius.* *Gloſſa ſuper Joh. VI. Uſque modo non fecit mentionem de comeſtione ſacramentali altaris.* Ego vidi duos libros, & neuter habuit particulam, quæ hic à principio ponitur, ſcilicet iſtam: *Uſque modo non fecit mentionem de comeſtione ſacramentali altaris.* Sed uterque liber habuit ſolum reſiduum, ſcil. *Et ſi ignoratis &c.* Et hoc eſt verum de comeſtione ſpirituali myſticæ carnis Dei, de qua jam expoſitum eſt, de qua etiam jam expoſuit gloſſa magiſtralis.

Verum, quia iſta particula facit ſolum mentionem *de comeſtione* ſacramenti altaris: Ideo, ſi in aliquo libro ponitur, videtur ſonare pro nobis, videlicet pro communione ſub ſola ſpecie panis, quia eſt communicatio per modum comeſtionis.

Jacob.l.c. Maurit. Iterum reſidua verba ſunt *Auguſtini*, ſcilicet illa: *Et ſi ignoratis &c.* Sed neſcitur quis alia appoſuit. Ergo ſi aliquid facere videntur contra prædicta, non eſſet ſtandum eis contra tot & tantas authenticas expoſitiones, quæ præmiſſæ ſunt.

Jacob.l.c. *Alia gloſſa ſuper verbo: Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem &c. Dicit gloſſa: Et exponunt quidam ſancti de comeſtione altaris, & benè dicunt.* *Mauritius.* Quamvis Auguſtinus & gloſſa, ut prædixi, exponant textum iſtum Domini de ſpirituali manducatione & bibitione, ſicut præcedentem textum: Tamen, quia textus iſte non dicit neceſſitatem reſpectu omnium, ſicut dicit præcedens textus: Igitur, ſicut loquitur iſta gloſſa poteſt exponi de ſacramentali ſumtione corporis & ſanguinis Domini. Nam adultus, qui ſic ſumit, habet vitam &c. Et ſi bene inſpicitur gloſſa, ipſa eſt pro nobis, in eo, quod dicit *Quidam ſancti exponunt &c.* de ſumtione ſacramentali per modum *comeſtionis.* Et talis fit ubique ſub ſpecie panis, ubi tum communicat corpori & ſanguini. Et ſecundum hanc expoſitionem, quando dicitur: *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem* &c. per manducationem & bibitionem oportet intelligere in genere communicationem & ſumtionem.

Et hoc etiam vult *B. Thomas in poſtilla*, ubi dicit: *In aliquibus eccleſiis ſervatur, ut ſolus ſacerdos communicet ſanguini, reliqui vero corpori. Nec tamen eſt contra ſententiam Domini. Nam qui communicat corpori, communicat & ſanguini, cum ſub utraq; ſpecie totus Chriſtus inveniatur* &c.

Paulus 1. *Cor. XI. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis. Et ſequitur: Quotiescunq; manducaveritis &c.* Reſpondeo: Sicut Dominus inſtituendo ſacramentum, ipſum confecit ſub utraque ſpecie, & apoſtolis ſub utraque ſpecie miniſtravit: Sic primitiva eccleſia eundem morem miniſtrandi fidelibus ſub utraque ſpecie aliquo tempore obſervavit. Et hoc vult apoſtolus in præſenti auctoritate, ſcilicet, quod *tunc ſic fiebat.* Non tamen hoc apoſtolus præcepit ſervare, ut dicat a Domino ſic eſſe præceptum. Et ideo auctoritas non eſt ad propoſitum. Quia nihil facit ad probandam concluſionen primam. Pro qua tamen probanda fuit *à compilatore* inducta. *Jacob. ſupr. f.* 807. *Mauritius.*

Et dicitur convenienter, quod qvotiescunque manducaverimus panem hunc, mortem Domini annunciamus. Et quamvis expreſſius annunciamus & ſignificamus mortem ſeu paſſionem Domini ſub utraque ſpecie ſumendo, qvam ſub altera tantum: Tamen *non oportet*, imo propter cauſas poſterius dicendas *non expedit*, quod hoc modo fiat *à laicis*, ſed ſufficit, quod *fiat per ſacerdotes*, miſſarum ſolennia celebrantes, qui ſciunt ſacramentum caute tractare, & tenentur ſub utraq; ſpecie conficere & ſub utraq; ſpecie ſumere, & hoc propter totalitatem & integritatem ac perfectionem ſacramenti, quoad ejus ſignificationem.

Pro cujus intellectu eſt notandum quod, ut docent *Doctores in IV. Sentent. diſt.* 11. duo ſunt circa hoc ſacramentum conſideranda. Primum eſt *efficacia*, ſecundum eſt ejus *ſignificantia.* Et ſic poteſt aliquid eſſe *de integritate* aut perfectione hujus ſacramenti dupliciter.

Primo quantum *ad efficaciam*, ſcilicet illud, quod ex parte ſacramenti reqviritur ad totalem ejus efficaciam. Et ſic neutra ſpecies eſt de integritate ſa-

cramenti, ſed quælibet, quantum eſt ex opere operato, ſufficit ſine alia, ad cauſandum totalem ſacramenti effe-ctum. Et hoc ideo, quia efficacia ſacramenti non eſt ratione ſigni ſed contenti ſub ſacramento. Idem autem continetur ſub utraque ſpecie & ſecundum eundem modum exiſtendi. Nec plus ſumit, qui ſumit utramque ſpeciem, quam qui alteram tantum, ut docet *Magiſter diſt.* 11. *Libr. IV. Sentent.* Unde ſicut ſub ſpeciebus panis eſt totus Chriſtus cum corpore, anima, ſanguine & Deitate: Ita ſub ſpeciebus vini eſt totus Chriſtus cum omnibus eisdem, & ſecundum eundem modum exiſtendi. Quia ſicut ſub ſpeciebus panis Deitas eſt unita humanitati, ita ſub ſpeciebus vini. Et ſicut anima informat corpus, ita ibi. Et ſicut hic ſanguis eſt incluſus intra venas corporis, ita & ſub ſpeciebus vini. Et ita in modo exiſtendi nulla eſt diverſitas. Quia panis convertitur in corpus tantummodo, & cetera ſunt ibi concomitanter, & vinum in ſanguinem tantum, & cetera ſunt etiam ibi concomitanter.

Alio modo aliquid de integritate ſacramenti dicitur, quantum *ad ejus ſignificationem*, ſcilicet illud, quod requiritur ad totalem & completam illius ſacramenti ſumtionem. Hoc modo ambæ ſpecies ſunt & quælibet ſpecies eſt de integritate ſacramenti perfecti, eo quod per ambas & per nullam earum ſeorſim ſimpliciter & complete exprimitur hujus ſacramenti ſignificatio. Quod patet ſic: Hoc ſacramentum ſignificat Chriſtum, ut nutrimentum perfecte reficiens ſic digne manducantes ſacramentaliter. Sed cum perfecta refectio corporalis non fiat in pane ſolo, ſed in utraque, non poteſt una ſpecierum ſola ſignificare Chriſtum, ut perfecte reficientem, ſed una ſignificat eum per modum cibi reficientis, ratione corporis ſui, & alia per modum potus ratione ſanguinis. Ambæ vero hoc ſimul ſignificant completè. Quare ambæ requiruntur ad integritatem ſignificationis hujus ſacramenti.

Item: Hoc ſacramentum ſignificat ſumtionem, hoc eſt memoriale Dominicæ paſſionis, prout fuit in corporis Chriſti multiplici afflictione & ejus ſanguinis copioſa effuſione. Igitur oportuit in hoc ſacramento utrumque horum ſcilicet corpus & ſanguinem diſtincte ſignificari. Corpus quidem per ſpeciem panis, & effuſum ſanguinem per aliam ſpeciem, ſcilicet vini. Ad hanc ergo completam ſignificationem requiruntur ambæ ſpecies.

Item: Sacramentum hoc ſignificat aſſumtionem totalis humanitatis à Chriſto, ſcilicet tam quoad animam, quam quoad corpus, & ſignificat noſtram perfectam redemtionem, ſcilicet in anima & in corpore. Unde dicit *Magiſter* ubi ſupra: *Quod in duabus ſpeciebus celebratur, ut animæ & corporis in Chriſto ſuſceptio, & utrinsq; in nobis liberatio ſignificetur.* Hæc autem ſignificatio non poteſt fieri per alteram ſpeciem tantum, ſed per ambas ſimul. Ut per ſpeciem panis ſignificetur corpus, per ſpeciem vini anima, cujus ſedes eſt in ſangvine, ſecundum modum ſcripturæ, dicentis, quod ſedes animæ eſt in ſanguine.

Ex dictis patet, quod, ſicut Dominus in ultima cœna ſacramentum ſub utraque ſpecie apoſtolis miniſtravit, ſic eundem modum miniſtrandi ſacramentum hoc laicis, primitiva eccleſia ſervavit.

Patet *ſecundo*, quod licet apoſtolus de hac re locutus fuerit in prædicta autoritate, non tamen præcepit ſic ſervandum fore. Nec dicit, Dominum talem modum communicandi omnibus præcepiſſe, ut patet ex verbis autoritatis.

Tertio patet, quod ad integritatem & perfectionem hujus, *quoad ejus efficaciam*, id eſt ad cauſandum in eo, qui digne ſuſcipit, totalem ejus effectum, non requiritur utraque ſpecies, ſed ſufficit altera earum. Cum efficacia ſacramenti, quam habet ex opere operato, non ſit ratione ſigni viſibilis, ſed ſit ratione contenti ſub eo. Et idem continetur ſub utraque ſpecie, nec plus ſub ambabus, quam ſub una earum.

Et ſicut dictum eſt de *efficacia*, ita intelligendum eſt de tali *refectione ſpirituali*. Quia refectio ſpiritualis fit ratione con-

ne contenti. Sub ſpecie autem panis continetur cibus & potus, tam vere & realiter, ſicut ſub ambabus ſpeciebus. Ibi enim continetur cibus animæ, ſcilicet corpus Chriſti, & potus, ſcilicet ſanguis Chriſti, omni modo exiſtendi, quo ſub ſpecie vini. Qui ergo ſumunt ſacramentum ſub ſpecie panis, ſumunt cibum & ſumunt potum: Sed non per modum potus in ordine ad ſenſum, quia non ſub ſpecie potabili. Illud autem nihil variat quoad efficaciam & refectionem totalem, ſaltem quantum ad opus operatum, ſed variat, quantum ad ſumtionem.

Quarto patet, quod ad integritatem Sacramenti, quatenus ad ejus *ſignificationem* pertinet, utraq; ſpecies requiritur, nec ſufficit altera earum. Sed iſtam *perfectam ſignificationē* eccleſia fieri voluit *per ſacerdotes*, quibus Domin' dedit poteſtatem conficiendi hoc ſacramentum & aliis miniſtrandi. Et voluit eā fieri in miſſæ celebratione, quæ principaliter eſt repræſentatio paſſionis Chriſti. Et ideo propter hanc perfectiorem ſignificationem inſtituit & inviolabiliter obſervari vult, ut ſacerdotes miſſarum ſolennia celebrantes, ſub utraque ſpecie conficiant & ſub utraque ſumant. Et hoc faciunt coram populo manifeſte, ut populus, quotidie aſſiſtens divinis, conſequatur fructum, quem ſibi afferre poteſt perfecta ſignificatio ſacramenti, in quantum excitat homini devoto memoriam paſſionis Chriſti & redemtionis noſtræ ac omnium bonorum, qvæ nos conſecuti ſumus.

Poſtremo ex iſto patet, quod licet à *principio mos communicandi ſub utraq; ſpecie* fuerit *circa laicos* aliquo tempore ſervatus, tamen, exiſtente multitudine populi Chriſti, provide & rationabiliter inducta eſt conſuetudo miniſtrandi euchariſtiam laicis ſub altera ſolum ſpecie panis. Quia, ut dictum eſt, laici reſpiciunt ad refectionem ſpiritualem, & iſtam conſequuntur tam perfecte in una ſumtione ſub una ſpecie, ſicut ſub utraque ſpecie. Idem effectus ſequitur, quantum eſt ex opere operato.

Cum ergo, ut dictum eſt, plura *pericula* poſſent contingere faciliter, ſi communicarent laici ſub utraque ſpecie, quæ non contingunt ſub una ſpecie, & cum de effectu ſacramenti nihil eis iſto modo depereat, & ſignificatio totalis ſacramenti poſſet quotidie coram eis fieri ad excitandam memoriam paſſionis Chriſti: Patet etiam, quod iſtum modum communicandi eis ſub ſola ſpecie panis rationabiliter eccleſia univerſalis induxit.

Patet etiam hoc per *B. Thomam in P. III. ſumm. q.* 8. & per *Bonaventuram* & alios *Doctores, diſt.* 11. *L. IV. Sent.* & per alios hujus rei Doctores, qui aſſignant plures *cauſas, cur univerſalis eccleſia mutaverit modum communicandi laicalem populum, qui olim erat ſub duplici ſpecie, quare per amplius communicentur laici ſub una ſpecie.* *Cauſa, quare ſub una plebē communicari ſit in Eccleſia uſurpatū.*

Prima cauſa eſt, *periculum effuſionis calicis* ſacramenti. Jam enim, multiplicatis fidelibus, veniunt in maximo numero ad communionem, juvenes & ſenes, ſani & infirmi, & ſæpe ruſticani ac minus diſcreti, non ſcientes adhibere cautelam debitam circa uſum ſacri calicis. Et ſic frequenter contingeret fieri irreverentiam ſacramento, per effuſionē, vel exſcreationē, vel alio modo. 1.

Unde ille famoſus Doctor *Alexander de Halis, in Libr. IV. Sentent.* in materia de ſacramento, recitat hanc hiſtoriam: Quibusdam nodoſis appetentibus & inſtantibus, ut ſub utraque ſpecie ſumerent ſacramentum euchariſtiæ, ſacerdote quodam pio celebrante, cum faceret hoſtiæ fractionem, viſum eſt concavum patinæ totum repleri ſangvine. Ad quod obſtupuerunt ipſe & circumſtantes. Sed cum conjungeret partes hoſtiæ, totum viſum eſt reintegrari. Et ſic petitioni eſt ſatisfactum. Unde hic Doctor aſſerit ex intentione, quod Chriſtus integer ſub utraque ſpecie manet.

Subdit etiam *B. Thomas,* ſuper *Libr. IV. ſentent. diſt.* 8. Et licet prius fuſus eſt ſanguis Chriſti in terram in cruce, tamen jam non debet fundi, quia ibi fuit mortalis, hic immortalis.

Secunda cauſa eſt, *periculum erroris.* Poſſent enim ſimplices credere, quod in una ſpecie non totum Chriſtum ca- 2.

perent, ſed ſub ſpecie panis corpus Chriſti tantum, & ſub ſpecie vini ſanguinem tantum, quod eſt error. Multi fuerunt, qui, quando ſumſerunt corpus Chriſti, dicebant medium Deum ſuſcepiſſe, & cum ſanguinem de calice addiderunt, tunc totum Chriſtum affirmabant ſumſiſſe. Quod autem ſub utraque ſpecie ſit totus Chriſtus, ante in primo periculo poſito patet.

3. *Tertia cauſa* eſt, quia, ut dictum eſt, populi ſumentes euchariſtiam *ſub ſola ſpecie panis ſumunt integrum ſacramentum, quoad ejus efficaciam.* Quæ efficacia eſt ſolum ratione contenti. Et non plus continetur aut ſumitur ſub ambabus, quam ſub altera tantum. Et per conſequens, quicquid efficaciæ habet ſumtio ſub utraque ſpecie, illud habet ſolum ſub ſpecie panis. Communicatio ergo populi ſub utraque ſpecie eſſet non ſolum fruſtra, & ſine utilitate, ſed etiam nocua, propter pericula prædicta.

4. *Quarta cauſa.* In die paraſceves ſacerdos ſumit ſacramentum ſolum ſub ſpecie panis. Propter hoc, ut dicit *Bonaventura diſt.* 12. *Libr. IV. ſent.* quia iſto die ſumit populus ipſe plus ad refectionem quam ad ſignificationem. Iſta enim die non oportuit paſſionem ſignificari per ſacramentum, eo, quod tota dies & totum officium diei eſt memoriale Dominicæ paſſionis. Convenit tamen tunc ſumere ad refectionem ſacerdotis & populi. Quæ refectio fit ſufficienter per ſacramentum ſub una ſpecie, eo quod totus Chriſtus ſub ea. Igitur ex eadem licite & rationabiliter eccleſia communicat laicos ſub una ſpecie panis, eo quod ipſi ſemper recipiunt ſacramentum plus ad refectionem quam ſignificationem.

5. *Quinta.* Ex conſuetudine apoſtolica & ex conſuetudine apud omnes eccleſias approbata, *ſacramentum conſecratum die cœna, reſervatur usq; in diem paraſceves ſub una ſpecie panis* & non vini, propter plures cauſas. Quarum *una* eſt periculum effuſionis, ut ſupra dixi. Igitur, à multo fortiori, non debet quotidie ſub ſpecie vini ſervari pro laicis, nec per vicos aut campos ad infirmos portari, propter periculum effuſionis.

Ut patet per *Wilhelmum in Rationali divinorum officiorum*, ubi dicit: Quod Innocentius Papa ſtatuit Euchariſtiam à die cœnæ ſervari ſub ſpecie panis pro fidelibus, qui debent communicare, & ad implendum officium ſequentis diei, quo ſacramentum non conficitur. Sanguis vero non ſervatur ſub ſpecie vini, quia faciliter ex negligentia poſſet ſpargi. Ecce quomodo dedit ſervandum ſacramentum ſub ſpecie panis, propter officium implendum in ſequenti die, & propter communicare volentes fideles. Et per conſequens ſub ſola ſpecie panis eccleſia licite communicat fideles, quia ſub utraque ſpecie non debet ſumere, niſi conficiens ſacramenta, ut dicit *B. Auguſtinus* ſuper illud *Deut. XII. Carnibus hoſtiarum tuarum ipſe veſceris, ſanguinem fundes in altari, id eſt committes ſacerdoti conficienti.* Ob hoc officians magna feria ſexta ſacerdos non ſumit ſanguinem de calice. Cur? Quia non conficit. Patet in *decret. diſt. XI. Cum Marthà.*

Similiter *concilium Toletanum* depoſuit laicis communionem ſub utraque ſpecie, ut poſt dicetur.

Sexta cauſa. Ad ſervandum ſanguinem vaſa debent eſſe conſecrata, non paſſim tractata vel tacta à laicis. 6.

Septima. Si ſanguis deberet dari laicis, quis daret ubi pauper eccleſia, unus ſacerdos? Et laici non debent tangere ſacramentum. 7.

Octava. Si perfunderetur ſanguis Chriſti in barbis, in peplis, deberent cremari, & eſſent rixæ. 8.

Nona. Non poteſt ſervari ſanguis pro infirmis. Quia aceſceret cito in vaſe, & non eſſet ſanguis. Neque ſuſcipiendus eſſet ab infirmo, nec de novo conſecrandus ſine miſſa. Etiam ſi diu in vaſe ſtat, generantur bibiones, parvæ muſcæ, & eſſet valde abominabile ad bibendum. Et hæc eſt ratio valde efficax, cur laicis non datur calix. 9.

Decima. Exod. XVI. præceptum: Sume tibi vas unum & pone ibi manna, ut cuſtodiatur in futuras retro generationes. 10.

Undecima. Quando multa millia deberent 11.

berent convenire, ubi tantum vas poſſet reperiri pro ſervando ſanguine Chriſti?

12. *Duodecima*, Quia ſunt terræ, in quibus eſt defectus vini, quia vix ſacerdos poteſt habere. Quid aliis miniſtraret? Imo alicubi nec ſacerdos poteſt habere. Igitur per concilia generalia indultum eſt, quod ſolum panem conſecrant & ibi virtualiter ſanguinem ſumunt.

13. *Decima tertia.* Aliqui ſunt homines qui non poſſunt ſentire ſaporem vini; imo nec guſtare, ut *rex Poloniæ modernus* [*Ladislaus*] *à paganiſmo converſus.* Igitur ſuæ damnationis eſt cauſa Chriſtus, ſi eſſet præceptum Chriſti, ſanguinem de calice bibere.

14. *Decima quarta.* Eſſet periculum in congelatione.

15. *Decima quinta.* Solis ſacerdotibus Chriſtus in cœna dedit ſub duplici ſpecie, ut ſolum ſuſcipiant in repræſentationem Dominicæ paſſionis ejus. Quia ſi voluntas ejus fuiſſet dandi calicem, dediſſet tunc laicis circumſtantibus.

16. *Decima ſexta.* Propter multos alios errores qui pullularent circa hoc ſacramentum.

Primus. Laici dicerent: Cur non ſuſcipiamus ſub duplici ſpecie? Sumus ita digni, ſicut ſacerdos. Falſum. Sacerdos, etiam paſtoris filius, dignior eſt Cæſare, Rege & quolibet Principe.

Alius error eorum fuit: Sumere ſub duplici ſpecie, eſt lex Chriſti. Falſum eſt, pro laicis.

Tertius error eſt: Dixerunt, quod virtus hujus ſacramenti non eſt principalius in conſecratione, quam ſumtione.

Quartus error: Dixerunt: Eccleſia Romana cum ſuo concilio non eſt tenenda ut fides Chriſtiana. Ut radius & ſol eſt indiviſibilis, ſic ipſa fides cum concilio. Quia regitur fides per eccleſiam.

Quintus error ipſorum: *Generalia concilia*, ut eſt *Conſtantienſe* &c. dixerunt, *erraverunt in fide & in bonis operibus.* Igitur non ſunt imitanda. Falſum eſt.

Sextus. Errarunt in ſua doctrina, conſulentes, ut eccleſiaſtica bona ſeculares recipiant, expellant plebanos. Falſum eſt. Quia nullam juriſdictionem ſeculares habent ſuper ſpirituales, 1. Cor. XI. Et ſpiritualis homo omnia dijudicat, ipſe autem à nemine judicatur. Quia ſeculares recipiunt poteſtatem judicandi à ſpiritualibus, ut dicit *Dionyſius libro de cœleſti Hierarchia: Secularis ſuper ſpiritualem. Geneſ. I. Fecit Deus duo luminaria magna, ſolem id eſt Papam, ut præeſſet diei i. e. ſpiritualibus, & Lunam id eſt Cæſarem, Regem, ut praeſſet nocti, i. e. ſecularibus.* Similiter *Auguſtinus* ſuper *pſalm. XIV. Dies diei eructat verbum, id eſt ſpiritualis ſpirituali, & nox nocti indicat ſcientiam, id eſt laicus laico.*

Videns igitur mater eccleſia univerſalis cum ſuo *concilio* tot mala evenire ex ſumtione ſub duplici ſpecie, Chriſti euchariſtiam reſtrixerunt, ut ſumant laici ſub una, ut Chriſtus dedit poſt reſurrectionem ſuam, *Luc. XXIV. Cognoverunt Dominum in fractione panis. Ubi Auguſtinus in homilia 24. Laicis Chriſtus dedit ſub una ſpecie, qui ſignificantur per minores diſcipulos.* Similiter *Act. II.* dederunt apoſtoli laicis ſub una ſpecie. *Erant autem perſeverantes in doctrina apoſtolorum & fractione panis.* Ubi *Lyra*, *Beda*, *Haymo*, omnes exponunt, quod tunc primum communicarunt laicos primum converſos, ſub una ſpecie tantum, ſc. panis.

Sed quando vidit eccleſia converſos ad fidem pronos ſuum ſanguinem effundere pro Chriſto, ac in charitate Chriſti nimis accenſos, ad tempus conceſſit ſub duplici ſpecie. Et quando Eccleſia Romana vidit, quod tepuerunt in charitate, abſtulit duplicem ſpeciem, & dat eis tantum ſub una: Rediens ad primum modum communicandi laicos ſub una ſpecie. Et præcipue, quia vidit eos deviare à fide propter talem ſumtionem duplicem, mutavit.

Et eccleſia univerſalis poteſt mutare non tantum accidentalia eccleſiæ, ſed etiam eſſentialia, ut videt profectum fidelium & honorem Dei. Patet *Actor. VIII.* Chriſtus præcepit baptizare in nomine Patris & Filii & ſpiritus ſancti, Matth. ultimo. Ipſi baptizabant tantum in nomine Jeſu.

Et bene etiam Chriſtus ſolis Apoſtolis præcepit baptizare. Et ipſi laicis conceſſerunt in neceſſitate.

CAP. III.

Reſponſio generalis ad omnia teſtimonia Patrum à Jacobo de Miſa pro communione calicis advecta.

RESponſiones generales ad omnes auctoritates ſequentes. Poſſunt dari plures *ſolutiones in communi*, ad invicem non repugnantes, per quas ferè *ad omnes* eſſet ſufficienter *reſponſum*, ut patebit in proceſſu.

Prima ſolutio eſt, quod, licet auctoritates ſequentes & præcedentes loqvuntur de manducatione corporis & bibitione ſangvinis Chriſti: Nulla tamen earundem auctoritatum, vel pauciſſimæ, de quibus dicetur in locis ſuis, dicit communicationem populi ſub utraque ſpecie eſſe *de neceſſitate ſalutis*, aut eſſe *de præcepto* ex ſacramenti inſtitutione, aut *ex Chriſti verbo & mandato*. Et ita ferè nulla facit earum aliquid ad propoſitum, ſcilicet ad probationem concluſionis primæ, pro qua tamen probanda adductæ ſunt. Et per conſequens omnes ferè ſuperflue ponuntur.

Secunda ſolutio. Quod auctoritates præcedentes & ſequentes non loqvuntur de communione *laicorum* ſub utraque ſpecie, ſed loqvuntur *de ſacerdotibus*, ad quos pertinet hoc ſacramentum conficere & ſub utraque ſpecie ſumere, propter perfectam ſignificationem paſſionis Chriſti & refectionis completæ.

Tertia ſolutio. Quod ſi aliqua autoritatum loquitur de laicali populo, & de ſumtione ſacramentali ſub utraque ſpecie, tunc loquebatur *de iſto tempore*, in quo iſte ſervabatur modus in eccleſia, quod ſacramentum etiam exhibebatur populo ſub utraque ſpecie.

Quarta ſolutio. Quod in hujusmodi auctoritatibus ſanctorum per *manducationem corporis & bibitionem ſangvinis* poteſt *in generali* intelligi communio *corporis & ſangvinis Chriſti*. Et iſta fit *in communione ſub ſola ſpecie panis*, tàm verè & realiter, ſicut ſub utraque ſpecie. Et ſecundum proprietatem locutionis, in calice ſola ſpecies vini bibitur, & non ſangvis propriè, cùm non ſit effuſus ſed incluſus in venis, ſicut ſub ſpecie panis. Imò quamvis ſpecies vini proprie bibitur, tamen videtur, quod ſangvis non magis bibitur ſub ſpecie vini proprie, quàm ſub ſpecie panis. Cum omninò eundem modum exiſtendi habeat hìc & ibi. Quamvis ergò ſancti & Doctores ſæpè loqvuntur de ſumtione ſacramenti ſub ſola ſpecie panis, tamen in dictis ſuis faciunt mentionem de manducatione & bibitione, ponendo iſta duo *pro ſumtione*. Et etiam ad ſignificandum fidelibus, quod ſub ſola ſpecie panis ſumant corpus & ſangvinem verè & realiter, & non aliter ſub ambabus, quàm ſub una earum, nec magis efficaciter.

Quinta ſolutio. Auctoritates loqvuntur quoad laicos non de manducatione & bibitione ſacramentali ſub utraq; ſpecie, ſed *de ſpirituali.* Quando enim ſacerdotes in altari in conſpectu populi conficiunt & ſumunt ſub utraque ſpecie, tunc populus, exiſtens in devotione ſua, manducat & bibit ſpiritualiter corpus & ſangvinem Domini, ea, in ſinceritate fidei, per recogitationes bonas, maſticando & hauriendo, ore & corde, & ſe Chriſto uniendo per affectum amoris.

CAP. IV.

Specialis reſponſio ad ſingula Patrum teſtimonia de uſu calicis, à Jacobello collecta.

LIcet per has quinq; ſolutiones ſufficienter reſponſum fore videtur ad omnes ſequentes autoritates, de communicatione ſub utraque ſpecie mentionem facientes: Tamen, ut evidentius fiat, volo *ad quamlibet in ſpeciali* quanto brevius poſſum *reſpondere*.

Auguſtinus: Cùm frangitur hoſtia, dum Jacobello ſangvis de calice &c. Reſpondetur, quod non dicit Auguſtinus, quod neceſſarium *ſupra l. 1. c. 2 f. 806. Maurit.*

um ſit ita fieri circa populos, aut quod ſit ex mandato Chriſti. Ergò non eſt auctoritas ad propoſitum præſens, ſcilicet ad probandam concluſionem primam.

Secundò dicitur, quod auctoritas loquitur *de ſacerdotibus* miniſtrantibus, & ſub utraque ſpecie ſumentibus. Nam loquitur de iſta fractione hoſtiæ, & de iſta ſumtione ſacramenti, per quas paſſio Chriſti completè deſignatur. Uti patet advertenti verba auctoritatis. A ſolo autem ſacerdote celebrante, & qui debet ſumere ſacramentum non ſolùm ad refectionem, ſed etiam ad perfectiorem ſignificationem, hujuscemodi fractio hoſtiæ in tres partes fit. Quæ fractio ſignificat paſſionem & vulnerationem veri corporis Chriſti. Sic tres partes Chriſti corporis myſtici ſecundum triplicem earum differentiam, uti patet per *Magiſtrum, diſt.* 12. *L. IV. Sententiarum.* Et ſicut per fractionem & ſumtionem ſpecierum panis ſignificatur paſſio Chriſti corporis, ſic per ſpecies vini & earum de calice in os ſacerdotis fuſionem expreſsè ſignificatur Chriſti ſangvinis effuſio.

*Jacobell' l.c.f.*806. *Mauritius.* *Auguſtinus. Quia morte Domini liberati ſumus &c.* Reſpondeo *primò*, Sicut ad præcedentem dictum eſt, Scilicet, quod *non* loquitur *de neceſſitate* ſumendi ſub utraque ſpecie, *nec de mandato Chriſti.* Ideò non eſt ad propoſitum. Et iſtam reſponſionem in ſequentibus volo ſemper habere pro repetita, exceptis paucis auctoritatibus, quæ de præcepto faciunt mentionem, ut patebit in ſequentibus.

Secundò dicitur. Quod ſi tempore Auguſtini fuit de more in ſua eccleſia populos communicare ſub utraq; ſpecie, tunc ſtat auctoritas *pro tempore illo*, & non eſt contra conſvetudinem eccleſiæ tempore pro præſenti.

Jacobello l. c. Mauritius. *Auguſtinus: Quicquid vis feceris, numquid Chriſtum occidiſti* &c. Reſpondeo quod loquitur Auguſtinus de *primitivis fidelibus*, ſcilicet *Judæis*, qui erant rei morte Domini, & pòſt converſi fuerant, & illis dabatur ſub utraqve ſpecie, ut moris fuit, ſicut innuit Apoſtolus.

Jacobello l. c. Mauritius. *Auguſtinus. Qui calicem, id eſt ſanguinem Chriſti per ſe ponit* &c. Dicitur, quod auctoritas non eſt ad propoſitum. Nihil enim loquitur de communione fidelium ſub utraque ſpecie, uti patet intuenti. Sed eſt notandum, quod in pſalmo XXII pſalmus enumerat decem dona Dei, quæ gloſſa ordinaria vult docere *gratias*, & poſt gratiam nonam ponit autoritatem prædictam. Quam non incipit, ut hic ponitur, ſed ſic incipitur: *Nota quod calicem Chriſti, id eſt ſangvinem Chriſti, pſalmiſta per ſe ponit, quaſi aliam gratiam a menſa id eſt a carne, cum tamen* &c. ut in forma. In qua auctoritate gloſſa *implicite* ſolvit talem quæſtionem prædictam: *Pſalmiſta enumerando prædicta dona Dei, ſeu gratias, menſam id eſt corpus Chriſti, & calicem id eſt ſanguinem Chriſti diſtinguit velut duas gratias, id eſt dona, cum tamen ſpecies panis & ſpecies vini ſint unum ſacramentum totale, & non duo, & caro Chriſti non poſſit de lege communi eſſe vel ſumi ſine ſanguine, & è converſo, eo quod totus poteſt eſſe ſub utraq; ſpecie.* Et reſpondendo dicit: *Reddit iſtius tres cauſas. Prima* eſt diſtinctio eſſentialis corporis Chriſti & ſanguinis ejus. Et iſtam tangit, cum dicit: Sed quia nec caro eſt ſangvis, nec ſanguis caro. *Secunda cauſa* eſt diverſitas converſionis ejus. Et iſtam innuit, cum ſubjungit: Et panis in carnem convertitur & vinum in ſanguinem, & non è converſo &c. *Tertia cauſa* eſt diſtinctio ſpecierum panis & vini. Et iſtam notat, cum addit: Et ſub diverſis ſpeciebus utrumque ſumitur.

Ex quibus patet, quod *gloſſa* in iſta auctoritate tota nihil loquitur de communione ſub utraque ſpecie, niſi qvantum tangit circa finem auctoritatis, cum dicit: *Sub diverſis ſpeciebus utrumque ſumitur*, Et hoc eſt verum, quantum *ad ſacerdotes*, ad quorum officium pertinet conficere ſub utraque ſpecie & etiam ſumere ſub utraque, propter perfectam ſignificationem ſacramenti, ut ſæpius dictum eſt.

Auguſtinus. Tunc eis Petrus annunciavit eundem colendum &c. Reſpondeo. Loquitur *de primitivis fidelibus* converſis per B. Petrum, quibus miniſtrabatur *pro* *Jacobellus f.*807. *Mauritius.*

tunc

tunc ſub utraque ſpecie ſacramentum &c.

Jacob. l. c. Mauritius. *Auguſtinus. Hujus rei ſacramentum in unitate corporis & ſanguinis Chriſti* &c. Reſponſio ad hanc auctoritatem ſatis patet ex reſponſione facta ſuperius ad verba Chriſti, poſita *Joh. VI. Niſi manducaveritis carnem filii hominis* &c. Tamen, applicando ſolutionem ad propoſitum, dico primum, quod ſecundam partem auctoritatis Auguſtini prius ponit: *Dominus, ne iſtam vitam intelligentes de hac re litigarent, ſecurius adjunxit: Qui manducat &c.* Et poſt aliqua interpoſita, exponendo, quid Dominus intelligat in loco per manducationem carnis ſuæ & bibitionem ſanguinis ſui, dicit: *Hunc itaq; cibum & potum ſocietatem vult intelligi corporis & membrorum ſuorum, quod eſt ſancta eccleſia* &c. Ex quibus clare patet ſecundum Auguſtinum, verba Chriſti: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis* &c. *Et, Qui manducat meam carnem* &c. intelligenda eſſe de manducatione carnis myſticæ. Quare autem *compilator libelli* iſta tacuerit, neſcio. Sed ſcio, quod eſſet ſecurius allegare ſcripturas, non verbaliter tantum, ſed fideliter ad intentionem ſanctorum, conſideratis præcedentibus paſſibus & ſequentibus. Poſt prædicta verba Auguſtinus ſtatim ſubjungit primam partem auctoritatis hic allegatæ, dicens: *Hujus rei ſacramentum.*

Pro cujus intellectu notandum, qvod Auguſtinus antea dixit, præcedentem ſtatim ante hæc verba ſententiam oſtendens, quod in iſtis Domini verbis, *Niſi manducaveritis carnem filii* &c per carnem ejus & ſanguinem debet intelligi *unitas eccleſiaſtica*, id eſt *communicatio membrorum eccleſiæ ad invicem, & cum capite Chriſto*, ut dictum eſt ſuperius. Quoniam hujus unitatis eccleſiaſticæ verum corpus & verus ſanguis Chriſti eſt ſacramentum. Et ipſa unitas eccleſiaſtica eſt hujus ſacramenti res. De iſto ergo ſacramento carnis Chriſti *myſticæ* loquitur Auguſtinus in prima parte auctoritatis. Ut ſit ſenſus: Verum corpus ejus & verus ſanguis eſt ſacramentum hujus rei, ſcilicet myſtici corporis & ſanguinis Chriſti, id eſt unitatis eccleſiaſticæ. *Et iſtud alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominica menſa preparatur, & de menſa Dominica ſumitur quibusdam ad vitam & quibusdam ad exitium.* Et hoc eſt verum *de ſacerdotibus*, qui præparant & ſumunt.

Auguſtinus: Acceſſerunt Judæi ad Jeſum, ut crucifigerent &c. Prima pars eſt vera ut ſtat. Quia ſub una ſpecie ſumimus corpus & ſanguinem. Secunda pars loquitur de primitivis converſis ad Chriſtum, quibus tunc dabatur ſub utraque. Tertia pars *per bibitionem* intelligit *ſumtionem ſanguinis*, quæ fit vere *ſub ſpecie panis*, ut notum eſt. Aut loquitur de ſacerdotibus celebrantibus, aut de manducatione & bibitione ſpirituali veri corporis & veri ſanguinis Domini. Vel *forte tempore Auguſtini fuit mos in ſua eccleſia, quod ita communicabantur laici ſub utraq; ſpecie*, quod modo juſte abolitum eſt. *Jacob. l. c. Mauritius.*

Per illud ultimum reſpondetur ad auctoritatem ſequentem *Auguſtini*, in qua incipit: *Et quia iſtam menſam paravit, &c.*

Auguſtinus: Et quia iſtam menſam paravit ſervis ſuis & ancillis &c. Reſponſum eſt in auctoritate immediate præcedente in fine, quod tempore Auguſtini laici tunc communicabant ſub utraque ſpecie, quod modo juſte abolitum eſt & rationabiliter, propter cauſas prædictas. *Jacobellus l. c. Mauritius.*

Hieronymus. Sacerdotes, qui euchariſtiæ ſerviunt & ſanguinem ejus dividunt &c. Reſpondetur quod auctoritas iſta nihil de communicatione populi ſub utraque ſpecie loquitur. Quia ſacerdotes, communicantes populum ſub ſola ſpecie panis, vere dividunt & miniſtrant ejus ſanguinem & non plus quam innuunt verba auctoritatis. *Jacob. l. c. f. 808. Mauritius.*

Hieronymus. Bibere autem dicuntur ſanguinem Chriſti non ſolum ſacramentum ritu &c. Reſpondeo. Quod loquitur *de ſolis ſacerdotibus.* Vel, capit bibere generaliter pro *ſumere*, quod etiam fit ſub ſpecie panis. *Jacob. l. c. Maurit.*

Hieronymus: Aſcendamus cum Domino cœnaculum magnum, ſtratum, atq; mundatum &c. Reſpondetur, quod loquitur *de ſolis ſacerdotibus.* Vel loquitur de mandu- *Jacob. l. c. Maurit.*

Digitized by Google

manducatione *ſpirituali.* Quod innuit per hoc, quod dicit, *quotidiè* in ſacrificiis ejus &c.

Jacob. l. c. Maurit. *Gregorius. Quid ſit ſangvis Chriſti, agni, non jam audiendo ſed bibendo didiciſtis* &c. Reſpondetur, quod in autoribus ſanctorum non oportet tàm attendere ad rigorem verborum ſuorum, ſed oportet ad eorum intentionem. Sequendo enim rigorem ſuorum verborum, non eſſet verum, etiam de ſacerdotibus, qui biberent ſangvinem de calice, cùm ibi non ſit effuſus de corpore, ſed incluſus in venis. Et ſic de multis aliis. Sequendo ergò intentionem Gregorii, videtur illis terminis *bibendo, hauriendo*, uti pro iſtis, *ſumendo, accipiendo.* Et ita ſumunt fideles ſangvinem Chriſti ſub ſpecie panis, ut ſæpè dictum eſt.

Et ſi utique dictum concedatur, quod loquatur de ſumtione ſangvinis per modum potus, id eſt ſub ſpecie vini: Tunc dicitur, *forte tunc temporis in Romana eccleſia adhuc fuit de more communicare populos ſub utraque ſpecie*, cujus contrarium rationabiliter eſt inductũ.

Aut reſpondetur ſecundum aliquam aliam quinque ſolutionum generalium ſuperius præmiſſarum, ad quas ſemper volo habere recurſum, ne præjudicem veritati. Et ſingulariter, cùm non viderim nec habere potuerim omnia originalia ſanctorum hic allegata. Et ſpecialiter debet haberi ſemper recurſus ad primam ſolutionem generalem, ſcilicet, quod auctoritas *non dicit, praeceptum eſſe à Domino*, quòd communicatio omnium fiat ſub utraque ſpecie.

Jacob. l. c. f. 809. Maurit. *Gregorius. Unde factum eſt, ut redemtoris noſtri ſangvinem, quem perſecutores ſævientes fuderunt, poſtmodum credentes, biberent.* Reſpondeo. Iſta auctoritas, uti patet ex ejus verbis, & præcedenti & ſequenti paſſibus, loquitur *de Chriſti crucifixoribus*, pro quibus Deus tempore paſſionis ſuæ oravit ad patrem, dicens: *Pater, dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciant.* Qui poſt converſi biberunt ſangvinem Chriſti, vel ſpiritualiter tantùm vel ſacramentaliter, eò quod erãt *de primis fidelibus, quibus ſub utraq; ſpecie miniſtrabatur*, ut ſatis innuit apoſtol' 1. *Cor.* 11.

Gregorius, in L. Dialogorum. Cùm quadam die miſſa celebrata &c. Reſpondetur, Quod *tunc populus ſumebat ſub duplici ſpecie.* Poſt, ut dictum eſt, per concilium Toletanum, ne peramplius populus laicalis ſub duplici ſpecie communicetur, ne eis accidat periculum circa effuſionem ſangvinis Chriſti, ſicut illi diacono accidit, rationabiliter eccleſia mutavit modum communicandi ſub una ſpecie. Jacob. l. c. Maurit.

Ambroſius. Si quotieſcunque effunditur ſangvis Chriſti, in remiſſionem peccatorum effunditur. Dicitur, quod loquebatur de ſe ipſo, quoniam *ſacerdos* erat, utrumq; conſecrans & utrumque ſumens. Vel reſpondeo, quod per effuſionem ibi non poteſt intelligi, niſi oblatio ſangvinis. Ut ſit ſenſus: Quotieſcunque offertur ſangvis Chriſti, in remiſſionem peccatorum offertur. Sed iſtam peccatorum medicinam, id eſt, Chriſti verum ſangvinem, ita realiter & efficaciter ſumit homo ſub ſpecie panis, ſicut ſub ſpecie vini. Jacob. l. c. Maurit.

Ambroſius. Quia in morte Chriſti liberati fuimus &c. Reſpondeo. Loquitur *de ſacerdotibus*, qui conficientes & ſumentes faciunt hoc ex officio, ad memorandum & perfectè ſignificandum paſſionem Chriſti & perfectam redemtionem noſtram in anima & corpore. Licet enim per Chriſti paſſionem & mortem ſumus liberati in anima & corpore: Tamen iſta liberatio non ſignificaretur tàm perfectè per ſumtionem ſub una ſpecie tantùm. Et ideò per ſacerdotem, ad qvem pertinet perfecta ſignificatio, conficitur & ſumitur ſacramentum ſub utraque ſpecie, ad hoc, ut per oblationem Chriſti ſub ſpecie panis ſignificaretur liberatio corporis noſtri, & ſub ſpecie vini liberatio animæ noſtræ. Jacob. l. c. Maurit.

Et hoc innuit *Magiſter, diſt. XI. L. IV. Sentent.* *Tamen.* Poſt prædicta verba Ambroſii ſubdit: *Tamen ſub utraque ſpecie ſumitur totus Chriſtus. Sed ſi in alterâ tantùm ſumeretur, ad alterius tantùm, id eſt corporis, aut animæ, non utriusque pariter tuitionem valere ſignificaretur.* Ecce loquitur de ſignificatione communi. Quoniam non dicit, *ad alterius tantùm valeret tuitionem*, ſed dicit *ad alterius tantum tuitionem valere ſignificaretur.*

Vel habeatur recurſus ad aliquam quinque præmiſſarum ſolutionum. Locum debet habere, quoad illas auctoritates omnes. Eo quod non loquuntur auctoritates *de neceſſitate* ſic communicandi, aut *de præcepto Chriſti*, quod tamen ſolum eſſet ad propoſitum.

Jacob. l. c. Maurit. *Ambroſius. Jam menſæ cœleſtis honore ſuſcipiuntur &c.* Reſpondetur, Quod Ambroſius in perſona propria ſua loquitur *de ſacerdotibus* omnibus, qui ſumunt ſub utraque ſpecie.

Jacob. l. c. f. 810. Maurit. *Ambroſius. Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra* &c. Poteſt intelligi de *ſpirituali* manducatione & bibitione. Quoniam populus, aſſiſtens divinorum celebrationi, quotidie manducat & bibit ore cordis, ſpiritualiter, per meditationem & recogitationem paſſionis Chriſti & redemtionis noſtræ & ceterorum beneficiorum. Vel *forte tempore Ambroſii fuit conſuetudo, in eccleſia Mediolanenſi, ſumere ſub utraq; ſpecie.*

Jacob. l. c. Mauritius. *Ambroſius. Sicut enim ſimilitudinem mortis aſſumſiſti* &c. Reſpondeo, Sicut ad præcedentem ultimo dictum eſt. Quia *tum talis mos erat communicandi ſub utraq; ſpecie.*

Jacob. l. c. Maurit. *Dionyſius. Poſtea hierarcha poſtulans dignus fieri hoc ſacrificio* &c. Reſpondeo, quod iſta auctoritas non probat, quod ſit neceſſitatis aut præcepti, communicare laicos ſub utraque ſpecie, quod probandum erat.

[illegible] ipſe Dionyſius fuit Græcus. Et dicitur, quod *Græci communicant laicos ſub utraque ſpecie*, ſicut tenent multas alias conſuetudines ab his, quæ in eccleſia occidentali rationabiliter obſervantur. Nam *de iſta communicatione ipſorum ſub utraq; ſpecie, Petrus de Tarantaſio* dicit in ſcripto *ſuper L. IV. ſententiarum: Græci bene faciunt ſumendo ſub utraq; ſpecie. Tamen Latini melius faciunt, miniſtrando ſolum ſub ſpecie panis. Quia in iſto tantū ſit ratio ſigni, ſcilicet ſignificatio pertinens ad ſapientiam, & in iſto ratione cauſa, ſeu cauſalitas, pertinens ad gratiam.* Et quia *gratia* omnib⁹ eſt neceſſaria, ideo omnibus traditur ſub una ſpecie, perfectæ tentiva gratiæ, ſub qua cum majori cautela & reverentia poteſt tradi. Sed *ſapientia* non ſic eſt omnibus neceſſaria. Ideo à ſolis majoribus, qui majorem cautelam & reverentiam ſervare norunt, ſcilicet miniſtrantibus altari in ſacris, ſub utraque ſpecie, qui habent rationem ſigni perfecti, ſumi ſolet.

Jacob. l. c. Mauritius. *Origenes. Dicant ergo nobis: Quis eſt iſte populus, qui in uſu habet ſanguinem bibere* &c. Reſpondetur. Non videtur quod iſta auctoritas ex verbis ſuis aliquid faciat pro communione laicorum ſub utraque ſpecie, niſi quantum iſta verba Chriſti facere vident: Niſi manducaveritis carnem filii hominis &c. Sed iſta ſuperius expoſita ſunt, & per omnes exponuntur, non de ſacramentali ſed de ſpirituali ſumtione.

Poſſet etiam ad eandem reſponderi per hoc: *Origenes fuit de antiquiſſimis Doctoribus, tempore cujus forte adhuc communicabat populus ſub utraque ſpecie.*

Jacob. l. c. f. 811. Maurit. *Hilarius. De veritate carnis & ſanguinis non eſt relictus ambigendi locus* &c. Reſpondetur, quod non dicit Hilarius, quod ſit de neceſſitate ſic ſumere, aut de Chriſti præcepto. Quod ſolum fuiſſet ad propoſitum.

Etiam *forte tempore B. Hilarii mos fuit iſte apud eccleſiam ſuam, communicare populum laicalem ſub duplici ſpecie.*

Vel dicitur, quod iſtum terminum *hauſta* ponit loco termini generalis, extendentis ſe ad manducationem & bibitionem, ut loco talis, *ſumta*, vel hujusmodi. Et hoc innuit *gloſſa decreti* ſuper his verbis Hilarii, *accepta & hauſta.* Nam ea exponendo, dicit, accepta à Chriſto, *hauſta*, id eſt à nobis *ſumta*. Ecce quomodo *gloſſa* per hoc innuit, illudque etiam ſuperius dixi, ſcilicet, quod ſancti iſta verba *manducare, bibere, haurire*, ponunt ſæpe loco iſtorum generaliter, *accipere, communicare, ſumere.*

Idem docet *Archidiaconus.* Nam in ſua expoſitione eorundem verborum dicit: *Vel accepta à Chriſto doctrinaliter ſacramentum inſtituendo, I. Cor. XI.* Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis &c. *Hauſta ſacramentaliter de altari de manu ſacerdotis.* Ubi ly *hauſta* ponitur pluraliter, & extendit ſe ad utrumque, ſcilicet corpus & ſanguinem. Quia de utroque eſt ſer-

me,

Digitized by Google

mo. Et tamen corpus non hauritur propriè. Igitur oportet *hauſta* loco talis termini, *ſumta, accepta*, ponere. Et ſic eſt ſenſus: Corpus & ſanguis Domini *hauſta*, id eſt *ſumta* ſacramentaliter de manu ſacerdotis, efficiunt, ut nos in Chriſto & Chriſtus in nobis ſit. Et fit vere & realiter, cum fidelis communicat, ſub ſola ſpecie panis. Quia ſumit corpus & ſanguinem Domini, & cum totali efficacia.

Jacob. l. c. Maurit. Deinde *compilator* allegat Archidiaconum. Ubi dico, quod *Archidiaconus* ponit duas gloſſas prædictorum verborum. Unam, de qua jam dixi: Aliam talem: *Accepta quoad corpus, & hauſta quoad ſanguinem*. Et iſti gloſſæ non addit verba, quæ hic ſequuntur, *ſcil. ſacramentaliter de altari & de manu ſacerdotis*, ſed addit ea ad aliam gloſſam, de qua dixi prius. Et nota, quod iſta gloſſa *Archidiaconi* jam dicta poſſet alicui videri inconveniens, eò quod ipſa loquitur de vero corpore & vero ſanguine Chriſti, cum fuerit pluralis numeri. Et erit ſenſus hic: Corpus & ſanguis Domini, accepta quoad carnem, & hæc ſcilicet corpus & ſanguis, hauſta, quoad ſanguinem. Et ille videtur ineptus ſenſus, ſcilicet, quod corpus & ſanguis hauriatur quoad ſanguinem. Et ideo *Archidiaconus* dimiſſa gloſſa tanquam inepta, dedit ſecundam, de qua dixi prius. In quo etiam concordat cum gloſſa decreti ſimpliciter ſuperius poſita.

Vel poſſet dici, quod Archidiaconus non loquitur de tempore ſuo, ſed *de tempore Hilarii*, cujus verba exponit. Qui *fuit de antiquiſſimis ſanctis*. *Forte fuit mos pro tunc in eccleſia ſua*.

Item Archidiaconus manifeſte ponit & approbat communionem laicalem ſub ſola ſpecie panis. Ideo non eſt credendum, quod tantus vir voluerit hic contrarium iſtius aſſerere nec ſibi ipſi contradicere. Aſſumtum patet. Quia *ſuper c. Comperimus*, prope finem, explicite hoc docet. Nam idem ad gloſſam addit verba *Petri de Tarantaſio*, quæ ſtatim ante hoc poſita ſunt in reſponſione ad auctoritatem Dionyſii.

Item *de con. diſt. 2. Presbyter*, dicitur ſic: *Presbyter euchariſtiam ſemper habeat paratam, quia, quando quis infirmatus fuerit, ſtatim eum communicet, nec ſine communione moriatur*. Ubi *gloſſa* dicit: *Sanguinem non præcipit ſervare, Quia opus eſt nimia cautela in eo ſervando. Ergo propter cautelam non ſervatur, ne fundatur, ne aceſcat, ac vileſcat*.

Et ad iſtam gloſſam addit *Archidiaconus* ibidem, dicens: *Addo præterea: Non eſt opus, quia ubi eſt corpus ibi eſt ſanguis*.

Cyprianus: Quanquam ſciam, frater chariſſime, epiſcopos plurimos &c. Ex verbis auctoris patet, quod Cyprianus non reprehendit Epiſcopos ſuos de hoc, quod non miniſtrabant calicem Domini populo, ſed reprehendit eos de quodam alio. Nam dicit: in calice Domini ſanctificando & plebi miniſtrando, non hoc faciunt, quod Chriſtus docuit. Per quod innuit, quod errabant in aliquo, quod circa calicem ſanctificandum poſterius pri' facere debuiſſent. Et ſic forte ſumit, quod non conſecrabant calicem. Quod utique reprehenſione dignum fuit, velut innuit auctoritas ſequens: *Illud fuit, quod in calice ſanctificando, id eſt conſecrando, aquam cum vino non miniſtraverunt*. Sic tamen celebrantes tenentur, propter expreſſiorem ſignificationem, propter eccleſiæ præceptum vel Domini exemplum. *Jacob. l. c. Maurit.*

Vel forte reprehendit aliqvos Epiſcopos, qui prius conſecrabant calicem quam panem: Trahentes ex paſſione Chriſti, quam *Lucas* ſcribit *c. XXII.* Et prius tangit de calicis conſecratione, & poſt de corpore Chriſti conſecrando.

Cyprianus. Et quemadmodum vino iſto communi mens reſolvitur & anima relaxatur. Reſpondeo, dicendo, quod in prima parte auctoritatis, ſcilicet usque ibi: *Sed videamus frater* &c. Cyprianus accipit *bibere* generaliter pro *ſumere*. Et ita laici communicando ſub ſpecie ſola, *bibunt*, id eſt *ſumunt* ſanguinem Chriſti vere. *Jacob. l. c. Maurit.*

Vel ſi *bibere* refert ad ſpecies vini, tunc loquitur *de turba ſacerdotum*.

Aut ſi *de laicis*, tunc loquitur *de tempore ſuo, in quo forte in ſua eccleſia fuit mos*

Digitized by Google

mos, præſentes laicos communicandi ſub utraq; ſpecie.

Secunda vero pars auctoritatis, quæ incipit ibi: *Sed videamus, frater chariſſime*, non eſt ad propoſitum. Nam tota, usque in finem, loquitur aperte de his, qui in calice conſecrando, vel miſcendo vinum cum aqua. Sicut etiam totam illam partem allegat ad iſtum ſenſum *Magiſter, diſt. XI. L. IV. Sententiar.* & ita impertinenter ad præſens propoſitum allegatur.

Jacob. l. c. f. 812. Maurit. *Cyprianus: Et cum ad hoc fiat euchariſtia, ut poſſit accipientibus eſſe tutela &c.* Puto, quod loquitur contra iſtos *ſacerdotes*, qui prius in gravia peccata lapſis & poſtea pœnitentibus, adhuc negabant communionem. Et ſi *bibere* generaliter capitur pro *ſumere*, tunc ſic negabatur eis in hoc ſumtio corporis & ſanguinis Domini. Si autem bibere refertur ad ſpecies vini, tunc auctoritas loquitur vel *de ſacerdotibus ſolis*, qui ſic repellebantur à celebratione & communione: Aut ſi *de laicis*, tunc ſuit iſto tempore de more in eccleſia Cypriani. Sed non oportet, imo non licet nos iſtum morem ſequi, propter contrariam conſuetudinem univerſalis eccleſiæ. Et propter cauſas ſuperius dictas. Nec Cyprianus, aut etiam alii ſancti, fere in omnibus auctoritatibus, dicunt, quod ſit de neceſſitate aut de præcepto, laicos ſub utraque ſpecie communicare. Quod tamen adverſarius probare intendit. Quare ut prope principium dixi, fere omnes præcedentes auctoritates ſuperflue & impertinenter allegatæ ſunt.

Jacobello l. c. Mauritius. *Johannes Chryſoſtomus. Illud eſt myſterium, ſine quo nobis non eſt ſalus, nec ea quæ bona ſunt* &c. Verba manifeſte innuunt, quod ſicut ſacramentum baptiſmi neceſſitatis eſt regulariter, quoad omnes, ſic neceſſitatis eſt manducatio & bibitio corporis & ſanguinis Domini. Et hoc non eſt verum de manducatione & bibitione ſacramentali, ut prius oſtenſum. Igitur oportet intelligi *de ſpirituali manducatione* & bibitione corporis Chriſti myſtici, id eſt, de unitate, & communicatione, per fidem & charitatem ad membra eccleſiæ & cum capite Chriſto, quo unità eſt res ſacramenti hujus, & per verum corpus & ſanguinem Chriſti ſignificatur. Et iſte intellectus eſt conformis expoſitioni authenticæ ſanctorum & gloſſarum authenticarum prius poſitæ.

Et quod *Chryſoſtomus* in fine auctoritatis dicit: *Quæ per nullius alterius quam ſancti efficiuntur manus ſacerdotis*, Puto, Jacob. l. c. Maurit. quod ly *quæ*, referatur ad *ſacramenta*. Ut ſit ſenſus: Verum corpus Chriſti & verus ſangvis Chriſti ſunt vera ſacramenta carnis Chriſti myſticæ, & iſta non fiunt miniſterialiter, niſi per manus ſacerdotis. Etſi aliter intelligeret verba Chriſti, utpote, ſicut baptismus, quod eſt neceſſitatis, quod ſic manducatio ſcilicet & bibitio ſacramentalis etiam ſit de neceſſitate ſalutis, non crederem ſibi, contra Hieronymi, Auguſtini, gloſſas authenticas, & alios Doctores, quorum dicta ſuperius poſita ſunt.

Bernhardus. Benigniſſime Jeſu. Nobile ſatis ſponſæ tuæ dotalicium indulſiſti &c. Jacob. l. c. Maurit. Reſpondeo. Verum eſt, quod Dominus hoc dotalicium, ſcilicet corpus & ſangvinem ſuum, dedit eccleſiæ ſuæ ſponſæ ſub ſacramento in ſui memoriam. Et ita etiam eccleſia frequentat quotidie. Sed quando dicit Bernhardus: *Idem fieri præcepit*, loquitur de hoc præcepto Domini, quò dixit diſcipulis ſuis: Jacob. l. c. f. 813. Maur. *Hoc facite in meam commemorationem.* Ubi præcepit confectionem, ſcilicet in pane & vino. Et ideò *ſacerdotibus* loquebatur, non laicis. Aliàs laici deberent conficere, quod eſt error, ſed loquebatur ſacerdotibus, qui conficere habent in pane ſeorſim, & in vino ſeorſim.

Bernhardus. Ponitur igitur ſpecies panis & vini, ut doceamur &c. Jacob. l. c. Maurit. Sæpè eſt dictum, quod Chriſtus, ut eſt ſub hoc ſacramento, perfectè reficit manducantes ſe. Et ad iſtam perfectionem refectionis ſignificandam hoc ſacramentum ſub duplici ſpecie inſtitutum eſt. Et hoc vult Bernhardus. Proponitur ergò ſpecies panis & vini, ut doceamur, ſcilicet intelligere, & ut nobis ſignificetur, quod hoc ſacramentum ſignificet Chriſtum, ut nutrimentum perfectum, reficiens nos corpore & ſangvine ſuo. Et

Et hoc non potuit ſignificari, niſi ſub duplici ſpecie panis & vini. Et propter hoc dicit Bernhardus: *Proponitur ſpecies panis & vini, ut doceamur ſcilicet intelligere, & ut nobis per hoc ſignificetur* &c. Hæc autem ſignificatio pertinet ad conficientes. Igitur pertinet ad iſtos ſignificatio, ſic proponere in altare panem & vinum.

Etiam advertendum eſt, quod Bernhardus non dicit, ut doceamur plenam & perfectam eſſe refectionem in ſumtione corporis & ſangvinis Chriſti. Sed iſta utique fit tam perfectè ſub ſpecie panis ſicut ſub utraque, & tàm efficaciter.

Jacob.l.c. Maurit. *Beda. Non ſolum lavit nos à peccatis noſtris in ſangvine ſuo &c.* Dicitur, quod autoritas eſt vera, ſicut ſtat. Quia fideles ſumentes euchariſtiam ſub ſola ſpecie panis, ſumunt etiam ſangvinem ad ſalutem. Uti patet ex ſæpè jam dictis.

Jacob.l.c. Maurit. *Remigius, ſive Haimo. Ad hanc ſpiritualem alimoniam, ad hunc myſticum & divinum cibum &c.* Prima pars auctoritatis ſtat in verbis Chriſti *Joh. VI.* Niſi manducaveritis carnem filii hominis &c. quæ ſufficienter ſuperius expoſita eſt de manducatione ſpirituali myſticæ carnis. De quâ etiam ipſe intelligit cum dicit: *Ad hunc myſticum & divinum cibum &c.* Secunda pars auctoritatis eſt vera, ſicut ſtat. Quia quotidiè hoc ſacramentum fit & conficitur à fidelibus per miniſterium ſacerdotum. Quid eſt ſacramentum & ſignum corporis myſtici, ſuperius dictum eſt.

Jacob.l.c. f. 814. Maurit. *Fulgentius: Verbum patris carni & ſangvini, quem de utero virginis ſumſerat &c.* Dicitur, quod auctoritas iſta loquitur *de tempore illo, in quo in aliquibus eccleſiis adhuc fuit de more, communicare populum ſub utraque ſpecie.* Et licet tunc fuit licitum, non tamen tunc fuit neceſſarium. Sicut nec iſta auctoritas dicit, nec verè omnes illæ & aliæ. Quare, ut ſæpè dixi, impertinenter allegantur ad concluſionem primam probandam, quæ ſonat de lege & præcepto divino & quadam neceſſitate.

Jacob.l.c. *Johannes Damaſcenus: Dominus noſter Jeſus, qui de cœlo deſcendit pro nobis* &c. Reſpondeo, dicens: Quod vera eſt prima pars auctoritatis. Dominus enim apoſtolis ſuis & ſucceſſoribus eorum diſpoſuit corpus & ſangvinem ſuum conficiendum & ſumendum, & omnibus, qui in eum credunt, diſpoſuit ſumendum corpus ſuum & ſangvinem. Et ita faciunt fideles, cùm communicant ſub ſpecie panis, quia tunc ſumunt corpus & ſangvinem Domini. Et ad hunc ſenſum loquitur in fine auctoritatis. Imò videtur innuere communionem ſub ſola ſpecie panis, cùm dicit: *Quia enim ex uno pane aſſumimus omnes unum corpus Chriſti & unum ſanguinem.* Maurit.

Thomas de Aquino: Quamvis totus Chriſtus ſit ſub utraque ſpecie, non tamen fruſtra &c. Superius dictum eſt, quomodo S. Thomas ex intentione determinat, *quare conſvetudo ſit, nunc populo in eccleſia communicare ſub ſola ſpecie panis.* Et aſſignat *cauſas*, propter quas rationabiliter ille mos introductus eſt. Et non eſt putandum, quod velit per hanc autoritatem aſſerere, & ſibi ipſi contradicere, ſed vult aſſignare cauſas, quare una ſpecierum non ſit fruſtra, quando ſacramentum conficitur & ſumitur ſub utraque ſpecie, cùm tamen idem ſit utrobique. Et de hoc aſſignat *tres cauſas*, quæ omnes ſunt referendæ ad expreſſiorem ſignificationem. Eſt enim *primò* propter expreſſiorem ſignificationem paſſionis Chriſti, afflictione, & ſangvinis ejus effuſione. *Secundò* eſt, propter expreſſionem completæ refectionis ſpiritualis. Quia licet ſub ſpeciebus panis ſumitur etiam ſangvis, tamen ibi non ſumitur per modum potus. Et ſic licet ſub ſpecie vini ſumitur corpus, tamen non per modum cibi. Ergò ut ibi ſumeretur corpus per modum cibi, & ſangvis per modum potus, ſumitur ſub duplici ſpecie à conficiente. Ut ſic ſignificetur perfecta ſignificatio paſſionis Chriſti in corpore & anima, & perfecta refectio ſpiritualis, quæ fit per hoc ſacramentum à ſacerdotibus, & in aliquibus eccleſiis etiam à Levitis & ſubdiaconis, miniſtrantibus in ſacris, id eſt veſtibus, ut dicit *S. Thomas in poſtilla ſua ſuper Johannem.* *Tertiò*, propter diſtinctos effectus ſacramenti, non quidem

Jacob.l.c. f. 815. Maurit.

Digitized by Google

dem ad cauſandum diverſos effectus, ſed ad expresſius eos ſignificandum. Licet enim ſub ſola ſpecie panis offeratur caro Chriſti pro ſalute corporis noſtri, & ſangvis pro ſalute animæ: Et ſimiliter intelligendum de ſola ſpecie vini: Tamen non fit hujus oblationis pro anima & corpore tàm expreſſa ſignificatio, cum ſumitur ſub una ſpecie tantùm, ſicut ſub utraque. Et hoc docet *gloſſa 1.Cor. XI. & Magiſter Diſt. XI.L. IV.* Ubi dicit: *Ideò in duabus ſpeciebus celebratur, ut animæ & corporis ſuſceptio à Chriſto, & à Chriſto utriusque liberatio, in nobis ſignificetur.* Sed ſæpè dictum eſt, quod talis ſignificatio perfecta & completa pertinet principaliter ad ſacerdotes celebrantes coram populo.

Jacob. l. c. f. 815. *Thomas de Aquino: Sangvis Chriſti diſpenſatur populis per diaconos. Unde & B. Laurentius dixit* &c.

Maurit. S. Thomas prima verba dixit arguendo. Et ideò non eſt in eis vis ponenda, niſi quantum in ipſis facit mentionem de *S. Laurentio. De quo concedetur, quod miniſtravit ſanguinem Domini etiam populis, quia tempore ſuo adhuc fuit mos eccleſiæ ejusdem, communicare populos ſub utraque ſpecie.*

Secundò dico, quod liber meus non habet iſtum terminum, *populis*, ſed habet ſic: *Sanguis Chriſti diſpenſatur per Diaconos.* Et hoc verum quoad aliquas eccleſias, in quibus Diaconus diſtribuit populis & ſubdiacono ſanguinem de calice. Sed modo non diſtribuunt populis, quia eſt contra conſuetudinem eccleſiæ univerſalis. Quamvis ex officio poſſint, ſi conſuetudo & rationabiles cauſæ non obſtarent. Et hoc vult S. Thomas in ſequentibus verbis.

Jacob. l. c. *Albertus M. Unde Levitic. XI. dicitur, quod animal, quod non ruminat, immundum erit* &c.

Maurit. Ad omnes auctoritates ejus in genere dico, quod *tempore Alberti fuit iſte mos, communicandi populum ſub panis ſpecie.* Et ipſe nullibi redarguit eum, quod tamen feciſſet, ſi eum reputaſſet illicitum & contra Chriſti præceptum. Imò putavit, eccleſiam non ſolùm poſſe laicis miniſtrare ſub una ſpecie, ſed etiam putavit, quod poſſet ordinare, quod ſacerdotes conficerent ſub ſola ſpecie panis. Propter hoc *in tractatu ſuo de miſſa* dicit propè finem: *Propter intolerabile damnum, quod incurrunt habitantes in terris, ubi non habetur vinum, expediret, quod diſpenſaretur, ut corpus Chriſti ſine calice conficere poſſent.* Et ſubdit cauſam, dicens: *Corpus enim non eſt ſine ſanguine & anima, & deitate, quamvis non ſit ibi ſangvis ex virtute conſecrationis.* Non ergò putandum eſt, quod per auctoritates hìc allegatas voluerit in eodem libro contrarium iſtius aſſerere, & ſibi ipſi contradicere.

Deinde ad primam *Alberti M.* auctoritatem in ſpecie dico, quod prima pars ejus vult, quòd materia ſola, ex qua hoc ſacramentum confici poteſt, eſt frumentum & vinum. Quod patet. Quia in principio *tractatus de ſangvine* dicit, quod ſicut confici non poteſt, niſi de pane, de frumento, corpus Domini, ita dicimus, quod ſangvis Domini non poteſt conſecrari, niſi de vino, quia ſe Chriſtus vino comparari fecit, & viti ſe ipſum comparavit. Hoc probat per longum proceſſum. Et propè finem primi paragraphi ponit iſtam partem præſentis autoritatis. Et poſt illam concludit: *Sic ergò patet ex comparatione Chriſti ſangvinis ad vinum, non debere aliud in ſacramento eſſe, niſi vinum.* Ecce quomodo hoc ſolum ex intentione oſtendit, quod ſangvis Chriſti non poteſt confici, niſi ex vino. Et ideò auctoritas non eſt ad propoſitum *compilatoris.*

Ad ſecundam partem illius auctoritatis primæ dico, quod *Albertus in* §. in quo iſta auctoritas ponitur, loquitur de confectione ſangvinis Chriſti. Et ponit ibi *duo. Primum* eſt, quod propter reverentiam ſacramenti bonum vinum & electum debeat eſſe in ſacramento. Et probat iſtud pluribus autoritatibus ſcripturæ, poſtquam allegat illud *Malachiæ I. Maledictus qui habet in grege ſuo maſculum, id eſt perfectum, & offert Domino debile.* Ex quo concludit, quod multo magis maledictus eſt, qui ad menſam ſuam facit afferri vinum bonum & electum, & ſacrificium Domini aſſumit debile valdè. *Secundum*, quod ibi ponit, eſt, quod vinum offerendum ad hoc ſacrificium debet poni in vaſis mundis.

Unde

Unde dicit: *Meritò maledictus eſt, qui vinum in vaſis mundis & pretioſis bibit in menſa propria, & in vaſis fœtidis & in ampullis corruptis vinum infici permittit, & ſic fœtidum in calice offert in ſacrificium Domini.* Et poſt iſta ſubjungit iſtam ſe-

Jacob.l.c. f.815. cundam partem auctoritatis, dicens: *Ex præmiſſis patet, quod pro certo peccat qui magnum ad corporis ſui & parvum aut nullum ad Dominici ſangvinis poculum adhibet ſtudium.* Reprehendens eos in hoc, quod vinum bonum & in vaſis mundis adhibent uſui ſuo & nutrimento ſeu incremento corporis ſui, & vinum valdè debile & corruptum in vaſis immundis & fœtidis offerunt ad ſacrificium ſangvinis Chriſti. Statim poſt hoc declarat: Sicut volumus mundum & purum eſſe cibum & potum nobis incorporandos, & ponimus ad vaſa munda & pura: Ita multò à fortiori debet fieri in nobis reſpectu corporis & ſangvinis Chriſti, ſcilicet ut nos ſimus mundi & puri, qui volumus tanquam intra nos ſumere corpus & ſangvinem Domini: Et qui per iſtam ſumtionem corporis & ſangvinis Domini volumus incorporari corpori & ſangvini Domini myſtico. Illud innuit in verbis auctoritatis iſtius ſequentis, uti patet examinanti, ubi etiam innuit cauſam. Ulterius in libro poſt pauca ſubdit: *Qui liquori puro ut vas præparatur, etiam ipſe valde debet eſſe depuratus*, ut ibidem ſequitur.

Jacob.l.c. f.816. *Albertus M. Omnis ſanctus ſcit, quod ſine corpore & ſangvine Chriſti non eſt vita gratiæ &c.* Pars prima ponitur *in litera* in paragrapho. Et ſi intelligitur de ſumtione veri corporis & ſangvinis Domini, non eſt contra nos. Quia ſub ſpecie panis ſola verè ſumit utrumque. Si verò intelligitur de ſumtione ſpirituali, iterum non eſt contra nos, ut eſt notum. De iſta magis videtur loqui, eò, quod ipſe ſtatim prædictis verbis ſubdit: *Unde Joh. VI. Niſi manducaveritis carnem filii hominis &c. Quæ verba non poſſunt intelligi univerſaliter, niſi de ſumtione ſpirituali*, ut ſuprà oſtenſum fuit & ipſemet exponit *in poſtilla ſua ſuper Johannem.*

Secunda pars auctoritatis vult, quod quicunque ſumit totale ſacramentum, iſte debet ſumere ſeorſim corpus ſub ſpecie panis, & ſeorſim ſangvinem ſub ſpecie vini, & non conjunctim, ſic, quod panis ſit intinctus ſangvini. Nam iſta verba non ponit cum prædictis verbis primæ partis, ſed in alio paragrapho, in quo ex intentione oſtendit, quod nullus debet immediatè ſumere de manu ſacramentum ſub ſpecie panis intincti in ſangvine, aut etiamſi intingeretur in vinum. Quia, ut dicit ipſe, vinum illud omni reverentia ex ipſa intinctione efficeretur dignum, & non eſſet cautum illud porrigere de manu quòd vix aut nunquam poſſet caveri, quin aliquid à manibus ſtillaret, aut manibus adhæreret.

Tertia pars auctoritatis loquitur de celebratione hujus ſacramenti ſub utraque ſpecie propter perfectionem ſignificationis ſacramentalis.

Et quod hoc ſit verum, non ſtemus in nudis verbis iſtius auctoritatis, ſed ſecundum regulam Theologicam, quæ in omnibus libris ſervanda eſſet, videamus præcedentem & ſequentem paſſum, ut intentionem auctoritatis intelligamus, ex hoc, quod auctor prope principium paragraphi dicit: *Poſtquam Chriſtus exhibuit corpus ſuum ſub ſpecie panis, tunc poſtea etiam ſanguinem ſuum ſub ſpecie vini, & utrumq; ſacramentaliter celebrandum eſſe præcepit per ſtatuta apoſtolica.* Et ideo eccleſia inſtructa occaſione Chriſti utrumque celebrat diviſim, conficiendo ſanguinem ex ſpecie vini. Et probat hoc poſtea ex dictis & factis Chriſti in ultima cœna. Et tunc ſubdit verba hic allegata, ſcilicet: *Ex rationibus iſtis accipitur.* Et per hoc non intendit aliud, niſi quod Chriſtus confecit ſub duplici ſpecie, & apoſtolis tradidit, & ſic celebrandum inſtituit. Et hoc celebrantes miſſas ſervant conficiendo & ſumendo ſibi ſub utraq; ſpecie, propter perfectionem ſignificationis, quæ ad ſacerdotes pertinet.

Et quod de hac confectione & perfectionis ſignificatione loquatur, iterum declarat, cum infra *in eodem* §. ad propoſitum ſic concludit: *Oportuit ergo, ut ibi eſſet confectio ex elemento panis, ſicut fuit*

fuit ibi confectio ex elemento cibi. Quia alias ſacramentum in virtute & ratione ſacramentali imperfectum. Quia non ſignificaret perfectum alimentum. Ecce, quomodo loquitur de confectione & perfecta ſignificatione, & non de miniſtratione quoad laicos ſub utraque ſpecie. Et ſi homo utique contendat de ultimis verbis auctoritatis, ſcilicet iſtis: *Et ideo ſub una ſpecie corpus & ſub altera ſanguinem tradimus* &c. Dico, quod vult intelligere, quando alicui non celebranti tradimus plenum ſacramentum, ut in pluribus eccleſiis fit de miniſtrantibus ad altare in veſtibus ſacris, tunc tradimus eis corpus Chriſti ſub ſpecie panis & ſanguinem ſub ſpecie vini. Sed ex hoc non habetur, quod omnibus ita tradendum ſit ſacramentum. Nec habetur, quod ſit neceſſarium ex præcepto Chriſti, ut *compilator* nititur probare.

Jacob. l. c. f. 816. Maurit. *Albertus M. Cum igitur alimentum ad naturæ perfectionem non poſſit perfecte ſignificare niſi in adulto* &c. Iſtæ & ceteræ auctoritates ſequentes ponuntur *in eodem* §. cum præcedenti auctoritate. Et ſicut verba oſtendunt, & paſſus præcedentes & ſequentes, & quas etiam prius allegavi, ambæ loquuntur de celebratione & confectione ſacramenti, & perfectione ſignificationis ejus. Et ita fit per ſacerdotes, ad quos hoc pertinet, & non ad laicos, qui ſumunt ſacramentum ad refectionem & efficaciam. Totalis autem efficacia & perfecta refectio fit in ſumtione ſub una ſpecie, licet non perfecta ſacramenti ſignificatione, ut ſæpe dictum eſt. Quæ tamen nihil tollit laicis de fructu, quem habent ex opere operato. Cum ergo Dominus ſic ordinaverit & multiplicaverit ſacramentum, ut dicit *Albertus*, & continetur ſub præcedente auctoritate, ad eam jam ſatis reſponſum eſt in auctoritate immediate præcedente ſupra poſita. (Jacob l. c. Maurit.)

Jac. l. c. f. 817. Maurit. *Alanus: Quicunque digne carnem Chriſti ſumſerit & ſanguinem biberit* &c. Verum eſt, quod quicunque ſumſerit hoc ſacramentum digne, meretur gloriam infinitam durative. Et ſi ſacerdos ſumſerit ſub utraque ſpecie, & laicus ſub una ſpecie, ſolus ipſe laicus meretur tantum gradum gloriæ æternæ, quantum ipſe ſacerdos communicans, qui ſumit ſub utraque ſpecie. Quia, ut ſæpe dictum eſt, ſumit iſtud contentum, quia eundem cibum, corpus Domini, & eundem potum, ſanguinis Domini, ſed non per modum potus, id e. non ſub ſpecie potabili. Efficacia autem ſaltem ex opere operato, de qua hic eſt ſermo, ratione contenti tantum & non continentis.

Nicolaus Lira. Bibite ex hoc vinum, quod miſcui vobis, id eſt ſanguinem meum ſub ſpecie vini &c. Patet ex verbis, quod modus communicationis ſub ſola ſpecie panis fuit in uſu tempore ſuo. Quia dicit: *In utraque ſpecie communicabant antiquitus fideles*, Non dicit: *communicant*. Et iſtum modum non reprehendit, nec reprobavit. Quod utique feciſſet, ſi fuiſſet illicitus & contra Chriſti præceptum. (Jacob l. c. Maurit.)

Imo ſuper iſtis verbis Domini *Johan. VI. Niſi manducaveritis* carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem &c. dicit: *Non eſt per hoc intelligendum, quod hoc ſacramentum ſub utraque ſpecie ſit miniſtrandum, ſed tantum hoc modo à ſacerdote ſit ſumendum. Licet enim in primitiva eccleſia populus ſub utraque ſpecie communicaret, tamen poſtea provide ordinatum eſt, ut non communicaret ſub ſpecie vini, propter periculum effuſionis &c*

Nicolaus Lira: Probet ſeipſum homo, propriam conſcientiam examinando &c. Iſta idem aſſerit quod in præcedenti. Et quando ulterius dicit, quod tam forma panis quam forma vini eſt de perfectione ſacramenti, non intelligit de perfectione ſacramenti quoad efficaciam, ſed quod ſignificationem, ut expreſſe dicunt verba ſequentia. Et iſta ſignificatio pertinet ad ſacerdotes conficientes. (Jacob. l. c. Maurit.)

Leo Papa: Hujus adverſarii diaboli dolos non ſolum in illecebris gulæ &c. Non vidi originale hoc, ſicut & plura alia hic allegata, ſed reſpiciendo ad verba auctoritatis, dico *primo*, quod auctoritas non dicit, quod ſit de neceſſitate aut de præcepto Dei miniſtrare laicis ſub utraque ſpecie. Ergo non eſt ad propoſitum (Jacob. l. c.)

poſitum. *Secundo* dico, quod ſi *Manichai*, de quibus loquitur, fuerunt *ſacerdotes*, non ſumentes ſangvinem, quando celebrabant, ſicut de quibusdam loquitur *Gelaſius Papa, de conſ. diſt. 2. Comperimus*, tunc utique errabant, & dignè reprehendendi & puniendi erant. Si autem fuerunt *laici*, & fuit tunc mos in eccleſia miniſtrandi populis ſub utraq; ſpecie, tunc reprehenſibiles erant in hoc, quod ſine rationabili cauſa, ſed ex erroribus & hæreſi nolebant ſacramenta ſumere more tunc conſveto in eccleſia, & propria temeritate contra ſacerdotum autoritatem novum modum inducerent. Non ergò reprehendit eos tanquam facientes contra præceptum Chriſti in communicando ſub ſola ſpecie panis: Sed ſingulares, & diſſenſionem per hoc in eccleſia facientes. Propter quam ſingularitatem & diſſenſionem jubet eos ſecundum Apoſtoli præceptum à communione fidelium repelli.

Jacobell⁹ l.c. f. 818. Mauritius. *Innocentius Papa. Simili modo licet ſub utraque ſpecie ſumatur utrumque &c.* Loquitur *de ſacerdotibus*, qui conficiunt & ſumunt ſub utraq; ſpecie propter perfectam ſignificationem. Quod etiam innuit, cùm dicit: *Ut oſtendatur, quod Chriſtus naturam totam &c.*

Etiam auctoritas nihil dicit de neceſſitate ſic ſumendi ſub utraque ſpecie, quod tamen reſtaret probandum adverſario.

Jacobell⁹ l. c. Mauritius. *Gelaſius Papa: Comperimus autem, quod quidam ſumta tantummodo corporis ſacri portione &c. Gloſſa* ibidem & *S. Thomas in P. III. Summa* 98. dicunt, quod tantum loquatur de ſacerdote conficiente, & celebrante, qui ſicut tenetur totum conficere, ſic tenetur totum ſumere, & quod ii, qui contra hoc fecerunt, graviter errarunt & adhuc errarent. Nec putandum, quod non celebrans, & ſacramentum ſub ſola ſpecie panis ſumens, præjudicet totalitati aut perfectioni ſacramenti. Cùm totalitas ſacramenti & perfectio, non conſiſtat in quolibet ejus uſu, ſed magis in conſecratione, aut ſecundum exiſtentiam ſub utraque.

Et inſuper aliqui libri habent ſic: *Diviſio unius ejusdemque myſterii.* Et ſi ille verus eſt textus, patet manifeſtè, quod loquatur de celebratione.

Clemens V. Tranſiturus de mundo Dominus noſter Jeſus Chriſtus ad patrem &c. Totum eſt verum, quod ibi narratur. Sed nullam dicit neceſſitatem communicandi ſub utraque ſpecie. *Jacob. l. c. Maurit.*

Urbanus IV. Unigenitus quidem filius Dei ſua divinitatis volens nos eſſe participes &c. Vera ſunt per totum. Quia ſacerdotes ſumunt ſacramentaliter ſub utraq; ſpecie, & populus aſſiſtens ſumit ſpiritualiter. *Jac. l. c. f. 819. Maurit.*

Urbanus in legenda. Et quamvis ſeparatim corpus, & ſeparatim ſangvinem &c. Reſpondeo. Loquitur *de ſacerdotibus* celebrantibus & conficientibus & ſumentibus ſub utraque ſpecie. *Jacob l. c. Maurit.*

Urbanus in legenda. Ego qui vitam aeternam habere deſidero, carnem ejus veraciter comedo &c. Loquitur à principio de ſe, qui *ſacerdos* erat. Et in fine dicit, quod univerſalis eccleſia &c. Et hoc eſt verum *quoad ſacerdotes*, qui in forma totius eccleſiæ offerendo conficiunt & aſſumunt. *Jacob. l. c. Maurit.*

Eccleſia: Non ſolùm corpore epulemur agni, ſed etiam inebriemur ſangvine &c. Loquitur *de ſacerdotibus*: Aut accipit *bibentibus* pro *ſumentibus*: Et ſic laici ſub ſpecie panis ſumunt ad ſalutem: Aut loquitur de manducatione & bibitione *ſpiritualibus*, ad quas manducationes omnes eccleſia fideles invitat. *Jacob l. c. Maurit.*

Eccleſia. Hac domus tibi ritè dedicata noſcitur, in qua populus &c. Dico, quod loquitur ſecundum *conſvetudinem*, *qua tunc fuit in eccleſia* Ambroſiana. Aut loquitur de manducatione ſpirituali populi præſentis in celebratione. *Jacob. l. c. f. 820. Maurit.*

Eccleſia: Dedit fragilibus corporis ferculum, dedit & triſtibus ſangvinis poculum &c. Eſt totum verum. Quia etiam ſacerdotes ſumentes corpus & ſangvinem ſub duplici ſpecie, dant ceteris ſub una ſpecie tantùm. *Jacob. l. c. Maurit.*

Eccleſia: Quibus ſub bina ſpecie carnem dedit & ſangvinem, ut duplicis ſubſtantia &c. Dico, quod qui ſumit ſub ſpecie panis, ſumit corpus & ſangvinem. Et ita cibatur ſecundum corpus & animam, quantum ad effectus bonos, quos *Jacob. l. c. Maurit.*

in eo, qui dignè ſumit, operatur quoad utrumque, & quod corpus habebit in reſurrectione, & animam quoad aliquid nunc, & perfectè in gloria.

Jacob. l.c. Maurit. *Wilhelmus de monte Landano: In hoc ſacramento Chriſtus fuit ſacerdos, in eo, quod confecit &c.* Hoc eſt pro nobis. Neſcio, quid faciat ad propoſitum. Et quamvis Apoſtolis adhuc laicis miniſtravit ſub utraque ſpecie: Non tamen ex hoc præcepit omnibus ſic miniſtrandum fore, ut ſæpè dictum eſt. Et patet à ſimili. Quia Apoſtolis dedit ibidem auctoritatem conficiendi ſacramentum. Et tamen in hoc non dedit poteſtatem eandem laicis. Alii dicunt: *Dedit apoſtolis*, ut ordinatis, quia fuerunt prædicatores ante hoc, *Joh. XVII.* conſecravit eos, quando dixit: Pater ſanctifica, lavit pedes &c.

Jacob. l.c. Maurit. *Wilhelmus, de monte Laudino: Recipiendo corpus totam veritatem recipit* &c. Hoc eſt pro nobis. Si enim recipiendo corpus totam veritatem recipit, tunc etiam totam efficaciam. Et hoc ſufficit hìc laico. Sacerdos verò officians debet recipere totum ſacramentum, id eſt totum exterius ſignum, propter perfectionem ſignificationis, quæ ad eum pertinet.

Et cùm dicitur, quod *in multis locis communicatur cum pane & vino*, id eſt, cum toto ſacramento: Dico, quod hoc verum eſt quoad miniſtros in aliquibus eccleſiis, ſed nullibi in laicis. *Quæſivi enim in Conſtantia à pluribus de longinquis regionibus, qui omnes optant & affirmant, quod idem fieret apud eos, ſicut apud nos.*

Iterum etiam per hoc innuit *Wilhelmus*, quod tempore ſuo communicabant populi in multis locis ſub ſola ſpecie panis. Et tamen hoc non redarguit, igitur non reputavit illicitum, nec fore contra Chriſti præceptum. *Jacob. l.c. f. 821.*

Gregorius. Multi ſecularium hominum, cum plus ſacerdotum vitam quàm ſuam diſcutiunt &c. Non eſt ad propoſitum. Quia qui contemnit jam communicare ſub ſola ſpecie panis, contemnit etiam cōmunicare corpori & ſangvini Domini. Eò quod iſtorum utrumque eſt ſub ſpecie panis. *Maurit.*

Ultima verò pars auctoritatis loquitur de ſacerdotibus. Nec oportet laborare ad ſolutionem, vel expoſitionem iſtius & multarum immediatè præcedentium auctoritatum, cùm nulla earum dicat aut verbo innuat neceſſitatem communicationis quoad laicos ſub utraque ſpecie ex Chriſti mandato. Quod tamen *compilator libelli* debuit probare.

CAP. V.

Repetita ſpecialis reſponſio Mauritii ad duas Jacobelli concluſiones de uſu calicis.

Jacob. l.c. f. 820. Mauritius. EX dictis patet, quod *concluſio prima*, quæ fuit, *quod eſt de neceſſitate ſalutis, ex præcepto Chriſti & ejus inſtitutione, populos fideles communicare ſub utraque ſpecie*, à nullo fideli eſt tenenda. Cùm non ſolùm non ſit probata, ſed in veritate fateor, quod ſecundum meam exiſtimationem nullum etiam habet colorem probandi. Etiam quia eſt contra generalem conſvetudinem eccleſiæ univerſalis & *contra generalem determinationem ſacri Concilii Conſtantienſis.*

Jacob. l.c. *Secunda concluſio compilatoris* fuit hæc: *Iſtum ritum communicandi ſub utraque ſpecie quoad laicos, non potuit, nec poteſt, nec poterit tollere aut annullare aut caſſare conſtitutio ſummi Pontificis aut decretum concilii generalis, aut conſvetudo quæcunq; eccleſia univerſalis.*

Mauritius. Et quamvis concluſio illa ſit falſa & erronea, ſicut & præcedens concluſio: Tamen eam nititur *compilator* probare multis auctoritatibus ſcripturæ, Canonis & ſanctorum, quæ ſeqvuntur, & *in libello* usque finem poſitæ ſunt, quas hic nolo inſerere, quia verum probant, modo, quo dicetur infra. *Jacobellus l. c. f. 822. ſeqq.*

Et eſt notandum, quod iſta *ſecunda concluſio* innititur *duobus*.

Quorum *primum* eſt, videlicet: *Quod eſt de neceſſitate ſacra ſcriptura, & de lege divi-*

Digitized by Google

divina, & de precepto Chriſti, non poteſt tolli per eccleſia conſvetudinem, aut per ſtatutum Papa vel concilii generalis.

Et iſtud eſt verum & tenendum, ſicut & auctoritates conſequenter poſitæ *in libello* usque in finem, puta ab autoritate LXII. usque ad auctoritatem LXXII. incluſive, ſufficienter oſtendunt. Propter quod non oportet laborare circa reſponſiones ad eas dandas, cum ſint veræ, concedendæ, ſecundum fundamentum iſtius ſecundæ concluſionis.

Secundum eſt, ſecundum *adverſarium*, præcedens concluſio ſua, ſcilicet, *quod ritus communicandi quoad laicos ſub utraque ſpecie ſit de veritate evangelica*, ſit lex divina & præceptum Chriſti. Et illud eſt falſum & erroneum. Ut clarè patet ex ſuperius dictis.

Et ita etiam iſta ſecunda concluſio *compilatoris* eſt falſa, erronea & contraria veritati, ſcilicet iſti, quæ ſequitur: *Ritum communicandi populos ſub utraque ſpecie poteſt & potuit eccleſia tollere, & mutare in ritum communicandi populum ſub ſola ſpecie panis.*

Quod probatur tali modo. Si eccleſia non poſſet nec potuiſſet mutare: Hoc eſſet præcisè ex hoc, quod ritus communicandi ſub duplici ſpecie eſſet de præcepto Chriſti, ut dicit pars alia, quæ ſolum hoc habet pro cauſa. Sed ex prioribus conſtat, quod ritus ille non eſt de præcepto Chriſti: Igitur conſtat, quod eccleſia poteſt mutare & potuit tollere & immutare dictum ritum. Et ita fecit ex rationabilibus cauſis prius poſitis. Et à longisſimo tempore continuavit & confirmavit conſvetudinem, ad ſui obſervantiam obligando. Nam dicitur *diſt.* 11. *c. Conſvetudinem: Cùm nec ſacris canonibus nec humanis legibus conſvetudo monſtratur obviare, inconcuſſa ſervanda eſt.*

Et *Auguſtinus ad Caſſulanum presbyterum* dicit: *Conſvetudinem laudamus, quæ tamen contra fidem Catholicam nihil uſurpare dignoſcitur.* Et iterum ad eundem dicit: *In his rebus, de quibus nihil ſtatuit divina ſcriptura, mos populi & inſtituta majorum pro lege tenenda ſunt. Et ſicut prævaricatores legum divinarum ita contemtores conſvetudinum eccleſiaſticarum coërcendi ſunt.*

Hæc adverſarius valdè ponderare deberet.

CAP. VI.

Longa Vindicatio conſuetudinis Eccleſiaſticæ, communicandi ſub una, contra Iacobellum, conſvetudinis illius cenſorem.

ITerum, ſi adverſarius dicit: Communicatio laicorum ſub utraque ſpecie eſt de præcepto Chriſti, & ritus communicandi ſub ſola ſpecie panis eſt contra divinam legem; Et quod ideo conſuetudo communicandi, ſit quantumcunque diuturna, eſt mala, nec poteſt fieri licita aut bona. Tunc omnes laici jam à longisſimis temporibus ſunt damnati, eo, quod ſacramentum hoc non ſumſerunt, nec ſibi miniſtrari petierunt ſub utraque ſpecie, ſicut tenebantur ex lege divina & præcepto Chriſti, nec de hoc pœnituerunt, quia nec habuerunt ſuper iſto conſcientiam, ſed credebant ſe bene facere. Et non excuſat eos ignorantia, cum lex divina & præceptum Chriſti explicite ſit in ſacra ſcriptura poſitum, ut dicit adverſarius.

Contra quod non licet facere exemplum. Si quis ignorat, fornicationem eſſe prohibitam in lege divina, non per hoc excuſatur à mortali peccato, ſi fornicatur. Similiter ſi Prælatus doceat populum ſuum, quod Chriſtus ſolum eſſet creatura, & populus ſic crederet, non excuſatur à gravi peccato. Ad hoc facit etiam illud evangelii: *Si cæcus cæco ducatum pareret, nonne ambo in foveam cadunt?* Igitur ſi eſt præceptum Chriſti & lex divina, ſcilicet communicare ſub utraque ſpecie, non excuſatur populus in non communicando, aut non petendo communionem ſub utraque ſpecie. Sicut non excuſatur adultus,

dultus, qui ex ignorantia non baptizatur nec petit. Alias infideles excuſarentur, aut qui fornicatur ex ignorantia, alias non facturus.

Item ſimiliter ſacerdotes omnes, qui à principio hujus conſuetudinis, usque nunc, curam animarum rexerunt & mortui ſunt, omnes eſſent damnati, eo quod obligabantur populo miniſtrare ſub utraque ſpecie ex præcepto divino, ut dicit alia pars, & hoc facere neglexerunt, imo noluerunt & ſic populum privarunt jure ſuo, quod habuerunt in ſacramenti perceptionem, & impediverunt in augmento ſalutis ſuæ, aut in totali ſalute. Et hoc fuit grave peccatum. Sicut namque ſi quis ſpoliaret quem aut rebus aut jure, quod habet in aliqua poſſesſione, eſſet peccatum mortale, quanto magis privare aliquem ſalute aut jure ſuo, quod habet in perceptione tantæ rei.

Item hujusmodi ſacerdotes non ſolum non miniſtrabant populo ſub duplici ſpecie, ſed etiam docuerunt populum, quod licitum eſſet ſic communicare ſub ſola ſpecie panis, & quod non eſſet eis miniſtrandum ſub duplici ſpecie, nec tenerentur ſic ad recipiendum. Et in hoc iterum gravisſime peccaſſent, inducendo errorem contra legem divinam, & faciendo gregem ſibi commisſum in tam altis & magnis errare. Sicut magnum eſſet peccatum, ſi Prælatus doceret populum ſuum, quod licitum ſit fornicari, aut quod licitum ſit propria ſe auctoritate vindicare.

Sic autem damnare totum populum laicalem, & etiam clerum, ex parvis argumentulis nihil fundatis, & ſine evidentisſimis & luce clarioribus motivis, eſt nimis temerarium.

Item cum hæreſis aut propoſitio hæreticalis ſit propriè, aſſertio repugnans alicui veritati aſſertive poſitæ in ſacra ſcriptura: Omnes adulti tam laici quam clerici jam à longisſimo tempore erraſſent in fide, & tenuiſſent hæreſin. Quia tenuiſſent & credidiſſent aſſertionem legi contrariam divinæ & præcepto Chriſti. Eo, quod Prælati & Doctores ſimplices, clerici ſeculares & religioſi crediderunt, defenderunt, credunt, & defenſare perſiſtunt, ac populum docuerunt, & docent, quod laici non tenentur communicare ſub utraque ſpecie, & quod fuerit & ſit licitum eis nunquam communicare neque deſiderare communionem ſub utraque ſpecie, & quod poſſint habere in ſe vitam, nunquam in re aut in voto manducando corpus Chriſti, aut bibendo ſacramentaliter ejus ſanguinem ſub ſpecie vini. Et omnis populus idem firmiter credit, taliter à clero doctus verbo & practica.

Hoc autem conſequens videtur esſe contra articulum fidei: *Unam ſanctam catholicam eccleſiam* credere. Quomodo enim eſſet *una*, ſi non eſſet *unita* vel vinculo fidei colligata? Aut quomodo eſſet *ſancta*, cum tanto tempore fuiſſet, quoad omnes adultos, hæreſi maculata?

Item, nunquam potuit aliqua hæreſis vi vel aſtutia ita introduci in univerſam eccleſiam, ut ab omnibus teneretur & crederetur. Sed omnis hæreſis habuit aliquos contradicentes & ei reſiſtentes. Igitur pari ratione, ſi communicatio populi ſub ſola ſpecie panis fuiſſet & eſſet error & contra Chriſti præceptum, nunquam fuisſet ſic univerſaliter in eccleſiam introducta, ut ab omnibus credita fuiſſet, obſervata practica per tam longa tempora. Ubi enim eſſet & diu fuiſſet illud verbum Chriſti: *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Et ſi in decem tribubus populi Iſrael ad idola converſis Dominus ſibi reſervavit decem millia virorum qui non curvarunt genua ſua ante Baal: Quomodo Chriſtus Dominus dereliquisſet ſuam eccleſiam, & ipſam habuisſet odioſam & exoſam, ut omnes adultos in ea tanto tempore dimiſiſſet hac hæreſi maculatos? Abſit cogitatus ille longe à cordibus fidelium.

Item, nunquam inolevit in eccleſia aliqua conſuetudo ſcrupulum habens, quin aliqui in iſta impugnaverint ejus ſcrupulum aut periculum, quod in ea eſſe poſſet de reiterandis, uti patet de reverſis ad vitam hominibus; de conſuetudine dandi pro formatis, & cæteris. Sed conſuetudinem, de qua ſermo, jam lon-

longisſimo tempore nullus maximorum & optimorum reprehendit, ſed omnes de ea ſcribentes ipſam laudant, omnes clerici & laici practicant & tenent.

Jacobus de Miſa cum collegis Pragæ.

Igitur ex omnibus patet, quod male & deteſtabiliter fit, ſi qui, ut præfertur, dictas *duas* præmisſas *concluſiones, in ſcholis publicis* non ſolum *opinando* aut *diſputative loquendo*, ſed firmiter aſſerendo dogmatizaverunt, aut hodie dogmatizant, innixi prædictis auctoritatibus, fere omnibus ad probationem dictarum concluſionum impertinentibus, ut eſt ſatis ſuperius declaratum.

Et eſt pejus & deteſtabilius, ſi ita *in publicis ſermonibus prædicando* auribus vulgaris populi inculcant.

Et eſt pesſimum & deteſtabilisſimum, ſi *iſtum ritum communicandi ſub utraque ſpecie innovare auſi ſunt*, non requiſito ſummo Pontifice, ac etiam *generali concilio, tam longo tempore, & quaſi in eorum latere congregato.*

Ex iſtis namque multa ſequuntur inconvenientia & deteſtanda ſemper.

Primum eſt, quod tales vehementer præjudicant ſacræ ſcripturæ, cum dicunt aliquid eſſe de lege divina & de præcepto Chriſti, quod non eſt tale. Et ſic quantum eſt de veritatibus Theologicis ſeu Catholicis, & verbis divinis, addunt aliquid, tanquam veritatem catholicam, & tanquam de necesſitate credendum & tenendum, quod tale non eſt. Et in hoc faciunt contra illud *Prov. III. Omnis ſermo Dei ignitus clypeus eſt ſperantibus in ſe: Ne addas quicquam verbis illius ne arguaris & inveniaris mendax.* Ad idem videtur facere illud *Johannis in Apoc. c. ultimo: Si quis appoſuerit ad hoc, apponet ſuper eum Dominus plagas ſcriptas in libro iſto, & ſi quis diminuerit de verbis prophetiæ libri hujus, auferet Dominus partem ejus de libro vitæ & de civitate ſancta, & de his, quæ ſcripta ſunt in hoc libro*, ſcilicet bona.

Secundum eſt, qvod tales inducunt ſimplices clericos & laicos, populum laicalem, in errorem, ut credant, de necesſitate ſalutis eſſe & de præcepto Chriſti, qvod non eſt nec fuit tale unquam, & quod non eſt licitum communicare populum ſub utraqve ſpecie propter contrariam conſuetudinem univerſalis eccleſiæ.

Tertium eſt, qvod videtur impugnare articulum fidei: *Unam ſanctam catholicam eccleſiam.* Qvia, ut prius argutum fuit ex eorum dicto & aſſumto, iſto tempore noſtro, hæc conſuetudo duravit in tota eccleſia à longisſimo tempore: Sequeretur omnes adultos per totum tempus illud erraſſe in fide & fuiſſe in peccatis mortalibus, & in iſtis decesſiſſe, qui nunquam noverunt errorem ſuum. Imo opere approbarunt in agone, cum ſub una ſola ſpecie communicaverunt, ut prius dictum eſt.

Quartum eſt, qvod extinguit in cordibus fidelium fidem & devotionem & charitatem, quam habere debent ad hoc ſaluberrimum ſacramentum, cum impiis, ſimplicibus & indoctis, qvibus ſimpliciter proponenda eſſet, nova & inaudita prius ingerunt, quibus ab omnibus fidelibus, tam doctis quam indoctis, ubique contradicitur. Et hoc non eſt ſine magno peccato, ſic ſimplicium fidem, devotionem & charitatē turbare leviter & ſine maxima cauſa.

Quintum eſt, quod faciunt populum peccare, in hoc, qvod faciunt eum transgredi laudabilem & approbatam conſuetudinem univerſalis eccleſiæ, quæ inconcuſſa eſt ſervanda & pro lege habenda. Cujus transgreſſores ſecundum B. Auguſtinum, ut ſuperius allegatum fuit, coërcendi ſunt veluti transgresſores legum divinarum. Qvod utinam notarent adverſarii.

Sextum eſt, qvod tales inhonorant & contemnunt matrem ſuam univerſalem eccleſiam, quam *generale concilium* repræſentat, ac etiam apoſtolicam ſedem, & quantum in eis eſt, minuunt utriusqve autoritatem, cum in arduis definiunt, & propria voluntate mutant conſvetudinem approbatam univerſalis eccleſiæ, inconſulta eccleſia aut apoſtolica ſede, ad quam tamen omnia ardua referenda ſunt, juxta illud, qvod dicitur *diſt. 12. c. Præceptis*, ubi ſic ſcribitur: *Et nulli dubium ſit, quod non ſolum Pontificalis cauſatio, ſed omnis ſancta religionis relatio ad ſedem apoſtolicam quaſi ad*

 caput

caput eccleſiarum debent referri, & maxime ea, quæ fidem concernunt, juxta illud Innocentii Papæ, poſitum 24. *q.* 1. *Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes coepiſcopos noſtros niſi ad Petrum & ſui nominis & honoris auctorem referre debere.*

Hoc etiam ſignificatum eſt in Moſe, de qvo *Exod. XVIII.* dicitur: *Quicquid autem gravius erat, referebant ad ipſum. Et Deuter. XVII. Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem &c. Surge & aſcende in locum quem elegit tibi Dominus Deus tuus, veniesque ad ſacerdotes Levitici generis & ad judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem, & facies quæcunque dixerint tibi.*

Ita etiam doctiſſimus Hieronymus auctoritatem apoſtolicæ ſedis recognoſcens, librum, quem *de expoſitione fidei Catholicæ* fecit, diſcusſioni & correctioni apoſtolicæ ſedis humiliter ſubjecit. *Hæc eſt fides, Papa beatiſſime, quam in eccleſia catholica didicimus, quamque ſemper tenuimus, in qua ſi minus pariter, aut parum forte aliquid, propoſitum eſt, emendari cupimus à Te, qui Petri ſedem tenes & fidem. Si autem hæc noſtra confesſio apoſtolatus tui judicio comprobatur, quis me culpare voluerit?* Ex iſta auctoritate trahitur laudabilis proteſtatio in diſputationibus generalibus.

Ultimo addo exemplum. Si conſuetudinem approbatam, & longiſſimis temporibus ab omnibus tam majoribus quam minoribus totius *regni Bohemiæ* laudabiliter tentam, *aliqua privata perſona*, propria voluntate falſa, & ſine

Jacobus de Miſa.

ſufficientibus & evidentiſſimis motivis publice doceret, ſemper fuiſſe & eſſe malam & iniquam, & eam propria auctoritate mutaret, aut *in toto regno Bohemiæ* mutare cauſaretur, non habito deſuper conſilio ſapientum, nec requiſitis deſuper Rege & majoribus regni: Puto qvod homo talis judicio rationis non eſſet ſeqvendus, ſed potius contemtor Regis & violator Jurium regni ab omnibus reputandus. Qvanto magis, qvi conſuetudinem laudabilem, ab univerſali eccleſia circa ſaluberrimum ſacramentum longis temporibus tentam, propria voluntate violat & populum violare ſuadet, inconſultis de eccleſia viris doctiſſimis, & maxime ſuperioribus ſuis, ad qvorum pertinet auctoritatem, non eſt ſeqvendus vel audiendus, ſed ſibi objicienda ſunt quæ ſuperius poſita ſunt, & alia, qvæ Doctoribus occurrunt. Et inſuper illud *Auguſtini in libro Confesſionum*, dicentis: *Quæ ſunt contra mores hominum, quaſi flagitia ſunt vitanda pro morum diverſitate, ut pactum inter ſe gentis aut civitatis, aut conſuetudine aut lege firmatum, nulla civis aut peregrini libidine violetur. Turpis eſt enim omnis pars univerſo ſuo non congruens.*

Expliciunt Solutiones & Concluſiones ſuper auctoritates poſitas per Jacobum de Miſa, *pro communione laicorum ſub utraque ſpecie: Editæ & approbatæ Conſtantiæ*, per Magiſtros & Doctores, ibidem pro tunc in generali concilio exiſtentes: Quod non licet, laicos ſub duplici ſpecie communicare. Et ſic eſt finis. Amen.

Subſcriptio in codice Vindob.

Digitized by Google

TOMI III. PARS XXIII.

INterea, quod in Bohemia *ritus adminiſtrandi ſacramentum ſub utraque ſpecie*, à Jacobello commendatus, exerceretur, in controverſiam ab aliis Doctoribus vocaretur, imo & in Concilio condemnaretur: Subortæ mox inter ipſos Jacobitas & Bohemos, qui ſub ipſa illa calicis communione, quam amplecterentur, *de exiſtentia veri corporis & ſangvinis Chriſti in Sacramento* diverſimode ſentirent, alii non exiſtere judicantes, alii id aſſeverantes. Quorum illi Wicleſum presſius ſectari viſi, qui transſubſtantiationem impugnaſſet ac repudiaſſet.

Jacobellus itaque, ritus memorati, plebi calicem exhibendi paraſtates præcipuus, ſuam explicaturus mentem, *peculiarem* edidit *libellum*, *De exiſtentia veri corporis & ſangvinis Chriſti in ſacra cœna.* Quo nec *transſubſtantiationem* adſtrueret, quam alio *libro, De remanentia panis poſt conſecrationem in altari*, Wiclefi veſtigiis inſiſtens refutaverat: Nec Wicleſum quoad exiſtentiam corporis Chriſti in Sacramento à ſe diſſenſiſſe, quin ſvaviter ſecum conſpiraſſe, demonſtraret.

Quandoquidem ergo decantata, ac in Conſtantienſi Concilio tam magno molimine verſata, *Jacobelli de Communione ſacramentali doctrina* plene cognoſci haudquaquam poteſt absque hoc illius opuſculo: Integritas antiquæ hiſtoriæ & factorum Conſtantienſis Concilii plena facies, illud quoque exhiberi ceterisque jungi poſtulant. En ergo *Appendicis inſtar* opus antiquum, nunc demum poſt tot ſecula è tenebris in lucem productum.

JACOBI DE MISA, Bohemi,

Eccleſiæ Pragenſis Paſtoris,

Sub Conſtantienſi Concilio ſcriptum

Opus antiqvum

DE VERA EXISTENTIA CORPORIS ET SANGVINIS CHRISTI IN SACRA COENA.

Ex antiquo Codice MSCto

AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS.

h. tit.

Tractatus M. Iacobi de Miſa, Theologi profundi, De exiſtentia vera corporis Chriſti in Sacramento altaris, catholice conſcriptus.

CAP. I.

Propoſitio, & ſententia negativa aliorum, verum Chriſti corpus non exiſtere in ſacramento.

UTrum ex fundamento ſcripturæ ſacræ & teſtimonio antiquorum ſanctorum poſſit oſtendi, vel credi debeat, quod in ſacramento altaris corpus Chriſti, de Virgine natum, paſſum, &c. ſit in ſua propria exiſtentia vel natura?

Arguitur, quod non. Quia ex fide ſcripturæ conſtat, & teſtimonio antiquorum ſanctorum, quod corpus Chriſti, de virgine natum, paſſum, mortuum in cruce, poſt reſurrectionem aſcendit in cœlum, & ibi ſedet ad dextram patris, & inde non deſcendet, niſi ad judici-

um

um finale, uti patet per *Auguſtinum, De Conſecr. diſt. 2. c. 43. Prima quidem hæreſis.* Ubi ſic dicit: *Donec ſeculum finiatur, ſurſum eſt Dominus. Sed tamen hic etiam nobiſcum eſt veritas Domini. Corpus enim in quo reſurrexit, in uno loco eſſe oportet. Veritas autem ejus ubique diffuſa eſt.*

CAP. II.

Jacobelli ſententia affirmativa.

PRo veritate autem quæſtionis eſt fides totius eccleſiæ catholicæ & univerſalis, tenentis, quod ſibi donatum eſt gratioſè, pro magno munere, corpus Chriſti de virgine natum &c. exiſtens in ſua propria natura, ad manducandum, & ſangvis ad bibendum, ut infrà patebit. Igitur quæſtio vera.

Præmiſſa proteſtatione laudabili & conſveta: *Primo* noto de *eſſe in exiſtentia vel natura*, ut tangitur in titulo quæſtionis: Quod quælibet creatura habet multipliciter *eſſe*, nunc in cauſis ſuis univerſalibus, nunc in cauſis ſuis materialibus, nunc in ſuis effectibus. Quod oſtendere eſſet longum, & à propoſito declinare. Unum tamen breviter dico, quod *qualibet creatura habet eſſe vitale in Deo*, juxta illud *Johann. I. quod factum eſt, in ipſo vita erat.* Et proportionaliter res habent eſſe in aliis ſecundis cauſis ſive in ſuis effectibus. Rem autem ſic eſſe non eſt eam *eſſe in propria exiſtentia ſua*, quod à propoſito excluditur. Sed eſſe rem *in ſua exiſtentia vel natura*, ut in quæſtione tangitur, diceretur *eſſe*, de quanto eſſet *extra primam cauſam vel alias cauſas ſecundas*, ſive *extra ſuos effectus alios*, à ſe ſibi condiſtinctos ſecundum propriam eſſentiam vel naturam. Ut quodlibet extra primam cauſam vel Deum, & extra ſuos poſteriores effectus eſt.

Patet hoc ex quid nominis hujus verbi *exiſtere*. Nam *exiſtere* dicitur quaſi *extra ſiſtere*.

Noto *ſecundò*, quod licet corpus Chriſti uno modo capiatur pro corpore Chriſti myſtico, ut ex auctoritatibus ſanctorum patet: Et licet ſecundum Scholaſticos Doctores *varios modos eſſendi* dicatur habere corpus Chriſti: Tamen in propoſito corpus Chriſti volo ſumere pro *corpore naturali Chriſti*, nato de virgine, paſſo &c. ut tangitur in titulo quæſtionis.

CAP. III.

Sex hypotheſes, quibus nixa affirmativa Iacobelli ſententia.

SUppoſitio prima. Quod in iſta materia, propter altitudinem myſteriorum quæ ſuperant vires meas, non intendo aliquid dicere ex propriis ſive ex me ipſo. Sed *ex fundamento ſcripturæ ſacræ*, ut tangitur in titulo quæſtionis: *Nam fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter illud, quod poſitum eſt, quod eſt Jeſus Chriſtus: Et ex teſtimonio antiquorum ſanctorum*, quantum potero cum Dei auxilio, conabor proſequi hanc materiam. Juxta illud *Eccleſiaſt. XXXI. Sapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens, & in Prophetis vacabit, narrationem virorum antiquorum conſervabit.* Si etiam *Dionyſius, libro de divinis nominibus*, noluit de divinis aliquid dicere, niſi accepiſſet à ſuis divinis ducibus, ſcilicet Apoſtolis: Non etiam aliquid ex meis ſenſibus incautè vel præſumtuoſè eſt loquendum in iſta tàm alta materia.

Unde *Hilarius L. VIII. de Trinitate* ſic ad propoſitum dicit: *Non autem humano ſeculi ſenſu in Dei rebus loquendum, neq; per inſolentiam atque imprudentem præconem cœleſtium dictorum fatuitate aliena atque impia intelligentia extorquenda eſt perverſitas.* Item *Bernhardus in ſermone ad Petrum: Mira*, inquit, *mihi videntur, quæ leguntur de ſacramento iſto. Fides eſt neceſſaria, ſcientia rationis ſupervacanea.* Et infra: *Hæc ſunt ergò, quæ neceſſario fidem exigunt, rationem omninò non admittunt, expetunt ſimplicem creditorem, arguunt improbum diſcuſſorem. Hic mordeat lingua fallax, Sophiſta taceat Ariſtotelica documenta. Credi namque oportet ſalubriter, quod inveſtigari non videtur utiliter.*

Puteus

Puteus enim altus eſt ultra modum, in quo hauriamus, nusquam invenimus. Hic eſt iſte torrens, quem tranſvadare non potuit Propheta.

Ideo derelicti à ſpiritu Dei, in ſuis naturalibus corruptis circa magnitudinem hujus myſterii ingenia ſua præſumtuoſe occupantes, contra apoſtolicam prohibitionem volentes plus ſapere, qvam oportet, facilius & periculoſius ſolent vel aberrare vel in qvandam ambiguitatis & perplexibilitatis charybdim incidere, & à fidei charitate everſi qvaſi innitendo arundini vacillare.

Unde invocandus eſt nobis ſpiritus veritatis, ut nos in iſta materia doceat fidei veritatem. Sic enim *Auguſtinus libro manuali*, alias *ſpeculo*, oravit, ne erraret circa hoc diviniſſimum ſacramentum, ſic dicens: *O myſterium ineffabile, & præ ceteris intellectu difficile. Reliqua vero ſacramenta, quæ tenentur in eccleſia tua, Domine, ſtupenda ſunt & veneranda. Sed iſtud tui ſacramentum præcellit univerſa, hoc nempe tuum individuæ Trinitatis myſterium & illud cœleſtis menſæ ſacramentum, quæ fideles & pias animas paſcit carne, & potat ſanguine, ne eſuriant neque ſitiant in æternum, fac me, Deus meus, pura & ſimplici conſcientia præcipue inter cetera ſentire, & credere, ſumere & retinere. Ne ſinas, quæſo, Domine, in eis fidem meam aliquatenus vacillare, ſed ita ſemper de eis & in eis pro tua tribuas pietate mihi credere & intelligere, ſicut veritas eorum ſe habet. Et infra: Imbue cor ſervi tui, & fave votis meis, pie Domine, ut ipſo mentis palato ſentiam guſtare ſapientiam, hoc ineffabile ſacramentum. Magna enim ſunt & mirabilia valde, & ego parvulus in eorum conſideratione deficio, quoties ad intuenda ea fidei oculos attollo.* Hæc Auguſtinus.

Quanto magis mihi eſt hic orandum, ne aliqvid dicam ex mea coruptela ſine ſpiritu Dei, qvia neqvicqvam neqvius, qvam qvod excogitavit caro & ſanguis.

Suppoſitio ſecunda.

Corpus Chriſti de virgine natum, in cruce paſſum & mortuum, eſt in ſua propria exiſtentia, ſive exiſtit in ſua propria natura, ſicut etiam alia creatura, vel melius qvam alia creatura corporea, & ut habitet in nobis usqve in finem.

Hoc patet ex fide ſcripturæ. Non enim poſſet eſſe corpus de ſpiritu ſancto conceptum, natum, paſſum, in cruce mortuum, reſurgens, nec ſedere ad dexteram Patris, niſi exiſteret. Etiam quia Chriſtus deſcendit de cœlo & exivit à Patre, & venit in hunc mundum per incarnationem & exiſtentiam veram corporis aſſumti, ut docet fides evangelica.

Ex qvo ſeqvitur, qvod corpus Chriſti veniens in hunc mundum exiſtit inter homines & cum hominibus fidelibus usqve ad conſummationem ſeculi. Eo, qvod verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.

Suppoſitio III.

Corpus Chriſti à ſpiritu ſancto conceptum, natum, paſſum, mortuum &c. ſic ad nos in mundum deſcendens, & nobiscum manens, eſt panis vivus, datus animabus fidelibus ad manducandum. Eadem ratione ſanguis ad bibendum.

Patet, qvia de qvanto ſic per incarnationem verbi deſcendit & venit in mundum ad nos à Patre exiens, de tanto exiſtit nobiſcum, & eſt panis vivus animarum, ipſo dicente: *Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendit.* Ubi ſignanter iſta duo junguntur ſimul in evangelio, ſcilicet ipſum *deſcendere de cœlo*, per incarnationem inter nos exiſtere, & ipſum *eſſe panem vivum*, datum ſcilicet fidelibus ad manducandum. Ad innuendum, qvod, ipſum corpus Chriſti eſſe panem vivum, datum ad manducandum fidelibus animabus, *præſupponit* ejus, ſcilicet *corporis Chriſti, veram exiſtentiam in ſui natura.* Quaſi diceret: Ego, qvi de cœlo deſcendi per incarnationem, & exivi à patre & veni in hunc mundum, exiſto per corpus inter homines, & per exiſtens corpus ſum panis vivus datus ad manducandum fidelibus. Uti patet ex notabili ſuperius poſito, ex qvid nominis exiſtentiæ corporis Chriſti. Ex qvo patet, qvod corpus Chriſti non ſolum *V. ſupra Cap. 2.*

Digitized by Google

ſecundum aliqvam gratiam aliam condiſtinctam à ſe, ſed ſecundum ſuam propriam exiſtentiam eſt panis vivus, datus ad manducandum fidelibus, & ſimiliter ſanguis ad bibendum.

Suppoſitio IV.

Quod *de* illo *vero corpore ſuo* exiſtente, qvod in cœna tradidit diſcipulis ſuis, dixit: *Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur:* Similiter *de vero ſanguine* dixit: *Bibite ex hoc omnes, hic eſt ſanguis meus.* Prius autem docuit diſcipulos & eccleſiam, qvomodo debeant *credere de corpore & ſanguine ejus, & de manducatione & bibitione eorundem*, ad hoc deſiderium ipſorum excitando, uti patet *Johannis VI.* Sic qvod, qvæcunqve geſta ſunt vel dicta *de corpore & ſanguine in cœna Domini, de eisdem in numero* prius dicta ſunt *Joh. VI.*

Patet per *Auguſtinum, Hieronymum, Ambroſium, Hilarium, Remigium*, & alios ſanctos infra allegatos. Et tota eccleſia videtur ſic tenere. Unde *Albertus M. tractatu de corpore Chriſti*, ſic dicit: *Unde antequam cibus iſte daretur, oportuit, quod deſiderium famis in ipſum excitaretur, ſcilicet per doctrinam Chriſti evangelicam, & ſentiret homo, quod ſine iſto edulio reparari non poterat.* Ex qvo ſeqvitur, qvod *utrobique* in verbis Chriſti, ſive *Johannis VI.* ſive *in cœna Dominica, ſignificatur idem corpus Chriſti in ſua exiſtentia ſive natura*, qvod ſcilicet conceptum eſt de ſpiritu ſancto, natum ex Maria virgine, paſſum & mortuum.

Suppoſitio V.

Domino Jeſu Chriſto, noſtro Salvatore, veniente in hunc mundum ad nos, & converſante cum hominibus usqve ad mortem, ut ex ſcriptura ſacra & teſtimonio antiqvorum ſanctorum oſtenditur, *corpus Chriſti* de ſpiritu ſancto conceptum, natum ex Maria virgine, paſſum &c. exiſtens in natura ſua corporea, *habuit duplicem vitam*, ſcilicet *vitam ſpiritualem & divinam* inviſibilem, aliam *animalem, mortalem*, viſibilem, mole magnam, extenſam.

Patet hoc *primo.* Quia Chriſtus ſecundum humanitatem totam, & per conſeqvens non ſolum ſecundum animam, ſed etiam ſecundum corpus, erat Mediator inter Deum & hominem, tanqvam inter duo extrema. Ergo neceſſe erat ipſum Dominum noſtrum etiam ſecundum corpus ſuum proprium exiſtens participare de utroqve extremo, ut adeo eſſet caro corporis divina & ſic haberet vitam ſpiritualem, divinam, inviſibilem & immortalem, ex unione Deitatis hypoſtatica ad ipſam carnem; Et ex parte hominum, ut aptius eis converſaretur habuit vitam animalem, mortalem, viſibilem, mole magnam ſive extenſam.

Et præſertim probatur, qvod illud corpus Chriſti exiſtens habuit vitam ſpiritualem divinam, inviſibilem & immortalem, primo per iſtud *Joh. I. Verbum caro factum eſt & habitavit in nobis.* Ubi notatur unio hypoſtatica in verbo carnis cum Deitate, ex qva iſta caro ab ea fuit deificata. Et per conſeqvens, qvia verbum illud eſt fons vitæ, ideo ab eo & ex ejus unione ad carnem ipſa caro habuit vitam ſpiritualem & divinam, inviſibilem & immortalem. Quod clarius patet *Johann. VI.* ipſo ſic dicente: *Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi*, iſto adjuncto: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Ex qvo habetur, qvod, ſicut Chriſtus deſcendit de cœlo, per incarnationem factus caro, in ejus propria exiſtentia extra Deũ, ſic de cœlo deſcendens in exiſtentia carnis factus eſt panis viv᷒, ſecundũ carnem exiſtentem datus fidelibus ad manducandum. Et per conſeqvens iſta ſua caro facta eſt panis vivus electis animabus. Quia ſecundum vitam animalem, mortalem, non poteſt eſſe cibus animarum. Qvia talis vita carnalis non prodeſſet qvicqvam ſi carnaliter manducaretur. Ideo oportet ut habeat vitam ſpiritualem & divinam in cibandis & vivificandis animabus.

Item, qvia talis caro Chriſti exiſtens panis vivus dat vivere æternaliter animabus fidelibus digne ſumentibus. Qvod non facit iſta eadem caro ſecundum vitam animalem, mortalem, ſecundum qvam non dat vivere niſi mortaliter, temporaliter, carnaliter, viſibiliter. Igitur oportet, qvod iſta caro Chriſti, exiſtens panis vivus & dans vivere

Digitized by Google

vere æternaliter animabus electis, digne ſumentibus, habeat vitam ſpiritualem, divinam, immortalem, æternam, inviſibilem, ſecundum qvam vivit à prius æternaliter, & ſic animas vivificat in æternum, juxta illud *Johannis VI. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et confirmatur per iſtud iterum *Johannis VI. Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter patrem, ita &, qui manducat me, vivet propter me.* Ubi notatur, qvod Chriſtus tam in divinis æternaliter, qvam in humanitate vivit, tam in anima, qvam in corpore, vita divina, ſpirituali, inviſibili. Et hoc propter patrem ſive ex patre, id eſt propter unitatem ad patrem divinitus, & unionem Deitatis ad humanitatem, tam ad animam, qvam ad corpus. Et per conſeqvens etiam caro exiſtens ſic unita Deitati habuit vitam ſpiritualem & divinam propter Deum & ex Deo. Sic, ut qvi digne manducat iſtam carnem, exiſtentem panem vivum, ſecundum vitam ſpiritualem divinam, viveret etiam vita ſpirituali divina participative ex iſta carne ſic exiſtente unita Deitati. Ipſo adjiciente: *Et qui manducat me*, ſcilicet ſecundum carnem & ſecundum ejus vitam ſpiritualem & divinam, *& ipſe vivet propter me.*

Quod autem iſta eadem caro individua Chriſti habuit etiam vitam animalem mortalem, viſibilem, mole magnam ſive extenſam, probatur. Quia aliter non potuit bene converſari cum hominibus & videri ab eis, juxta illud *Baruch. III.* Poſt hoc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt. Nec aliter niſi in iſta vita animali, mortali, potuiſſet corporaliter eſurire, ſitire, creſcere, pati & mori. Nec etiam aliter, cum in forma Dei eſſet, exinaniviſſet ſemetipſum, formam ſervi accipiens, ſecundum quam vitam habitu inventus eſt ut homo, & ſecundum quam dictus agnus Dei, & ſicut ovis ad victimam ductus eſt. Secundum quam vitam animalem & mortalem dictum eſt de eo prophetice, *Eſaia LIII. Non eſt ſpecies ejus, neq; decor. Et vidimus eum, & non erat ei aſpectus, nec deſideravimus eum deſpectum & noviſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus ejus, unde nec deſideravimus eum.* Et infra: *Et nos putavimus eum quaſi leproſum & percuſſum à Deo & humiliatum. Ipſe enim vulneratus eſt propter iniquitates noſtras.*

Sed de vita ſpirituali & divina ejusdem carnis dicitur iterum *Johann. VI. Verba quæ locutus ſum vobis, ſunt ſpiritus & vita*, id eſt, intelligatis verba mea de corpore meo, de quanto habet vitam ſpiritualem, & divinam & immortalem, & non de quanto habet vitam animalem mortalem, ſeparabilem, vel extenſam. Unde ſcribitur: *Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quicquam*; id eſt ſpiritualis eſt vita & non carnalis, cum qua vel vel ſecundum quam ſumitur caro Chriſti divina.

Hoc autem reſponſum eſt ex fundamento ſcripturæ ſacræ.

Sed ne videar ſcripturam hanc trahere aliter, quam prætendit ſpiritus, reſtat *ex teſtimonio antiquorum ſanctorum* hoc idem oſtendere ad prædictum ſenſum ſpiritus ſancti, ſcilicet *de duplici vita, ſpirituali divina, & animali & mortali* ſeu ſenſuali *corporis Chriſti* exiſtentis.

Et patet primo per *B. Hieronymum De conſ. diſt. ſecunda. Dupliciter.* Ubi ſic dicit: *Dupliciter intelligitur caro Chriſti & ſanguis: Vel ſpiritualis illa atq; divina, de qua ipſe ait: Caro mea vere eſt cibus & ſanguis meus vere eſt potus. Et, Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: Videl. caro ea, quæ crucifixa eſt, & ſanguis, qui militis effuſus lancea.* Ubi Archidiaconus, gloſſator famoſus & approbatus, ſic dicit: *Nota. Non quod duplex eſt caro, ſed dupliciter intelligitur. Ut illa ſpiritualis & divina, dum eſt in ſacramento ſpiritualiter & divinitus intellecta, Unde dic, quod una & eadem caro ſive corpus dupliciter intelligitur, ſcilicet in ea forma, in qua eſt crucifixa, Alio modo, quod latet operta ſub ſpecie panis & vini.*

Et eodem modo poteſt intelligi *Paſchaſius de corpore Chriſti c. 6.* ubi poſt unam & ſecundam acceptionem corporis Chriſti pro myſtico corpore ſanctæ matris eccleſiæ, ponit prædictos duos modos corporis Chriſti naturalis: Scilicet

Digitized by Google

licet, quod uno modo ſumitur corpus Chriſti ſecundum vitam divinam & ſpiritualem, alio modo ſecundam vitam animalem & mortalem. Et ſic adjective corpus Chriſti ſecundum vitam divinam ſpiritualem eſt aliud à corpore eodem ſecundum vitam animalem mortalem: Sed tamen neutraliter & ſubſtantive idem corpus eſt in numero, ſubſtantialiter, ſingulariter & individualiter.

Patet idem per *Auguſtinum* iterum, de *Conſecration. diſt. 2. Non hoc corpus, quod videtis manducaturi eſtis, & bibituri iſtum ſanguinem, quem effuſuri ſunt illi, qui me crucifigent. Ipſum quidem, & non ipſum, inviſibiliter & non ipſum viſibiliter. Et ſi neceſſe eſt illud celebrari viſibiliter, neceſſe tamen eſt inviſibiliter intelligi.*

Idem *Auguſtinus*, De vita corporis Chriſti animali & mortali, *Libr. V. contra Julianum* ſic dicit: *Caro Chriſti mortalitatem de mortalitate materni corporis traxit: Quia mortale corpus ejus invenit. Contagiũ vero peccati originalis non traxit. Quia concumbentis concupiſcentiã nõ invenit.*

Item de ſpirituali vita & divina corporis Chriſti *Chryſoſtomus ſuper Johannem*, de hoc, quod dicitur, *Nam quæ locutus ſum vobis, ſunt ſpiritus & vita*, dicit ſic: *Quid autem eſt ſpiritus, id eſt, ſpiritualia ſunt, nihil habentia carnale, nec conſequentiam naturalem, ſed eruta ſunt ab omni tali neceſſitate, quæ inter illa, & à legibus, quæ hic poſita ſunt; Alium autem habent intellectum & altiorem. Sic igitur hic ſpiritum dixit per hoc, id eſt ſpiritualia.* Et infra: *Si enim ea quis carnaliter exceperit, in nullo ei proſunt.* Et infra: *Quid autem eſt carnaliter intelligere? Hoc eſt ſimpliciter, in ea, quæ poſita ſunt, videre, & non plus quid imaginari. Oportet autem non ita judicare de his, quæ videntur, ſed myſteria de his quæ intus ſunt, oculis inſpicere, hoc eſt ſpiritualiter.* Hæc Chryſoſtomus.

Ex quibus poteſt elici, quod caro Chriſti ſecundum vitam divinam & ſpiritualem non ſolum poſt reſurrectionem vel aſcenſionem fuit aliquo modo ſoluta à legibus carnis iſtius, quam de Maria virgine ſumſit, cum qua rediit ad ſuam divinam claritatem, & intravit in gloriam ſuam, egreſſaque eſt à communi lege omnis mortis finaliter, & corruptela carnis univerſæ ablata, imitatur filium Dei, quocunque iverit & voluerit, in claritatem Deitatis, & in ſpiritum omnipotentem, & vitam divinam, immenſam, & æternam, transformatam perfecte, & omnes proprietates divinæ naturæ & attributiones, cum omni plenitudine eſt inducta, manente tamen natura corporis in ſua propria exiſtentia. Ad quem ſenſum *Paſchaſius dicit c. 21. Quia Deus ſpiritus eſt, ideo hæc myſteria non carnalia, licet caro & ſanguis ſit, ſed ſpiritualia intelliguntur.*

Et hoc intelligitur, quando allegatur Fulgentius, autor de divinis officiis, ubi ſic dicit: *Ad hoc inquam obſecro te, quam in corpore Domini vitam requiris? Eſt enim vita animalis, eſt & vita ſpiritualis. Animalis vita quinque ſenſibus fungitur, ſcilicet viſu, auditu, tactu &c. Hæc vita animalis caro eſt, Dominus autem dicit Joh. VI. Quod caro non prodeſt quicquam. Si enim Judæi carnem quam crucifixerunt, concidere, devorare, ſicut carnem agni, maluiſſent, aut potuiſſent integram vivamq; abſorbere, ſicut cete maris vivum abſorbuerat Jonam: Nec illa profuiſſet. Imo majori ſacrilegio conſcientias ſuas polluiſſent. Animalis ergo vita, quia caro eſt, ſi in corpore adhuc Domini adeſſet, nihil nobis prodeſſet. Ac propter hoc iſtam requirere ſuperfluum eſt.* Et infra. *Solam ergo vitam ſpiritualem nobis in ſacrificio adminiſtrare ſapientiam Dei decebat, & noſtra neceſſitate expediebat, quæ eſt ſanctificatio & benedictio, miſericordia & veritas, juſtitia & pax.* Et infra: *Hæc autem ejus vita ſpiritualis ſic eſt in corpore ſacrificii abſque vita animali, quomodo lux ſolis abſq; calore ejus in corpore Lunæ nobis præſentatur.* Hæc ille.

Non, quod vita ſpiritualis, divina, corporis Chriſti, eſſet in ſacramento, ſine exiſtentia corporis Chriſti: Quoniam vita divina & ſpiritualis corporis Chriſti ineſt inſeparabiliter & perpetuæ exiſtentiæ corporis Chriſti: Sed, quod *corpus Chriſti vere exiſtit ſecundum vitam ſpiritualem divinam in ſacramento*, ut infra patebit.

Ex qua *auctoritate* patet, quod in cor-

pore

pore Domini fuit vita animalis & ſpiritualis divina: Et, quod iſta caro Domini Jeſu Chriſti exiſtit in ſacramento non ſecundum vitam animalem, ſed ſecundum ſpiritualem & divinam. Non autem ſequitur: Iſta vita ſpiritualis & divina corporis exiſtentis, eſt ſanctificatio, benedictio, miſericordia & veritas, juſtitia, & pax: Ergo ibi corpus Chriſti non exiſtit in ſacramento cum vita ſpirituali & divina. Nam & Chriſtus eſt redemtio & vita & pax & propitiatio & veritas & juſtitia: Et tamen non ſequitur, quod ergo non ſit ſubſtantia corporea, vel intellectualis, vel corpus ſuum in ſacramento. Tales enim *locutiones* fuerunt, *in quibus cauſa ponitur de ſuo effectu*, vel è contrario, ſecundum quandam habitudinem.

Item *exemplum* in *auctoritate* caute debet intelligi, cum ait: *Hæc autem ejus vita*, ſcilicet corporis Chriſti, *ſic eſt in corpore ſacrificii abſq; vita animali, quomodo lux abſq; calore ejus nobis præſentatur.* Non enim debet capi pro omnimoda ſimilitudine, ſed pro valde remota ſimilitudine, imperfecta. Sicut in qualibet creatura etiam corporea latet & reſulget quodammodo veſtigium exemplare benedictæ Trinitatis increatæ, ex quo veſtigio exemplari creaturæ poteſt fidelis manuduci ad notitiã fidei de benedicta Trinitate increata. Ubi tamen multæ ſunt imperfectiones in creaturis, quæ ex veſtigio exemplari ratione ſimilitudinis non debent attribui benedictæ Trinitati increatæ.

Item, ad idem de duplici vita, ſcilicet divina ſpirituali, & ſecunda animali corporis Chriſti naturalis, eſt *Anshelmus libro ſuo de corpore Chriſti*, *c.* 2. conformiter ad ſupra dicta. *Dupliciter*, inquit, *intelligitur caro Chriſti, ſcilicet ſpiritualis iſta atq; divina, de qua ipſe dicit: Caro mea vere eſt cibus, & caro, quæ crucifixa eſt & ſepulta. De carne iſta priori, quæ crucifixa eſt, procedit hæc altera, ſcilicet ſpiritualis & divina. Et ſecundum pſalmiſtam: Educit Deus panem de terra: Cum à terreni corporis agro, quod humanitus à nobis aſſumſit, myſterium profert cœleſtis panis ac ſalutaris poculi, quo reficitur eccleſia. Et corpus Domini, quod mortuum eſt, in evangelio granum frumenti vocatur. Illa autem myſtica eſt caro, id eſt ſpiritualis & divina. Alia ſcilicet eſt, quo ad aliam vitam, non autem alia vel aliud ſubſtantialiter, ad quam diſcipulos hortans Dominus dicebat: Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ſanguinem Domini &c.* In qua auctoritate *Anshelmi* innuitur, quod corpus Chriſti ſecundum vitam ſpiritualem divinam latuit prius in vita animali, mortali, & poſtea exivit in publicum, quando hoc magnum ſacramentum proditum eſt in gentibus & creditum eſt in mundo.

Ex quo patet veritas ſuppoſitionis *de exiſtentia corporis Chriſti in ſua natura, ſecundum duplicem vitam*, ſcilicet *animalem & mortalem*, alteram *divinam & ſpiritualem*, in qua habitat plenitudo divinitatis corporaliter, ſecundum Apoſtolum.

Ex quo ſequitur, quod corpus Chriſti in ſua natura ſive exiſtentia potuit exiſtere non ſolum ſimul ſecundum vitam ſpiritualem divinam pariter & animalem, ſed etiam ſecundum vitam ſpiritualem & divinam tantum potuit exiſtere alicubi non coëxiſtente vita animali mortali. Sicut ſuo modo lux ſolis abſque calore ejus in corpore Lunæ nobis præſentatur, ut ſupra eſt allegatum.

Secundo ſequitur ex ſupradicta ſuppoſitione, quod corpus Chriſti in ſua propria exiſtentia, ſecundum vitam ſuam ſpiritualem & divinam, poteſt eſſe in diverſis locis ſimul & ſemel.

Patet: Quia, ut ſupra dictum eſt, corpus Chriſti ſecundum iſtam vitam ſpiritualem divinam non ſubjacet legibus & conditionibus terreni corporis, mole magni & extenſi. Ergo ſecundum iſtam vitam divinam non clauditur loco, neque terræ neque aliis terrenis inferioribus imperfectionibus. Idcirco hoc corpus exivit de virgine intacta & non corrupta, & de ſepulchro, lapide nondum ſemoto, reſurrexit, & poſtea diſcipulis, clauſis januis, apparuit: Alia plura ſupra naturam terreni corporis oſtendit: Significans, quod illud corpus ut ſic ſecundum iſtam vitam legibus & conditionibus terreni corporis

ris

Digitized by Google

ris jam non ſubjacet, nec prius ſubjacebat ſecundum vitam divinam & ſpiritualem.

Suppoſitio VI.

Quod ſicut corpus Chriſti exiſtens olim in hoc mundo, ubicunque & qvandocunque & in quocunque fuit ſecundum vitam naturalem, etiam fuit in propria exiſtentia, eo, quod ibi ſemper vita animalis præſupponebat ejus exiſtentiam propriam extra Deum & alios effectus extrinſecos: Sic, a ſimili vel à fortiori, ubicunque & quandocunque & in quocunque corpus Chriſti naturale fuit ſecundum vitam ſuam ſpiritualem & divinam, ibi vere fuit, imo verius in ſua propria exiſtentia, quam ſecundum vitam animalem.

Patet hoc. Quia corpus Chriſti eſſe vel fore ſecundum vitam ſpiritualem divinam, eſt melius & nobilius eſſe, qvam eſſe ſecundum vitam animalem. Et quia vita animalis corporis Chriſti præſuppoſuit exiſtentiam corporis Chriſti: Ergo à fortiori, ubicunque eſt vel fuit vita ſpiritualis divina corporis Chriſti, quam contraxit corpus Chriſti ex unione hypoſtatica Deitatis, ibi iſta vita ſpiritualis divina præſupponebat & præſuppoſuit ſemper exiſtentiam corporis Chriſti. Quia corpus Chriſti non poterat eſſe illa vita, panis vivus, niſi exiſteret & à Patre exiret, ut ſupra declaratum eſt.

Et conſequenter: Quandocunq;, & ubicunq;, vel in quocunque, caro animalis naſcitur, patitur, vel occiditur, vel comeditur, vel in aliquo vaſculo reponitur ad comedendum, tunc ibi iſta caro eſt in ſua propria exiſtentia. Sic à ſimili vel majori, Ubicunque, vel quandocunque, corpus Chriſti ſecundum ſuam vitam ſpiritualem divinam eſt vel reponitur, ibi eſt vel reponitur in ſua propria exiſtentia.

Item, Vita ſpiritualis eſt inſeparabilior exiſtentiæ corporis Chriſti, quam vita animalis, mortalis. Igitur &c.

Ex quo ſequitur, quod corpus Chriſti, extra Deum hic nobiſcum exiſtens, ubicunque, quandocunque & in quocunque fuit, & eſt, & erit, ſecundum vitam ſpiritualem divinam ex Deitate ſibi unita, ibi ſemper fuit, & eſt & erit in ſua propria exiſtentia. Patet hoc ex ſuppoſitione ſupra dicta, & ex hoc, quod verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis,

CAP. IV.

Teſtimonia Scripturæ pro probanda exiſtentia corporis Chriſti in S. Cœna, à Jacobello allata.

Concluſio reſponſalis ad qvæſitum. Ex *fundamento ſcripturæ ſacræ & ex teſtimonio antiquorum ſanctorum* oſtendi poteſt, & credi debet, qvod *in ſacramento altaris eſt verum corpus Chriſti in ſua propria exiſtentia*, de virgine natum, paſſum &c. Et hoc non ſecundum vitam animalem mortalem, ſed *ſecundum vitam ſpiritualem divinam.*

Patet *ex fundamento ſcripturæ ſacræ.* Corpus Chriſti verum exiſtit, ſcilicet extra Deum, & alias cauſas & ſuos effectus, in ſua propria exiſtentia, vel natura. Et ſic exiſtens eſt panis vivus, datus fidelibus animabus ad manducandum ſecundum vitam ſpiritualem divinam, ut ſupra oſtenſum eſt.

Modum autem *hujus manducationis* Salvator oſtendit *verbo & facto*, qvando *in cœna ſua Dominica accepit panem, gratias agens fregit, dedit & benedixit, dicens, accipite & comedite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur.*

Ubi *ſub forma panis* tanqvam ſub velamento dicit ſe dare & diſcipulos accipere *corpus ejus verum*, qvod tradendum erat pro eis. *Non aliud corpus, niſi quod tradebatur pro eis*, præcepit eis accipere & manducare.

Et eadem eſt *ratio de bibitione ſanguinis ejus.*

Patent iſta diligenter intuenti omnia ſupra dicta. Item, Sicut olim corpus Chriſti, exiſtens in mundo, ubicunqve, qvandocunqve, in qvocunqve fuit ſecundum vitam animalem, mortalem, ibi fuit in propria exiſtentia vel natura: Sic, à ſimili vel fortiori, ubicun-

bicunqve, qvandocunqve, & in qvocunqve, ut, gratia exempli, jam in ſacramento altaris, eſt corpus Chriſti ſecundum vitam ſuam ſpiritualem divinam, ibi vere eſt in propria exiſtentia, ut oſtendit ſuppoſitio ſexta. Sed hic in ſacramento altaris Chriſtus dat corpus ſuum, panem vivum exiſtens, ad manducandum ſecundum vitam ſpiritualem divinam. Ergo ibi, ſcilicet in ſacramento, corpus Chriſti, de virgine natum, eſt in ſua propria exiſtentia. Nam Chriſtus, dicendo: *Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur,* præcepit accipere & manducare *non aliud corpus, niſi quod eſt traditum in cruce,* qvod utiqve præſupponit exiſtentiam ſuam. Igitur concluſio vera.

Et patet hæc concluſio ex fundamento ſcripturæ, ſcilicet ex evangelio *Johannis VI.* in multis paſſibus, & ex dictis & geſtis Domini Salvatoris.

Undè *gloſſa ordinaria* ſuper iſto 1. *Cor. XI. Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur,* dicit: *Hoc, quod aliud videtur eſſe corpus meum, illud idem ſubſtantialiter, quod pro vobis tradetur: Et hic calix eſt novum teſtamentum. Quaſi diceret: Id, quod continet hic calix, eſt meus ſanguis, in quo effuſo confirmatur novum teſtamentum.*

CAP. V.

Teſtimonia Patrum pro exiſtentia veri corporis Chriſti in S. cœna.

PAtet etiam eadem iſta concluſio catholica *ex teſtimonio antiquorum ſanctorum.*

Et primo per auctoritatem *B. Hieronymi* ſuperius allegatam, *de conſecrat. diſt.* 2. *Dupliciter.* Ubi dicit: *Quod dupliciter intelligitur caro Chriſti & ſanguis &c.* Ibi utiqve Hieronymus loqvitur de corpore Chriſti & ſanguine exiſtente in ſacramento altaris ſecundum vitam ſpiritualem & divinam. Et illa verba: *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Et, Niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis;* intelligit de corpore & ſanguine Chriſti, exiſtentibus in ſacramento altaris ſecundum vitam ſpiritualem & divinam, qvam Chriſtus dedit & dat ſuis ad manducandum & bibendum.

Et ſic eum, ſcilicet Hieronymum, exponit *Archidiaconus*, dicens: *Non quod duplex ſit caro Chriſti, ſed quod dupliciter intelligitur. Ut illa ſcilicet ſpiritualis & divina dicatur, dum eſt in ſacramento,* ſcilicet ſpiritualiter & divinitus intellecta, &c. ut ſupra.

Et hoc idem patet per *Auguſtinum* ſuperius allegatum: *Non hoc*, inqvit, *corpus, quod videtur, ſcilicet exterius oculis carnis in vita animali, manducaturi eſtis, & bibituri ſanguinem, quem effuſuri ſunt iſti, qui me crucifigent. Ipſum quidem & non ipſum. Ipſum inviſibiliter, ſcilicet ſecundum vitam ſpiritualem divinam exiſtens ſub forma panis &c. ut ſupra.*

Et idem *Auguſtinus allegatur L. IV. ſententiarum, diſt.* 10. *Sic ſacrificium eccleſia duobus conficitur & conſtare dicitur modis, viſibili elementorum ſpecie & inviſibili Domini noſtri Jeſu Chriſti carne & ſanguine, i. e. ſacramento & re ſacramenti, id eſt corporis Chriſti. Sicut Chriſti perſona conſtat & conficitur ex Deo & homine, cum Chriſtus ſit verus Deus & homo, qui omnes res ſecundum naturam & veritatem in ſe continet, nec ex quibus conficitur.* Hæc ille. Ex qvo patet, qvod ibi corpus Chriſti in ſacramento altaris continetur ſecundum veritatem & naturam.

Item Auguſtinus ſuper Pſalmo XXXIII. homil. 2. *Ferebatur*, inqvit, *Chriſtus in manibus ſuis. Quia cum commendaret ipſum corpus ſuum & ſanguinem, accepit in manus ſuas, quod noverunt fideles, & ipſe ſe portabat quodammodo, cum diceret: hoc eſt corpus meum &c.* Ex quo patet, qvod corpus Chriſti vere ſicut in manibus Chriſti, ſic in manibus ſacerdotum portatur & conficitur, & elevatur, & ad infirmos defertur. Cujus oppoſitum qvidam moderni aſſeverant.

Item *Gregorius Libro Dialogorum IV.* ſic ait: *Eſt quidem in peccatoribus & indignis ſumentibus vera caro Chriſti & verus ſanguis ſecundum eſſentiam, non ſalubri efficacia, id eſt in natura ſua propria exiſtente.*

Patet hoc etiam per *Anſhelmum* & auto-

autorem *Fulgentium*, allegatos, *de corpore Chriſti.* Uterqve enim illorum dicit, qvod *dupliciter intelligitur caro Chriſti*: Conformiter *B. Hieronymo*: Et qvod caro Chriſti ſecundum ſpiritualem vitam & divinam exiſtat in ſacramento altaris, & non ſecundum animalem ſive paſſibilem & mortalem.

Item *Auguſtinus ad Eremitas, in vigilia nativitatis: Craſtina*, inqvit, *die, videbimus Reges mentalibus oculis & humanis, ſub forma panis viſibilis, panem inviſibilem cœleſtem, alia omnia, refectionem beatam, cibum æternæ vitæ, pignus noſtræ redemtionis, hoſtiam ſecularem, quem die craſtino toto affectu manducare debemus. Iſte eſt panis datus populo Iſraelitico, manna dulciſſimum, habens in ſe omne delectamentum, ſummam ſaporis ſuavitatem. Iſte eſt ille panis, datus Eliæ, in cujus fortitudine ambulavit quadraginta diebus. Ille eſt iſte panis, quo cibantur angeli, quo ſaginantur apoſtoli, quo reficiuntur martyres, quo paſcuntur confeſſores, quo nutriuntur virgines, & ſatiantur electi omnes. Panem autem hunc ſiquis digne manducat, non morietur in æternum. Quoniam ſpiritus vita, & ipſe vita eſt. Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit, quem virgo cras nobis præſentabit, quem in gremio portabit, quem in ventre habet.* Hæc ille. Ex qvibus verbis patet, qvod Auguſtinus corpus Chriſti hic vocat panem inviſibilem ſub forma panis viſibilis in ſacramento. Vocat etiam ipſum cœleſtem alimoniam, refectionem beatam, cibum æternæ vitæ, pignus noſtræ redemtionis, hoſtiam ſalutarem, quam manducare debemus toto affectu. Ipſum dicit manna dulciſſimum, habens in ſe omne delectamentum, ſummam ſaporis ſuavitatem. Et quod eſſet iſte panis, quo cibantur angeli, ſaginantur apoſtoli, paſcuntur confeſſores, quem virgo in gremio portavit, in ventre habuit &c. Prædicata, quæ huic corpori Chriſti ſunt attributa, præſupponunt ipſius exiſtentiam in ſacramento. Ergo concluſio vera.

Item *Hilarius L. VIII. de Trinitate* inquit: *Si vere verbum caro factum eſt, & vere nos veram carnem in cibo Dominico ſumimus, quomodo niſi naturaliter in nobis manere æſtimandus eſt, qui & naturam carnis noſtræ ad naturam iſtam in ſe permanabilem ſibi natus homo aſſumſit, & naturam carnis ſuæ ad naturam æternitatis ſub ſacramento communicandæ carnis adminiſtrat.* Et infra: *Si vere igitur carnem corporis noſtri Chriſtus aſſumſit, & vere homo ille eſt, qui ex Maria vere natus fuit, nosque vere ſub myſterio carnem corporis ſumimus.* Et infra: *Non eſt autem humano ſeculi ſenſu in divinis rebus loquendum.* Et infra: *Ipſe enim ait: Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus, Et qui manducaverit & biberit* &c. Et infra: *De veritate carnis & ſanguinis non eſt relictus ambigendi locus. Nunc enim & ipſius Domini profeſſione & fide noſtra caro ſua vere eſt cibus, & ſanguis ſuus vere eſt potus. Et hæc accepta atq; hauſta id efficiunt, ut & nos in Chriſto & Chriſtus in nobis maneat. Eſt ergo ipſe in nobis per carnem & nos in eo* &c. Et infra: *Item ſicut miſit me vivens pater, & ego, imo propter patrem. Et qui manducat me, & ipſe vivit propter me, ſive per me. Quomodo per Patrem ipſe vivit, eodem modo per carnem ejus vivimus ſive vivemus. Hæc ergo vitæ noſtræ cauſa eſt, ſcilicet caro. Si ergo nos naturaliter ſecundum carnem per eum vivimus, quomodo niſi naturaliter ſecundum ſpiritum, qui in ſe Patrem habeat, cum vivat ipſe per Patrem.* Et infra: *Cum & per honorem nobis datum filii, & permanentem ſcilicet ipſum in nobis carnaliter, & nos in eo corporaliter, unitatis myſterium veræ ac naturalis unitatis ſit prædicandum.* Hæc ille.

Ex quibus verbis patet *primo*, quod ſicut verbum, caro factum, eſt in ſua exiſtentia quod ſic nos vere verbum carnem factum in ſua exiſtentia in cibo Dominico, id eſt, in ſacramento ſumimus: Sic, quod in ſacramento verbum, caro factum, ſecundum ej' ſcilicet carnis exiſtentiam, & quod ſic verbum, caro factum, dicitur in nobis naturaliter manere. *Item* quod natura carnis ſuæ ad naturam æternitatis ſub ſacramento communicandæ carnis admiſcetur, & per hoc omnes unum ſumus. *Item*, quod iſtam carnem corporis noſtri, quam corpus aſſumſit ſecundum ejus exiſtentiam, nos, vero ſub myſterio, id eſt ſub ſacramento, carnem corporis exiſtentem ſumimus. *Et* quod ſic de hoc intelligitur iſte textus: *Caro mea vere eſt cibus,* &

& ſanguis meus vere eſt potus. Et, Qui manducaverit meam carnem, & biberit meum ſanguinem &c. Et quod de veritate carnis & ſanguinis exiſtentis in ſacramento nihil in verbo Dei, quia verbum caro factum eſt, &c. non eſt relictus ambigendi locus, id eſt, nullus fidelis de hoc debet dubitare, quia nunc ipſius Domini profeſſione & fide noſtra ad prædictum ſenſum catholicum Caro ejus vere eſt cibus, & ſanguis ejus vere eſt potus. Et quod hæc accepta atq; hauſta ſecundum unitatem exiſtentiæ id efficiunt, ut & nos in Chriſto & Chriſtus in nobis maneat, carnaliter, & in eo corporaliter, ſcilicet per carnem ſuam, & per hoc, quod verbum caro factum eſt & habitavit &c. Non inquam, carnaliter ipſe in nobis per ſuam carnem ſecundum vitam ejus olim animalem & mortalem: Hæc enim ad vitam corporaliter & carnaliter recte poſſunt ſumi: Sed *ad ſenſum catholicum* ſuperius expreſſum, ſcilicet ſecundum vitam ſpiritualem & divinam, non ad ſenſum hæreticum, ſecundum vitam animalem & mortalem in Chriſto, ſuperi' declarata.

Cui conformiter loquitur *Paſchaſius* c. 9. *De corpore Chriſti. Nos*, inquit, *patrum veſtigia ſequentes credere oportet, quod Dominus, ex Deo ſubſtantialiter genitus, naturaliter hoc eſt, quod Pater eſt. Ac per hoc pro unitate naturæ Pater & filius eſſe unum probantur. Nec non & Chriſtus hodie in nobis non ſolum per concordiam voluntatis ſed etiam per naturam, ſicut & nos in iſto, manere recte dicitur. Nam ſi verbum caro factum eſt, & nos vere verbum carnem in cibo Dominico ſumimus. Quomodo in nobis Chriſtus manere naturaliter vere non æſtimetur, qui & naturam noſtræ carnis, inſeparabilem ſibi homo natus Deus aſſumſit, & naturam carnis ſuæ ad naturam æternitatis ſub ſacramento hoc nobis communicandæ carnis admiſcuit? Et ideo per hoc omnes in Deo Patre & filio & ſpiritu ſancto unum ſumus. Quia pater in Chriſto & Chriſtus in nobis eſſe* [illegible]. *Hinc igitur eſt, quod & nos in Chriſto naturaliter unum corpus efficimur. Et* [illegible] *patrem in Chriſto naturaliter, conſiteor* [illegible] *eatur eſſe* [illegible]*, quia verbum caro factum eſt,* [illegible] *in illo, ut* [illegible] *per ſacramentum appareat* [illegible]. Et infra: *Vere igitur ſicut per* [illegible] *Deitatis, de qua pater in filio eſt, ita filius Deus per humanitatem carnis in nobis* [illegible] *veraciter dicitur. Ac per hoc mediator* [illegible] *hominum prædicatur. Quia per eum unitatis communionem habemus ad Deum, dum ipſe in Patre manens, & in nobis quoque manere dicitur.* Et infra: *Ecce, iſta duo ſacramenta, quæ efficimus. Per baptiſmum ergo renaſcimur in Chriſto, & per ſacramentum corporis ac ſanguinis Chriſtus in nobis, non ſolum fide, ſed etiam unitate carnis & ſanguinis, manere probatur.* Hæc ille.

Ex quo patet, quod Chriſtus in nobis non ſolum per concordiam voluntatis, ſed etiam per naturam manere dicitur. Et ſi verbum caro factum eſt in exiſtentia carnis, ſic & nos vere verbum, carnem in exiſtentia [illegible] in cibo Dominico, id eſt in ſacramento exiſtens, ſumimus, ſive [illegible] *ſumimus.* Et quod in nobis Chriſtus manere naturaliter dicitur. Et quod naturam carnis ſuæ ad naturam æternitatis ſub ſacramento hoc nobis communicandæ carnis admiſcuit. Et quod Filius Deus per humanitatem carnis in nobis eſſe veraciter dicitur. Et quod ſicut per naturam exiſtentiæ carnis cum exiſtentia Deitatis in ſacramento ſe commiſcuit, ſic Chriſtus in nobis non ſolum fide, ſed etiam unitate carnis exiſtentis & ſanguinis manere probatur, conformiter, ut ſupra Hilarius dicit.

Item *Ambroſius, de conſecr. diſt. 2. Omnia, quæcunque voluit. Caro mea eſt pro mundi vita. Et ut mirabilius loquitur, non alia plane, quam quæ nata eſt de Maria, & paſſa in cruce, quæ & reſurrexit de ſepulcro. Hæc inquam ipſa eſt. Et ideo Chriſtus eſt caro, quæ pro mundi vita adhuc hodie* [illegible]*. Et cum digne percipitur, vita* [illegible] *reparatur.* [illegible] *quem ſumimus in myſterio,* [illegible] *qui manna* [illegible] *eſt in æterna* [illegible] *eſt* [illegible]

quia panis iſte & [illegible]e, non duo, ſed unus panis & una caro, procul dubio unum efficit corpus, iſtud vere, & illud ſane, quod ſumtum eſt de virgine, quod paſſum eſt & ſepultum, & quod reſurrexit, & in cœlum aſcendit & ſedet ad dexteram Dei patris, & quod venturum eſt judicare vivos & mortuos. Hæc ille.

Ex quo iterum patet, quod caro Chriſti reponitur nobis in ſacramento ad manducandum, non alia, quam quæ nata eſt de virgine, & paſſa in cruce, & quæ reſurrexit de ſepulchro. Ipſam autem ſic natam & paſſam præſupponit exiſtere. Ergo vult ille ſanctus, quod *iſta & eadem caro in natura & in ſua propria exiſtentia eſt in ſacramento, quæ eſt nata de virgine, & paſſa in cruce*, non tamen ſecundum vitam animalem ſed *ſecundum vitam ſpiritualem divinam.* Quia ſubdit hic *Ambroſius: Et cum digne percipitur, vita utiq; in nobis æterna reparatur. Panem quidem myſticum, quem ſumimus in myſterio, id eſt in ſacramento, iſtum utiq; intelligo panem, qui manu ſpiritus ſancti formatus eſt in utero virginis, & igne paſſionis decoctus eſt in ara crucis.* Quod utique oportet fieri in natura & in ſua propria exiſtentia. Et quod ſic exiſtens eſt illud *idem, quod eſt ſumtum de virgine, paſſum & ſepultum, & quod reſurrexit, & in cœlum aſcendit, & ſedet ad dexteram Dei patris, & quod venturum eſt judicare vivos & mortuos*, in ſua propria exiſtentia eſt in ſacramento nobis repoſitum, quod nobis exiſtit panis vivus ad manducandum.

Item *Theophilus*, & ponitur ſuper *gloſſa* continuata *Joh. VI. Non enim*, inquit, *purum Deum comedimus, nam & impalpabilis eſt & incorporeus. Neq; etiam puri hominis comedimus, qui nihil poſſit proficere. Sed quia Deus carnem ſibi univit, caro ejus vivificativa exiſtit. Non quod in Dei naturam tranſiret, ſed ſecundum igniti ferri conſuetudinem, quod & ferrum manet, & ignis.* Et infra: *Sic & caro vivificativa eſt, tanquam caro verbi Dei.* Ex quo patet, quod non ſolum verbum Dei, nec ſolum caro ſine Deo vero vel Deitate, ſed Deitas unita exiſtenti naturæ carnis, verbum fecit carnem vivificativa & exiſtere in ſacramento, & ſic eam manducare in ſpiritu & [illegible] quod ibi caro Domini [illegible] ſecundum vitam ſpiritualem, tanquam caro verbi Dei.

Item *Cyrillus*, & ponitur in *gloſſa continuata Thomæ ſuper Lucam*, [illegible] *Luc. XXII* [illegible] *ibus* [illegible] ſic inquit De ſacramento altaris: [illegible] *vivificativum Dei verbum, uniens ſe ipſum propriæ carni, fecit eam vivificativam.* Et infra: *Decebat ergo, eum noſtris quodammodo uniri corporibus per ſacram ejus carnem & pretioſum ſanguinem, quem accepimus in benedictione vivificativa in pane & vino, ibi ſcilicet exiſtentia. Ne tamen horreamus carnem & ſanguinem, appoſita ſacris altaribus, condeſcendens noſtris fragilitatibus, inſluit oblatis vim vitæ, convertens ea in veritatem propriæ carnis, ut corpus vitæ quodammodo ſemen vivificativum in*[illegible]*tur in nobis.* Hæc ille. Et patet conformis ſententia hujus ſancti pro veritate concluſionis & fidei Catholicæ, ſicut priores ſancti dixerunt.

Item *Damaſcenus Libr. III. ſuarum Sententiarum c. 5. Conſuetudo*, inquit, *hominibus eſt panem comedere & aquam* [illegible] *num bibere. Conjugavit eis Deitatem, & fecit ea corpus & ſanguinem ejus, ut per aſſueta & ſecundum naturam in his, quæ ſupra naturam, corpus eſt vere unitum Deitati, quod de ſancta virgine natum eſt.* Et infra: *Si autem modum requiris, qualiter fiat: Hoc ſufficit tibi audire. Quoniam per ſpiritum ſanctum, quemadmodum ex ſancta genitrice ſibi ipſi & in ſe ipſo Dominus carnem ſubſtituit, & plus nihil cognovimus, ſecundum quam verbum Dei verum & activum eſt & omnipotens, modus autem inſcrutabilis.* Et infra: *Non eſt typus panis & vinum corporis Chriſti & ſanguinis.* [illegible] *Sed ipſum corpus Domini deificatum, dicentis, hoc eſt corpus meum, non typus corporis ſed corpus, non typus ſanguinis, ſed ſanguis. Ideo ait: Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis* &c. Et infra: *Carbonem aſſumamus, ut ignis ejus, quod in nobis, deſiderii, aſſumens, quæ ex carbone, ignitionem, inflammet noſtra pectora & illuminet* [illegible] *da, & participatio* [illegible] *igne* [illegible] *& deificemur.* [illegible] *vidit Eſaias. Carbo autem lignum ſimpl*[illegible] *non*

non eſt, ſed unitum igni. Ita & panis communionis non panis ſimplex eſt, ſed unitus Deitati. Non una natura eſt, ſed una quidem Deitatis, & alia natura corporis, unitum autem eſt ex Deitatis natura & altera corporis. Et infra: *Spiritus vivificans eſt caro Domini, quia ex vivificativo ſpiritu concepta eſt. Quod enim generatum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Hoc autem dico, non deſtruens naturam, ſed vivificativum & divinum ejus manifeſtare volens.* Et infra: *Caro autem dicitur & eſt vere. Quia communicamus nos per ipſam Chriſto, & participamus ejus carne & divinitate, & quia communicamus & unimur ad invicem per ipſam.* Hæc ille.

Ecce, quomodo iſte magnus vir & Doctor, tractans de hoc diviniſſimo ſacramento altaris, cum reverentia & devotione dicit conformiter prioribus ſanctis, quod corpus Chriſti in ſacramento ſupra naturam eſt vere unitum Deitati, quod ſancta virgine natum eſt. Et quod figuraliter vocat corpus Chriſti in ſacramento carbonem ignitum, facientem ignitionem illuminantem noſtra corda, quem carbonem vidit Eſaias. Quod, ſicut caro non eſt lignum ſimplex ſed unitum igni, ita & panis communionis non eſt panis ſimplex. Et quod ibi una eſt natura Deitatis, alia eſt natura corporalis ſive corporea, & per conſequens ibi eſt corpus Chriſti in ſua propria exiſtentia corporea. Et quod ibi caro Chriſti eſt ſpiritus vivificans, quia ex vivicativo ſpiritu concepta eſt. Quod enim generatum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Et quod hoc dicendo, quod caro Domini ſpiritus eſt vivificans, per hoc non deſtruit naturam corpoream, ſed manet in natura corporea in propria ſcilicet exiſtentia. Sed iſta caro eſt ſpiritus participative, & ex unione hypoſtatica, ſicut iſta caro eſt participative & hypoſtatice Deus, & per conſequens ſpiritus, quia Deus ſpiritus eſt & ignis, & caro Chriſti eſt deificata & ignita. Et per conſequens eſt ibi ſecundum vitam ſpiritualem divinam, vivificans & accendens animas fideles digne ſe ad hoc diſponentes.

Item *Chryſoſtomus ſuper Matthæum De perfecto opere*, ubi dicit: *Ut etenim non hoc audientes dicant: Quid ſanguinem bibo vel carnem manduco, & tandem multum patior? Ut igitur non turbaretur, primo ipſe fecit, inducens eos ſine perturbatione in communionem myſteriorum. Propter hoc ſuum ipſe bibit ſanguinem, ſcilicet de calice ibidem exiſtentem, & per conſequens & corpus ibi exiſtens.*

Item *Chryſoſtomus ſuper Johannem morali 46. Ut igitur non ſolum ſecundum amorem hoc faciamus, ſed & ſecundum ipſam rem in illam remiſceamur carnem per cibum, hoc fit, quem largitus eſt, volens nobis oſtendere amorem, quem habet circa nos. Propterea remiſcuit ſeipſum nobis & recommaſſavit corpus ſuum, ut unum quid ſiamus.* Et infra idem: *Eorum enim, qui valde diligunt, eſt hoc ſignum. Hoc, illos ænigmatice inſinuans, dicebatur de famulis quibus erat cum ſuperabundantia diligendus. Cui amorem oſtendentes dicebant, Quis utiq; daret de carnibus ejus impleri. Ideo utiq; & Chriſtus hoc ipſum fecit in amorem nos inducens majorem, & ſuam dilectionem oſtendens circa nos, non videre ſolum ſeipſum tribuens his, qui concupiſcent, ſed & tangere & manducare, infigere dentes carni, & complicare, & amorem implere omnem. Ut leones igitur ignem ſpirantes: ita à menſa recedentes, ita terribiles diabolo fientes.* Et infra: *Sequitur igitur: Qui quidem generant, multis annis nutrire debent edita. Ego autem non ita, ait, ſed carnibus nutrio meis, me ipſum vobis appono, omnes vos nobiles eſſe volens, & benignam vobis de futuris prætendens ſpem. Qui enim hic vobis dedi me ipſum, multo magis in futuro frater veſter volui fieri. Communicavi carni & ſanguini propter vos. Rurſus eandem vobis carnem & ſanguinem, per quæ cognatus factus ſum, dabo. Hic ſanguis virginem vobis floridam operatur.* Hæc Chryſoſtomus.

Ecce iſte ſanctus conformiter prioribus in ſacramento altaris innuit catholice exiſtere carnem non ſolum ſecundum gratiam vel amorem ſolum, ſed etiam ſecundum rem & ſecundum realem exiſtentiam ipſius carnis. Et quod in ſumendo digne eam in iſtam remiſceamur carnem per cibum, quam largitur nobis. Et quod propter hoc

remiſcuit ſe nobis ſcilicet ſecundum carnem in ſacramento, & recommaſſavit corpus ſuum, ut unum quid ſiamus. Et quod non ſolum videre tribuit ſeipſum in ſacramento ſuis fidelibus, ſed & tangere & manducare, infigere dentes carni & complicare. Et quod Chriſtus in ſacramento carnibus ſuis ibidem exiſtentibus nutrit fideles, & ſe ipſum ſecundum iſtam carnem apponit. Et quod ſicut communicat carni & ſanguini, ex nobis ea ſuſcipiendo, ſic rurſus eandem carnem & ſanguinem ibidem in ſacramento exiſtentem nobis dat, & per hoc cognatus noſter efficitur. Patet hoc diligenter intuenti & penſanti verba hujus ſancti.

Item idem *Chryſoſtomus ſuper epiſtolam ad Ebræos, ſerm. XVII. Nec nunc quidem inquã, magiſtrum alium, cras alium, ſed ſemper idem ipſum. Proinde unum eſt hoc ſacrificium. Alioquin hac ratione, Quoniam in multis locis offertur, & multi Chriſti ſunt, ſequitur nequaquam, ſed unus eſt Chriſtus ubiq́;, & hic plenus exiſtens & illic plenus.* Hæc ille.

Ecce quod ubique in ſacramento hic & alibi unus eſt Chriſtus, plenus cum Deitate & humanitate, cum uno & eodem corpore exiſtens.

Item *Bernhardus, in ſermone ad Petrum De corpore Chriſti in ſacramento altaris loquens*, ſic dicit: *Sic res ibi veraciter & ſubſtantialiter præſens creditur cujus ſpecies non cernitur.* Et infra: *Creditur ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti, & tamen ſpecies non cernitur.* Et infra: *Cum enim unum ſit ſacramentum, tam indiſcreta proponitur, ſcilicet ſpecies viſibilis, & veritas corporis, & virtus gratiæ ſpiritualis. Usq́; ad ſpeciem panis pertingit ſenſus exterior, & ad veritatem carnis fides interior, & ad virtutem gratiæ ſpiritualis charitas ſuperior. Speciem panis rodit aliquando ſorex parviſſimus, veritatem carnis recipit etiam peſſimus, veritatem gratiæ ſpiritualis non recipit niſi prædeſtinatus. Quod itaq́; videmus, ſpecies eſt panis & vini, quod autem ſub ſpecie iſta credimus, verum corpus & verus ſanguis eſt Chriſti, quod pependit in cruce, & qui fluxit de latere hominis.* Hæc ille.

Ecce, quod iſte ſanctus dicit, quod ibi, ſcilicet in ſacramento altaris, creditur eſſe eſca corporis & ſanguinis Chriſti, & per conſequens ejus exiſtentia vel natura. Et quod ibi veraciter & ſubſtantialiter præſens corpus Chriſti credi debet cujus ſpecies non cernitur. Et plura ibi dicit ad propoſitum, quæ relinquo diligenter penſanti.

Item idem *Bernhardus, ibidem in ſermone ad Petrum: In altari quippe ore & manu corpus Chriſti conficitur, non creatur, non naſcitur. Sed totum eſt in dextera patris, totum eſt in manu ſacerdotis, totum in ore ſumentis. Unus in multis, idem in diverſis &c.* Ecce quod totum Chriſtum, ſcilicet ſecundum humanitatem & Deitatem, in ſacramento per exiſtentiam vel naturam eſſe dicit.

Item idem *Bernhardus, in alio ſermone de cœna Domini* ſic dicit inter cetera: *Imo in altari etiam ad utrumq́; repræſentandum panem & vinum apponimus.* Et infra: *Nec tamen intelligendum eſt, quod in acceptione ſanguinis ſolam animam & non corpus, vel in acceptione corporis ſolum corpus & non animam accipiemus. Sed in acceptione ſanguinis totum Chriſtum, verum Deum & hominem, & in acceptione corporis ſimiliter totum. Sed iſte modus ſeparatim accipi in eccleſia inolevit. Quia Chriſtus in cœna diſcipulis ſeparatim dedit, ut per hoc intelligerent ſe animæ Chriſti & corpori conformari.* Et infra: *Voluit ſub iſta ſpecie veram Chriſti ſubſtantiam latere.* Ecce iſte ſanctus vult catholicè & fideliter cum aliis ſanctis dicere, quod in ſacramento altaris non ſolum corpus ſed & anima Chriſti creata exiſtit. Et quod totus homo Chriſtus ex corpore & anima ibi exiſtit. Et quod ſub iſta ſpecie latet vera Chriſti ſubſtantia ſive deitatis ſive humanitatis, & per conſequens ejus eſt ibi vera natura vel exiſtentia, ſcilicet humanitatis & divinitatis.

Et ad idem loquitur *Anshelmus, Tractatu de corpore Chriſti* ſic dicens: *Eſt ergo in myſteriis vera ſubſtantia Dominici corporis, ſed abſq́; viſibili ſpecie ſua, contra uſum & rationem mundana ſapientia. Quia legi naturæ non ſubjacet Deus, imo ipſius legis lex eſt.* Hæc iſte. Et ſibi in ſacramento

mento eſt ſubſtantia corporis Chriſti, tunc eſt ibi ejus propria natura & propria exiſtentia.

Item in *Epheſina ſynodo*, una de quatuor, quas Gregorius in ſummo culmine auctoritatis conſtituit, ut eis, tanquam evangelio credatur, dicitur: *Quod caro Chriſti eſt vivificatrix, ipſius verbi propria facta. Vita enim naturaliter, ut Deus exiſtens: Quia propria carni unitus eſt, vivificatricem eam profeſſus eſt. Et ſic eſt caro in ſacramento ſecundum vitam ſpiritualem & dvinam ex unione ad verbum quaſi vivificatrix animarum* &c.

Item *Hugo De ſacramentis* pro iſta ſententia Catholica ſic loquitur: *Solet quidam quærere: Corpus ſuum Dominus, id eſt Chriſtus, diſcipulis tradidit? Hoc eſt, paſſibile, an impaſſibile, mortale, an immortale?* &c. *Quæ ad hanc pertinent quæſtionem, ego in ejusmodi ſicut & in aliis profeſſus ſum, quod divina ſecreta magis veneranda quam diſcutienda cenſeo. Simplicitati fidei hac ſufficere puto, ſi dicimus, quod tale dedit, quale voluit. Et rurſum, quale dedit ipſe novit. Ideo enim tale dedit, quale voluit: Quia omnipotens erat & potuit eſſe, quod voluit. Ideo autem ipſe novit quale dedit: Quia ſapientia erat, & non potuit ignorare, quod fuit.*

Et infra: *Quod ſi alterum dicendum eſt, ego absq; præjudicio veritatis, magis ſenſu ad illud accedo, ut illud & impaſſibile & immortale, quantum ſcilicet pertinet ad ſanctitatem ſacramenti, tradidiſſe dicatur. Si quis autem objiciendum putet, quod ante reſurrectionem Dominus Jeſus Chriſtus corpus mortale portaverit: Et hoc ipſi indubitanter profitemur, mortalem fuiſſe Dominum Jeſum, ſecundum ſuſceptam humanitatem quaſi mortalem fuiſſe.*

Et infra: *Humana ergo natura in Chriſto mortalis fuit ſecundum voluntatem, non neceſſitate. Ex eo enim, quod per gratiam ab omni peccato munda, verbo in unitate perſonæ juncta eſt, ab omni mortis neceſſitate & debito libera facta eſt. Ut nihil morti deberet ponere, quod nihil peccati haberet. Suſtinuit tamen ſponte mortalitatem, & etiam ſponte portavit, quousq; mortem guſtaret, & ita mortalitatem deponeret* &c. Et infra: *Exhibuit tibi ſe Dominus, ad tempus corporaliter ad te venit, & exhibuit ad tempus, ut per iſtam ſpiritualis inveniretur.* Et infra: *Sic ergo in ſacramento ſuo modo corporaliter venit ad te, & eſt temporaliter tecum.* Et infra: *Quando in manibus ſacramentum ejus tenes, corporaliter tecum eſt. Deniq; in viſu, in tactu, in ſapore corporaliter tecum eſt. Quamdiu ſenſus corporaliter afficitur, præſentia corporalis non aufertur.* Hæc ille.

Ecce, quod prius dictum eſt, in ſacramento altaris corpus Chriſti eſſe in propria exiſtentia ſecundum vitam ſpiritualem & divinam: Hoc dicit iſte Doctor, quod in ſacramento ſit impaſſibile & immortale corpus idem. Et quod, quando ſacramentum in manibus ſacerdotis tenetur, quando ore ſuſcipitur, manducatur, guſtatur, corporaliter eſt ibi corpus Chriſti, & in viſu, in tactu, in ſapore corporaliter eſt ibi, & per conſequens in ſua propria exiſtentia corporali.

Item idem *Hugo, ſuper librum Dionyſii de cœleſti hierarchia, ſuper illo textu: Et Jeſum participantis ipſam diviniſſima euchariſtia aſſumtionem imaginem eſſe &c. Ipſa enim aſſumtio diviniſſima euchariſtiæ, id eſt ſanctiſſimæ perceptionis corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti, quam nunc ſacramentaliter & viſibiliter tractamus in altari, imago eſt & forma illius participationis. Pro illa vel nunc ei in ſpiritu per electionem conjungimur, vel poſtmodo in eadem forma glorioſe apparente plena ſimilitudine uniemur.*

Sanè hic notandum, quod quidam ex hoc loco munimentum ſui erroris ducere putaverunt, dicentes, in ſacramento altaris veritatem corporis & ſangvinis Chriſti non eſſe, ſed *imaginem* illius *tantùm & formam*, propterea quia ſcriptura dicit, illud quod in Euchariſtia altaris ſumitur, imaginem eſſe illius, quod in participatione Jeſu percipitur. Qui profectò hunc erroris laqueum non inciderent, ſi vel ſacramentum recta & humili fide ſuſciperent, vel ſcripturas ſacras grata intelligentia tractarent. Nunc autem, quia in ſacramentis Dei ſenſum ſuum præferunt, & in ſcripturis ſacris ſanam interpretationis formam contemnunt, ſic ut ipſe ſermo veritatis amplius eos colligare

faciat, dum hic, rectè intellectus, errorem pro veritate miniſtrat. Quod tamen ſcripturæ vitium non eſt, ſed legentium & non intelligentium. Hic autem periculosè erraverunt, ex manifeſtis ſententiis & aſſertionibus non dubiis verbum ambiguum proferentes, & in ipſo magis mandatum quàm veritatem intelligentes. Non quia hoc magis dicebatur, ſed quia hoc magis ab illis credebatur.

Quid, inquam, ideò ſacramentum altaris veritas non eſt, quia figura eſt? Et reſurrectio Chriſti veritas non eſt, quia figura eſt? Nam & mortem Chriſti & reſurrectionem figuram eſſe & imaginem & ſimilitudinem & ſacramentum, exemplo Apoſtolus manifeſtè declarat, dicens: *Chriſtus mortuus eſt pro delictis noſtris & reſurrexit propter juſtificationem noſtram, ut peccatis mortui juſtitiæ vivamus.* Et Apoſtolus *Petrus* dicit: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum.* Ergò mors Chriſti exemplum fuit, ut peccato moriamur, & reſurrectio ejus exemplum fuit, ut juſtitiæ vivamus. Numquid ideò veritas non fuit? Ergò Chriſtus verè mortuus non fuit, & verè non reſurrexit, ſi mors ejus vel reſurrectio vera non fuit. Abſit, nam de ipſa ſcriptum eſt; *Verè langvores noſtros ipſe tulit, & peccata noſtra ipſe portavit.* Ergò mors Chriſti vera fuit, & tamen exemplum fuit, ſimiliter & reſurrectio. Quarè ergò ſacramentum altaris ſimilitudo eſſe non poteſt? Veritas in alio quidem ſimilitudo, in alio veritas. Nam cùm unum ſit ſacramentum, tria indiſcreta proponuntur, ſpecies videlicet viſibilis, & veritas corporis, & virtus gratiæ ſpiritualis. Aliud eſt enim viſibilis ſpecies, quâ viſibiliter cernitur, aliud veritas corporis & ſangvinis, quæ ſub viſibili ſpecie inviſibilis cernitur, atque aliud ſpiritualis gratia, quæ cum corpore & ſangvine inviſibiliter & ſpiritualiter percipitur. Quod enim videmus, ſpecies eſt panis & vini, quod autem ſub ſpecie iſta *credimus*, verum corpus eſt & verus ſangvis Jeſu Chriſti qui pependit in cruce, & qui fluxit de latere: Nec per panem & vinum corpus & ſangvinem tantùm *ſignificari*, ſed ſub ſpecie panis & vini verum corpus & verum ſangvinem conſecrari: Et ſpeciem quidem viſibilem ſacramentum eſſe veri corporis & veri ſangvinis, corpus autem & ſangvinem ſacramentum eſſe ſpiritualis gratiæ. Et quemadmodum illic ſpecies cernitur, cujus res vel ſubſtantia ibi eſſe non creditur: Sic res ibi veraciter & ſubſtantialiter eſſe creditur, cujus ſpecies non cernitur. Videtur enim ſpecies panis & vini, & ſubſtantia panis & vini non creditur. Creditur autem ſubſtantia corporis & ſangvinis Chriſti, & tamen ſpecies non creditur. Quod ergò videtur ſecundum ſpeciem, ſacramentum eſt iſtius, quod percipitur ſecundum gratiam ſpiritualem. Sacramentum ergò altaris & euchariſtia divina in vero corpore & ſangvine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & imago eſt ſecundum ſpeciem panis & vini, in quibus cernitur, & res ibi ſecundum ſubſtantiæ ſuæ veritatem, in qua creditur illic atque percipitur. Et rurſum, quod nunc videtur ſecundum ſacramenti ſpeciem, & corporaliter ſecundum corporis & ſangvinis veritatem, Chriſtum in altari ſumimus, ſacramentum eſt & imago, quod ipſum eundem inviſibiliter & ſpiritualiter ſecundum gratiæ infuſionem & ſpiritus ſui participationem in corde ſumere debemus. Quia diviniſſima euchariſtia, quæ in altari, & ſecundum panis & vini ſpeciem, & ſecundum corporis & ſangvinis veritatem, viſibiliter & corporaliter tractatur, ſacramentum eſt & ſignum & imago inviſibilis & ſpiritualis, participans Jeſum, qui intus in corde per fidem & dilectionem perficitur. Voluit enim ſapientia Dei, quæ ſe per viſibilia manifeſtavit, oſtendere, quoniam ipſa vivorum cibus & refectio eſt. Et propterea carnem aſſumtam in edulium propoſuit, ut per cibum carnis ad guſtum invitaret divinitatis. Sed ne rurſum humana infirmitas contactum carnis in aſſumtione horreret, conſveti & principalis edulii ſpecie ita velavit ac ſumendum propoſuit, ut ſenſus in uno foveretur, & fides in alio ædificaretur. Fovetur enim ſenſus in uno, dum ſolita

[illegible] ſolus [illegible] Propoſitus igi- [illegible] panis & vini, ut [illegible] [illegible] Fiens autem [illegible] & [illegible] & [illegible] ut in eo [illegible] ve- ritas corporis & ſanguinis [illegible] [illegible] ſumus, [illegible] corporis & ſanguinis [illegible] ntio, quæ ſola ſine affectu ſpirituali, effectum non af- fert. Ipſe enim Salvator manifeſte di- cit: [illegible] Virtus ergo & plenitudo rete- [illegible], quæ in corpore & ſanguine Chriſti eſt, per ſpeciem [illegible] panis & vini [illegible] In perceptione au- tem [illegible] & ex- [illegible] in primo [illegible] ſecundo, in ſecundo [illegible] tertio, in tertia [illegible] ſecundi & veritas primi. Et hæc [illegible] & unum ſacramen- tum. [illegible] divinſſime euchariſtiæ [illegible] ſacramentum eſt & [illegible] Quia hoc [illegible] ſacramentum viſibiliter per- cipimus [illegible] ſpirituali- ter & [illegible] debemus.

Ipſa autem euchariſtia i.e. [illegible] [illegible] vocatur, quoniam [illegible] facit & par- ticipes divinitatis eos, qui ſe partici- pant. Et quia ipſa ſignum eſt & veritas, in qua vera [illegible] Chriſti ſub ſpecie pa- nis ſumitur, & in forme ejus digno ſum- [illegible] etiam divinitatis ſuſceptio & participatio & conſortium [illegible] tur, propterea divinſſima & ſanctiſſima & ſanctificans omnia & ſancta.

Ex quibus patet, quod ſubſtantia corporis Chriſti & ſangvinis Chriſti manet in ſacramento altaris, non ſic, quod [illegible] in [illegible] vel in aliquo ſuo effectu [illegible] in ſua propria natura & exiſtentia.

[illegible] Chriſti [illegible] II. Et Chriſtus [illegible] ſuæ Deitatis [illegible] ſuæ humanitatis [illegible] & [illegible]

[illegible] Chriſtus [illegible] mo [illegible] quod [illegible] Chri- ſtus [illegible] ſer- vant. [illegible] parte. Si [illegible] Chriſtum [illegible] parte.

Item [illegible] Quod Chri- ſtus ut cibus ſpiritualis [illegible] ſe- cundum [illegible] corporis & ſanguinis, & animæ & [illegible] & de ceteris. [illegible]

[illegible] Chriſtus [illegible] continetur [illegible] in loco [illegible] bitationis, [illegible] in [illegible] fectionis, ut in atrio vel [illegible] tualis traditionis & immolationis, [illegible] in nexu amiciſſimæ [illegible] Dei & hominis. De primo [illegible] norum advertendum, [illegible] habitationis loco nobiſcum [illegible] [illegible] infallibiliter inveniri, [illegible] in hujusmodi loco [illegible] rioſe in iſto corpore [illegible] dum iſtam vitam [illegible] lem apparuit coram diſcipulis [illegible] te, ubi reſplenduit [illegible] & veſtimenta ejus [illegible] ubi diſcipuli ceciderunt in [illegible] ut patet *Matth. XVII. Marc. IX.* [illegible] *L. IX.* Nunquam enim homines mortales po- tuiſſent olim corpus Chriſti, ſecundum iſtam divinam & ſpiritualem ſplendidiſſi- re ſole, capere præ nimio candore lucis ſpiritualis æternæ, niſi fuiſſet ipſum exi- ſtens vita animali mortali viſibili vela- tum in conſpectu filiorum hominum. Ita & nunc revera in templis Chriſtia- [illegible] divinſſima & terribiliſſima eucha-

euchariſtia, corpus & ſanguis, vere cibus & potus exiſtentes, niſi velarentur formis viſibilibus panis & vini, nequaquam oculis carnis & mentis videri poſſent. Ideo oportebat ea velari effigie & ſpecie peregrina, tum propter indigentiam perſonarum. Sicut æger oculus indiſpoſitus eſt videre lumen ſolis, aut oportet ut veletur, ſic pravi non poſſunt videre, quia aliter perirent, in corde per errorem, morte ſpirituali infernali.

Nam ut dicit *Thomas* in quodam ſermone *De corpore Chriſti*: Ex quo olim in verbis Chriſti ſcandalizabantur Judæi, quando dixit: Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus, ita ut quidam diſcipuli recederent ab eo, dicentes: Quomodo poteſt dare nobis carnem ſuam ad manducandum: Quanto magis ſi omnes vidiſſent corpus ſuum vel nunc viderent ſecundum iſtam vitam ſuam divinam ſine velamento. Ideo velatum eſt, ut fide viva viverent fideles, credendo, adorando & guſtando, quod non videtur, 1.*Pet.I. Credentes in Chriſtum, quod non videtis, exultabitis lætitia inenarrabili*. Voluit autem Dominus, ut veritas non fallat, aut plus ſibi in hoc credamus de exiſtentia corporis ſui & ſanguinis in hoc velamento, ſuisque apoſtolis & aliis ſuis ſanctis quam noſtris ſenſibus, pronis ſemper ad devia. Per hoc etiam ad plus merendum, juxta illud Johannis XX. Beati, qui non viderunt & crediderunt. Occultatur enim digniſſima perſona Salvatoris, juxta illud Eſaiæ XLV. Vere tu es Deus abſconditus Salvator Iſrael. Abſconditur etiam pulchritudo ſuæ magnæ claritatis & mirum opus excelſi omnipotentis. Nam ſi filii Iſrael, uti patet *Exod. XXXIII.* videntes, Moſen ex conſortio ſermonis Dei habere cornutam faciem præ nimia claritate, timuerunt prope accedere ad eum: Unde poſuit velamen ſuper faciem ſuam: Multomagis corpus Chriſti ſecundum iſtam vitam divinam Deiformem nullus mortalis oculus potuit vel poteſt inſpicere. Et matri Domini Chriſti hoc accidit, quod non potuit ſuſtinere claritatem & gloriam ejus, niſi virtus altiſſimi obumbraſſet eam. Igitur &c. Unde *Chryſoſtomus* ſuper Johanne: Et conſidera mihi horribilitatem myſterii &c. ut ſupra patet.

CAP. VI.

De adoratione corporis Chriſti in ſacramento.

ET patet, quod corpus Chriſti in ſacramento altaris, in quo eſt plenitudo Divinitatis corporaliter, & ſic Chriſtus in eo exiſtens, a cunctis fidelibus debet adorari & coli, & una cum ſacramento diviniſſimo & tremendiſſimo venerari. Tum quia debet hic credi corpus Chriſti exiſtere; Et ſic, quod Chriſtus exiſtat in toto; Et ſic ibi in eum, tanquam in ſummum bonum credi, & in eum tendi per amorem ſuper omnia, & per conſequens amare eum ſuper omnia: Et ulterius conſequenter & adorare & colere in ſpiritu & veritate: Et hoc exterius ſenſibiliter corporaliter & efficaciter oſtendere. Nam ubicunque Chriſtus cum ſuo corpore, imo cum tota ſua humanitate & Deitate exiſtit, ibi eſt colendus & adorandus: Sed Chriſtus ſic cum tota humanitate & Deitate in ſacramento exiſtit, uti patet jam ex ſupra dictis, ex concluſione & aliis dictis. Ergo ibi eſt colendus & adorandus cum tota ſua humanitate & Deitate.

Et hoc docent ſancti factis & dictis ſuis. *Unde Hieronymus*, ut dicitur *libro Euſebii de morte ejus*, ſic colit & adorat Chriſtum cum corpore ſuo in ſacramento, dicens: *Tu namq; bone Jeſu, pro crucis, tam grande, iſto tuo, quod cerno, præſens corpore, ſubiiſti ſupplicium, ut mortem quam merueram flagitiis, interimeres.* Et infra: *O nobile convivium, in quo ſub panis & vini ſpecie totus Chriſtus Deus & homo ſumitur.* Et infra: *O ferculum excellentiſſimum, venerandum & colendum, adorandum & glorificandum, amplectendum, omnibus extollendum laudibus. O ſignum dilectionis inopinabile, ut idem ſit dator, quod*

quod datum, & donator eſt ipſum donum. Quàm magna tua dulcedo, Domine, quàm abſcondiſti timentibus te, perfeciſti ſperantibus in te. Et infrà: *Sub tanta panis benignitate contineris, non partialiter, ſed integrè atque perfectè, atque inſeparabiliter, totus Chriſtus Jeſus, integer ſicut in cœlo ad Patris dexteram reſidens, Deus & homo. Ave panis vita, qui de cœlo deſcendiſti, dans dignè te ſumentibus vitam.* Hæc ille.

Item *Origenes ſuper Eſaiam in quadam homilia* ſic dicit: *Ideò adoramus ſcabellum pedum iſtius, juxta quod ſcriptum eſt: Adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt. Caro ſiquidem Domini honorem divinitatis aſſumit.*

Item *Chryſoſtomus* ſuper iſto: *Et conſidera mihi horribilitatem myſterii: Semper hoc habitat tabernaculum, ſcilicet Deus homo. Carnem enim noſtram ſuperinduit, non ut rurſus eam relicturus, ſed ut ſemper habiturus ſecum. Non enim utique niſi hæc eſſet & throno dignam feciſſet regali, & induens eam adoraretur ab omni ſuperiori militia, angelis, archangelis, & thronis, dominationibus, principatibus & poteſtatibus. Quis ſermo poteſt, qui tantum honorem in genus noſtrum facturus eſt.* Et infrà: *Tales enim ſunt Dei directiones, & ita magna & ſupernaturalia beneficia ejus, ut non ſolùm humanam linguam, ſed & angelorum virtutem ſuperexcederet eorum diligentiſſima enarratio.*

Item *Ambroſius in allegato libro IV. de ſacramentis,* Qui, inquit, *manducat & bibit indignè, ſine ſui ipſius examinatione, non vitam & animæ ſuæ vivificationem ſumit, ſed judicium, id eſt cauſam ſuæ damnationis manducat & bibit: Et hoc ideò, quia non dijudicat corpus Domini, id eſt, non illa multa, quæ in corpore Domini manducando ſunt, penſat, & ideò ſine reverentia accedit, quaſi ad alienum cibum. Si enim cogitaret homo panem iſtum eſſe verbo Dei perſonaliter unitum; & vitam & ſalutem omnium animarum eſſe, & frequenter adeſſe multitudinem Angelorum, & multa alia, quæ ibi intelligi poſſunt, nullus indignus accedere poſſet.* Hæc ille.

Item idem *Ambroſius L. III. de Sancto Spiritu c.* 10. myſticans iſtum textum, *Adorate ſcabellum pedum ejus,* dicit ſic: *Itaque per ſcabellū terra intelligitur; Per terram autem caro Chriſti, quam honore, qui in myſteriis eſt, adoramus, & quam apoſtoli in Domino Jeſu, ut ſuprà dictum eſt, adoraverunt. Neque enim diviſus eſt Chriſtus, ſed unus eſt Chriſtus. Neque cùm adoraretur, quaſi Dei filius ex virgine natus negabatur.* Hæc ille.

Item *Auguſtinus de verbis Domini, ſermone* 63. *Ego,* inquit, *Dominicam carnem, imò porrectam in Chriſto humanitatem propterea adoro, quia à divinitate ſuſcepta atq; divinitati unita eſt. Ut non alium atque alium, ſed unum eundemque Deum & hominem Dei filium eſſe confitear. Denique ſi hominem ſeparaveris à Deo, ut noſtrorum quidam, ut Photinus vel Paulus Samoſatenus, illi nunquam ego credo, nec ſervio. Velut ſiquis noſtrum aut purpuram aut diadema regale jacens inveniat, nunquam eam conabitur adorare, cùm verò Rex ea fuerit indutus, periculum mortis incurrit, ſi eam ſimul cum Rege adorare contemnit. Ita etiam in Chriſto humanitatem non ſolam aut nudam, ſed divinitati ſuæ unitam, vivum Dei filium, Deum verum ſi quis adorare contemſerit, æternæ mortis pœnas patietur, quia ipſe eſt creator generis humani & reſtaurator.*

Item idem *Auguſtinus ſuper pſalmo: Chriſtus,* inquit, *de carne Mariæ carnem accepit, & ipſam carnem dedit. Nemo autem iſtam carnem manducet, niſi prius adoraverit.*

Ex quibus auctoritatibus patet, verum corpus Chriſti de virgine natum in ſacramento altaris exiſtere. Et quod ipſum debet adorari & coli, & unà cum Chriſto & ſacramento ſummè venerari.

Ex quo ulterius patet error impiè dicentium, quod hoc ſacramentum vel corpus Chriſti in ſacramento *ſolum eſſet nobis datum ad manducandum, & ſanguis ejus ad bibendum, & non ad colendum ſive adorandum.*

CAP. VII.

Concluſiones pro dignitate hujus ſacramenti, & contra negantes exiſtentiam corporis Chriſti in ſacramento.

Digitized by Google

PAtet ulterius ex prædictis, quod quilibet fidelis, in unitate eccleſiæ exiſtens, debet una fide credere & dignè admirari ibidem in hoc velamento diviniſſimo immenſam dignationem divinæ bonitatis & communicabilitatis ac largitatis, toto corde & ſincero, omnia alia opera hominum & adinventiones pro nihilo ducendo in comparatione ad iſtud opus excelſi, niſi fortè de quanto aliqua elevarent devotius ad iſtud contemplandum.

Item ex prædictis patet, quod *hoc ſacramentum*, in quo eſt corpus Chriſti cum plenitudine divinitatis, *non eſt idolum*, ut quidam ſeducti à fide dicunt, aliosque ſeducunt, Patet ex ſuprà dictis.

Item ex prædictis ſequitur, quod illi, qui dicunt, docent, & tenent temerariè, *corpus Chriſti in ſua exiſtentia ſecundum ſuam vitam ſpiritualem & divinam ſolùm eſſe in cœlo ad dextram Dei Patris, & non apud nos hic in ſacramento altaris*, errant graviter & periculosè contra evangelium & contra omnes ſanctos, & contra eccleſiam primitivam & modernam.

Item ex prædictis videtur ſequi, quod tales, prætendentes ſe conficeri, non intendunt in exiſtere corpus Chriſti, verùm intendunt in non exiſtere corpus Chriſti, ex ſua incredulitate, & per conſequens ex illa intentione non conficiunt, quia non faciunt in virtute divinorum verborum exiſtere corpus Chriſti. Niſi forte aliunde de aliqua alia intentione univerſali eccleſiæ propter electos Dei conficerent. Patet, quia *ad confectionem requiritur vera intentio cum verâ fide & corde*.

Item ex prædictis patet, quod Chriſtus etiam cum ſuo corpore exiſtit corporaliter ibi, & cum ſua ſponſa eccleſia fidelium usque ad conſummationem ſeculi, ipſo dicente: *Ponam tabernaculum meum in medio veſtri & non abjiciet vos anima mea, & ambulabo inter vos, & ero veſter Deus, vosque eritis populus meus.* Et de hoc oportet ſponſam ſuam gratulari & gaudere, quod habet hic ſecum ſuum ſponſum ſic exiſtentem, juxta illud *Eſaia XII. Exulta, & landa, habita Sion, quoniam magnus in medio tui ſanctus Iſrael.*

Item ſequi videtur ex ſupra dictis, quod *Doctores ſcholaſtici quidam*, moventes fortes rationes quaſi inſolubiles, *quod corpus Chriſti non exiſtat in ſacramento altaris in ſui natura*: Vel quod in pluribus locis diſtantibus, ut in cœlo & in terra, vel in diverſis templis non poſſit exiſtere: Non plus probant, niſi quoad corpus Chriſti ſecundum vitam naturalem, de quanto ſubjacebat legibus & conditionibus terreni corporis ac ejus dimenſionibus. Sed concludere non poſſunt contra exiſtentiam corporis Chriſti vel ſangvinis ſecundum vitam ſpiritualem & divinam in ſacramento altaris, quod ab hominibus fidelibus eſt tenendum & catholicè credendum.

Et ex his videtur patere, qualiter ſancti olim primitivæ eccleſiæ magni pleni ſpiritu Dei, habentes magnam fidem vivam circa hoc diviniſſimum ſacramentum corporis & ſangvinis Domini, à prioribus divinis ducibus, ſcilicet Apoſtolis hoc ſumentes, *diſponebant loca & templa, & ea dedicabant ad hoc ſpecialiter*, ut in his divinum ſacramentum ſupra dictum mundè & reverenter ſervaretur & cuſtodiretur à ſanctis miniſtris Deo dedicatis, ex ordine & officio adhoc deputatis, & non aliis laicis, cum ſpecialibus veſtimentis, vaſis & aliis utenſilibus ad hoc conſecratis, quæ non licebat ad alios uſus ſeculares convertere, nec extra loca prædicta alicubi habere in curſu & ſtrepitu ſeculari, ut poteſt hoc colligi *De conſec. diſt.* I.

Item ſequitur, quod illi, qui præſumtuosè dogmatizant, ponentes diſtinctionem de triplici corpore, *primò* de corpore Chriſti naturali ad dextram Dei exiſtente ſolùm, & non hic apud nos, *ſecundò* de corpore myſtico eccleſiæ extra ſacramentum, *Tertiò*, de ipſomet ſacramento viſibili in forma panis & vini: Hoc in ſe eſſe & ſolum corpus Chriſti, & quod ibi non eſſet corpus Chriſti illud de virgine natum, paſſum in cruce. Hi errant & errare faciunt alios à fide plurimos, & ſunt in periculo damnationis, niſi pœnitentiam egerint.

CAP.

CAP. VIII.

De digna præparatione ad uſum hujus ſacramenti.

ITem ex ſupradictis patere poteſt, quomodo fideles debeant ſe habere ad tam digniſſimum corpus & ſanguinem Chriſti, & *quam bona vita* deberent eſſe, & quomodo *ſe probare* debeant in conſcientia, & quomodo debeant dijudicare corpus Chriſti ab aliis corporibus terrenis, & quomodo debeant habere veſtem nuptialem.

Nam ſi recte fideles credunt & ſapiunt, dum ad hanc magnam menſam magni regis accedunt, recumbunt inter angelorum frequentiam & ſanctorum omnium epulas. Accedentes enim congregantur ſicut aquilæ, ſicut ſcriptum eſt: *Ubicunq; fuerit corpus ibi congregabuntur aquilæ.* Ibi accedentes admiſcentur, ubi convivium eſt regis æterni, ubi ſponſus & ſponſa dulcibus deliciarum fruuntur muneribus, & rex totius creaturæ quotidiè ingreditur, ut videat diſcumbentes, ſi veſtem, in qua renati ſunt, habeant nuptialem, ut tractavit *Paſchaſius tractatu de corpore Chriſti*, c. 1.

Sic autem ſe habere ad corpus Chriſti & ſanguinem in ſacramento tam digne & tam reverenter nemo poteſt, niſi habeat ſpiritum Dei. Nemo enim poteſt dicere dicentia vicaci & efficaci, Dominus Jeſus ſibi hoc in ſacramento, niſi à ſpiritu ſancto. Quia nemo poteſt ſubjici ſibi ſic tali ſubjectione & obedientia, cum tanto timore & tanta humilitate, ut decet tam magnificum regem & ſuum excellentiſſimum corpus in ſacramento altaris. Tales enim oportet quod officientur ad bene vivendum ſecundum evangelium & obſervantiam mandatorum Dei, primum *clerici*, deinde *laici*, & quod deinde officientur ex hoc ibi in ſacramento ad colendum venerandum & adorandum ſuum regem cum ſuo digniſſimo corpore & ſanguine, & ipſum ſæpe deguſtandum, & in ipſo gaudendum, mundanis vanis gaudiis poſtpoſitis.

Qui autem heu ad iſta ſunt indiſpoſiti, hi ſpiritum Dei non habent, & hi non ſunt ejus, nec habent veram vivam fidem Dei. Quod ſi habent fidem, tunc mortuam habent, ſine operibus, & ſine ſpiritu vivificante. Quæ fides in eis eſt tanquam abominabiliſſimum cadaver, fœtidum in conſpectu Dei. Tales indigne viventes indigne colunt, indigne accedunt, & judicium ſibi manducant & bibunt, & ira Dei revelatur ſuper eos, ira ſuper homicidas, raptores, incredulos &c.

CAP. IX.

De idoneis ſacerdotibus hoc ſacramentum adminiſtraturis.

ET nunc ex his libet conſiderare, *quam idonei* debeant eſſe *miniſtri hujus novi teſtamenti*, & *quam ſancti ſacerdotes* circa hoc magnificum convivium ſummi Regis. Ut iſti *non* aſſiſterent *cum cruenta conſcientia*, ut quidem ex noſtris faciunt aliqui, qui agni cœleſtis comedunt carnes ſicut agni, qui venditur in macello, eructantes adhuc allia Pharaonis & cepas Ægypti, vitiorum enormitate deformes, luxuriæ cœno ſordentes, & etiam ſordidis & immundis ſancta miniſtrantes indigne, non ad vitam ſed ad mortem: Non attendentes evangelium, quod hoc malum eſt valde, & non eſt bonum ſumere panem filiorum & mittere canibus, & iterum quod ſcriptum eſt: Nolite ſanctum dare canibus.

Ubi ſunt jam illi *ſancti ſacerdotes*, qui cum primitiva eccleſia ab hac terribili menſa communionis & viſione ſacramentorum eos arcent, qui in mundiſſima verſantur operatione actualium peccatorum, qui poſt veritatis agnitionem à ſancta unione recedentes conſeſſu & converſatione damnatis & perditis dæmonibus conjunguntur, vera æterna bona poſtponentes, naturalibus vero & variis paſſionibus & deſtructivis ac corruptis delectationibus affectu & actu inſiſtunt, eorum ſuavitatem tranſitoriam appetentes. Unde & hi ante ceteros immundos clara voce à miniſtris

ſtris excluduntur, ut tractavit *S. Dionyſius, de eccleſiaſtica Hierarchia, Chryſoſtomus* & alii ſancti.

Unde jam hic quæritur inter *diſpenſatores* ut fidelis quis inveniatur. Et quis, putas, ſimilis eſt ſervus jam & *prudens*, ſcilicet ut, ſecundum gloſſam, *diſcerneret capacitatam ſingulorum*, quem conſtituit Dominus ſuper familiam plebis ſuæ, ut det illis cibum iſtum in tempore, ut patet *Matth. XXIV. & Luc. XII.* Quis jam diligenter agnoſcet vultum præceptoris ſui? Et ex præcepto Domini *quis paſtor agnoſcit oves & vocat eas nominatim*, & educit eas ad paſcua hæc ineffabilia, & ante eas vadit? Quis ſpiritum Dei habens eſt *ad hoc idoneus?* Et quis eſt iſte, & laudabimus eum. Quis in Chriſto manens multum fructum habet? Et qui, inquit, manet in me, & ego in eo, hic multum fructum fert. Pretioſior eſt vir talis auro obrizo. Et nos indigne tractantes, ut dixi, cruentâ conſcientiâ immundi, ſine probatione ſancta Dei miniſtramus, vivificantes animas, quæ non vivunt.

Et non dubium, quod tam miniſtrantium quam ſumentium in hoc convivio Rex omnipotens actus perſcrutatur, & viſitat, & præcipit miniſtris, non habentes veſtem nuptialem ligare, & in tenebras exteriores projicere.

CAP. X.

De ſententia Wiclefi quoad exiſtentiam corporis Chriſti in ſacramento.

Ulterius ex ſupradictis ſequi videtur, quod, quamvis *evangelicus Doctor Wicleff*, vel quicunque alius, faciat multa argumenta in ſuis dictis fortia & quaſi inſolubilia ad hoc, *quod corpus Chriſti non exiſtat in ſacramento altaris in ſui exiſtentia vel natura*, vel *quod non exiſtat in pluribus locis diſtantibus, vel in diverſis templis*, Hoc debet intelligi, & ad hoc videntur intendere fere omnia ejus argumenta, *quod ibi in ſacramento altaris corpus Chriſti non exiſtat ſecundum vitam animalem, mortalem, viſibilem & extenſam mole magnam*, quam olim habuit. Sicut & ſuperiores ſancti allegati hoc idem prætendunt.

Nihilominus tamen *evangelicus Doctor Wicleff*, vel quicunque alius, ſic prædicto modo *probans, corpus Chriſti non exiſtere in ſacramento, videtur conformiter antiquis ſanctis ſuperius allegatis*, & *conformiter evangelio & toti eccleſiæ antiquæ* & modernæ, concedere & catholice aſſerere, quod non ſolum in cœlo & ad dexteram patris, ſed hic apud nos in terris pluribus templis ſimul & ſucceſſive in ſacramento altaris corpus Chriſti eſt ſecundum vitam ſuam ſpiritualem & divinam in ſua propria exiſtentia vel natura, ſicut ſuperius eſt declaratum & oſtenſum ex fundamento ſcripturæ evangelicæ & ex teſtimonio antiquorum ſanctorum.

Unde idem *Doctor evangelicus* in quodam *ſermone de feſto Paſcha*, ad iſtam ſententiam catholicam conformiter ſic loquitur: *Percipit autem*, inquit, *ex fide*, *ſcilicet fidelis, quod plenum corpus Chriſti & ſanguis, & omnia, ſit ex integro ad omne punctum hujus ſacramenti, quod inter omnia myſteria videtur difficillimum Chriſtiano percipere.*

Item idem *Doctor evangelicus* ſuper illud *Johannis VI. Caro mea vere eſt cibus &c.* dicit, *Quod caro mea vere eſt cibus & non ſolum figurative cibus, & per conſequens realiter, & non ſolum ut in ſigno continetur in hoc ſacramento.* Item *idem Doctor* in *Trialogo* dicit, quod *hoc adverbium*, corporaliter, *accipiatur ſimpliciter, ut res dicitur eſſe corporaliter alicubi, dum eſt ibi modo corporis. Et intelligunt quidam quod corpus eſt in hoſtia corporaliter, ſubſtantialiter & eſſentialiter, conformiter juxta modum loquendi Apoſtoli Coloſſ. II. dicentis: Quod in Chriſto habitat plenitudo divinitatis.* Hæc ille. Sic ergo corpus Chriſti eſt in ſacramento corporaliter, ſubſtantialiter & eſſentialiter, de quanto iſta adverbia capiuntur ſimpliciter & abſolute, abſque vita animali, mortali, viſibili, mole magna & extenſa, & ſine conditionibus & legibus terreni corporis, ſolum ſcilicet ſecundum vitam ſpiritualem & divinam ibi exiſtens corpo-

corporaliter, ſubſtantialiter & eſſentialiter.

Et veriſimiliter poteſt intelligi illud dictum *Doctoris evangelici*, ſive in *Trialogo*, ſive alibi, *quod corpus Chriſti in ſacramento altaris exiſtens non eſt ibi corpus Chriſti*: Id eſt corpus Chriſti in ſacramento altaris exiſtens ſecundum vitam ſpiritualem & divinam, immortalem & inviſibilem, non eſt ibi corpus ſecundum vitam animalem & mortalem, viſibilem, mole magnam & extenſam, ſic quod aperte putaretur ibi eſſe corpus Chriſti, connotans conditiones & leges terrenas ſecundum vitam animalem, mortalem, mole magnam & extenſam, & non ſic aperte ſubjici.

Item ex ſupradictis ſequitur, quod in ſacramento altaris corpus Chriſti exiſtens in ſua propria natura, modo ſupra prædictò, *non eſt ibi corpus mortuum*, ut quidam errantes iſtis temporibus ſcandaloſe dixerunt, & quod non poſſit probari bene ibi exiſtere vivum corpus Chriſti. Patet hoc, quia juxta ſupra dicta in ſacramento altaris vere exiſtit corpus Chriſti ſecundum vitam ſpiritualem, & divinam, ſecundum quam vivit ipſum ibi, & eſt ibi caro vivificatrix, & vivificat ſecundum iſtam vitam animas digne ipſum vel ipſam degustantes in ſpiritu & veritate.

Item ſequitur, quod in ſacramento altaris corpus Chriſti *non ſolum eſt ibi per quandam gratiam*, *ſolam* animam, ab ipſo corpore Chriſti condiſtinctam, emanantem originaliter à corpore Chriſti, ſic quod ipſummet corpus Chriſti non exiſteret, ut quidam errantes dicunt temerarie; Sed quod catholice credendum eſt, quod ibi vere exiſtit corpus Chriſti in ſui natura.

Unde *Bernhardus in ſermone ad Petrum de corpore Chriſti* ſic inquit: *Quod in hoc ſacramento non ſolùm qualibet gratia ſed iſte à quo gratia ſumitur.*

Et patet ulterius ex iſtis, quod illi, qui non credunt in ſacramento altaris corpus Chriſti in ſua propria exiſtentia vel natura cum Chriſto, non adorant ibi corpus Chriſti cum Domino Jeſu Chriſto in exiſtentia corporis Chriſti. Quia ſolum prætendunt ſe adorare ipſum in cœlo ad dexteram Dei patris.

CA. XI.

De officio ſacerdotum erga plebem ſacra uſuram cœna.

ET ex iſtis omnibus ſupradictis diligenter penſatis videtur ſequi, quod *ſacerdotes Domini*, qui præſunt populo Chriſtiano, *debent eſſe valdè docti*, & in lege Domini meditari die ac nocte, ut ſciant docere frequenter populum de exiſtentia vera diviniſſimi corporis & ſangvinis Domini in ſacramento altaris, & de magnitudine myſteriorum ejus, de capacitate eorum, qvomodo debeant credere, & quàm magnam reverentiam debeant ibi exhibere, colere, & adorare in templis circa miſſarum ſolennia, & quomodo debeant ſe diſponere & probare, & ſuis ſacerdotibus fidelibus & diſcretis ſe oſtendere, & eis obedire, *ſic ut vita & converſatio plebium ſit maxime nota eorum ſacerdotibus*, & quod debeant viverè tàm ſacerdotes quàm populus dignè & gratioſè propter tanta beneficia collata. Sicut etiam præcipitur *Extra. De celebratione miſſarum, Sanè cùm olim.* Et infrà: *Ne*, inquit, *per pigritiem ſacerdotum divina indignatio exardeſcat, diſtinctè præcipiendo mandamus, quatenus à ſacerdotibus euchariſtia in loco ſingulari mundo & ſacrato ſemper honorificè collocata, devotè ac honorificè fideliter conſervetur. Sacerdos verò quilibet fideliter doceat populum ſuum, ut quandocunque in celebratione miſſarum elevatur hoſtia ſalutis, ſe reverenter inclinent. Idem facientes, cùm portat eam presbyter ad infirmum, quam in decenti habitu ſuperimpoſito mundo velamine ferat, & referat manifeſtè ac honorificè ante pectus cum omni reverentia & timore, ſemper lumine præcedente, cùm ſit ſplendor lucis æternæ, ut ex hoc apud omnes fideles fides & devotio augeatur. Prælati autem hujus mandati punire non differant transgreſſores, ſi & ipſi divinam & noſtram volunt effugere ultionem.*

Digitized by Google

Item ex ſupra dictis ſequitur, quod *ſacramentum* corporis & ſangvinis Domini tremendiſſimum & diviniſſimum propter ſui excellentiſſimam dignitatem *non debeat portari communiter & continue, in bellis & campis cum crudis & carnalibus, cruentis atq; crudelibus, timorem Dei pro oculis non habentibus*, ne diviniſſimum & tremendum omni veneratione dignum ſacramentum vilipendatur & contemtui & oſtentui detur, & ne ex hoc in talem exercitum indignum & indiſpoſitivum ira Dei plus reveletur & irritetur & provocetur, licet aliqui timentes Dominum inveniantur inter eos.

CAP. XII.

Reſponſio ad argumentum ſententiæ negativæ, ſupra Cap. 1. propoſitæ.

EX iſtis omnibus patet *reſponſio*, quando *arguebatur* contra veritatem quæſtionis & *contra exiſtentiam veram corporis Chriſti in ſacramento altaris in pluribus templis ſimul.* Et hoc ſic: Corpus Chriſti aſcendit in cœlum, ibi eſt in aliquo loco usque ad adventum judicii, ſecundum Auguſtinum. Igitur non eſt hic in ſacramento altaris.

Reſpondetur. Conceditur antecedens, & negatur conſequentia. Concedo enim, quod corpus aſcendit in cœlum, & inde non veniet, niſi ad diem judicii. Sed tamen ex iſto non ſequitur, quod in ſacramento altaris hic apud nos corpus Chriſti non exiſtat. Quia, ut dicit Auguſtinus *veritas ejus*, ſcilicet corporis Chriſti, *eſt ubiq;, ſcilicet ubicunque fuerit ſacramentum. Illa, inquam, veritas Chriſti corporis, quod de terra beata virginis inculta & incorrupta eſt ortum, quæ eſt ejus intrinſeca ſive ſubſtantialis entitas ſive eſſentia vel natura. Quia, ſicut verum eſt eſſe omne quod eſt, ſic cujuslibet rei entitas, eſt ejus veritas.*

Etiam *reſpondetur* ſecundum Auguſtinum, quod *illud corpus Chriſti exiſtit in ſacramento altaris, & ipſum illud idem & non ipſum, aſcendit in cœlum, & veniet ad diem judicii. Et ipſum quidem viſibiliter veniet ad diem judicii. Et non eſt ipſum inviſibiliter, quod ipſum deſcendet ad diem judicii. In ſacramento autem altaris eſt ipſum illud idem inviſibiliter, quod aſcendit in cœlum viſibiliter, ſed non eſt in ſacramento viſibiliter, quamvis neceſſe ſit, ipſum viſibiliter celebrari.* Et ſic ſecundum Auguſtinum *veritas inviſibilis corporis Chriſti in ſacramento altaris exiſtit, ſecundum quam caro Chriſti dicitur eſſe vere cibus in veritate iſta non ficta.*

CAP. XIII.

De variis formulis eruditorum illius temporis, exiſtentiam corporis Chriſti in ſacramento negantium

ITem ex ſupra dictis penſent fideles *dictum quorundam, dicentium, quod in ſacramento altaris his in terris non eſt corpus Chriſti ſubſtantialiter, corporaliter & dimenſionaliter.*

Caveant, ne ibi commiſceatur eis falſum cum vero. Verum enim dicitur quod in ſacramento altaris non eſt corpus Chriſti *dimenſionaliter*, illo modo ſcilicet, quia non eſt ibi ſecundum vitam mortalem viſibilem & mole magnam ſicut olim ante mortem. Sed caveant fideles circa hoc, ne per hoc ſic dicentes innuerint falſe, quod corpus Chriſti in ſacramento non ſit corporaliter & ſubſtantialiter ſecundum vitam ſpiritualem & divinam, inviſibilem, non dimenſionaliter. Cujus oppoſitum patet ex ſupradictis plane, ſcilicet ex evangelio & ex dictis antiquorum ſanctorum.

Item ex ſupradictis fideles obſervent cautelam contra ſathanam, ſciantque diſcernere verum à falſo & pretioſum à vili. Publice enim per quosdam *dicitur* vel in eorum tractatibus *ſcribitur, quod in ſacramento altaris eſt corpus Chriſti ſpiritualiter, ſacramentaliter & realiter, non*

tamen

tamen tales *concedunt*, *quod in ſacramento altaris exiſtat corpus Chriſti in ſua natura* ſecundum vitam ſpiritualem&divinam. Hoc autem ſic non concedere ſed negare eſſet contra evangelium & totam eccleſiam & ſanctos ſupra allegatos.

Porro in iſto dicto: *Corpus Chriſti eſt in ſacramento altaris ſpiritualiter*, *ſacramentaliter & realiter*, fideles penſent ibi multiplicem ſenſum, ne decipiantur. Nam ſi ſic intelligitur illud dictum,quod in ſacramento altaris eſt corpus Chriſti ſpiritualiter,ſacramentaliter &realiter, id eſt *ſolum per ſpiritualem*, *realem gratiam eſt ibi in ſacramento*, non autem in propria exiſtentia ſecundum vitam ſpiritualem & divinam: Sic eſſet ſenſus erroneus. Si autem ſic intelligitur: In ſacramento altaris eſt vel exiſtit corpus Chriſti ſpiritualiter, ſacramentaliter & realiter, id eſt, ibi ſpiritualiter & realiter in ſacramento ſecundum vitam ſpiritualem, realem, divinam, inviſibilem in ſua propria exiſtentia vel natura: Sic eſt ſenſus verus & catholicus.

Audientes ergò vel legentes in iſta materia aliorum *dicta* vel *ſcripta*, penſent fideles, in quibus ſenſibus ea proferunt ſic opinantes. Et circa ea ſint fideles prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.

CAP. XIV.

Jacobelli obteſtatio ad lectorem de animi ſui integritate ac ſcopo in hac materia tractanda.

ITem ex ſuprà dictis omnibus penſent fideles, quod *non intendo per hoc dicere*, *quod corpus Chriſti tranſiret ſimpliciter in naturam Deitatis vel ſpiritus increati*, *ſic quod non remaneret caro in ſua propria exiſtentia*, ut fortè *quidam mihi*, vel aliis mihi ſimilibus, *videntur adſcribere*, ut eſt videre in eorum dictis vel ſcriptis: Sed *dico*, ſecundum Chryſoſtomum & Damaſcenum, aliosque ſuperius allegatos, quod *caro Chriſti per unionem hypoſtaticam eſt ſpiritus*, id eſt, *ſpiritualis*. Quia ſecundum Damaſcenum, quod generatum eſt ex ſpiritu ſancto, ſpiritus eſt. Per hoc autem non deſtruitur natura corporis, ſed manet, ſic ſpiritualis & divina exiſtens in ſua exiſtentia vel natura.

Cupio ergò non latere quemlibet *lectorem horum ſcriptorum*, quod per iſta *ſcripta* non intendo, niſi communem fidem, ſpem & charitatem, quantum eſſet in me, ædificare, errores & ſchismata deſtruere,& unitatem ſpiritus per hoc in populis promovere, *ſuſcitareque tàm in clero*, *quàm in populis amorem*, *fidem*,*& devotionem* ad beatificum&ſupracœleſte ſacramentum corporis & ſangvinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & inducere honorem & gloriam ac fidele deſiderium moderni *præſentis cleri & populi* ad ipſum venerandum amplius, & ipſo dignè fruendum, tali modo, & ad ipſum finem, quali & ad quem eſt ipſum præparatum à Chriſto Jeſu, & eccleſiæ dilectæ ſanctorum Dei diſtributum communiter & donatum.

Rogo ergò inſtanter quemlibet *lectorem horum ſcriptorum*, ut non ſimpliciter & ita cito hæc ſcripta abjiciat vel contemnat *propter indignitatem perſonæ ſcribendis habitæ in odio à multis nimis*. Et ſi quid defectuoſum, vel incautum, vel periculoſum ſive offenſivum invenerit, ut piè & miſericorditer interpretetur & ſupportet. Pro quo peto veniam & compaſſionem,& ſi neceſſe erit, piam & charitativam informationem vel correctionem, modo & forma juxta regulas evangelii obſervandis.

Expoſueram enim me ad reſpondendum in iſta materia publicè in actu objectionibus magiſtrorum vel aliorum. Sic adhuc mè expono correctioni piæ cujuscunque viri catholici, qui fide vivit filii Dei, ſpeque viva & charitate Domini noſtri Jeſu Chriſti gubernatur.

Si autem lector in his animum catholicum & utile aliquid invenerit, noverit, hoc non ex me, ſed ex Deo & Domini fundamento & ejus evangelio & antiquis ſanctis eſſe congeſtum. Et in hoc ſit laus & gloria Deo Patri & Filio & Spiritui ſancto, à quo & per quem & in quo omnia in ſecula ſeculorum. Amen.

Tan-

Digitized by Google

TAndem cum Concilio tendimus ad finem. Poſtquam ergo *tribus propemodum annis*, non ſolum in Bohemia ſed & *Conſtantiæ in Concilio*, controverſia de Communione ſacramentali ſub utraque ſpecie, à viris doctis ventilata, & usque ad novi Pontificis electionem non dilata ſed progagata fuerat, ut ſuperiora monumenta docent: Menſe Novembri A. 1417. creatus novus Papa *Martinus V.* ſuperiorum negotiorum conſcius, non ſolum contra Wiclefi Huſſi & Hieronymi ſectatores generatim, *ſub finem Concilii* edictum pro inquiſitione in illos ſtatuenda edidit, ſed *ſpeciatim* in iſthoc edicto *Jacobellum, ejusque varia ſcripta de re ſacramentali*, indigitavit, & expresſis plane nominibus aliqua, nobis nondum viſa, commemoravit, quod huic potiſſimum Jacobello novum illud Huſſitarum negotium deberetur.

Hâc proinde in Jacobellum æque ac Huſſitas & Bohemos reliquos *inquiſitione* per Martinum V. in Concilio definitâ, quæ in Decretorum Conſtantienſium Volumine *Tomo IV.* comparebit, Concilium brevi poſt finem vidit.

Atque ita cum his merito & *hunc Tomum claudimus.* Quanquam enim à fine Concilii non ſopitæ omnes illæ motiones religioſæ, ſed vel continuatæ, vel auctæ & majori cum impetu productæ, ac in multos annos in novum usque Baſileenſe Concilium ſint ab utraque parte protractæ: Noſtrum tamen non fuit *limites hujus Concilii* operisque definiti tranſilire. Acquieſcendum potius hic cum Concilio ejusque Patribus fuit, non tam, ut à tædioſo ac tenaci labore aliquis reſpirandi locus & nobis contingeret, quàm ut ſuus cuique rei terminus conſtaret ſalvus, & Concilii magni ultimi conatus & eventus tanto diſtinctius apparerent. Sicut enim *Tomum I. de emendatione diſciplinæ Eccleſiaſticæ in Concilio Conſt. quæſita*, clauſimus cum fine Concilii, præter Appendicem: *Tomum II. De pace ac unione Eccleſiæ Conſtantiæ formata*, itidem finivimus cum Concilii fine: Sic quoque dum longam hoc *Tomo III. de rebus religionis tunc controverſis* monumentorum ſeriem ad finem usque Concilii deduximus, jure meritoque ultimam eis imponimus manum.

Benignus lector opellam hanc quoque noſtram æqui bonique conſulet. Memor interim *fugacis temporis* vitæque hujus minime perennis, dum *tria prope ſecula elapſa* viderit, ex quo illa Concilii celebritas Conſtantiæ viſa: Memor quoque *moleſtiarum*, quibus res omnes, ſacræ & humanæ, indeſinenter in hoc orbe afficiuntur & jactantur, quando *jam olim* & ante tam longos annorum circulos Eccleſia & reſpublica *diſceptationibus tenaciſſimis* fuit quaſſata. Conſcius denique, & in his remotis fatis priſtinis, vetuſtiſſimi *augurii* ſapientiſſimi Regis *Salomonis*, Eccleſ. I. *Quid eſt quod fuit? Ipſum quod futurum eſt. Quid eſt, quod factum eſt? Ipſum quod faciendum eſt. Nihil ſub ſole novum. Nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens eſt. Jam enim præceſſit in ſeculis, quæ fuerunt ante nos. Non eſt priorum memoria. Sed nec eorum quidem, quæ poſtea futura ſunt, erit recordatio apud eos, qui futuri ſunt in noviſſimo.*

Digitized by Google

Tertia hæc eſt compages
Bone Lector
antiquorum monumentorum,
maxima ex parte
remoto huic ſeculo incognitorum,
de rebus fidei & religionis
Huſſi, Bohemi,
Johannis Parvi, Galli,
Theologi & Conſiliarii Burgundi,
Cruciferorum de Pruſſia
Ordinisve Teutonici,
Brigittæ Svecicæ,
Hieronymi Pragenſis,
Calendariographorum Eccleſiaſticorum,
Crucifratrum aut Flagellariorum,
Monachorum & Monialium,
Dominicanorum præſertim
& *Ciſtercienſium*,
Wiclefi, Angli,
Jacobelli, Miſa Bohemi,
ſociorumq; Bohemorum,
in Conſtantienſi Concilio,
SIGISMUNDO CÆSARE
præſente partim
partim abſente
ad Hiſpanos Gallos & Anglos
Concilii cauſa digreſſo,
in Patrum & Doctorum ſenatu
privatisque congresſibus
diu multum examinatis,
his non plane definitis
ob ſcrupulos, vel metum, vel affectum,
illis damnatis:

Nunc

Nunc tandem
poſt trium ferme ſeculorum intervallum
INVICTISSIMO
ac Chriſtianiſſimo
CÆSARE LEOPOLDO
ex profundis tenebris
antiquiſſimorum ac pretioſiſſimorum MSctorũ
Cæſareorum Vindobonenſium
Electoralium Brandenburgenſium
Ducalium Brunſvicenſium
ac Wolffenbuttelenſium
Academicorum Lipſienſium
ac Helmſtadienſium
Fortunatis Auſpiciis
SERENISSIMI PRINCIPIS
RUDOLPHI AUGUSTI
Brunſvicenſium ac Lunæburg.
DUCIS
eruta,
& in Academia Julia
Helmſtadii in lucem producta.
Cui Tertio Tomo
redeunte felici omine primi Tomi
ultima impoſita manus
A. M. DC. XCIIX.
illuceſcente die XVI. Maji,
Auguſti Conditoris hujus Operis
DUCIS RUDOLPHI AUGUSTI
SERENO NATALI
SEPTUAGESIMO SECUNDO.

Digitized by Google

Digitized by Google

3-3

Google